6
41 M E
45

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

III. 12. 9

III
13
G

III
10

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

FRANCISCI BURMANNI,

S. Theol. Doctoris & Profeſſoris,

SYNOPSIS THEOLOGIÆ,

& ſpeciatim Oeconomiæ FOEDERUM DEI,

ab initio ſæculorum uſque ad conſummationem eorum.

TOMUS POSTERIOR

complectens Oeconomiam

NOVI FOEDERIS.

Cui acceſſit Conſilium de ſtudio Theologico feliciter inſtituendo.

Editio ultima Indicibus multò locupletioribus quàm antea exornata.

Bibliot. Soc.
Coll. Rom.
Soc. Jesu



AMSTELÆDAMI,

Apud JOANNEM WOLTERS, 1699.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSPECTUS

Locorum & Capitum

TOMI POSTERIORIS

SYNOPSEOS THEOLOGIÆ,

Et ſpeciatim

Oeconomiæ Fœderum Dei.

LIBER QUINTUS.

De Meſſia, ejuſque perſona & ſtatu.

Locus XXXI. De Testamento Novo.

Caput		Pag.
I.	*De natura Teſtamenti Novi.*	1
II.	*De bonis Novi Teſtamenti.*	4
III.	*De Novi Teſtamenti initio.*	10

Locus XXXII. De Adventu Messiæ, Jesu Nazareni.

IV.	*De Prodromo Meſſiæ, Johanne Baptiſta.*	12
V.	*De Adventu Meſſiæ.*	15
VI.	*De Jeſu Nazareno, Meſſia.*	19
VII.	*De Judæorum in hoc capite erroribus.*	22

Locus XXXIII. De Christi Persona & incarnatione.

VIII.	*De Perſona & naturis Chriſti.*	25
IX.	*De Incarnatione, conceptione & nativitate Chriſti.*	37

* 2 Locus

Caput Pag.

X. *De vita Chriſti privata.* 44
XI. *De imitatione & unctione Chriſti.* 49
XII. *De munere Chriſti Prophetico.* 52
XIII. *De miraculis Chriſti.* 64
XIV. *De munere Chriſti ſacerdotali.* 69
XV. *De munere Chriſti Regio.* 77
XVI. *De Chriſti obedientia.* 84

Locus XXXV. De Humiliatione Christi.

XVII. *De Chriſti Paſſionibus.* 87
XVIII. *De morte Chriſti.* 93
XIX. *De Satisfactione & fructibus mortis Chriſti.* 97
XX. *De objecto mortis Chriſti, ſive pro quibus Chriſtus mortuus ſit.* 116
XXI. *De ſepultura & deſcenſu Chriſti ad inferos.* 125

Locus XXXVI. De Exaltatione Christi, & quæ eam consecuta sunt.

XXII. *De ſtatu exaltationis & reſurrectione Chriſti.* 130
XXIII. *De Aſcenſione Chriſti.* 137
XXIV. *De ſeſſione Chriſti ad dexteram Patris.* 142
XXV. *De Euangelio.* 147
XXVI. *De vocatione Gentium.* 150
XXVII. *De Judiciis in Judæos.* 154

LIBER SEXTUS.
De Beneficiis Chriſti.

Locus XXXVII. De Primis beneficiis Christi.

I. *De Gratia Chriſti.* 161
II. *De vocatione ad ſalutem.* 173

III. *De*

Digitized by Google

Caput	Pag.

III. *De Regeneratione.* 179
IV. *De FIDE.* 182

Locus XXXVIII. De Progressu beneficiorum Christi, in Justificatione, eique annexis beneficiis.

V. *De Juſtificatione.* 194
VI. *De Adoptione & libertate Chriſtiana.* 218

Locus XXXIX. De beneficiis Christi internis, Sanctificatione, aliisque ei connexis.

VII. *De Sanctificatione.* 226
VIII. *De bonis operibus, eorumque neceſſitate & merito.* 235
IX. *De Reſipiſcentia.* 246

Locus XL. De Consummatione beneficiorum Christi.

X. *De Glorificatione hujus vitæ : ubi de perſeverantia ſanctorum, & certitudine ſalutis.* 266
XI. *De morte, & ſtatu hominis poſt eam.* 276

LIBER SEPTIMUS.

De Verbo & Sacramentis N. T.

Locus XLI. De Revelatione, & verbo sub Oeconomia N. Foederis.

I. *De verbo Dei ſub N. F. hominumque circa illud laboribus.* 294
II. *De Symbolis & Confeſſionibus.* 307
III. *De Fundamento & articulis fundamentalibus.* 308

Locus XLII.

IV. *De Sacramentis in genere.* 317

CAPUT Pag.

V. *De Sacramentis Vet. & N. Fæd. in genere; eorumque convenientia & diſcrimine.* 327

Locus XLIII. De Baptismo.

VI. *De Baptiſmi inſtitutione.* 332
VII. *De Baptiſmi adminiſtratione.* 338
VIII. *De re ſignificata Baptiſmi.* 349
IX. *De Baptiſmi adjunctis.* 353

Locus XLIV. De S. Coena, aliisque ritibus.

X. *De S. Cœnæ nominibus, perſonis, ſymbolis ritibuſque externis.* 360
XI. *De re ſignificata S. Cœnæ.* 378
XII. *De effectis Euchariſtiæ, unione cum Chriſto, & manducatione corporis ejus.* 383
XIII. *De præſentia corporis Chriſti in S. Cœna.* 390
XIV. *De Tranſubſtantiatione & Conſubſtantiatione.* 393
XV. *De Miſſa.* 403
XVI. *De Sacramentis ſupernumerariis.* 415
XVII. *De reliquis cultus N.F. ritibus.* 421

LIBER OCTAVUS.

De Eccleſia N. F. ejuſque ſtatu & fine.

Locus XLV. De Ecclesia N. F.

I. *De Eccleſiæ N. F. nomine, natura & attributis.* 427
II. *De Eccleſiæ Notis.* 438

Locus XLVI. De Regimine & disciplina Ecclesiæ.

III. *De Capite Eccleſiæ.* 442
IV. *De legibus Eccleſiaſticis.* 446
V. *De diſciplina Eccleſiaſtica.* 450

Locus

Locus XLVII. De Ministris Ecclesiæ N. F.

Caput		Pag.
VI.	*De Miniſtris N. F. extraordinariis.*	468
VII.	*De Miniſtris N. F. ordinariis.*	476
VIII.	*De Eccleſiarum unione, earumque conciliis & ſynodis.*	493

Locus XLVIII. De Magistratu.

IX.	*De Magiſtratu, ejuſque jure & munere circa civilia.*	503
X.	*De jure & munere Magiſtratus circa Sacra.*	515

Locus XLIX. De Corrupta Ecclesia N. F.

XI.	*De corrupta doctrina ſub Novo Fœdere.*	527
XII.	*De corrupta regiminis forma ſub N. Fœdere.*	531
XIII.	*De Epiſcopis, Archiepiſcopis, Patriarchis & Cardinalibus.*	536

Locus L. De Papa & Antichristo.

XIV.	*De Papa, ejuſque provectione.*	542
XV.	*De Regimine Eccleſiæ Monarchico.*	549
XVI.	*De Monarchia & vicariatu Chriſti Petro Apoſtolo commiſſis.*	553
XVII.	*De ſucceſſione Pontificum Romanorum in Monarchiam Petri.*	564
XVIII.	*De Anti-Chriſto.*	573
XIX.	*De duplici Beſtia, & Eccleſiæ cum illa commixtione.*	589

Locus LI. De Abolitione Anti-Christi & ultimis temporibus.

XX.	*De liberatione Eccleſiæ ab Anti-Chriſto & Reformatione illius.*	593
XXI.	*De regno Eccleſiæ & ultimis temporibus.*	601

Locus

Digitized by Google

Locus LII. De Novissimis.

Caput		Pag.
XXII.	*De reſurrectione mortuorum.*	606
XXIII.	*De judicio extremo.*	618
XXIV.	*De conſummatione ſæculi.*	627
XXV.	*De vita & morte æterna.*	632

Consilium de studio Theologico feliciter instituendo.

I.	*De apparatu ad ſtudium Theologicum.*	653
II.	*De ipſo ſtudio Theologico.*	663
III.	*De ſtudii Theologici uſu & exercitio.*	671

SYN-

Digitized by Google

SYNOPSIS THEOLOGIÆ, ET SPECIATIM Oeconomiæ Fœderum Dei.

LIBER V.

De Meſſia, ejusque perſona & ſtatu.

LOCUS TRIGESIMUS PRIMUS DE TESTAMENTO NOVO.

CAPUT I.

De natura Teſtamenti Novi.

I. ATque hactenus Eccleſiæ infantiam & adoleſcentiam, tardoſque ejus auctus & incrementa vidimus, utque illa diu circa matrem ſuam luctata, ac Cananææ finibus concluſa fuerit; in quâ, difficili miniſterio exercita, terrenæ iſtius hæreditatis pignus tractare, & templi umbris ac figuris ſeſe oblectare, ac veluti per cancellos ejus, Salvatorem ſuum de longinquo tantum proſpicere neceſſe habuit. Nunc vero clarior & il- *Fœdus gratiæ ſub V. T. excipit ejus œconomia ſub N. T.*

A lu-

luſtrior rerum facies aperitur; &, fatis ſeſe paulatim explicantibus, quicquid illa in occulto hactenus ſtruxerant, in apertum producitur; & ſalutis humanæ opus digniſſimo maximeque decoro Deo modo abſolvitur. Eſtque hoc Eccleſiæ tempus longè beatiſſimum; quo illi Servatorem ſuum coram intueri ac amplecti, cunctaque quæ hactenus obſcura ac velata fuerant, in puro liquidoque die pervidere datum fuit; poſtquam per adventum Meſſiæ diſcuſſæ nebulæ, remotæ umbræ, & quicquid ex veteri nocte reliquum erat, inducta luce & ſerenitate deletum eſt.

II. Cujus gratiæ tempora tractaturi, omnemque ejus ordinem ac ambitum breviter perluſtraturi, quædam in ipſo limine 1. de Novi Teſtamenti naturâ; 2. bonis; 3. ejus initio primiſque auſpiciis prælibabimus.

Quam Scriptura reſpiciens, duplex memorat tempus:

III. Diverſa dari Eccleſiæ tempora Apoſtolus manifeſto innuit, cum Eph. 1: 10. τῆς οἰκονομίας τοῦ πληρώματος καιρῶν meminit. Fuit enim tempus *præcedens* τὴν προθεσμίαν, *ſtatutum tempus*, Hab. 2: 3. quod tempus ſeveritatis, ac jugi, & cærimoniarum erat: ac tempus quod illud conſecutum eſt, quod Scriptura appellat *ſæculum* & *mundum futurum*, Hebr. 1: 6. & 2: 5. tempus videl. libertatis & gratiæ, ac beatum Nov. Teſt. ſæculum.

ac proinde duplicem œconomiam.

IV. Juxta quæ tempora diverſa quoque Eccleſiæ fata fuere, ac diverſum ejus regimen & *œconomia*. Ad *prius* tempus pertinet *ſpes* & expectatio Meſſiæ. Unde fideles ejus ætatis προηλπικότες dicuntur, *qui ante ſperaverant*, Eph. 1: 12. conf. Act. 26: 6, 7. *Et nunc de ſpe promiſſionis, a Deo facta ad patres, ſto judicandus; ad quam duodecim tribus noſtræ —— ſperant pervenire.* Ad *ſecundum*, *fides* & gaudium de Chriſto revelato. *Antequam autem veniſſet fides, ſub lege cuſtodiebamur concluſi in fidem, quæ futurum erat ut revelaretur.* Gal. 3: 23. Quæ eſt œconomia Nov. T. de quâ nunc agendum.

Quarum poſterior pertinet ad TESTAMENTUM NOVUM, *quod deſcribitur.*

V. Dicit autem *Novum T.* eam conſilii Dei partem, quâ, exhibito tandem, ultimis temporibus Chriſto, interveniente ejus morte, perfectiora ac ſpiritualia bona Eccleſiæ largiri ſtatuit, juſtitiam ac libertatem plenam, una cum mundi hæreditate, in hac vita; ac poſt illam, cœleſtis Cananææ poſſeſſionem, intemeratam, nulloque terreſtri pignore ac jugo velatam. Duplex enim erat Dei propoſitum de hæreditate Eccleſiæ danda; aut duæ potius ejuſdem propoſiti partes; prout Deus eam vel in typo, & ſub umbris figuriſque oſtentare, interimque Eccleſiam ſuam exercere; vel nudam perfectamque

Digitized by Google

que exhibere decreverat. Ut latius tomo priore, lib. IV. c. I. explicatum dedimus.

VI. *Novum* appellatur, cum temporis, tum præſertim ſucceſſionis ratione; quod Veteri Teſt. antiquato, in locum ejus ſucceſſerit. *In eo, quod dixit Novum, antiquavit primum. Quod autem antiquatur & ſeneſcit, prope abolitionem eſt.* Hebr. 8: 13. Poſt quod ulteriori innovationi ac tertio Teſtamento, locus nullus eſt, cum illud morte teſtatoris obſignatum & immutabile redditum ſit: niſi ipſum Dei fœdus inane, & decreta conſiliaque ejus fluxa ac vana, & mortem denique Chriſti irritam ac nullo pretio ſtatuas.

VII. Promittitur hoc Teſtamentum Jer. 31: 31. *Ecce dies veniunt, ait Jehovah; & pangam cum domo Iſraël, & cum domo Judæ fœdus Novum.* Quod fœdus cum immutabile ſit, & à morte teſtatoris pendeat, Apoſtolus, LXX. imitatus, rectè per διαθήκην *Teſtamentum*, vertit.

VIII. Ut autem Veteris Teſtam. hæreditas victimarum ſanguine firmata eſt; ita cœleſtis hæc hæreditas Chriſti quoque teſtatoris morte obſignata ac ratificata fuit. *Etiam tu, ô* Zion, *pro ſanguine Teſt. tui, dimiſi vinctos tuos è foveâ, in quâ non eſt aqua.* Zach. 9: 11. *Ubi enim Teſtamentum* eſt, *mortem neceſſe eſt contingere Teſtatoris.* Hebr. 9: 16, 17. Ut Chriſtus vi Teſtamenti hujus mortuus ſit, tum ut ſponſor ac mediator illius, tum etiam ut Teſtamenti illius auctor ac teſtator. *Et ego Teſtamento diſpono vobis regnum, ut Pater Teſtamento diſpoſuit mihi.* Luc. 22: 29. Unde *teſtamenti utriuſque diſcrimen eluceſcit:* cum in priore ſacerdotium modo typicum, & vilis pecudum cruor conſpiceretur; hic autem ipſe teſtamenti conditor, ejuſdem mediator, ipſeque ſacerdos & victima factus, ac converſus in pretium Deus eſt. Quo ſolo ſanguine Deus placari poterat. *Qui — per ſe ipſum purgatione factâ peccatorum noſtrorum, conſedit ad dextram magnitudinis in alto.* Hebr. 1: 3. *Ad paſcendam Eccleſiam Dei, quam per ſanguinem proprium acquiſivit.* Act. 20: 28.

IX. Ut autem in omni teſtamento, præter teſtatoris conſilium, teſtamenti conditionumque ejus promulgatio, ac promiſſæ hæreditatis oblatio locum habet: ita quoque teſtamenti hujus ſpectanda eſt, tum νομοθεσία, ſeu *legiſlatio*; quæ per legem ſeu mandatum fidei peragitur, quo ſcripti à Deo hæredes bona teſtamenti hujus deſiderare, & amplecti, tantamque ſalutem non negligere jubentur: tum *promiſſio*, non rerum terreſtrium, ut olim, ſed ſpiritualium ac cœle- *Ut & inde enatum Fœdus.*

 ſtium

Digitized by Google

ſtium, omniſque iſtius hæreditatis, illis, qui ſalutis ſuæ cura ducuntur, atque illa accipere dignantur, facta. quæ promiſſio exſtat Jer. 31: 31, 32. Hebr. 8. 7. Ex qua teſtamenti νομοθεσία, atque adjunctis promiſſis, illud veluti in *Fœdus* & pactum commutatur, mutuâ ſtipulatione ac reſtipulatione firmatum ac immutabile redditum. Cum nec Deus fruſtra ſalutem promittere, nec homo in vanum illi promiſſioni confidere, ſeque ipſi ſalvandum dedere poſſit.

Quæ à Socinianis depravantur.

X. Non tangimus autem hac vice Socinianorum ulcera, quæ jam ſæpe nudavimus; quorum theologemata de fœdere ac teſtamento Dei nihil ſani, quodve Deo homineve dignum ſit, ſapiunt; & merum pus ac venenum ſunt. Ex quo fonte univerſa ipſorum religio corrupta eſt. Illis enim Teſtamentum Vetus eſt fœdus operum legale, nulla vitæ æternæ promiſſione adjutum; unde ejus in homine ad Deum convertendo imbecillitas: Teſtamentum autem Novum eſt idem fœdus, ſeu lex operum, nova dignitate, ac præceptorum ſanctimonia veterem legem longè exſuperans, à Chriſto lata, & cœleſtibus promiſſis firmata, ipſoque ſponſore (talem enim ſolum ſponſorem agnoſcunt, qui divinæ voluntatis interpres & internuntius, fuſoque ſanguine ejus ſponſor ſit) roborata; quo cœleſti præmio hominem efficacius duci, atque ita legem, alioqui pro captu ipſorum nimis ſublimem, in cordibus ipſorum inſcribi autumant. Quo pacto, ut alia omittam, omne Teſtamentum Dei, omneque ejus conſilium de gratiâ faciendâ, quod Scriptura tam ſæpe memorat, inane reddunt ac prorſus negant. Cum toto cœlo fœdus tale ac Teſtamentum diſcrepent.

CAPUT II.

De bonis Novi Teſtamenti.

Septem N. T. BONA.

I. SEquuntur ſecundo loco *bona* & prærogativæ Novi Teſt. præ veteri, œconomiam illius comitantia, jamque ex parte ſupra, ubi de Veteris Novique Teſt. diſcrimine, à nobis narrata. Sunt autem ea valde inſignia, tum juſtificationem, tum ſanctificationem, tum denique conſolationem noſtram ſpectantia; partimque ad fidelium *internum*, partim ad *externum* Eccleſiæ ſtatum pertinentia; atque hiſce ſeptem potiſſimum abſolvuntur.

II. *Primum*

Digitized by Google

I. JUSTITIA *perfecta*,

II. *Primum* eſt, *perfecta* cunctiſque numeris abſoluta *juſtitia*, quam Meſſias ſanguine ſuo paravit, Dan. 9: 24. cum pro humano genere victima factus peccatum totius terræ *uno die*, Zach. 3: 9. h. e. unico ſacrificio, ἅπαξ, Hebr. 9: 28. delevit, ut nihil ex veteri maledictione, ac multiplici illa iræ ſpecie, nunc, ſuperſit, quod fidelium ſpem atque fidem concutere poſſit. Quæ *juſtitia* & *juſtificatio* per emphaſin ac excellentiori modo appellatur, ac nunc primum data eſt. *Ad adducendum juſtitiam æternam*. Dan. 9: 24. *in cognitione ſui* יצדיק *juſtificabit juſtus ſervus meus multos*. Eſai. 53: 11.

II. *Plena peccatorum* REMISSIO.

III. Conſequitur plenam hanc juſtitiam, atque ex ea ceu fonte promanat *peccatorum* ἄφεσις & *remiſſio* pleniſſima, in emphaſi ita dicta; ſine ulla criminatione, ac peccati tanquam necdum expiati ὀνειδισμῷ & improperio. Quæ Novi T. temporibus olim promiſſa (*Nam condonabo pravitatem eorum, & ipſum peccatum eorum non recordabor amplius*. Jer. 31: 34. Heb. 8: 12.) ac exhibita eſt. *Ubi autem* ἄφεσις *remiſſio horum* peccatorum, *non adhuc oblatio pro peccato eſt*, Hebr. 10: 18. Veteris enim temporis potius erat πάρεσις, & noxarum diſſimulatio, ut Apoſtolus appellat Rom. 3: 25. διὰ τὴν πάρεσιν *propter transmiſſionem peccatorum ante factorum*: cum *Lex*, *umbras ſolum ac imagines futurorum bonorum exhibens*, *cultores ſuos per ſeſe non poſſet* τελειῶσαι. Hebr. 10: 1.

& *conſcientiæ* CONSUMMATIO.

IV. Ac comitatur hanc ἄφεσιν & remiſſionem conſcientiæ τελείωσις, *conſummatio*, ejuſque jam perpurgatæ ſumma tranquillitas & fiducia: cum, deletis jam peccatis omnibus, nihil queri, nihil paveſcere, ſemper autem gaudere ac lætari poſſit, in ſinu Dei poſita, ac ſanguine Chriſti inundata ac lota. *Lex — nunquam poteſt accedentes* τελειῶσαι *conſummare*, Hebr. 10: 1. *una enim oblatione conſummavit in perpetuum qui ſanctificantur* v. 14. Cum illi *ſine nobis conſummati non fuerint*. Hebr. 11: 39, 40.

III. *Effuſio* SPIRITUS *adoptionis*.

V. Huc pertinet quoque *tertium* bonum, quod Eccleſiæ nunc datus ſit *Spiritus* Chriſti. *Et effundam in domum Davidis Spiritum gratiæ & ſupplicationis*. Zach. 12: 10. *Hoc enim dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in ipſum. Nondum enim erat Sp. S. quia Jeſus nondum glorificatus erat*, Joh. 7: 39. Non *Spiritus ſervitutis*, ut olim, quando fideles legis tortoris verbera & flagellum quotidie experiebantur, & illiberali iſto miniſterio occupati, ac ſerviliter fere habiti, ſerviles quoque propemodum animas gerebant; ſed *Spiritus adoptionis*, qui blando ductu fideles cum fiducia ad Deum tan-

Digitized by Google

quam patrem accedere, ipſumque ingenuo ac liberali cultu propitiare docet. Rom. 8:15. Gal. 4:3, 5. *Ita & nos, quum eſſemus infantes, ſub elementa mundi eramus in ſervitutem ſubjecti — ut eos, qui ſub lege erant, emtos liberaret, ut adoptionem filiorum acciperemus.* Unde *adoptio* antonomaſticè ac auguſtiori titulo N.T. tribuitur. *Ut adoptionem filiorum acciperemus.* Gal. 4: 5. *Sed accepiſtis Spiritum adoptionis*, Rom. 8:15. Joh. 1:12.

IV *Et inde* INSCRIPTIO LEGIS *in corda noſtra.*

VI. A quo ſpiritu ac divino illius ductu *quanto* major ac perfectior Eccleſiæ iſtius quoque oritur *ſanctitas*. Cum ejus ſit *inſcribere legem in corda fidelium*, Jer. 31:33. atque illa veluti ſcripturam Dei ſanctiſſimis notis perarare: *Qui eſtis epiſtola Chriſti, adminiſtrata à nobis, ſcripta non atramento, ſed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carneis*, 2 Cor. 3:3. ut Lex jam non in ſaxo aut lapide tantum extet, & merè litera ſit, ſed pretioſioribus tabulis, intimiſque cordis noſtri fibris inſculpta, ipſum noſtrum animum vivam loquentemque legem faciat.

V. NOMINIS *Dei notificatio.*

VII. Sequitur *quintum* bonum, quod magis publicum erat, *Nominis Dei* in Eccleſia, atque hinc in univerſo mundo, *clara notificatio:* hoc eſt, virtutum, quæ nomen atque gloriam ejus abſolvunt, Exod. 34: 6, 7. uberior manifeſtatio; quæ non unquam alibi magis, quam in redemtionis opere patuerunt; ubi Deus omnem ſuam gloriam nudavit, cunctaſque ſapientiæ, juſtitiæ, ac miſericordiæ ſuæ divitias oſtendit, ac palam expoſuit. Unde Chriſtus, cujus adventu ac morte nomen illud Dei præſertim illuſtratum eſt, *nomen Dei nobis* edidiſſe ac *manifeſtaſſe*, Joh. 17:26. *Patremque* hactenus mortalibus obſcurum, luceque ſuâ impervium, *ediſſeruiſſe* traditur. Joh. 1:18.

VI. PAX.

VIII. *Sextum* bonum, idemque externum & publicum, eſt *pax*, non *interna* ſolum cum Deo, per Chriſti ſanguinem, per quem omnia pacata; cum in Veteri T. magis obtinerent induciæ, nec tam pax foret, quam pactio: *quem propoſuit Deus propitiatorium per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, propter tranſmiſſionem peccatorum ante factorum in tolerantia Dei*, Rom. 3:25. ſed potiſſimum *externa*, extinctis populorum inimicitiis, nulloque amplius Gentium & Judæorum diſcrimine, quod mundum hactenus in duas magnas partes, duaſque veluti civitates diviſerat: *Ipſe enim pax noſtra, qui fecit utrumque unum, & intergerinum parietem ſolvit, inimicitiam —— ad nihilum redegit; ut duos illos crearet in ſe in unum novum*

novum hominem, faciens pacem. Eph. 2: 14, 15. Cum Deus nunc ſit omnibus idem: unuſque omnium dominus, & una fides, & ſalus, & Eccleſia ſit; genteſque ipſæ poſt longum repudium in Eccleſiæ ſinum rurſum receptæ ſint: *Non enim eſt diſtinctio Judæi & Græci; nam idem eſt dominus omnium, dives in omnes qui nominant ipſum*, Rom. 10: 12. Quæ eſt illa *mundi hæreditas*, Abrahamo olim promiſſa. Rom. 4: 13.

IX. Sequitur tandem maximum bonum, quodque reliquorum omnium compendium habet, *libertas*. Quæ omnem illam veterem ſervitutem, omnemque ejus imaginem ac ſpeciem longiſſime removens, Eccleſiam, per Chriſti ſanguinem manumiſſam & vere liberam, omni prorſus dominatu, omnibuſque dominis, præter Chriſtum ſolum, liberat, ſtatumque ejus beatiſſimum reddit. Multiplex enim in Vet. T. erat ſervitus, ſaltem quoad ſtatum Eccleſiæ externum, multique domini: cum præter legem, quæ pluſquam maritali imperio peccatorem urgebat, ac terrebat, etiam homines, accepta ab ea poteſtate, tanquam veteris ſæculi principes ac dii, in gregem Domini, non ſine injuria ſæpe, dominarentur; quorum diſciplinam Eccleſia perferre, ſubque ferulâ eorum gemere debebat. Quæ cuncta veteris ſervitii mala nunc amota, ſoliumque deaſtrorum illorum everſum, Lexque ipſa pædagogico throno cedere, ac gratiæ potius ſubſervire juſſa eſt. VII. LIBERTAS.

X. Ita ut nunc omnimoda obtineat libertas. 1. Libertas videl. à ſuperbo *Legis* dominatu, ſæviſque juſſis, quibus peccatorem terrebat, & quotidianis diris exagitabat, ac tantum non enecabat. *Nam viro ſubjecta mulier, viventi viro devincta eſt per legem: quod ſi mortuus fuerit vir, liberata eſt à lege viri — Itaque fratres mei, vos quoque mortificati eſtis legi in corpore Chriſti — Nunc autem liberati ſumus à Lege* &c. Rom. 7: 2, 4, 6. 2. Inde etiam ab iſta mundi ſervitute, ac primis infantilis Eccleſiæ *elementis* liberati ſumus, Gal. 4: 3, 9. *Dicit ei Jeſus, mulier, crede mihi, quod veniat hora, quum neque in monte hoc, neque Hieroſolymis adorabitis patrem*. Joh. 4: 21. 3. Libertas ab infinito illo & inexplicabili *Cæremoniarum* jugo & onere; quod non tam multitudine, quam triſti ac ſævo ſignificatu ac uſu ſuo, Eccleſiam premebat. *Jugum — quod nec Patres noſtri, nec nos potuimus ferre*, Act. 15: 10. Conf. Col. 2: 14. Gal. 3: 25. 4. Hinc quoque liberi ſumus à *timore mortis*, cui olim obnoxii degebant fideles, juxta Hebr. 2: 15. *Ut liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti.* *à varia ſervitute.*

conf.

conf. 10:28. *Infringens quis legem Moſis, ſine commiſeratione, duobus aut tribus teſtibus, moritur.* Cujus rei exempla in Davide, Hiskia, aliisque ſub V.T. videmus. Qui, cum omnes afflictiones, tanquam legis ſævientis verbera, ſerviles que notas, tum præſertim mortem immaturam horrere debebant. Qui terror non parum intendebatur, quod terrenum pignus, ac longævæ vitæ in terra iſta promiſſa à Deo accepiſſent; quo erepto, ac de manibus excuſſo, non poterant non lugere, & amarum tanquam ad irati Dei ſpeciem ingemiſcere. Cum nunc non uni terræ, tanquam glebæ, adfixi, eam vehementer adeo deamare, & tanquam ſacrum aliquid colere, & perpetuo tractare; iſtique pignori incumbere, & tantum non ſervire cogamur; ad quodvis calamitatum mortiſve impetum ſtupentes territique; ſed univerſa nobis tellus ex æquo patria & hoſpita, ac *cælum* potius *civitas* noſtra ſit. Phil. 3:20. & *gloriemur in* ipſis *afflictionibus*, Rom. 5:3. 5. Cumque externis illis cærimoniis exercendis tunc præſiderent veteris Eccleſiæ principes, ac *patres carnis*, Hebr. 12:9. & univerſa illa pædagogorum cohors; etiam hi, tanquam Eccleſiæ graves, & abolitis cærimoniis inutiles, remoti, & throno ſuo decedere juſſi ſunt. *Scriptum enim eſt, perdam ſapientiam ſapientum — ubi ſcriba, ubi inquiſitor hujus ſæculi?* 1 Cor. 1:19. *Sapientium vero loquimur in perfectis. Sapientiam autem non hujus ſæculi, neque principum hujus ſæculi abolendorum.* cap. 2:6. Ita ut *Eccleſia* nunc non hominum, ſed ſolius *Dei vivi* peculium & cœtus ſit, 1 Tim. 3:15. ac *cælorum* quoddam *regnum*; in quo non aliud quam Dei nomen audiri debet; cum hæc nunc publica Eccleſiæ vox ſit, *Jehovah eſt judex noſter; Jehovah eſt Legiſlator noſter, Jehovah eſt Rex noſter, is ſalvat nos*, Eſai. 33:22. quo omnem hominum dominatum, omneſque dominos ac legiſlatores, quacunque ſpecie in plebem Dei graſſantes, & fidei legem ferentes, procul abſiſtere jubet. Igitur in regno cœlorum nec *angelis* ſubjicimur, Heb. 2:5. nec *œconomis* aut *tutoribus*, Gal. 4:2. 6. Cui libertati, quo plenior, & ab omni humano nomine abſolutior foret, accedit ultimo libertas *à ſubjectione prophetarum*, juxta Jer. 31:34. Hebr. 8:11. *Et non docebunt amplius quiſquam proximum ſuum, & quiſquam fratrem ſuum, dicendo; cognoſcite Jehovam: nam omnes ipſi cognoſcent me, non minus parvus ipſorum, quam magnus ipſorum, ait Jehovah.*

XI. Quo loco duo docentur. 1. Non ſuperfore in Eccleſia amplius cathedram, collegium, aut locum aliquem, qui religionis metropolis & ſedes ſit; quæque cum auctoritate univerſam Eccleſiam doceat;

doceat; atque à quo verba Dei haurire reliqui omnes neceſſe habeant, quaſi ad eam ſolam ea incorrupta perveniſſent. Qualis ex. gr. in Vet. T. fuit Hieroſolyma, ubi cathedra Moſis collocata erat, ad quam Chriſtus etiam diſcipulos ſuos ablegat Matth. 23: 2, 3. *In cathedra Moſis ſedent ſcribæ & Phariſæi; omnia igitur, quæ vobis dixerunt ſervare, ſervate & facite.* juxta Deut. 17: 9, 10. *Et venies ad ſacerdotes Levitas — & indicabunt tibi rem judicii; & facies ſecundum id, quod indicabunt tibi ex eo loco, quem eliget Jehovah.* conf. Mal. 2: 7. Nunc enim nulli homini ſubjecta eſt Eccleſia, ob cujus nomen ac auctoritatem aliquid credere ac recipere debeat. *Et nullus glorietur in hominibus. Omnia enim veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Apollos, ſive Cephas* &c. 1 Cor. 3: 21. *Pretio emti eſtis, ne fiatis ſervi hominum.* 7: 23. Cum *unctionem* nunc acceperint omnes; *nec opus habeant*, ut cum auctoritate aliquis *eos doceat*, 1 Joh. 2: 20, 27. 2. Neque etiam reſtare amplius novi & hactenus inauditi verbi revelationem; qualis expectabatur antea, cum Meſſias nondum adveniſſet; cum multa adhuc explicanda, & clavi illa, quæ doctoribus credita erat, Luc. 11: 52. referanda eſſent; doctrina enim Eccleſiæ nunc publica eſt, nec manet hominum certorum peculium, ut ex parte ſub V. T. contigit. 3. Quibus *tertiò* additur, *omnes Deum cognituros, à parvo uſque ad magnum.* Cui conſonat Eſai. 54: 13. Joh. 6: 45. *Et omnes filii tui diſcipuli Jehovæ.* Quæ Novi Teſt. prærogativa eſt. Sub V. T. enim pauci Deum verè cognoſcebant; unde fidelibus de novo ſemper dici poterat, cognoſcite Dominum. Quod nunc expoſitâ palam ſalutari doctrina, ac Eccleſia per Spiritum ſponſi ſui, quem aliunde petere cum Pontificiis opus non habet, de omnibus edoctâ, dici neceſſe non eſt. Quanquam profectu, ac quotidiana confirmatione in ſacra doctrina opus ſit. 1 Joh. 2: 24, 27.

XII. Atque in hiſce conſiſtit varia illa Eccleſiæ Novi Teſt. libertas; quæ & *ſatietatis*, Eſai. 55: 1, 2. & *quietis*, Pſal. 95: 11. Matth. 11: 28. nomine, oppoſitè ad Vet. T. ſitim & laſſitudinem, aliiſque vocabulis appellatur: quam Pontificii tamen non una in parte violant, & contrario errore ipſi quoque Sociniani. Utrique enim (ut alias Romanæ Eccleſiæ theſes, quibus veterem famem ſitimque reducunt, & ſatiatam ſitienti adjungere non verentur; diverſaſque illas ſervitutis apud ipſos ſpecies modoſque omittam) ſervitutem hominum in Eccleſia retinuerunt. Illi quidem palam & apertâ fronte, dum novos legiſlatores, novas leges, ac cathedram in N. T. rurſus erigunt.

Cui libertati obluctantur Pontificii & Sociniani.

Digitized by Google

erigunt. Hi autem aliâ viâ, dum Eccleſiam Chriſto, mero homini, ſubjiciunt; quem videl. ad ſummum in deorum nuncupatorum faſtigio collocant; *de quibus ſcriptum eſt in lege, ego dixi, dii eſtis*, Joh. 10: 34. Quæ tamen appellatio ſub N. T. ceſſat; *etenim licet ſint dicti dii, ſive in cœlo, ſive in terra (ut ſunt dii multi, & domini multi) nobis unus Deus eſt, Pater, ex quo omnia ſunt, & nos ad ipſum; & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum*. 1. Cor. 8: 5, 6. Diis iſtis *mortuis*, ac amotis, Pſal. 82: 6, 7. ac veteri iſto cœlo convoluto, & cum diis ſuis decedere juſſo.

XIII. Atque hæc præcipua illa Novi Teſt. bona ſunt quæ magnam partem angelico iſto hymno, in ipſa Euangelii initiatione dicto, abſolvuntur: *Gloria Deo in excelſis, & in terrâ pax, in hominibus beneplacitum*. Luc. 2: 13. ac divinis Pauli ad Romanos verbis, c. 14: 17. *Non eſt enim regnum Dei eſca & potus, ſed juſtitia, & pax, & lætitia, in Spir. S.* Unde & loci ad Hebræos, c. 8: 6. ſententia patet, ubi Apoſtolus meliora & potiora promiſſa Novo Teſt. præ veteri affirmat; quod de hiſce ſimilibuſque bonis, quæ in hac vita Eccleſia nova præ veteri poſſidet, intelligendum eſt. Ut non neceſſe ſit profano Socinianorum commento accedere, qui eſſentiale inter utrumque teſtamentum diſcrimen aſſerunt, ac de futuris & cœleſtibus bonis Apoſtoli verba intelligunt; ac ſi in Vet. T. tantum terreſtres promiſſiones obtinuiſſent. Quæ ſæpius exploſa ſunt.

CAPUT III.

De Novi Teſtamenti initio.

Novi T. INITIUM.

I. CONſtituenda tandem eſt Novi Teſt. veluti Epocha; verumque ejus *initium*, quo illud inceperit, ac veteris Teſt. ſervitus finierit, inveſtigandum eſt. De quo nonnulla ſententiarum eſt diſcrepantia, quæ tamen in conſenſum redigi facile poteſt.

variè inchoatum.

II. Quidam enim à Chriſti *nativitate*; alii à publico ejus *miniſterio*; alii denique à *morte* ejus novi ſtatus exordium ſumunt.

III. Quæ ita conciliari poſſunt: ut non unum momentum, ſed aliqua latitudo ac ſpatium iſti Eccleſiæ innovationi indulgeatur: &, primo ejus auſpicio à Salvatoris adventu capto, Novum Teſt. per prædicationem ejus promulgatum; morte autem, ubi Veteris Teſt.

Digitized by Google

Teſt. vis propriè deſiit, plene ratificatum fuerit. *Et dixit ipſis Angelus, ne timeatis: ecce enim annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quod natus ſit vobis hodie Salvator* &c. Luc.2:10, 11. *A diebus Johannis Baptiſtæ uſque huc regnum cœlorum* βιάζεται *vim facit; & vim facientes rapiunt illud.* Matth. 11:12, 13. *Et propter hoc Teſtam. N. mediator eſt, ut, morte obitâ* &c. Heb.9:15. *Teſtamentum enim in mortuis firmum eſt; ſiquidem nunquam valet, quando vivit teſtator.* v. 17.

IV. Diſtingui etiam debet *vis* ipſa Novi T. ab ejus *promulgatione.* Ac vis quidem Novi Teſt. in morte ac expiatione Chriſti ſita eſt; promulgatio autem ſæpius, & per partes facta eſt; præcipuè autem, plenè ac ſollemnem in modum in die pentecoſtis, cum Novi Teſt. ſtatus publicè inauguratus, ac auſpicia ejus cœleſti miraculo conſecrata ſunt.

V. Pariterque diſtingui neceſſe eſt initium Euangelii ab initio Nov. Teſtamenti. Illud enim mox à nativitate Chriſti cœpit, cum adventus ejus protinus Euangeliſari cœptus eſt, Luc.2:10, 11. Hoc de jure in morte potius ejus collocandum eſt. Eo uſque enim Veteris T. vis ac rigor adhuc obtinebat; omniſque ejus cultus neceſſarius erat; ac Judaicæ gentis præ reliquo mundo ſanctitas perdurabat; quæ Veteris T. vim oſtendebant. *Si offeras donum tuum in altari* &c. Matth.5:23. *Abi, oſtende te ipſum ſacerdoti, & offer donum, quod juſſit Moſes ipſis in teſtimonium*, c. 8:4. *Ad viam gentium ne eatis, neque ingrediamini urbem Samaritanorum; abeatis vero potius ad oves domus Iſraëlis, quæ perierunt.* c. 10: 5, 6. Sub Novo Teſt. autem contigit illa Euangelii prædicatio, quæ facta eſt per Apoſtolos poſt aſcenſionem Chriſti, qua Euangelium ἐβεβαιώθη, Hebr. 2: 3.

quæ etiam ratio antiquationis Teſt. Vet.

VI. Atque hinc jam antiquationis quoque Veteris T. conſtitui epocha poteſt; quæ duos gradus habet. De jure enim illud in morte Chriſti abolitum fuit, quâ Novum Teſt. initiatum ac firmatum eſt: de facto autem non niſi ſpatio aliquo, per prædicationem Apoſtolorum, deſtructum; tandemque à Deo ipſo, everſo urbe & templo, quo ſolo ille Eccleſiæ ſtatus nitebatur, funditus everſum eſt.

Quò referendum ſit miniſterium Johannis.

VII. Decidi quoque hinc poteſt quæſtio de *Johanne Baptiſta*, ad quæ nempe tempora miniſterium ejus referendum ſit, ac cujus teſtam. miniſter fuerit? Si enim de epocha temporis quæratur, indubium eſt, vigente adhuc Vet. T. ipſum miniſterio ſuo functum: ſi vero ipſum ejus miniſterium conſideretur, illud ad N. Teſt. unicè pertinebat, cujus ſolius miniſter fuit; cum adventantis, jamque afful-

Digitized by Google

gentis iſtius lucis ac diei, nuncius, præco & phoſphorus fuerit: Ut perperam Pontificii, aliique, eum Nov. Teſtam. miniſtrum negent; atque inde etiam baptiſmo ejus derogent. Cum miniſterium ejus prorſus Euangelicum fuerit. *Hic* (Johannes) *venit in teſtificationem, ut teſtaretur de luce, ut omnes crederent per ipſum.* Joh. 1: 7. *Poſtridie videt Johannes Jeſum venientem ad ſe, & dicit; ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, v. 29.

LOCUS TRIGESIMUS SECUNDUS

DE

Adventu Meſſiæ, Jeſu Nazareni.

CAPUT IV.

De prodromo Meſſiæ, Johanne Baptiſta.

Oeconomia N. T.

I. HIſce prædelibatis, ſequitur conſideranda ipſa Novi Teſt. œconomia, in univerſo ordine ac ambitu ſuo. Cujus hæc quatuor primaria erunt capita, 1. de *Meſſia.* 2. de *Beneficiis Meſſiæ.* 3. de *Sacramentis.* 4. de *Eccleſiâ.*

primum caput eſt de MESSIA.

II. *Meſſiam* quod præcipuum œconomiæ hujus caput eſt, quo ſolo omnis iſte Eccleſiæ ſtatus nititur, conſiderabimus, 1. quoad *adventum.* 2. quoad *perſonam*, ac 3. *ſtatus* illius.

Cujus prodromus JOHANNES BAPTISTA, *Illius ortus.*

III. *Adventum* Meſſiæ præcedit ipſius *prodromus, Johannes Baptiſta*; cujus cum *perſona*, tum *miniſterium* ſpectandum eſt.

IV. *Johannes*, à miniſterio *Baptiſta* dictus, ſacerdotali genere fuit; patre Zachariâ, & matre Elizabetha. A quibus, in tanta ætate, non ſine miraculo genitus, majoris in Chriſto miraculi rudimentum fuit; qui virgineo ex utero nulla viri opera progerminaret. Luc. 1: 5, 7. Meminit ejus non ſine honore Joſephus, aliique Hebræi auctores.

prædictus in V. T.

V. Adventus miniſteriumque ejus longè ante prædicta ſunt. Ut ex iſta etiam phoſphori luce ac radiis ſol juſtitiæ agnoſceretur. Ac præconem hunc deſignat Malachias, c. 4: 5. *Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Jehovæ, magnus ille & terribilis.* Ac con-

Digitized by Google

concionantis vocem in deſerto audiri facit Jeſaias, cap. 40: 3. *Vox clamantis* exſtat *in deſerto*: vacuam facite *viam Domini, viam munitam Deo noſtro*. Quæ oracula ad Johannem applicant Euangeliſtæ, Matth. 11:14. *Et, ſi velitis ipſum accipere, hic eſt Elias, qui venturus erat.* & Luc. 1: 17. *Et ipſe prægredietur coram facie ejus in ſpiritu & potentiâ Eliæ, ut reducat corda patrum ad filios, & inobedientes* ἐν φρονήσει δικαίων *in ſenſu juſtorum.* Quod Malachias dixit, *cor filiorum ad patres ipſorum*, id eſt, ut eadem ſentiant ac credant de juſtitia Dei, quæ patres ipſorum fideles crediderunt. & Matth. 3: 3. *Nam hic ille eſt, de quo dictum eſt per Eſaiam Prophetam, dicentem, vox clamantis in deſerto* &c.

& miniſterium.

VI. Abſolvitur miniſterium Johannis hiſce tribus: prædicatione reſipiſcentiæ, quæ ipſi peculiaris erat; baptiſmo; denique inſigni teſtimonio Chriſto publice perhibito. Miracula enim ac ſigna nulla ipſe edidit, quanquam aliqua circa nativitatem ejus facta ſint: *Et multi veniebant ad illum, & dicebant, Johannes quidem ſignum fecit nullum: omnia autem, quæ dixit Johannes de hoc, vera erant*, Joh. 10: 41. Ne videlicet putaretur ipſe eſſe Chriſtus & Meſſias.

Quod erat, 1. in prædicatione reſipiſcentiæ.

VII. 1. Erat *reſipiſcentiæ præco. In diebus illis aderat Iohannes Baptiſta, prædicans in deſerto Iudææ & dicens; reſipiſcite, appropinquavit enim regnum cœlorum*, Matth. 3: 1, 2. Quæ unica ad regnum Chriſti Præparatio erat. Dum non ſolum depravatos populi mores ſeveriori diſciplina emendaret; ſed præſertim falſas iſtas de juſtitia ſententias, omneque Phariſæorum virus ac venenum ex auditorum pectoribus auferre niteretur. Unde & illorum hypocriſin, & perverſum legis ſtudium, triſteſque quas vultu portendebant ſanctimonias non leviter ſæpe perſtrinxit & jugulavit. Quam exhortationem ad pœnitentiam ſingulari vitæ inſtituto, ac perpetuâ veluti cenſurâ comprobavit.

II. Adminiſtratione Baptiſmi.

VIII. 2. *Baptiſabat*. pro more Judæorum, proſelytos ſuos aqua luſtrantium. Nec differebat illa lotio, niſi reſpectu circumſtantiarum duntaxat, à Chriſti aut Apoſtolorum baptiſmo: cum & divinam auctoritatem haberet; & ritus, reſque ſignificata ac ritu illo obſignata, utrobique eadem forent. Non alios enim tingebat, quam qui abjectis vanis ac inanibus illis, quibus hactenus inſueverant, Meſſiæ jamjam venturi fidem profiterentur, inque eum ſpes ſuas omnes dirigerent. *Ego quidem baptizo vos aqua ad reſipiſcentiam, qui vero poſt me venit — ipſe vos baptizabit in Spir. S. & igne.* Matth. 3: 11.

Iohannes baptizavit baptiſmum reſipiſcentiæ, populo dicens, ut credant in eum, qui poſt ipſum veniret, id eſt, in Chriſtum Jeſum. Act. 19:4. Quod & noſtri baptiſmi myſterium eſt. Unde & ritus ille in Eccleſia conſervatus, & à Chriſto ac Apoſtolis ejus ſimiliter uſurpatus fuit.

IX. Ut inique nimis Pontificii Baptiſmum Johannis minuant, aquaſque ejus (ut Tertullianus olim locutus eſt) *viduas*, & infœcundas, nec Spiritu S. fœtas, mentiantur: quo majori videlicet virtute Chriſtiani baptiſmi undam imprægnent; cujus efficaciam ſuperſtitioſè, & ultra quam fas eſt, augent, ut poſtea videbimus.

III. Teſtimonio Chriſto perhibito.

X. 3. Denique illuſtre Chriſto *teſtimonium* præbuit, & præſentem divino elogio ornavit: cum *perſonæ* dignitatem, tum præſertim *munus* ipſius magnificis verbis extollens; utpote *cui* ipſe *indignus* foret *qui calceos miniſtraret*, Joh. 1:27. Matth. 3:11. quique ſolus foret agnus verus ille & incontaminatus, *agnus Dei*, tot agnorum balatu & cruore in templo vocatus & poſtulatus, *qui* ſolus *peccata mundi ablaturus* & expiaturus foret. Cujus teſtimonii auctoritatem ne quis elevaret, ad iſtud uſque tempus Johanni Chriſtus de facie ignotus erat; dumque forte concionanti præſens adſtaret, à Spir. S. monſtratus, ac, addito divinitus ſigno, agnitus & univerſo cœtui oſtenſus fuit. *Et ego neſciebam eum, ſed qui miſit me ad baptizandum aquâ, ille mihi dixit; ſuper quem videris Spiritum S. deſcendere, & manere ſuper eo, hic eſt, qui baptizat in Spir. S.* Joh. 1:33.

XI. Atque hoc fuit miniſterium Johannis, prophetarum omnium maximi, ac evangeliſantium primi. *Sed ad quid videndum exiiſtis? prophetam? certe, dico vobis, etiam majorem propheta.* Matth. 11:9. *Omnes enim prophetæ & lex, uſque ad Johannem prophetarunt.* v. 13. Quo ille expleto, Chriſto deceſſit, ac Veteris T. cœlum clauſit. Ut albeſcente aurora fieri videmus, cum languentes aſtrorum ignes ac emorientia ſidera cogit lucifer, & cœli ſtatione noviſſimus exit, ut ſoli in ſuo regno integer locus ſit. *Illum oportet creſcere, me vero minui.* Joh. 3:30. Quare qui *in regno cælorum minimus* eſt, *major* & beatior *Iohanne* dicitur. Matth. 11:11.

C A-

Digitized by Google

CAPUT V.

De adventu Meſſiæ.

Meſſiæ ADVENTUS.

I. JOhannem præconem ac prodromum excipit *Meſſias* ipſe: de quo duo impræſens probanda ſunt: 1. in genere, Meſſiam jam adveniſſe. 2. in ſpecie, Jeſum Nazarenum eſſe verum Meſſiam.

oſtenſus ex prophetarum vaticiniis generatim:

II. *Meſſiam*, qui Græce χριστὸς, Latinè *unctus*, (quæ appellatio bis in Vet. bis in Novo inſtrum. occurrit, Pſal.2:2. Dan.9:24. Joh. 1:42. & 4:25.) adveniſſe, ex generali argumento patet, à certitudine divinarum prædictionum & promiſſionum deſumto; in quibus Deum falli, vel fallere velle impoſſibile eſt. De Meſſia autem talia oracula extare adeo manifeſtum eſt, ut univerſa prophetarum cohors, facto veluti cinno, ipſi teſtimonium perhibeat; idque præcipuum illorum munus fuerit; ipſeque unus oraculorum omnium compendium & finis ſit. Ut omnem illorum fidem laborare, omnemque eorum intellectum ac explicationem perire, demto ac obſcurato hoc religionis capite, neceſſe ſit. Quod ex infelicibus Judæorum conatibus patet, qui, Chriſtum in pleriſque prophetiis non videntes, fruſtra illas tentarunt, & ne unius quidem capitis ſinceram explicationem dederunt; cum *teſtimonium Chriſti* ſit *Spiritus prophetiæ*. Apoc. 19:10. conf. 1 Pet. 1:10, 11, 12.

ſpeciatim ex dictis Gen.49:10.

III. Illuſtriora autem de adventu ejus vaticinia, ac temporis characterem exhibentia, ſunt hæc: 1. Jacobi in ipſa morte oraculum, de Meſſiæ, ante reip. ac Eccleſiæ Judaicæ finem, adventu: *Non recedet ſceptrum*, vel tribus, *ex Iuda, & legiſlator*, vel doctor legis, *ex medio pedum ejus, donec veniat Siloh, cui erit obedientia populorum*. Gen. 49:10. De quo ſupra egimus. 2. *Haggai* diſerta prædictio, de ipſo venturo, ſtante templo illo, quod tum ſtruebatur; quodque præſens olim incoleret, ac priori æde longè auguſtius redderet. *Et commovebo omnes gentes, & accedent ad deſiderium omnium gentium, & implebo domum hanc gloria, ait Iehovah, Deus exercituum — major fiet gloria domus hujus poſterioris quam prioris* &c. cap. 2: 7, 9. 3. Cui concinit *Malachias* prophetarum ultimus, qui illum præ foribus adſtantem tantum non inclamat, & ad templum ſuum invitat, cap. 3:1.

Hag. 2:7, 9.

Mal. 3:1.

Digitized by Google

3:1. *Ecce ego mitto angelum meum, ut vacuam faciat viam ante me: & derepente veniet ad templum ſuum Dominus ille, quem vos quæritis, & angelus ille fœderis, quo vos delectamini; ecce venit; dixit Iehovah, Deus exercituum.* Venturus ergo erat ſtante templo ſecundo; nondum abolitis paſtoribus & principibus. Eſ. 49:7. qui tamen mox abolendi erant, Zach. 11:7, 8. Non debuit Damaſcus caput Judææ fieri, antequam naſceretur Immanuel, Eſ. 7:8, 14. Et debuit in pace naſci, & omnibus bonis rebus abundante terra. ibid. 7:15, 4. *Danielis* ex-
Dan. 2: 44. preſſa oracula; qui non ſolum, poſt regnorum illorum, quorum fata & exitum deſcripſerat, finem, regnum Meſſiæ æternum inducit; cujus in cætera omnia foret imperium; cum non uno mundi cardine claudendum, ſed toto orbe extendendum eſſet; quod partim eventu ipſo probatum, partim adhuc in fatis concluſum eſt: cap. 2:44. *Et in diebus regum illorum eriget Deus cæli regnum, quod in ſæcula non corrumpetur; & regnum ejus populo alii non relinquetur; comminuet &*
& 9, 24, 25, 26, 27. *conſumet omnia hæc regna, & ipſum ſtabit in ſæculum.* Sed & nono capite, altiori ore ſonans, digitis omnium veluti ad calculum aptatis, ipſa venturi Meſſiæ tempora digerit & numerat; ac juxta captivitatis, in qua Eccleſia degebat, periodum, ſeptuaginta quoque annorum ſeptimanas ponit; intra quas prophetia omnis finiri ac impleri deberet. *Septimanæ ſeptuaginta deciſæ ſunt ſuper populo tuo, & ſuper urbe tua ſancta, ad coercendum defectionem, & ad conſummandum peccata, & ad expiandum pravitatem, & ad adducendum juſtitiam æternam, & ad obſignandum viſionem & prophetiam, & ad ungendum ſanctum ſanctorum* &c. c. 9:24, 25. Quod tempus rurſus in tres periodos diſtinguit. Quarum prima ſeptem hebdomadarum, ſeu 49. annorum eſt: quo tempore ſancta urbs & templum reſtauranda forent, quamvis ſummis in anguſtiis. Altera ſexaginta duas ſeptimanas, ſive annos 434. complectitur, ſecundo urbis ac reipubl. illius ſtatui futuro, in quo eam inventurus eſſet Meſſias, deſtinatos ac dimenſos. Tertia unius ſeptimanæ eſt; quæ Meſſiam oſtenderet, ac rurſus tolleret; inque urbis ac reipubl. iſtius funere ac excidio æterni ipſius regni fundamenta collocaret. *Et cognoſce & animadverte ab exitu ſermonis de reducendo, & de ædificandis Hieroſolymis, uſque ad unctum principem ſeptimanas ſeptem, & ſeptimanas ſexaginta duas; quibus denuo ædificabuntur quoad forum & foſſam; & in anguſtia erunt quædam tempora; & poſt ſeptimanas illas ſexaginta duas exſcindetur unctus, & non erit ipſi quicquam; & urbem & ſanctum corrumpet populus principis advena, &*
finis

ejus erit cum exundatione, & uſque ad finem belli deciſæ ſunt deſolationes. Corrolorabit quidem fœdus multis ſeptimana una. Sed in medio ſeptimanæ ipſius abolebit ſacrificium &c. cap. 9: 25, 26, 27. Nec vero de ſcrupulis Chronologicis hic quæſtio eſt, ſed de ſæculis integris; cum, ut vel latiſſimè hæc tempora ordinentur, jam ante quindecim ſæcula ea expiraverint. Ut certo certius ſit Meſſiam jam dudum adveniſſe.

IV. Nec leve eſt argumentum, quod ab ipſo *populi Judaici ſtatu* deſumitur. Satis enim conſtat Meſſiam ad *populum* illum, in tribus ac familias ſuas diſtinctum; ad *terram* illam; ad *templum* denique, in quo quotidiano cultu expectabatur, venire debuiſſe. Nunc autem Judæi nec *populus* ſunt, cum rempublicam non habeant: nec à *gentibus diſcreti* ac ſeparati, ut olim; ſed iis partim immiſti, partim toto orbe exules ac vagi in aſperrima fortuna degunt: nec diſcretas *tribus* ac familias habent; cum genealogiis ſuis dudum caruerint; ut, ſi vel veniat ipſorum Meſſias, nulla nota ab ipſis agnoſci poſſet: nec etiam *terram* ſuam habent; in qua tamen ſola Meſſiam expectare debebant; quod præcipuum myſticæ illius terræ decus erat: nec denique *templum* amplius poſſident; omniſque ille cultus, qui figurando Meſſiæ ſolum ſerviebat, ac adventuri olim pompa & comitatus erat, non viſo ipſo deſiit, & tantum non in mendacium ac ludibrium vertit; illeque, tamdiu expectatus, totque umbris expreſſus, Rex Eccleſiæ ad locum iſtum nunquam venit. Quæ omnia certe à miſera gente attentius penſitari debebant, ut vel ex ſeſe ipſis ſuoque ſtatu errorem ac perfidiam ſuam agnoſcerent. *Ex confuſo reipub. & populi Judaici ſtatu.*

V. Quam enim alioquin cauſam dicent, cur tot ſæculis, à Deo neglecti, tam duris fatis exerciti, tam latè ſparſi ac exules, univerſo generi humano adeo ſævum ludibrium debeant? præſertim cum tam anxiè Meſſiam ſuum expectent, & quotidianis votis ac precibus vocent ac fatigent, nec revera adeo probroſi, vel idolorum cultu aliiſve gentium vitiis fœdi ſint, ut olim majores ipſorum. Ut certe aliam cauſam ſubeſſe neceſſe ſit, quæ populum hunc, Deo olim perdilectum, miſerè adeo errare ſinat. Quæ non alia eſt, quam veri Meſſiæ flagitioſa rejectio ac cædes, & à vera fide apoſtaſia, in qua ad hodiernum uſque diem perſeverant. Unde fata ipſis ſua perpetim agitanda, pœnæque, quas Moſes olim præſago ore cecinit, ad ultimum uſque tempus exantlandæ manent.

& propriis ipſorum confeſſionibus.

VI. Quibus addimus proprias *Judaorum confeſſiones*. Ex quibus imprimis celebris eſt domus Eliæ traditio, quæ mundi tempora in tres periodos diſtribuit, omnemque ejus ætatem ſex annorum millibus concludit, ac poſtremos bis mille annos Meſſiæ regno tribuit. Eſtque hæc, ut alia ipſorum prætercam, communis apud illos ſententia, impletos jam eſſe omnes terminos, nec aliunde univerſum negotium, quam à pœnitentia boniſque operibus dependere.

Generalis Judaorum exceptio ſublata.

VII. Non aliud autem crebrius contra hæc omnia excipiunt, quam Meſſiæ adventum, utcunque poſtulantibus ipſum prophetiis, ac tantum non laborante tot oraculorum fide, propter peccata differri, tum ſua, tum præſertim quæ majores ſui ſub utraque domo commiſerint. Ad quod reſpondemus. 1. Agi hic non de hoc vel illo vaticinio obſcuriore, ſed omnium prophetarum ac prophetiarum fide; quæ ad hunc terminum omnes ſpectant, factoque conſenſu, uno omnes ore, hoc Meſſiæ regnum, ſequentemque Eccleſiæ mundi ſtatum, canunt. Ut nulla univerſæ prophetiæ certitudo ac veritas ſuperſit, ſi in hoc capite, à quo reliqua omnia dependent, ea non præſtetur. Ut levi adeo exceptione tranſmitti hæc non debeant. 2. Nec Deus, ſi quid boni olim promiſit populo, ob peccata illius unquam intermiſit; ut ex illuſtribus ex Ægypto ac Babylone liberationis exemplis patet; quam cum longe ante, additis annorum ſpatiis ac numeris, prædiceret, non ultra terminum moratus eſt, ſed ipſo annorum fine promiſſa ſua præſtitit; etſi populus tunc non minus peccatis onuſtus foret, ac nunc. *Fuit vero exactis quadringentis triginta annis, fuit, inquam, eodem ipſo die, ut egrederentur omnes exercitus Jehovæ.* Exod. 12:41. conf. Gen. 15:13. *Nam ſic dixit Jehovah, ſimulac impleti fuerint Babylone ſeptuaginta anni, viſitabo vos; & faciam, ut exſtet ſuper vos verbum meum bonum, ut reducamini* &c. Jer. 29:10, 11. Ut ſimiliter in palmaria hac promiſſione, in qua univerſæ gentis bonum ſitum eſt, illud fieri, nec ultra 16. ſæcula ea negligi, ac tanti promiſſi fides labefactari debuerit. 3. Et an non hoc colore fieri poſſit, ut magna hæc promiſſio nunquam impleatur, atque univerſæ Eccleſiæ, à condito uſque mundo, in Meſſiam fides ac religio fruſtra ſit? Semper enim populus hic non prorſus ab omni ſcelere liber erit; atque inde ſi dependeat, ſemper differri Meſſiæ adventum oportebit. 4. Nec de corporali ac externo aliquo liberatore ac liberatione ſermo eſt, qualem illi expectant, & ob populi peccata cunctari ajunt: ſed de ſpirituali ſervatore, quo ſolo fides

Digitized by Google

fides ac conſolatio Eccleſiæ nititur: quique adeo peccatis retardari non poteſt, ut ad ea averruncanda ac tollenda & populum ſuum mundumque univerſum ab ſerroribus ac ſceleribus convertendum, præcipuè venturus dicatur. *Et dabo illis cor unum, & ſpiritum novum dabo in medio ipſorum* &c. Ezech. 11:19, 20. *Et erit illo die, ait Jehovah Deus, exſcindam nomina idolorum ex terra, & non memorabuntur amplius; atque etiam prophetas & ſpiritum impuritatis faciam tranſire ex terra*, Zach. 13:2. *Ut convertat cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres ipſorum* Mal. 4: 6. 5. Unde non conditionaliter, ſi populus omni labe purus, ac Deo dignus foret; ſed abſolutè ille promiſſus eſt, tanquam certo venturus, nec ultra terminum tardaturus. Non enim, ſi incertus ejus adventus fuiſſet, fides Eccleſiæ tot ſæculis in eum ferri potuiſſet. Quin & præciſum adventus ejus tempus deſignatum, variiſque, ut ante vidimus, characteribus expreſſum fuit. Quod in conditionali promiſſo locum non habet. 6. Peccata autem Judæorum quod attinet; hoc unicum revera & ſummum eorum crimen eſt, quod tempore ſuo venientem Salvatorem repudiarunt, & contumeliosè tamquam pſeudo-prophetam & magum obtruncarunt; inque eo ſcelere etiam hodie perſeverant, ac quotidianis precibus ac execrationibus nomen ejus diſpuunt & blaſphemant. Hinc longa ipſorum captivitas.

CAPUT VI.

De Jeſu Nazareno Meſſia.

I. Peracta diſputatione de Meſſiæ adventu, jam in proclivi eſt oſtendere, non alium eum eſſe quam *Jeſum Nazarenum*; cum non ſolum alius nullus aliqua cum ſpecie pro Meſſia hactenus ſeſe gerere, atque mundo ſui fidem facere potuerit; ſed vero in Jeſum noſtrum illa omnia conveniant, quæ de Meſſia unquam prædicta ac præfigurata fuerunt. Quod tum ex iis, quæ *ortum* ac nativitatem ejus ſpectant; tum, quæ ipſe inter homines & *fecit* & *docuit*; denique ex illis quæ *poſt exitum ejus in mundo conſecuta* ſunt, manifeſtum fiet.

JESUM NAZARENUM *Meſſiam promiſſum eſſe, conficitur quadruplici argumento.*

II. 1. *Ortum* ejus quod ſpectat: natus fuit, quum *veniſſet temporis plenitudo*, Gal. 4:4. quum *veniſſet annus aſſertorum* Dei, Eſai. 63:4. illo *temporis* articulo, quo prophetæ Meſſiam venturum cecinerant; quo-

1. Ex ratione ortus & nativitatis ipſius; reſpectu temporis.

Digitized by Google

& propriis ipſorum confeſſionibus.

VI. Quibus addimus proprias *Judæorum confeſſiones*. Ex quibus imprimis celebris eſt domus Eliæ traditio, quæ mundi tempora in tres periodos diſtribuit, omnemque ejus ætatem ſex annorum millibus concludit, ac poſtremos bis mille annos Meſſiæ regno tribuit. Eſtque hæc, ut alia ipſorum præteream, communis apud illos ſententia, impletos jam eſſe omnes terminos, nec aliunde univerſum negotium, quam à pœnitentia boniſque operibus dependere.

Generalis Judæorum exceptio ſublata.

VII. Non aliud autem crebrius contra hæc omnia excipiunt, quam Meſſiæ adventum, utcunque poſtulantibus ipſum prophetiis, ac tantum non laborante tot oraculorum fide, propter peccata differri, tum ſua, tum præſertim quæ majores ſui ſub utraque domo commiſerint. Ad quod reſpondemus. 1. Agi hic non de hoc vel illo vaticinio obſcuriore, ſed omnium prophetarum ac prophetiarum fide; quæ ad hunc terminum omnes ſpectant, factoque conſenſu, uno omnes ore, hoc Meſſiæ regnum, ſequentemque Eccleſiæ mundi ſtatum, canunt. Ut nulla univerſæ prophetiæ certitudo ac veritas ſuperſit, ſi in hoc capite, à quo reliqua omnia dependent, ea non præſtetur. Ut levi adeo exceptione tranſmitti hæc non debeant. 2. Nec Deus, ſi quid boni olim promiſit populo, ob peccata illius unquam intermiſit; ut ex illuſtribus ex Ægypto ac Babylone liberationis exemplis patet; quam cum longe ante, additis annorum ſpatiis ac numeris, prædiceret, non ultra terminum moratus eſt, ſed ipſo annorum fine promiſſa ſua præſtitit; etſi populus tunc non minus peccatis onuſtus foret, ac nunc. *Fuit vero exactis quadringentis triginta annis, fuit, inquam, eodem ipſo die, ut egrederentur omnes exercitus Jehovæ.* Exod. 12:41. conf. Gen. 15:13. *Nam ſic dixit Jehovah, ſimulac impleti fuerint Babylone ſeptuaginta anni, viſitabo vos, & faciam, ut exſtet ſuper vos verbum meum bonum, ut reducamini* &c. Jer. 29:10, 11. Ut ſimiliter in palmaria hac promiſſione, in qua univerſæ gentis bonum ſitum eſt, illud fieri, nec ultra 16. ſæcula ea negligi, ac tanti promiſſi fides labefactari debuerit. 3. Et an non hoc colore fieri poſſit, ut magna hæc promiſſio nunquam impleatur, atque univerſæ Eccleſiæ, à condito uſque mundo, in Meſſiam fides ac religio fruſtra ſit? Semper enim populus hic non prorſus ab omni ſcelere liber erit; atque inde ſi dependeat, ſemper differri Meſſiæ adventum oportebit. 4. Nec de corporali ac externo aliquo liberatore ac liberatione ſermo eſt, qualem illi expectant, & ob populi peccata cunctari ajunt: ſed de ſpirituali ſervatore, quo ſolo fides

Digitized by Google

fides ac conſolatio Eccleſiæ nititur: quique adeo peccatis retardari non poteſt, ut ad ea averruncanda ac tollenda & populum ſuum mundumque univerſum ab ſerroribus ac ſceleribus convertendum, præcipuè venturus dicatur. *Et dabo illis cor unum, & ſpiritum novum dabo in medio ipſorum* &c. Ezech. 11:19, 20. *Et erit illo die, ait Jehovah Deus, exſcindam nomina idolorum ex terra, & non memorabuntur amplius; atque etiam prophetas & ſpiritum impuritatis faciam tranſire ex terra*, Zach. 13:2. *Ut convertat cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres ipſorum* Mal. 4: 6. 5. Unde non conditionaliter, ſi populus omni labe purus, ac Deo dignus foret; ſed abſolutè ille promiſſus eſt, tanquam certo venturus, nec ultra terminum tardaturus. Non enim, ſi incertus ejus adventus fuiſſet, fides Eccleſiæ tot ſæculis in eum ferri potuiſſet. Quin & præciſum adventus ejus tempus deſignatum, variiſque, ut ante vidimus, characteribus expreſſum fuit. Quod in conditionali promiſſo locum non habet. 6. Peccata autem Judæorum quod attinet; hoc unicum revera & ſummum eorum crimen eſt, quod tempore ſuo venientem Salvatorem repudiarunt, & contumelioſè tamquam pſeudo-prophetam & magum obtruncarunt; inque eo ſcelere etiam hodie perſeverant, ac quotidianis precibus ac execrationibus nomen ejus diſpuunt & blaſphemant. Hinc longa ipſorum captivitas.

CAPUT VI.

De Jeſu Nazareno Meſſia.

I. PEracta diſputatione de Meſſiæ adventu, jam in proclivi eſt oſtendere, non alium eum eſſe quam *Jeſum Nazarenum*; cum non ſolum alius nullus aliqua cum ſpecie pro Meſſia hactenus ſeſe gerere, atque mundo ſui fidem facere potuerit; ſed vero in Jeſum noſtrum illa omnia conveniant, quæ de Meſſia unquam prædicta ac præfigurata fuerunt. Quod tum ex iis, quæ *ortum* ac nativitatem ejus ſpectant; tum, quæ ipſe inter homines & *fecit* & *docuit*; denique ex illis quæ *poſt exitum ejus in mundo conſecuta* ſunt, manifeſtum fiet.

JESUM NAZARENUM *Meſſiam promiſſum eſſe, conficitur quadruplici argumento.*

II. 1. *Ortum* ejus quod ſpectat: natus fuit, quum *veniſſet temporis plenitudo*, Gal. 4:4. quum *veniſſet annus aſſertorum* Dei, Eſai. 63:4. illo *temporis* articulo, quo prophetæ Meſſiam venturum cecinerant;

1. Ex ratione ortus & nativitatis ipſius; reſpectu temporis.

quo-

quoque Eccleſia, poſt longum deſiderium, ſalvatorem ſuum ſingulis momentis expectabat. Cum fatorum ſtamine detexto, illa jam ſeſe aperire, ac Meſſiam terris oſtendere deberent. De quo tempore modo vidimus.

Loci. III. Natus etiam eſt illo *loco*, quem Propheta Michæas Mariæ puerperio, ac Domini noſtri cunis, tot ſæculis ante deſignaverat. *At tu Bethlehem Ephratah, parva es, ut ſis inter familias Juda! ex te mihi prodibit judex, ut ſit dominator in Iſraële, cujus egreſſiones ſunt ab initio, à diebus ſæculi.* cap. 5: 1. Ubi natus Jeſus noſter, non humano conſilio, ſed occulta manu ducentibus fatis, ac Chriſto naſcituro diverſorium metantibus. *Exiit enim edictum à Cæſare Auguſto — & aſcendit Joſeph & Maria in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem* Luc. 2: 1. Nunc autem fruſtra ille locus in Judæa quæreretur.

Familia. IV. Natus itidem eſt è tribu *Juda* atque è *Davidis familia*, cui tantus olim hæres deſtinabatur. Quod adeo ἐξαγώνιον eſt, ut nec ipſi Judæi refragentur, qui ipſum *propinquum regni*, h. e. regiæ ſtirpis ramum appellitant.

Matris. V. Tandemque ex intemerato *virginis* ſinu, puriſſimi inſtar floris progerminavit, ut Eſaiæ oraculum agnoſceremus: *Ecce virgo concipit, & parit filium, & vocabit nomen ejus Immanuel*, id eſt, nobiſcum Deus. cap. 7: 14. Ubi de Meſſiæ è virginali utero exortu agi, nec ipſis Judæis olim ignoratum fuit. Recentiores tamen magiſtri prænobile hoc vaticinium carpere, quam patrum ſuorum fidem ſequi ac Meſſiæ elogia agnoſcere malunt. Hæc enim ipſorum exceptio eſt; cum regi ſignum propinquæ liberationis exhibeatur, non de longinquo Meſſiæ ortu cogitandum; nec de Meſſiæ matre, ac divino ejus partu, ſed de prophetæ uxore; nec adeo de virgine, ſed de conjugatâ, ſermonem eſſe: cum illa etiam vocis עלמה acceptio ſit. Qui ſubleſtus color eſt. Nam I. non inſolens Deo eſt, ingentium promiſſorum commemoratione minorum fidem adſtruere; præſertim ubi majora illa ſine minorum fide non conſiſtunt. Quæ præſentis loci ratio eſt. Cum enim Meſſias è regia Davidis ſtirpe oriri olim deberet, idque durante illa republica; manifeſtum eſt, nec terram illam, cui prolixe adeo Rex Achaz metuebat, in poteſtatem hoſtium prorſus concedere, nec domum Davidicam penitus extirpari potuiſſe. Qui oraculi iſtius ſcopus erat. Et revera maximo illo Judaicæ gentis promiſſo, ac veluti peculio, in rebus dubiis ac aſperis confirmari piorum animi non vulgariter poterant. Cum exinde

Digitized by Google

inde ſeſe Deo peculiariter curæ eſſe æſtimare ſatis poſſent. 2. Contra in prophetæ uxorem vaticinii iſtius pondus non congruit; cum non magnum ſignum ſit, mulierem de viro accipere, & parere. Nec in filium ejus cadunt elogia iſta *Immanuelis*, ac *Domini terræ* illius; quæ altero capite Propheta ſubnectit. 3. Quod autem de עלמה excipiunt, pariter infirmum eſt: cum vox illa in Scriptura ſemper uno illo virginis ſignificatu accipiatur.

VI. 2. Sequuntur illa, quæ Jeſus & *fecit*, & *docuit*, & *paſſus* eſt, dum in terris ageret. quæ adeo magnifica, adeo Deo digna, Joh. 7: 17, 18, 19. denique Moſi & prophetiis omnibus adeo concinna fuerunt, Joh. 5: 45, 46. ut nullum dubium ſuperſit, quin ille qui talia patravit, totque Meſſiæ notas & characteres geſſit, revera Meſſias fuerit. Impoſſibile enim eſt impoſtorem aliquem eo pſe tempore, quo Meſſias expectabatur, Eccleſiæ fucum facere, ac Meſſiæ imagine ac habitu ſe oſtentare, omniaque quæ de ipſo prædicta erant implere; niſi prophetarum oracula fortuito, ac ab alienis perſonis adimpleri poſſe putemus; omnemque illorum fidem, ac Dei in mundo ac Eccleſia ſua providentiam tollamus. De Jeſu vero noſtri doctrina, miraculis ac morte, paſſim ex hiſtoria Euangel. conſtat. Vide potiſſimum Luc. 4: 21, 22. *Spiritus Domini ſuper me eſt. Quia unxit Jehovah me ad Euangelium nuntiandum manſuetis. Miſit me ad obligandum confractos corde, ad prædicandum abductis in captivitatem libertatem, & vinctis acutum viſum.* Conf. Eſai. 61: 1. *Multi vero ex populo crediderunt in ipſum. Et dicebant; Chriſtus, quum venerit, nunquid plura ſigna his faciet, quæ hic fecit?* Joh. 7: 31. *De Jeſu Nazareno, qui erat vir propheta, potens in opere & ſermone coram Deo, & omni populo*, Luc. 24: 19. Vid. Matth. 11: 4. 5. conf. Eſai. 11: 1. *Et exibit virga ex trunco Jeſſe —— & quieſcet ſuper ipſo ſpiritus Jehovæ, ſpiritus ſapientiæ & prudentiæ, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus cognitionis & timoris Jehovæ.* Act. 17: 3. *Aperiens Scripturas*, & *clare proponens, quod Chriſtum decuit pati, & reſurgere ex mortuis* &c. conf. Pſal. 22. & 69. Eſai. 53. Zach. 9. & 12.

II. Ex doctrina & rebus geſtis illius.

VII. 3. Denique eandem rem confirmant illa, quæ Jeſu noſtri prædicationem *in mundo conſecuta ſunt*. Non enim ipſe ſolum ſublimis in cœlum aſcendit; deque iſta ſede etiamnum mundum ac Eccleſiam moderatur; quod clariſſimis eventis à Novi Teſt. incunabulis ad hunc uſque diem patuit: ſed & in mundo agnitus, publiceque pro Meſſia acceptus eſt; genteſque, ut de ipſo prædictum erat

III. Ex iis quæ illum conſecuta ſunt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Pſal. 20. & 22. & 117. Eſai. 42. & 49. miſſis idolis, Deo ſubditæ & ad fidem ejus converſæ ſunt. Quod certe maximum Dei in mundo opus à Meſſia ſolo expectari poterat. Nec enim mundi converſio falſæ cuidam doctrinæ ſine piaculo accepta referri poteſt.

IV. Ex ipſorum Judæorum Teſtimonio.

VIII. 4. Tandem & Jeſu noſtro *teſtimonium* dant, non *Ioſephus* ſolum, Antiq. l. 18. c. 4. cujus teſtimonium falſitatis nondum demonſtrationibus convictum eſt, non magis quam elogium, quod idem ſcriptor Johanni Baptiſtæ & Jacobo juſto, fratri Domini, perhibet ſed; & Judæi reliqui; ipſique Talmudici; quamquam admiſtis falſis multis & horrendis; per quas tamen blaſphemias veritatis radii quidam interlucent. Quale eſt, quod Mariam meretricio cognomento, Stadam; & Joſephum, cui juxta veteres Pantheri nomen, Pandiram indigitant. Narrant præterea ipſum magicas artes in Ægypto didiciſſe, atque ita mirabilia patraſſe: veteri calumnia: *Phariſæi autem dixerunt; in principe dæmoniorum ejicit dæmonia*, Matth. 9: 34. conf. 12: 24. Quæ tacita miraculorum ejus confeſſio eſt. Ita denique in Talmude *regni propinquus* fuiſſe, ac *veſpera paſchatis, propter præſtigias* & *apoſtaſiam* (h. e. miracula, quodque Deum Iſraëlis vocaret Patrem ſuum) *ſuſpenſus* legitur.

CAPUT VII.

Judæorum in hoc capite errores.

JUDÆORUM *in Meſſia agnoſcendo cæcitas, eorumque errores.*

I. ATque ita veritas abunde patet, & *quem ſcripſit Moſes in lege, & propheta, invenimus, Ieſum, filium Ioſephi à Nazareth*, Joh. 1: 46. Contra quem Judæorum natio tamen oculos claudit, atque animum ſuum ingenti odio obfirmat, & lucis iſtius radios ac tela tandem omnia in ſe extinguit: partim perverſis de Meſſia ipſo theſibus ac commentis, quæ eos aberrare faciunt ne verum unquam Meſſiam inveniant; partim nugacibus quibuſdam contra Chriſtum noſtrum objectamentis & exceptiunculis; denique & à pſeudo-Meſſiis ſuis ſæpe decepti & ludibrio habiti.

I. Circa Meſſiam in genere.

II. *Circa Meſſiam ipſum*; quanquam aliqui ipſum Hiskiæ tempore jam olim veniſſe; alii pridem natum, & hodieque in mundo agere, ſed diſſimulato oris habitu, ut agnoſci nequeat, teſtentur; manet tamen hic fidei Judaicæ articulus, expectandum Meſſiam, adventumque ipſius quotidianis votis ac precibus flagitandum. Quanquam illum, præ pudore, ac ne mundo iterum ludibrium debeant,

ad

Digitized by Google

ad finem ferme mundi, ac rerum omnium conſummationem rejiciant.

III. Meſſiam autem ſuum faciunt duplicem; unum filium Joſephi, ex tribu Ephraim, qui in prælio contra Gogum occubiturus ſit; alterum Davidis filium, victorem perpetuo & felicem: quod, ad oracula, quæ de utroque Meſſiæ ſtatu, cum humili, tum glorioſo, agunt, evitanda, excogitatum, & Scripturæ, & veterum Judæorum fidei, qui unicum tantum Meſſiam expectarunt, apertè refragatur.

IV. Revera autem nihil magni ac divini ab ipſo expectant, cum regem ſolum terrenum faciant; qui Judæorum gentem, poſt longum exilium, liberaturus; ipſiſque, paulo ante mundi interitum, terram, templum ac ſceptrum ſuum redditurus; ac 40 circiter annos imperaturus ſit. Quæ etiam ipſis Meſſiæ nota ac character eſt: non doctrina cœleſtis, vel miracula: ſed felicitas externa, belli gloria, gentis liberatio &c. Ut ſi quis inter eos vir inſignis oriretur, qui ipſos liberare, ac in terram reducere poſſet; ille procul dubio ab ipſis pro Meſſia agnoſcendus foret. Ita vero Judæi palam religioni ac ſpei ſuæ convitium fecerunt; ac profano iſto de Meſſia commento omnem ſibi ad verum Meſſiam agnoſcendum aditum præcluſerunt.

II. Circa Jeſum Nazarenum.

V. Unde non mirum eſt, eos nec *Jeſum Nazarenum* pro vero Meſſia agnoſcere poſſe. Cum notas illas, quas in ſuo Meſſia quærunt, in ipſo non inveniant. Offenduntur enim magnopere humili ejus in terris ſtatu & mortis contumeliâ, quam à gente iſta perpeſſus eſt. Cum tamen hæc veri Meſſiæ potius indicia ſint; nec apud priſcos Judæos quicquam celebrius ſit, quam חבלי המשיח *dolores Meſſiæ*.

VI. Quod enim præterea vatum quorundam ſacrorum dicta adferunt, quorum fidem in Chriſto noſtro requirunt: ut cum montis templi elationem ſupra alios omnes montes; & longa pacis tempora; & ferarum armentorumque concordiam, ipſo regnante canunt, Eſai. 2. Hag. 2. illa quidem ænigmata & parabolas eſſe vel cœcus videat; quibus partim doctrinæ è Zione prodeuntis celebritas, Eccleſiæ gloria ac latitudo, gentiumque omnium ad ſacrum illum montem concurſus; partim, rupto per Chriſti mortem velo intermedio, vocatiſque ad Eccleſiam gentibus, & ferociam per mitem Euangelii ſermonem ponere juſſis, populorum ſub Chriſto rege.

Digitized by Google

rege concordia, & publica mundi pax ac quies, ceſſante in nova Eccleſia Judæi ac Ethnici, omniumque omnino hominum, diſcrimine, auguſtis verbis denotatur. Quod externum enim rerum ſtatum ſpectat, Eccleſiam tum nondum laboribus omnibus defunctam fore, ſed æſtuoſo veluti freto iterum in altum reſorbendam, ac reſtare ipſi adhuc altera bella, & longa rerum diſcrimina, antequam regno ſuo potitura ſit, nec prophetæ tacuerunt, nec Chriſtus diſſimulavit; *An putatis, me veniſſe ad pacem dandum in terra? non, dico vobis, ſed potius diviſionem.* Luc. 12:51. atque ipſi denique Judæi fatentur; dum Meſſiam ſuum variarum gentium victorem faciunt; qui Judæos non ſine vulneribus & cæde ad regnatas majoribus terras reducturus ſit. Ut iſtorum temporum pacem alio modo accipere neceſſe ſit; de pace nempe ſpirituali & cœleſti, deque gentium populorumque in eandem Chriſti doctrinam conſenſu & concordia, nullis excluſis, aut extra Eccleſiæ pomœria ablegatis.

III. Circa Pſeudo Chriſtus. VII. Atque ex hoc, de vero Meſſia notiſque ejus, errore, Judæi non ſolum Jeſum Nazarenum, ut imparem, iſtoque faſtigio minorem, impie repudiarunt: ſed juſto Dei judicio obvium quemque, qui ſacrum illud nomen præferre auſus erat, acceperunt; & leviſſimi cujuſque *impoſtoris* ſpolium & ludibrium fuerunt. Ut Chriſti vaticinio Joh. 5:43. *ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me. Si alius veniat in nomine proprio, illum accipietis:* fides fieret. Quales fuere, tempore Adriani imp. *Bar Cochab*, *filius ſtellæ*, juxta Num. 24:17. *Incedet ſtella ex Jacobo* &c. poſtea *Bar Cozba*, *filius mendacii* dictus. Sub Theodoſio juniore, pſeudo-*Moſes Cretenſis*. Maimonidis tempore, in Perſia, *David* al *David*, præſtigiator ac magus. Et ſuperiori ſæculo Rabbi *Lemlem* in Germania. Ne noſtræ ætatis dedecora, nuperoſque in Aſia motus tangam. Quorum nullus diſcipulos ſectamve ſuperſtitem reliquit; multo minus mundum à profanis ritibus expiavit, ac triuni cœli ac terræ conditori parere juſſit. Quæ ſolius Jeſu Nazareni laus & gloria eſt. Cujus reditus ac adventus ultimus, adhuc expectandus, & perpetuis precibus feſtinandus eſt.

Cur ad ultima mundi tempora Meſſiæ adventus dilatus ſit? VIII. Quæri autem nonnunquam ſolet, cur Meſſiæ adventus, de quo jam egimus, tam diu, atque in iſta demum, quæ vidimus, mundi tempora dilatus ſit? Ad quod reſpondere licet, iſtam temporum œconomiam ſapientibus de cauſis Deo placuiſſe, ut ex univerſa ejus adminiſtratione ac eventu patet. Ita enim umbræ debebant

Digitized by Google

bant præcedere corpus; & magni adeo operis fundamentum prius jaci; & deſiderium ac expectatio ejus excitari; denique peccati vis ac regnum, & omnium quæ unquam adhibitæ fuerunt expiationum imbecillitas oſtentari: ut humani generis miſeria magis eluceſceret, Chriſtique ſalvatoris neceſſitas ac pretium conſtaret.

LOCUS TRIGESIMUS TERTIUS

DE

Chriſti Perſona & Incarnatione.

CAPUT VIII.

De perſona & naturis Chriſti.

I. ATque ita de Meſſia, deque adventu ejus conſtat. Videamus nunc qualis quantuſque inter homines appa- *Chriſti perſona qualis?* ruerit, & quis viſus fuerit. *Deus* videl. *in carne manifeſtatus*. 1. Tim. 3:16. *Et ſermo caro factus, qui habitavit in nobis, plenus gratiâ & veritate.* Joh. 1:14. Quam 1. *perſonæ* conſiderationem ſequentur. 2. ejus *ſtatus* & *officia*.

II. Circa perſonam occurrunt. 1. *naturæ* ejus diverſæ: 2. earum *Illius* *unio*. 3. Unionis illius conſummatio ac terminus, in *incarnatione*. NATURÆ;

III. Natura eſt, cum *aſſumens*, tum *aſſumta*. *aſſumens,*

IV. Natura *aſſumens* eſt *divina*, non in latitudine ſua ſumta, ſed *ſive* quatenus in perſona filii ſeu λόγου ſubſiſtit. Incaute enim loquuntur DIVINA, *Lutherani* quidam, cum naturam divinam corporatam dicunt; *Filii.* quod perſonæ proprium eſt. Eſtque hic gradus ad veterum Sabellianorum & Patripaſſianorum errorem; qui, cum de perſonarum diſtinctione, ut ante vidimus, non multum laborarent, totam trinitatem incarnatam dixere. Solent autem in ſcholis hæc ita diſtingui, quod incarnatio inchoativè & effectivè quidem totius trinitatis ſit, terminativè autem ſolius filii.

V. Cur autem filius hominem induerit, & non alia trinitatis perſona? itemque an non plures perſonæ eandem numero naturam aſſumere potuerint? quærere irreligioſum eſt. Fuitque hoc Scholaſticæ Theologiæ probrum, illa Dei arcana tam parum revereri,

Digitized by Google

ac ingenio ſuo tentare, cœlumque ipſum ſtultitia ſua impetere. Quod non ſimplex ſcelus & flagitium eſt. Quanquam à poſteriori, cum filium in carne viſum Scriptura teſtatur, ultro tum agnoſcimus, Deum non dedecere, filium ſuum, quem amat, cujus gloriam quærit, & per quem mundum condidit, quique mundi ſalus & vita eſt, etiam, ad redimendum ac ſalvandum eum, in mundum mittere. Atque hic acquieſcere debemus.

aſſumta, ſive HUMANA, *vera.*

VI. Extremum alterum eſt *natura humana*, vera & integra noſtræque per omnia ſimilis, excepto ſolo peccato.

VII. *Veram carnem* induiſſe tum expreſſis ſacræ Scripturæ teſtimoniis; tum ex ſingulis naturæ humanæ partibus, earumque proprietatibus & affectionibus conſtat. *Et ſermo caro factus eſt.* Joh. 1: 14. *Quia ergo pueri communem habent carnem & ſanguinem, & ipſe ſimiliter particeps factus eſt eorundem.* Hebr. 2: 14. *Debuit per omnia fratribus ſimilari*, v. 17. *Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, ſed tentatum per omnia ad ſimilitudinem abſque peccato.* Hebr. 4: 14. *Enim vero morbos noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros bajulavit*, Eſai. 53: 4. *Videte manus meas, & pedes meos, quod ego ipſe ſim. Contrectate me, & videte; quod ſpiritus carnem nec oſſa habeat, ſicut me habere videtis.* Luc. 24: 39. Ac ſpeciatim de corpore, corporeiſque affectionibus, cum eſſentialibus, quod nimirum illud viſibile, palpabile, numeriſque ac partibus ſuis dimenſum fuerit; tum accidentalibus ipſiſque etiam infirmitatibus corporeis, fame, ſiti, defatigatione &c. videre licet: *Corpus autem aptaſti mihi.* Hebr. 10: 5. *Accipite, edite, hoc eſt corpus meum*, Matth. 26: 26. *Hic enim eſt ſanguis meus* &c. v. 28. *Os non conteretur ipſi.* Ioh 19: 36. *Et Jeſus profecit ſapientia & ſtatura* &c. Luc. 2: 52. *Non erat ei ſpecies, & non decus; & videbamus illum, & non erat ſpectabilis forma, ut appeteremus illum.* Eſai. 53: 2. *Clamans voce magna dimiſit ſpiritum.* Matth. 27: 50. Ac de animâ ejuſque proprietatibus omnibus; præſertim intellectu, voluntate, affectibus; quin & imperfectionibus non culpabilibus; videri pariter poſſunt ſequentia loca: *Supra modum mæſta eſt anima mea ad mortem uſque*, Matth. 26: 38. *Et Jeſus profecit ſapientia & ſtatura.* Luc. 2: 52. *Non vero ut ego volo, ſed ut tu vis.* Matth. 26: 39. *Qui in diebus carnis petitiones & ſupplicationes —— cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus à metu, didicit obedientiam.* Hebr. 5: 7. *Ieſus igitur, ut vidit eam flentem, & qui venerant cum eâ Iudæos flentes, infremuit Spiritu, & commovit ſeipſum.* Joh.

Digitized by Google

Joh. 11:33. *Et videns è longinquo ficum, habentem folia, venit, ſi forte quid in eâ inveniat. Et ad ipſam accedens, nihil invenit.* Marc. 11: 13. *De illo autem die & hora nullus novit, neque angeli, qui in cœlo ſunt, neque Filius, niſi Pater.* cap. 13. v. 32.

VIII. Ut rejiciendi hic veniant veterum hereticorum errores, Chriſti olim naturam humanam impugnarunt. Quam totam everſam ibant *Marcionitæ*, *Manichæi*, cæterique *Docetæ* dicti, qui non verum corpus, ſed externam hominis ſpeciem, corporiſque phantaſma ac ſpectrum Chriſto impoſuere. Quos non male Tertullianus *imaginarios Chriſtianos* appellat; atque hoc argumento obruit, *Si Chriſti caro phantaſtica, tum & omnia quæ per carnem geſta ſunt.* Ex parte eam deſtruebant ἄψυχοι dicti, qui animæ loco λόγον ac divinitatem conſtituebant, ut *Arius* & *Apollinaris*, quanquam diverſa uterque ratione. Nec abludebat *Eutyches*, qui confuſis naturarum proprietatibus, unicam in Chriſto naturam reſtare, nec quicquam magnopere de homine ſupereſſe, docuit. Quem errorem, cum aperta fronte fateri non auderent, per poſticum revocabant *Monotheletæ*, unicam in Chriſto voluntatem ſtatuentes. Sicut earum quoque propago fuerunt *Agnoetæ* dicti, quorum pinceps Themiſtius, Diaconus Alexandrinus; ut *Apellis*, *Valentini*, aliorumque portenta ſileam, qui Chriſti corpus de ſyderum materia, animamque ejus de Dei ſubſtantia delibabant; & non ex virgine, ſed per virginem, perque naturales ejus egreſſus in mundum editum dicebant. Ita hi omnes ὁμουσίαν naturæ Chriſti humanæ, eandemque cum noſtrâ originem negabant; & Chriſto vel non veram, vel aliunde derivatam carnem tribuebant; ac animam vel tollebant prorſus, vel longe ante natum eum præ-extitiſſe, & ex Deo ipſo decerptam, errabant.

Impugnata à variis hæreticis.

IX. Noſtro ſæculo (ut *Pontificios* prætercam, qui humanam Chriſti naturam nonnihil carpunt, ac veterum hæreticorum ſalivas lambunt; dum Chriſtum viatorem ſimul & comprehenſorem pronunciant, eumque nihil unquam ignoraſſe, nulliſque perturbationibus agitatum, docent: quæ non tam extollendæ quam minuendæ veræ ejus humanitati faciunt) eandem ſectam tenuere *Swenkfeldiani*, *Weigeliani* & *Anabaptiſtæ*; qui, etſi inter ſe diſcordes, in hoc tamen conveniunt, quod carnis dominicæ originem aliunde quam ex Maria virgine arceſſunt. Nec abludunt *Sociniani*, qui non Adamo Chriſtum ortum, ſed è materia immediate

diate à Deo creata, virginiſque utero immiſſa, editum affirmant.

Et contra eos aſſerta. X. Quibus omnibus obſtat 1. *Scripturarum auctoritas*. Quæ Chriſto non ſolum veram carnem, noſtræ huic ſimilem & ὁμοούσιον, ut jam vidimus; ſed eandem nobiſcum originem attribuunt: & Chriſtum non ſolum *hominem*, ſed paſſim *hominis filium*, *mulieris*, Evæ videlicet, quæ ex illo oraculo viventium mater dicta fuit, *ſemen*. Gen. 3: 15. *Abrahami* ac *Davidis* ſobolem & *filium, ex viſceribus ejus ortum*, 2. Sam. 7: 12. *quod carnem attinet*, Rom. 1: 3. appellant. Ad quos adeo, tanquam ad ſtirpis auctores, generis quoque ejus ſeries longo progenitorum ordine deducitur Luc. 3. Matth. 1. Ac de Maria ejus matre, utque uterum ferre cœperit, ac divino onere gravida iſtum filium ſuum ſueto tempore enixa fuerit, ac primogenitum ventris fructum ediderit, aliiſque, eodem modo ſermo fit, ut de aliis matribus fieri conſuevit. Quæ nimis valida ſunt, quam ut Chriſti per virginem tranſitum, ac divinitatis in corpore ejus hoſpitantis levem tantummodo moram deſignent. Quibus 2. Accedit & ratio ex Scripturis petita: quod munus ac officium ejus talem requirerent carnem, quæ nobis non aliena foret. Cum enim generis humani redemtor, ac Goël, atque electorum caput futurus foret; certe nos fratres ipſius atque membra debebamus eſſe; ut ipſe veluti verus Goël, cognatam ac conſanguineam ſibi carnem ſervare; electoſque homines tanquam proprium corpus, ipſoſque artus ſuos, ac membra, adſpicere, tenerrimeque adamare poſſet. Quod Apoſtolus urget Eph. 5: 23, 25, 26. *Quoniam vir eſt caput uxoris, ut & Chriſtus eſt caput Eccleſiæ: & is eſt qui ſalutem dat corpori. Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemet ipſum expoſuit pro eâ.* & Heb. 2: 11. *Nam & qui ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex uno ſunt omnes. Quam ob cauſam non erubeſcit eos vocare fratres.* Tandem & 3. adverſantium ſententiarum abſurditas & intemperies, quæ miris adeo modis Chriſti corpus contexunt, ut cœleſtis id originis faciant, illas ipſas ſatis perimit; ut debellandis illis monſtris inhærere neceſſe non ſit.

XI. Sed objiciunt: Chriſtum appellari *Dominum de cælo*, 1 Cor. 15: 47. & *factum in ſpiritum vivificantem*, v. 45. *deque cœlo deſcendiſſe*, Joh. 3: 13. & *ſine patre ac matre fuiſſe*, Hebr. 7: 3. Quæ illi pro acumine ſuo de ſolâ ejus naturâ humana intelligunt; cum de toto Chriſto ſermo ſit, qui nobilioris naturæ reſpectu Dominus de cœlo fuit; deque cœlo veluti deſcendit cum ſeſe in carne oſtenderet; atque

illa

Digitized by Google

illa carnis cum deitate unione in ſpiritum vivificantem evaſit; denique & ſine patre ac matre in terris fuit.

XII. Poſtquam utramque Chriſti naturam vidimus, ſequitur explicanda earum *unio:* quæ non mutatione vel converſione aliqua peracta eſt, cujus divinitas incapax eſt; ſed aſſumtione, ac divinæ naturæ in humana carne manifeſtatione ac inhabitatione. *Non enim ſane uſpiam angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahami apprehendit.* Hebr. 2: 16. *Sed ſe ipſum exinanivit, dum formam ſervi aſſumſit, quando in ſimilitudine hominis eſſe incepit,* Phil. 2: 7. *Deus eſt manifeſtatus in carne.* 1. Tim. 3: 16. *Et ſermo caro factus eſt: & habitavit in nobis, plenus gratiâ & veritate.* Joh. 1: 14. Quæ aſſumtio vulgo *perſonalis* dicitur, quod propius conſiderandum. *Naturarum harum* UNIO *perſonalis.*

XIII. Eſt autem *perſona* natura rationalis, ipſa per ſeſe ſubſiſtens, nec alteri cuidam unita. Quæ *ſubſiſtentia* non quidem aliquid poſitivum dicit, aut quidquam ſubſtantiæ ſuperaddit, cum omni ſubſtantiæ per ſeſe exiſtenti neceſſario conveniat; ſed illum ſubſtantiæ modum indicat, quo illa actu per ſe completa eſt, nec ad alterius rei compoſitionem vel conſtitutionem ordinatur. Accedente enim tali *ordinatione*, vel divinâ, vel humanâ, perſona eſſe deſinit: quæ ordinatio ipſi etiam perſonæ accidere poteſt. *qualis illa ſit?*

XIV. Communicantur autem duæ ſubſtantiæ atque coaleſcunt in unam perſonam, ubi ita conjunguntur, ut actiones & paſſiones utriuſque toti compoſito communi nomine appellato attribuantur. Per quod nihil quidem poſitivi illis ſubſtantiis ſuperadditur, ſed tantum relatio, atque inde denominatio aliqua, per ordinationem, ſeu divinam, ſeu humanam.

XV. Atque ita in hoc myſterio, *unio perſonalis* nihil aliud eſt, quam quod perſona ſecunda trinitatis, cum antea non eſſet conjuncta cum aliâ naturâ ad conſtituendum unum ſuppoſitum, nunc per ordinationem propriam ita cum illa conjungatur, ut utriuſque actiones & alterius paſſiones toti compoſito, communi nomine appellato, attribuantur. Unde ex duabus hiſce naturis unum quaſi in Chriſto oritur ſuppoſitum, quod verè ſubſiſtit, cum illi ulterior ad aliam ſubſtantiam ordinatio denegetur.

XVI. Humanitas ergo revera perſona fuiſſet, ſi ſola ſubſtitiſſet; nunc autem cum à primo ortu ad naturam divinam ordinata fuerit, in λόγῳ ſubſiſtit, & cum illo unum ſuppoſitum conſtituit. Ut male concludant Sociniani, naturam Chriſti humanam perſonam eſſe,

 quia

Digitized by Google

quia eſt ſubſtantia prima intelligens. Quod in ea verum fuiſſet, uti in omni ſubſtantia intelligente, niſi ad divinam naturam condita & ordinata fuiſſet.

XVII. Bene autem concludi hinc poteſt, cum ſcholaſticis, ſubſtantiam irrationalem hypoſtaticè aſſumi non potuiſſe. Sed male iidem rurſus inferunt, perſonam humanam à λόγῳ aſſumptibilem non fuiſſe, cum illa jam propriam perſonalitatem habeat. Quid enim illa perſonalitas aliud dicit, quam quod illa ad aliam perſonam hactenus ordinata non erat, utcunque eo ordinari poſſet? quam tamen ordinationem per divinitatis aſſumtionem acquiſiviſſet, & ſic perſona eſſe deſiiſſet. Quod nulla ex parte pugnat.

XVIII. Ad dubium: an duæ hæ naturæ duas partes fecerint, ex quibus perſona veluti compoſita ſit? Reſp. impropriè, præſertim de divina natura, iſta vocabula uſurpari, cum potius principia diverſa, divino nexu inter ſe conjuncta ac unita, dicenda ſint. Similia etiam quæ hic adhibent, pleraque incongrua ſunt. Appoſitiſſimum eſt, quod de anima humana in corpore hoſpitante accerſitur; ubi duæ ſubſtantiæ, in ſeſe completæ, ita divina ordinatione conjunguntur, ut exinde actiones utriuſque & paſſiones toti compoſito communes ſint. Quanquam nec hic omnia quadrent.

& quomodo à veteribus expreſſa?

XIX. Veritas *moduſque* hujus unionis optime expreſſus eſt à concilio Chalcedonenſi A. C. 451. ubi coërcendis Neſtorii ac Eutychetis erroribus, qui diverſis ex partibus perſonam Chriſti lacerabant orthodoxi vocabulis quibuſdam, ceu repagulis, Chriſtianam fidem ſepſerunt; dum unionem eam factam ſciverunt, *ἀδιαιρέτως, ἀχωρίςως, ἀτρέπτως & ἀσυγχύτως.*

contra errores, cum Neſtorii,

XX. *Neſtorii*, qui jam in concilio œcumenico Epheſino, A. C. 431. damnatus erat, error ferebatur: quod non naturas ſolum, ſed & perſonas divideret; quas in Chriſto duas ſtatuebat, divinam & humanam pro duplici videl. natura. Quod revera, præterquam quod non *unum mediatorem* faciebat, juxta Paulum 1. Tim. 2: 5. 1. Cor. 8: 6. ſed duplicem, divinitatis quoque Chriſti abnegatio, & tectum Arianiſmi virus erat; ac mediatorem faciebat nudum hominem, in quo divinitas non alio modo, quam in prophetis ac ſanctis olim, præſens erat, ac externa quadam conjunctione, ac *κατὰ παράθεσιν*, ut loquebantur, inhabitabat: cum *tota plenitudo deitatis in ipſo habitet corporaliter*, Col. 2: 9 Quanquam alii Neſtorium excuſare malint, nec tanta peccaſſe autument. Ut ut ſit, etſi

forte

Digitized by Google

forte de Neſtorio obſcurius eſſet; error tamen quem edunt patres, recte damnatus & Synodi auctoritate confoſſus fuit.

XXI. Contrarius error fuit *Eutychis*, Archimandritæ Conſtantinopolitani: cum quo fecit Dioſcorus, patriarcha Alexandrinus: unde ſectæ hujus partiarii modo Eutychetæ, modo Dioſcoritæ, appellantur. Ille autem, Neſtorium oppugnans, in contrarium ferebatur; &, ne duas in Chriſto perſonas agnoſceret, unam tantum in eo ſtatuebat naturam. Ex eodem autem fonte peccabat, unde Neſtorius. Damnatus eſt in concilio Chalcedonenſi A. C. 451. *tum Eutychis.*

XXII. Quem errorem aliqua ex parte imitantur *Lutherani* quidam, qui unionem naturarum in naturæ humanæ cum divina exæquatione, vel divinarum proprietatum communicatione, collocare, ſaltem verbis quibuſdam, videntur. Gravius autem errant *Anabaptiſtarum* quidam, qui deitatem in humanitatem commutatam volunt; & quanquam Chriſtum Deum & hominem affirmant, duas tamen in eo naturas negant: unam in eo delirantes ſupereſſe naturam, & vitam, & eſſentiam, quæ ſimul à patre proceſſerit, & ex patribus ſit genita; extinctâ prioris naturæ eſſentia, ubi altera cœperit. Ita illi omnem unionem hypoſtaticam abnegant. Graviſſimè vero peccant *Sociniani*, qui univerſum hoc incarnationis myſterium, omnemque naturarum unionem pro fabula & commento habent. *recentiorumque.*

XXIII. Succedunt nunc unionis hujus *effecta*, partim in donorum ac gratiæ communicatione, in *natura humana*; partim in communicatione idiomatum utriuſque naturæ, quoad *perſonam*. *Unionis hujus* EFFECTA.

XXIV. Quæ humanæ naturæ ex ea unione communicata ſunt, hæc ſunt: 1. *Gratia unionis*, qua ea in divinæ naturæ ſocietatem aſſumta, unum cum ea θεάνθρωπον conſtituit. Quod non exiguum decus atque χάρισμα eſt. Quod Deus in carne noſtra habitare, illamque ut ſibi non alienam adamare, & tanquam proprium corpus divinitate ſua implere voluerit. Ut natura noſtra hoc pacto proximè infra divinum faſtigium collocata ſit. 2. *Gratia habitualis*, donorumque omnium S. Spiritus communicatio, ea perfectione ac modo, quam creata natura capere poteſt. *Non enim ex menſura dat Deus* (ipſi, & in ipſo nobis) *Spiritum.* Joh. 3:34. *Propterea unxit te, ô Deus, Deus tuus oleo alacritatis ultra conſortes tuos.* Pſal. 45:8. conf. Hebr. 1:9. Quo pertinet & gratia, quâ Chriſtus peccare nunquam potuit; cum in tanta luce intellectus, ac perfecto voluntatis amore *1. In communicatione donorum, & gratiæ, quæ multiplex.*

re, ſanctiſque motibus, aberrare prorſus impoſſibile foret. Unde de ſe ipſo dicit: *In noctibus caſtigant me renes mei.* Pſal. 16: 7. & ipſe appellatur *præco*, vel *index*, *qui non mentitur*. Hab. 2: 3. & de ipſo dicitur: *Non eſt fraus in ore ejus*, Eſai. 53: 10. ſed *judicat in juſtitia*, Eſai. 11: 4. 3. Gratia *poteſtatis mediatoriæ*; qua Eccleſiæ ſponſor, caput & Rex, atque univerſi mundi judex eſt. *Et poteſtatem dedit ipſi etiam judicium faciendi, quia filius hominis eſt.* Joh. 5: 27. 4. Quam conſequitur gratia *adorationis*, ſeu ſummus honor, & adoratio, quæ Chriſto θεανθρώπῳ debetur, Hebr. 1. 6. Non quod proximum & formale adorationis fundamentum ſit munus mediatorium; cum illud ſit ipſius divinitas: multo minus quod, cum Lutheranis quibuſdam, ipſa Chriſti humanitas, in perſona τοῦ λόγου adoranda ſit; quod foret perſonas diſcerpere, & ad Socinianos ἀνθρωπολάτρας accedere. Sed quod illa perſona, quæ mediator eſt, omnino adoranda ſit; ipſumque munus mediatorium divinum honorem quoque includat: cum ad eum, qui iſto munere fungitur, preces omnes, atque vota fidelium omniſque Eccleſiæ affectus & cultus tendere debeant: & non minus fideli redemtori noſtro, quam creatori animas noſtras credere poſſimus ac debeamus.

XXV. 5. Accedit tandem, tanquam effectus hujus unionis, quod *filius hominis* factus ſit *filius Dei*; non adoptivus; ut olim volebant hæretici, *adoptionarii* dicti, Elipandus & Felix Urgelitanus, in concilio Francofurtenſi, ſub Carolo M. A. C. 794. damnati; ſed verus & proprius: juxta Rom. 8: 32. *qui quidem proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum* &c. Quod dextre intelligendum eſt. Non enim ſtricte ſecundum humanam naturam, ſi eam abſtracte ſumas, ac de formali cauſa filiationis quæras, proprius Dei filius appellari poteſt. Sed proprie hæc appellatio τοῦ θεανθρώπου eſt, ac Chriſto mediatori convenit: proprie quidem quatenus Deus eſt; ſed conſequenter etiam quatenus humana carne veſtitus eſt; quæ in unitatem perſonæ accepta, ab ipſo non aliena, nec tanquam extranea conſiderari poteſt; ſed iſta unione in eundem filiationis honorem & appellationem venit. Ut Deus Chriſtum hominem, non tanquam filium adoptivum (eſt enim adoptio perſonæ extraneæ) ſed tanquam proprium conſideret, & amet: eademque perſona, quæ homo eſt hominiſque filius, etiam Deus propriuſque Dei filius exiſtat.

II. In communicatione idiomatum: XXVI. Alterum hypoſtaticæ unionis effectum eſt, proprietatum

tum atque *idiomatum* utriuſque naturæ in eadem perſona conſpiratio & *communicatio*. Unde de perſona illæ quoque prædicantur: idque vel *directius*, cum perſonæ naturæ illius proprietates adſcribuntur, à qua ipſa tum appellatur; vel *indirectius*, cum, à diverſa natura denominata, alterius naturæ proprietates gerit. Prior communicatio realis; altera, quæ in prædicatione potiſſimum conſiſtit, verbalis magiſque impropria appellari ſolet. Quanquam, ſi fundamentum ſpectes, unionem perſonalem, omnis hæc prædicatio realis ſit: cum ſolo loquendi modo verbalis & ſynecdochica ſit, nimirum quoad diverſas naturas; unde hæc prædicatio in concreto, non autem in abſtracto peragitur.

XXVII. Corruperunt hanc idiomatum communicationen, ac in realem divinæ naturæ proprietatum communionen ſic ſatis transmutarunt Lutherani quidam. Quam vetuſtiores unionis perſonalis formam; recentiores ejus effectum ac conſequens dixere; Rintelenſes autem nuper paulo aliter explicuerunt. Ipſa autem Auguſtana confeſſio commentum hoc ignorat; ac Flaccianorum illud inventum eſt, in ſubſidium ubiquitatis ſuæ advocatum. *detorta à quibuſdam Lutheranis.*

XXVIII. Verum contra eam proprietatum divinarum transfuſionem facit: 1. ipſarum *proprietatum natura*, quæ, ſi verè proprietates ſunt, alii naturæ, utcunque unitæ (cum unio ea ſalvis rerum naturis & proprietatibus fiat) communicari nequeunt. 2. Ac præſertim ſumma *earum in Deo unio* eſt. Cum enim ab eſſentia divina non differant, ipſam ejus eſſentiam ſimul communicari & transfundi oportet. 3. Et quam rationem dabunt, cur non *omnes proprietates*, adeoque & ipſam Dei æternitatem, ſed quaſdam tantum communicatas ſtatuant? cum ipſæ inter ſeſe non diſtinguantur, nec in Deo detur aliud & aliud. 4. Quin, ſi, vi unionis, de natura divina humana accipiat, cur non eadem ratione *humanæ naturæ proprietates* in divinam transfundentur; cum unio illa mutua & reciproca ſit? 5. Sed non ſolum naturam divinam, ejuſque proprietates, commento iſto multipliciter violant adverſarii; ſed ipſam naturarum *unionem* in Chriſto lædunt. Unio enim dicenda non eſt, ubi unius naturæ propemodum extinctio, atque alterius naturæ proprietatum transmeatio & confuſio aſſeritur. Cum tamen in Chriſto hæc diſtincta ſint; una videl. perſona, unumque agens, duo principia activa, atque hinc fluentes duplices actiones, veteribus θεανδρικαὶ dictæ; quæ in unum denique ἀποτέλεσμα atque opus rurſus coëunt & conveniunt. *Qui confutantur in genere.*

 Hæc

beatificam, qua humana ejus natura nunc in cœlis fruitur; nullam autem omniſcientiam. Nam ſcientia ejus *naturalis*, pro ætatis auctu, incrementa ſumſit; tum ex ideis innatis, quæ paulatim clariores ac defœcatiores ipſi affulgebant, idque longe feliciusac celerius quam ulli hominum; tum ex rerum experientia ac uſu, quomodo lectionem, ſcriptionem, ut reliqua infantum ætas, atque artem quoque fabrilem addidicit. *Nonne iſte eſt faber ille, filius Mariæ?* Marc. 6: 3. Scientia *infuſa* ex divinæ gratiæ arbitrio ac modo, ac pro diverſa lucis iſtius radiatione ac copia, gradus ſuos habuit: cum λόγον, veluti domeſticum oraculum, in poteſtate ſua non haberet; nec illuminationes ejus accipere poſſet quotiens liberet; ſed, non aliter ac prophetæ, licet longè majori gradu, lucis illius tempora ac modum expectare cogeretur. Imo qualiſcunque illa illuminatio ponatur, eo ipſo omniſcientiam tollit. Tandem nec ſcientia ejus in cœlis, quanquam humanitatem ejus ſatiare & prorſus beare poſſit, infinita eſt, cum longo intervallo infra Dei ipſius ſcientiam poſita ſit.

XXXV. Unde & ignorantia quarundam rerum in Chriſto fuit, dum in terris ageret. Non illa quæ in vitio poneretur, quæque ipſum in judicando aberrare faceret; cum extra peccati noxam poſitus, illum mentis habitum haberet, ut de rebus niſi benè perceptis ac examinatis non judicaret; ſed quæ ſimplicis eſſet neſcientiæ, extra culpam ac animæ labem. Quomodo *diem judicii* ignoraſſe dicitur, Marc. 13: 32. cum ille in fatis adhuc lateret, nec mortali ulli revelatus eſſet. Ac de *ficu* arbore hęſit, ac dubitavit, an forte, alieno anni tempore, præcoces fructus haberet, quos præmaturo virore & frondibus ſpondebat. Marc. 11: 13. Unde & ſcientia ejus incrementi capax fuit. Sicuti Luc. 2: 40. dicitur: *Puerulus creſcebat & corroborabatur ſpiritu, implebaturque ſapientia, & gratia Dei erat ſuper eum*: & com. 52. *Ieſus vero proficiebat ſapientia, & ſtatura apud Deum & homines.* Primæ enim ejus ætatis auctus ac læta incrementa iſto in loco narrantur, memorato inſigni ſapientiæ ejus in teneris annis rudimento.

XXXVI. 4. Similiter *omnipræſentiam*, & παντοτοπίαν Chriſti humanæ naturæ tribuunt: quam maximè adoptarunt Lutheranorum illi, qui cuderunt formulam concordię Bergenſis; atque eam præcipue ex naturarum unione deduxerunt, quam perperam in exæquatione earum conſtituunt. Ac miris diſtinctionum formis ac præ- *Omnipræſentia.*

 ſtigiis

ſtigiis inſociabilem ac contradictoriam iſtam ſententiam tuentur: dum Chriſti corpus non uno modo præſens eſſe nugantur, videl: *circumſcriptive*, à parte naturæ; & *definitivè*, à parte unionis; *localiter*, in uno loco; & *ſpiritualiter*, in omnibus: rurſuſque quoad *actum naturalem*, cui certo tantum in loco eſſe concedunt; & *perſonalem*, cui omnipræſentiam adfingunt; idque vel *in actu* primo, dum in ſtatu exinanitionis eſſet; vel *in actu ſecundo*, in exaltatione. Quomodo & diverſos corporis Chriſti reſpectus ſtatuunt, vel ſecundum *naturæ* proprietates, vel *gratiam* unionis, vel *gloriam* exaltationis. Quæ omnia pugnantia ſunt. Verum tot velamentis opus eſt, ad inſanæ ſententiæ dedecus tegendum; iſtoque ambitu eo tandem veniendum erat, ut natura humana tantum non deificaretur.

XXXVII. Contra, Chriſti humanitatem aut omnipræſentem aut multipræſentem eſſe, nec Scriptura, nec natura patitur. Ut enim Chriſtianæ fidei articulos prætercam, in quos propudioſa iſta ſententia incurrit; aperta extant Scripturæ teſtimonia, quæ corpus ejus finitum, nec toto orbe ſparſum ac diffuſum teſtantur. Ad ſtatum enim exinanitionis pertinet, quod eſt Joh. 6: 24. *Quum igitur vidit turba, ibi Jeſum non eſſe.* & 11: 15. *Lætor propter vos* (ut credatis) *quod non fui ibi. Sed eamus ad ipſum.* & 16: 28. *Exivi à patre, & veni in mundum: rurſus relinquo mundum & proficiſcor ad patrem.* Atque ad ſtatum exaltationis pertinent loca ſequentia: *Semper enim pauperes habetis vobiſcum; me vero non ſemper habetis.* Matth. 26: 11. *Et factum eſt, cum ipſe benediceret illis, diſtitit ab ipſis, & ſublatus eſt in cœlum.* Luc. 24: 51. *Noſtra autem civitas eſt in cœlis, unde & Salvatorem expectamus, Dominum Jeſum Chriſtum*, Phil. 3: 20. *Quem oportet cœlum quidem capere* &c. Act. 3: 21.

XXXVIII. Obſtat & ratio, ac corporum natura, quorum loca & ſpatia multiplicari non poſſunt, niſi & ipſa multiplicentur, cum ſpatium reipſa unum ſit cum corpore. Atque ita corpus, quod hic, & alio in orbe & in cœlo præſens eſt, non unum, ſed diverſum erit ac multiplex. Adeoque unum & non unum. Quod ſe ipſum perimit. Quas autem mirabiles diſtinctionum chimæras adferant ad pugnas has tollendas, jam vidimus.

XXXIX. Quod autem argutantur, humanam maturam in λόγῳ ſubſiſtere; adeoque unionem naturarum lædi, niſi illa una cum λόγῳ omnipræſens ſtatuatur; tum enim λόγον fore extra carnem aſſumtam; id facile tollitur, myſticâ illa unione rite explicata. Quæ profecto

Digitized by Google

profectò facta non eſt juxta locorum ſpatia; ſed, ut vidimus, in divina ordinatione conſiſtit, qua humana natura à divina aſſumta eſt, ut in ea habitet, operetur, patiatur, reſurgat &c. ita ut quiquid illi accidit, filio Dei non alienum, ſed à proprio ejus corpore patratum ſit. Unde & actiones paſſioneſque ejus perſonæ ab utraque natura denominatæ tribuuntur. Ad hoc autem non pertinet, nec neceſſarium eſt, ut humana natura divina idiomata acquirat, ac ſimul cum ea omnibus in locis præſens ſit.

XL. Sequitur 5. *poteſtas judiciaria*, quam humanæ Chriſti naturæ adſcribunt. Quæ tamen poteſtas perſonæ in univerſum competit, atque ex mediatorio munere fluit. Ut divina pariter & humana natura hic ſuas partes habeant; ut in progreſſu operis videbimus. *Poteſtatis judiciaria.*

XLI. Cui addunt 6. denique *vim vivificam*, quam ipſius carni tribuunt; juxta Joh. 6:59. *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in ipſo.* Sed valde impropriè. Fons enim vitæ propriè Deus eſt. Ac vivificatio eſt opus mediatorium, toti perſonæ commune; ad quod divina natura principaliter & efficienter, ac humana natura meritoriè concurrit. *& vis vivifica.*

XLII. Atque hi Lutheranorum in graviſſimo hoc capite errores ſunt; quibus tamen ipſi, quod & alibi eos facere vidimus, prudenter obicem ponunt, ne univerſam Chriſti perſonam perimant, ac Eutychianiſmum pariter & Neſtorianiſmum utrimque damnant; maluntque imperceptibilia & pugnantia loqui, quam iſtas Chriſtianæ fidei apices tangere, ac Salvatoris perſonam violare, & non-hominem fateri. Ne jam dicamus, ſententiam illam apud plurimos eorum magis in loquendi formulis fallacibuſque terminorum ambiguitatibus & ſtrophis, quam in rei ipſius abnegatione conſiſtere. Unde de *momento* quæſtionis hujus, alioquin graviſſimæ, judicari poteſt. *Errorum horum momentum,*

XLIII. Eſtque hæc etiam unica cum ipſis *reconciliationis* & tolerationis via & ratio; ut totum videl. Chriſtum, ac naturæ utriuſque veritatem & proprietates agnoſcant; quod pro fundamento ſtatui debet. *Modus* autem eſt, ut ad veteris Eccleſiæ fidem redeant, parſque utraque intra quatuor Chalcedonenſis concilii vocabula maneat, quæ naturarum in Chriſto unionem facta docet *ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως, ἀτρέπτως* & *ἀσυγχύτως*. Quæ ſi quis teneat, circa perſonam Chriſti errare non poteſt. Solari autem ſeſe debet *eorumque reconciliandorum ratio.*

Digitized by Google

Eccleſia, dum non ab extraneis ſolum, Judæis, gentibusque, de Servatore ſuo controverſiam ſibi moveri, ſed ipſos ſuos filios de eo contendere videt, prophetarum dictis, quæ id ejus fatum cecinerunt, Eſai. 41, 45, 48, 50, 52, 53. cap. Unde ille in ſcandalum futurus prædicitur, Eſai. VIII: 14, 15. Et plus quam unica vice in myſtico illo Salomonis Cantico fideles de ſponſo ſuo litem ſibi moveri audiunt, idque ab ipſis puellis Hieroſolymitanis, rogantibus, *quisnam eſt dilectus tuus* &c. quibus ſponſa viciſſim de Servatoris ſui perſona, cunctoque decore & ornatu pulcherrimam confeſſionem edit. vide cap. 5.

CAPUT IX.

De Incarnatione, conceptione & nativitate Chriſti.

INCARNATIONIS *Chriſti* I. Vidimus perſonam Meſſiæ, naturamque ejus duplicem, & utriuſque naturæ unionem. Sequitur propius conſideranda unionis illius *conſummatio* & perfectio, in *incarnatione*: quæ Chriſti *conceptione* & *nativitate* perfecta eſt.

nomina. II. Dicitur ea vocabulis, partim ſcripturariis, partim Eccleſiaſticis, *incarnatio*, ἐνσάρκωσις, ex analogia loci Joh. 1:14. ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. 1. Tim. 3:16. *Deus eſt manifeſtatus in carne.* Ἐνανθρώπησις; quod Belgæ imitantur. Ἐξαποστολὴ, Gal. 4:4. *Quum vero venit plenitudo temporis*, ἐξαπέστειλεν *emiſit Deus filium ſuum. Viſitatio* filii hominis. Pſal. 8:5. *Quid eſt homo, quod memor es ipſius, & filius hominis, quod viſitas ipſum?* Luc. 1:78. Ἐπιφάνεια & θεοφάνεια. Nunc *autem manifeſtata* διὰ τῆς ἐπιφανείας *per apparitionem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti*, 2 Tim. 1:10. In *quibus nos viſitavit ortus* ἀνατολὴ (vide Hebr. 7:14.) *ex alto*, Luc. 1:78. Quod deſumtum ex Eſa. 40:5.

Poſſibilitas. III. *Poſſibilem* eſſe Dei corporationem aut incarnationem, ac poſſe ſummum numen in humano corpore hoſpitari, ſeque mortalibus viſendum & contrectandum præbere, ac familiariter inter homines agere, & loqui, & operari, & pati; quanquam natura myſterium illud proprio lumine non detegat; tamen ubi aliunde illud accipit, non invita admittit & adſentitur. Poteſt enim Deus humano corpore uti ut organo ac inſtrumento per quod operetur, eâque veluti veſte ac velo majeſtatem ſuam tegere: ut olim nube, tanquam paludamento, indutus, voce humana, quæ vox Dei dici poterat, oracula edebat; quod in rubo, in monte Sinai, ac diutiſſimè

Digitized by Google

ſimè in tabernaculo ac templo factum. Quid ni ergo, qui vocem hominis ſibi fabricare potuit, etiam oculos, manus, & integrum corpus, animam denique humanam, in quo obedire ac pati queat, ſibi formare poſſit? Certe nihil hic eſt, quod naturæ rerum adverſetur.

IV. *Neceſſitatem* autem myſterii hujus, & quomodo Salvator noſter, ad humanum genus ſalvandum, Deus pariter & homo eſſe debuerit; ſupra, libri ſecundi cap. xv. parag. 5, 6. vidimus. Quod vero Oſiandro, & Pontificiis quibuſdam, Socinianis denique, quanquam diverſo ſcopo, placuit, Dei filium etiam extra iſtam humani generis neceſſitatem incarnandum fuiſſe; inquirere curioſum, & aſſerere temerarium eſt. Ac ſatius eſt in divinis Scripturis acquieſcere, quæ non aliam adventus Chriſti in carne cauſam & occaſionem dicunt, quam humani generis à priſca labe redemtionem & reſtitutionem. *Fidelis eſt ſermo & omni receptione dignus, quod C. J. venerit in mundum, ad peccatores ſalvandum.* 1 Tim. 1: 5. *Venit enim filius hominis quærere & ſalvare id quod perditum erat.* Luc. 19: 10. *Neceſſitas.*

V. *Futuram* denique olim Dei incarnationem prædixit Vetus Teſt. *Ecce virgo concipit, & parit filium, & vocabit nomen ejus Immanuel.* Eſai. 7: 14. *Nam puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.* cap. 9: 5. *Ecce dies venient, ait Jehovah, & excitabo Davidi germen juſtum, quod regnabit Rex, & proſperabitur, & faciet judicium, & juſtitiam in terra.* Jer. 23: 5. Ac veritatem ejus oſtendit & implevit Novum Teſt. Ac S. Johannes præſertim pulcherrimis verbis Euangelium ſuum exorditur: *In principio erat ſermo, & ſermo erat apud Deum, & Deus erat ſermo — & ſermo caro eſſe incepit, & habitavit in nobis, plenus gratiâ & veritate.* cap. 1: 1, 14. Quibus verbis ad veterem Dei in tabernaculo inhabitationem alludit, quæ inhabitationis in carne & typus & rudimentum erat. Ad iſtum enim modum hæc corporatio filii Dei intelligi debet. Unde & Apoſtolus ſimili figura *manifeſtationem Dei in carne* appellat; in qua *viſus* totique mundo oſtenſus fuit. 1 Tim. 3: 16. *Veritas.*

VI. *Peracta* autem res ipſa eſt in tempore duobus veluti gradibus; Chriſti videl. *conceptione*, & *nativitate*. *Primus ad illam gradus fuit Chriſti* CONCEPTIO.

VII. In *conceptione* Chriſti duplex conſiderandum principium, ab unâ parte, Spir. S.; ab altera, Maria virgo. Illud principium activum, hoc paſſivum fuit.

VIII. De Spiritu S. eſt Luc. 1: 35. *Spiritus S. veniet ſuper te* &c. *de Spiritu S.*

Ubi

Ubi per Spiritum S. veterum quidam tertiam S. S. Triados perſonam, cujus informando Chriſti corpore præcipuæ partes fuerunt, juxta illud, *corpus aptaſti mihi*, Hebr. 10: 5. alii perſonam divinam filii, divinumque ejus ſpiritum ac potentiam, quo proprium ſibi templum, in quo habitaret, fabricavit, intelligunt: juxta Zach. 6: 12. *Ecce vir*, GERMEN *nomen ejus*, *& de ſubter ſe germinabit*, *& ipſe ædificabit templum Jehovæ*, & Phil. 2: 7. *— formam ſervi aſſumſit, quando in ſimilitudine hominis eſſe incepit.* Quem utrumque ſenſum *Catecheſis Heidelbergenſis* conjungit, dum filium Dei naturam humanam ex carne & ſanguine virginis, per Spiritus S. operationem, aſſumſiſſe dicit.

IX. Habuit autem Spiritus S. ſeſe efficienter, non materialiter; ut perverſè Anabaptiſtæ nonnulli. Neque ideo tamen Chriſti pater dicendus eſt; cum ex ejus ſubſtantia humana Chriſti natura progenita non ſit.

Illius hic operationes. X. Hæ vero Spiritus partes fuerunt: 1. Semini virginis vim prolificam indidit, beatumque ejus uterum ſancto onere conſtipavit. 2. Ex maſsâ iſta virginea Chriſti corpus effinxit, & per gradus ſuos, naturæ porro manibus, ut in aliis hominibus fieri ſolet, efformavit, ac infuſo deinde ſpiritu animavit. 3. Utque anima Chriſti ab ipſo ortu erat ſanctiſſima, ita quoque corpus ab omni labe defœcavit, ſive potius ab omni impuritate præſervavit; ut non niſi ſanctiſſimis motibus obtemperaret, dignumque Deo habitaculum eſſet. 4. Tandem iſtam, præparatam veluti numini ſedem, filio Dei inhabitandam tradidit, ut ab eo gratiâ donisque omnigenis impleretur, ac pro individuo organo & inſtrumento ei inſerviret, nec alium rectorem pateretur. Unde quicquid in corpore iſto geſtum eſt, & quicquid illud vel egit, vel paſſum eſt, ad filium auctorem refertur. Quæ vera unionis hypoſtaticæ ratio & perfectio eſt.

E ſanguine virginis Mariæ. XI. Alterum principium fuit Maria virgo: quæ de ſuo quidem ſanguinem ac genitale ſemen contulit; ſed quod Spiritu demum animante fœcundum redditum fuit. Unde principii potius paſſivi rationem habuit. Qua tamen ratione *mater* ejus, ac Chriſtus illius *filius* verè dicitur, Matth. 2: 11. & 1: 25. *Sicut* enim *pueri communem habent carnem & ſanguinem*, *& ipſe ſimiliter particeps factus eſt eorundem.* Hebr. 2: 14.

In qua non momento, ſed ſolito tempore perfecta fuit. XII. Rejicimus autem Scholaſticorum nugationem, qui, temporum videlicet moras ac tarda molimina à Spir. S. gratia exclu-den-

dentes, ipſo conceptionis momento Chriſti corpus pleniſſimè conformatum hariolantur. Cum tamen temporis ſpatia in hoc negotio S. Scriptura expreſſe numeret, ejusque initium & finem memoret; *menſe autem ſexto* &c. Luc. 1: 26. *Et factum eſt, cum ipſi ibi eſſent, impleti ſunt dies, ut ipſa pareret.* Luc 2: 6. Nec aliter quam humano more, utque in aliis matribus fieri conſuevit, de virginis conceptu ac partu loquatur: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium* &c. Matth. 1: 23. Quin ea quoque in parte Chriſtum humanæ infirmitati ſimilem fuiſſe dicat: *Unde debuit per omnia fratribus ſimilari* &c. Hebr. 2: 17. conf. 4: 15. Quo pertinent quoque Hieronymi ad Euſtochium verba: *Novem menſibus in utero ut naſcatur expectat, faſtidia ſuſtinet, cruentus egreditur* &c.

XIII. Nec ſatis verecunde iidem de ipſo conceptionis momento diſceptant. Hoc certum eſt, eam non factam antequam angelus legationem abſolviſſet: *Et vocatum eſt nomen ejus Jeſus, ſic vocatum ab angelo, priusquam ipſe conciperetur in utero.* Luc. 2: 21. conf. 1: 31.

XIV. Atque hac conceptione Chriſti, qua ille noſtra de cauſa adeo ſeſe demiſit, ut tanta majeſtas intra materni uteri anguſtias deliteſcere, utque naſceretur novem menſibus expectare, non dedignata eſt, conjunctâ cum reliqua ipſius obedientiâ, immunda noſtra conceptio ac genitura, obtecta & expiata eſt. Utque ſpiritu fœcundante illa peracta & abſoluta fuit, ita inde novæ quoque vitæ capienda auſpicia, deque eo novum hominem renaſci ac animari debere, præ-oſtenſum fuit. *Quod natum eſt ex carne, caro eſt; quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt*, Joh. 3: 6.

Alter gradus fuit ipſius NATIVITAS; *è virgine regia.*

XV. Conceptionem excipit *nativitas* Salvatoris, ex matre virgine. Quæ Davidis regis ſanguis (Matth. 1: 1. *Indiculus ortus Chriſti, filii Davidis, filii Abrahami.* Rom. 1: 3. *Qui extitit ex ſemine Davidis, ſecundum carnem.*) quo & genus ejus à Luca deducitur; Joſepho, ejuſdem ſtipitis longinquo ramo, denupta; quo matris pudori ac filii olim honori conſuleretur; ſub honeſto matrimonii velo divinum illum partum edidit. *Deſponſata enim Joſepho mater ejus ---- inventa eſt gravida* &c. Matth. 1: 18.

Salva illius virginitate.

XVI. *Virgo* autem Maria Deum fudit infantem: ut prophetarum oracula cecinerant, Eſai. 7: 14. *Ecce virgo concipit* &c. Jer. 31: 22. *Nam creavit Jehovah novum in terra: fœmina circumdat* in utero *maſculum.* conf. Apoc. 12: 5. Aliter autem virginitas ejus ſeſe habuit ante partum, aliter in partu, aliter denique poſt partum. Ante par-

Digitized by Google

partum, virginem eam fuiſſe fide divina credimus: *Dixit vero Maria ad angelum: quomodo erit hoc, quoniam virum non cognoſco?* Luc. 1: 34. *Et non cognovit eam, donec peperit filium ſuum primogenitum.* Matt. 1: 25. Pariterque nec in partu virginitas ejus imminuta eſt. Poſt partum autem virgineum florem retinuiſſe, fide humana ac veteris Eccleſiæ conſenſu conſtat; nec ad fidem ultra neceſſe eſt. Probabile enim eſt, uterum illum, in quo Servator noſter vitæ auſpicia accepit, atque unde tanquam è templo in mundum hunc egreſſus eſt, tanto hoſpite conſecratum ac ſanctificatum fuiſſe.

XVII. Ut male olim Helvidius Mariam ἀειπαρθένον negaverit, leviſſimis fretus argumentis: utpote, quod *Chriſto fratres* tribuantur in Euangelio; quod ex more Hebræorum eſt, qui omnem cognatum vel affinem ſanguinem ita appellant: quod *matris primogenitus* appelletur; quod apud eosdem commune primi partus, qui integrum adhuc matris uterum reſolvit, vocabulum eſt, ſive eum alii conſequantur, ſive non; conf. Num. 18: 15. Exod. 13: 2. quod denique de virginitate Mariæ non ultra teſtetur Scriptura, quam *donec peperiſſet filium primogenitum*, quo futurum tempus excludatur; cum tamen particula *donec* illud non inferat. conf. Gen. 28: 15. 2 Sam. 6: 23. Matth. 28: 20. Quanquam ab altera parte Pontificii ultra quam fas eſt tendant, dum votum perpetuæ virginitatis à Maria emiſſum volunt; quod ex verbis ejus ad angelum, Luc. 1: 34. *quoniam virum non cognoſco:* fruſtra exſculpunt.

XVIII. Nec partus de virginitate Mariæ quicquam delibavit, cum ea congreſſu ſolo polluatur. Partus autem miraculoſus fuit, qua virgineus; naturalis vero, quia conſueto matribus more enixa eſt.

Non tamen clauſo utero. XIX. Fabula enim eſt, quod Pontificii Mariam clauſo utero, ac illæſo fœminali, peperiſſe ajunt; contra Scripturam, ac rationem, ac veteris quoque Eccleſiæ auctoritatem. Diſerte enim Scriptura Luc. 2: 6. *Factum eſt, quum illi ibi eſſent, impleti ſunt dies, ut ipſa pareret.* & v. 22, 23. *Adduxerunt eum Hieroſolymas, ad ſiſtendum coram Jehovah (ut ſcriptum eſt, quod omnis mas, aperiens vulvam, ſanctus Jehovæ vocabitur.)* conf. Ex. 13: 21. *Omnem primogenitum, aperientem omnem uterum.* Heb. 2: 17: *Unde debuit per omnia fratribus ſimilis fieri* &c. Ac rei quoque natura iſtam dimenſionum penetrationem, ac duorum corporum uno in loco moram non fert. Corpus enim à ſpatio non differt, & ne cogitatione quidem ab eo ſeparari poteſt. Unde & apud veteres, *tantam Majeſtatem per genitales fœmina tranſiiſſe egreſſus*, Ruffinus dixit.

XX. Eo-

Digitized by Google

XX. Eorundum quoque commentum eſt, ſine dolore Mariam enixam, quod vel nullo, vel falſo fundamento aſſerunt. Non enim Maria, ut volunt, peccato caruit. Unde & peccati pœnas, ac primævam matrum ſortem perferre debuit. *Dixit ad fœminam — in dolore paries liberos*, Gen. 3: 16. *Fœmina, quando parit, triſtitiam habet, quod venit hora ipſius.* Joh. 16: 21. *Nec ſine partitu linit dolore.*

XXI. Atque ex hac conceptione ac nativitate rectè Chriſtus Mariæ filius appellatur. Duæ enim in Chriſto filiationes ſunt, pro diverſarum naturarum reſpectu. Non tamen duo filii. Hoc enim perſonæ vocabulum eſt: quæ unica tantum eſt. Ac Maria non ſolum χριστοτόκος, ſed & θεοτόκος recte appellatur: contra ac Neſtorium voluiſſe vidimus. *Maria ergo Chriſti mater & θεοτόκος.*

XXII. Auctuarii vice quædam de tempore nativitatis Chriſti annectemus: quod conſiderari poteſt vel generalius, reſpectu præcipuarum Epocharum; vel ſpecialius, quod ad ipſum diem natalem. *Initium æræ Chriſtianæ.*

XXIII. Ac priori reſpectu occurrit, epocha *conditi mundi*, ad cujus annos Chriſti nativitas præciſe ordinari non poteſt: cum hodiernus calculus, quo à Chriſto nato tempora ſignamus, ſero demum uſurpatus fuerit, auctore Dionyſio Exiguo. Unde temporum ratio, præſertim anterioribus ſæculis, non parum confuſa fuit. Communiſſimæ autem ſententiæ Chriſti natalem ponunt, à condito mundo A. 3928. aut 3949. aut 3970. vel 4020. 2. *Secunda epocha* eſt *Romanorum imperatorum*. Conſtat autem ſub Auguſto Chriſtum natum; qui cum 44 annos, poſt victoriam Actiacam, in rei Romanæ arbitrio egerit, trigeſimo, vel etiam trigeſimo primo ejus anno præſtantiſſimi auctores nativitatem Chriſti deputant. Baptiſatus vero eſt anno Tiberii 15. ſeu 16. inchoante. 3. *Tertia* eſt *epocha* regni Herodis, quæ paulo incertior eſt: cum de ipſis Herodis annis auctores diſcrepent, eique vario reſpectu vel 37 vel 34 annos tribuant, quibus regnum vel acceperit, vel geſſerit. Hoc certum eſt, ſub extrema Herodis Chriſtum natum, nec longo admodum tempore illum ſuperfuiſſe. 4. Denique reſpectu *principum Synedrii magni*, ſub Hillelis Babylonii præfectura, an. ejus circiter 27, Chriſtus in carne apparuit. Alii tamen aliter calculum hunc ordinant. *Juxta epocham generalem anni,*

XXIV. Quod ſpecialius anni tempus, *ac diem* Chriſti *natalem* ſpectat, pariter diverſæ ſunt auctorum ſententiæ; nec ex Scripturâ ille conſtat; quæ tribus illis locis, quæ temporum Chriſti characterem habent (videl. Matth. 2: 1. *Jeſu vero nato Bethlehemi Judææ, in* *& ſpeciatim diei natalis.*

Digitized by Google

diebus regis Herodis. Luc. 2: 1, 2. *Et factum eſt in diebus illis, exivit decretum à Cæſare Auguſto, ut totus orbis cenſeretur. Hic cenſus primus actus eſt, præſidente Syriæ Cyrenio.* & 3: 1. *Anno decimo quinto imperii Tiberii Cæſaris —— factum eſt verbum Dei ad Johannem*) generalem tantum eorum notam tradere contenta, nihil præciſe de die determinat. Inter veteres, orientis Eccleſiæ die ſexto Januarii illum celebrarunt, quem θεοφανείας appellabant; quemque cum manifeſtatione Dei in carne confundebant. Nec felicius Scaliger, ut aliorum ſententias prætercam, circa feſtum Scenopegiæ, Septembri menſe, illum collocat; quem ex ſacerdotum in templo ſtationibus ac ἐφημερίαις ingenioſè ſubducit, ex Luc. 1: 8. nam & ille calculus multis partibus laborare videtur, nec ubique certus eſt. Communiori vero praxi hodierna Eccleſia fine anni, die Dec. 25. natalem Chriſti celebrat. Quæ ſententia à Romanis ubi Chriſti fidem accepiſſent, ex tabulis cenſualibus, quæ Romæ aſſervabantur, hauſta, ac Eccleſiæ tradita dicitur, indeque in totum porro orbem Chriſtianum dimanaſſe. Ad quas publicas tabulas vetuſtiſſimi Patrum ſæpe provocarunt. Tertull. lib. 4. contra Marc. *Conſtat cenſus actos ſub Auguſto — apud quos genus ejus inquirere potuiſſent.*

XXV. Atque hæc probabiliter de natali Chriſti haberi poſſunt. Scriptura, enim, cum alioqui multa levioris momenti tempora tradat, hunc tamen diem data opera ſilentio involvit: oſtendens temporum doctrinam adeo neceſſariam non eſſe ad æternitatem feſtinantibus; atque hac in parte Novi Teſt. Eccleſiam cum veteri exæquans, quæ cum Salvatorem ſuum tot per ſæcula expectaret, tamen non niſi in latitudine aliqua adventantis tempora dimetiri ac menſurare poterat, ut videl. ſemper in ſpecula ſtarent fideles. Quanquam myſterio non caret, quod in univerſa Scripturâ nullius unquam hominis præciſum nativitatis tempus annotetur; mortis vero nonnunquam. Qua in re Chriſtus reliquis Adami filiis aſſimilari voluit.

LOCUS

Digitized by Google

LOCUS TRIGESIMUS QUARTUS
DE
VITA & OFFICIIS CHRISTI.

CAPUT X.
De vita Chriſti privata.

I. PErſonam Chriſti excipit ejus ſtatus, qui duplex eſt, *exinanitionis* & *exaltationis*. *At Jehovah volentem enervare ipſum infirmavit; ubi poſuit ſatisfactionis pretium anima ejus, videbit ſemen quod prolongabit dies, & beneplacitum Jehovæ in manu ejus proſperabitur*. Eſai. 53: 10. *Qui quum eſſet in forma Dei, non raptum duxit eſſe inſtar Dei, ſed ſe ipſum exinanivit, dum formam ſervi aſſumſit — quemadmodum & Deus ipſum ſuperexaltavit, & in gratia donavit ei nomen quod ſupra omne nomen eſt*. Phil. 2: 7—10. *Perſcrutati in quod & quale tempus manifeſtavit Spiritus Chriſti, qui in ipſis erat, ante teſtatus paſſiones, quæ Chriſto evenirent, & glorias poſt haſce*. 1 Petr. 1: 11. *An non oportebat Chriſtum hæc pati, & in gloriam ſuam ingredi?* Luc. 24: 26. **STATUS** *Chriſti duplex.*

II. *Humiliatio* Chriſti tum in *vita*, tum in *morte* ejus ſpectanda eſt. Alteram *κενώσεως exinanitionis*, alteram *ταπεινώσεως humiliationis* nomine Apoſtolus Phil. 2. præcipuè deſignat. *Primus fuit humiliationis.*

III. Non autem ſimpliciter ad *κένωσιν* ſpectat ipſius incarnatio. Non enim divina majeſtate indignum eſt, humano corpore veſtiri, ac creaturis videndum ſeſe præbere. Ac Chriſtus, poſtquam jam cœleſti gloria fruitur, non tamen humanæ carnis exuvias depoſuit. Talis autem humanæ naturæ ſtatus divinæ ejus gloriæ officit, qui non patitur ipſum eſſe ἴσα Θεῷ, quique ſervi forma ipſum induit, omnibusque naturæ infirmitatibus obnoxium, ac legi tandem ipſi ſubditum ac execrabilem fecit. Unde etiam humana ejus natura minoribus inſtructa fuit donis & commodis, ac poſtea acquiſivit. In intellectu ipſius emicuit maxima & puriſſima ſcientia, ſed quæ incrementi fuit capax, Luc. 2: 40 52. Voluntas ejus exornata fuit perfecta ſanctitate, quæ nullius quidem incrementi fuit capax, ſed tamen talis, qualis viatorem decebat: neque potentiæ ejus humanæ tum datum fuit evitare & depellere infirmitates cor- *quam anteceſſit ipſius exinanitio.*

 poris,

poris, quibus ſubjectus fuit: neque etiam iſtis corporis dotibus tunc effulſit, quibus poſt exaltationem condecoratus fuit.

IV. Conſideranda autem in hoc ſtatu: 1. vita Chriſti privata. 2. publica. 3. paſſio & mors.

Vita Chriſti PRIVATA.

V. Privata Chriſti vita complectitur infantiam ejus, reliquamque ætatem, uſque dum publice munus ſuum capeſſeret. Quam paucis Euangeliſtæ tangunt Luc. 2. & Matth. 2.

In qua primò ipſius infantia:

VI. Pueritiam enim ac incipientis ætatis primordia more aliorum puerorum egit. *Ecce virgo concipit, & parit filium —— butyrum & lac comedet, donec dignoſcat reprobare malum & eligere bonum,* Eſai. 7: 14, 15. *Cum eram puer, ut puer cogitabam, ut puer loquebar, ut puer ratiocinabar.* 1. Cor. 13: 11. Hoc ſolo, quod ab illius ætatis peccatis ac erroribus liber, & mature ſpiritu auctus, æqualibus ſuis longè præfulſerit; & ſub ſanctiſſima parentum diſciplina occultæ inſtar arboris creſcens, tandem, maturantibus fatis, ex ignobili domo tantus derepente prodiit, ac publico oſtenſus fuit.

quæ variis rebus memorabilis fuit;

VII. Memorabilia illius ætatis hæc præcipuè erant: nativitatis ejus promulgatio angelorum miniſterio facta: circumciſio, ac primi cruoris libatio; iſtoque in ſacramento ſacratiſſimi nominis Jeſu impoſitio: ejuſdem, ex primogenitorum lege, in templo oblatio, & pauperum matris ſacrificium: magorum adventus, & recens nati regis adoratio, ac auri, myrrhæ & thuris honores: inſidiæ ab Herode infanti paratæ, ac cunæ tot puerorum cæde cruentatæ: fuga in Ægyptum, ductore angelo; ac, mortuo tyranno, eodem deducente, reditus; & Nazarethanum denique domicilium, ubi educatus fuit; natumque hinc, errore an improperio populi, Prophetam tenui municipio ortum dedignantis, Nazarenum cognomentum. A qua appellatione, etſi ex vulgi conſuetudine vel contumeliâ ortâ, tamen Dei conſilium non abfuit. Unde nunquam Bethlehemæum, ubi Chriſtus natus, ſed Nazarenum ſemper eum indigitatum legimus. Quo vocabulo Deus fidelium aures animoſque ferire volebat, eoſque ſono illo ad vetus oraculum conſiderandum advertere, quod Chriſtum non ſemel נצר *ſurculum* illum, ac magnum Davidicæ domus incrementum appellat, Zach. 6: 12. Jeſ. 11: 1. *Et exibit virga è trunco Jeſſe,* ונצר *& ſurculus ex radicibus ejus fructificabit.* Cui geminum Jer. 23: 5. *Ecce dies veniunt, ait Johova, & excitabo Davidi* צמח *germen juſtum.* Affinis enim נצר erat Nazareth; atque inde Chriſti Nazareni appellatio.

VIII. Pro-

Digitized by Google

præcipuè autem nomine JESU.

VIII. Propius vero paulo conſiderandum eſt nomen *Jeſu*, quod ab angelo Gabriële (quem in miniſterio hoc, & olim Dan. 9: 21. & nunc Luc. 1: 26. à Deo adhibitum, Hieronymus *cunarum Domini cuſtodem, cubiculi Mariæ janitorem, ac infantis Jeſu gerulum* appellat) antequam natus foret, infanti inditum, Servatorem, ſive, ut Eccleſia maluit loqui, Salvatorem ſignificat: non Græcâ, ut quidam olim nugati ſunt, ab ἰάομαι; ſed Hebræâ origine: non ex יהוה & איש, ut Cabbaliſticè Reuchlinus; ſed ſimpliciter à forma הושיע, unde יהושע ſeu *Joſua*, Num. 13: 17. quod, omiſſo in capite ה Syrorum more, ac extrema gutturali, ex Græcorum conſuetudine; in σ emollita, in Ἰησοῦς tranſiit: quod non ſine occulto ſcelere Judæi per *Jeſchu* efferre malunt, ad Pſal. 109: 13. alludentes.

Cujus vis

IX. Fuit vero Salvator, non externa ac corporali liberatione, qualis Joſua Dux, aut Pontifex ejusdem nominis, Hebr. 4: 8. coll. Act. 7: 45. Zach. 3: 1. ſed ſpirituali ac æterna: non potentia tantum ac vi, quales illi potiſſimum erant; ſed merito ac lytro: non ſolum agendo, ſed præcipuè patiendo.

evertitur à Socinianis

X. Nec ſatis digne Samoſateniani ipſum ſalvationis miniſtrum, non vero proprio nomine Salvatorem volunt, qualis ipſis ſolus Pater eſt. Nam triplici eum modo ſalutem noſtram peregiſſe ſtatuunt: 1. *annuntiatione*, per doctrinam. 2. *Confirmatione*, per vitam ſanctiſſimam, miracula, mortem denique ac proprii ſanguinis teſtimonium; & tandem, devicta morte, in vitam reditum, quo præſens ſuoque in exemplo veritatem doctrina ſuæ aſſereret. 3. *Communicatione*, ac actuali collatione, qua datâ à Patre poteſtate, omnibus in ſe credentibus vitam confert. Quæ cuncta à mero homine præſtari poſſunt, nec Deum, qualem nec illi Chriſtum habent, præſentem poſtulant.

ac Remonſtrantibus,

XI. Male etiam Epiſcopius, ac cum ſacri iſtius nominis imminutione, Chriſtum duplici modo Servatorem diſſerit; partim ſine effectu, in iis quibus ſalutis media offert, qui ea accipere dedignantur; partim cum effectu, in fidelibus actu credentibus & perſeverantibus: quomodo non niſi noviſſimo die, ut Rex, Salvator Eccleſiæ dici poſſet; cum quandiu in mundo degit Eccleſia, omnia adhuc ſuſpenſa & incerta ſint.

& exinanitur ſuperſtitione à Pontificiis,

XII. Sed de univerſo nominis hujus valore, ipſoque ſalvationis negotio, poſtea plenius. Tangenda nunc verbo ſuperſtitio *Pontificiorum*: qui 1. nomen illud Cabbaliſticè, per aſpirationem ex nomine

mine Jehova aſſumtam, aut magico propemodum ritu tribus tantummodo litterulis I.H.S. quarum mediæ crux appicta ſit, exprimunt. 2. idque longe ſanctius habent quam ipſum nomen Jehova. 3. cumque cordi præcipue inſcribendum eſſet, amuleti inſtar collo appendunt. 4. ac religioſo ritu venerantur.

& ex parte à Lutheranis.

XIII. Quod & *Lutherani* imitantur ex Phil. 2: 10 *Quamobrem & Deus ipſum ſuperexaltavit, & in gratia donavit ei nomen, quod ſupra omne nomen eſt* &c. Quos tamen illum cultum nominibus *Chriſti*, *Dei*, *Jehovæ*, aut adorandæ *Triados*, quæ tamen non minus ſacroſancta ſunt, exhibere non videmus. Ut ſyllabarum veneratio, ac ægri animi error & ſuperſtitio ſit, iſtud unum Salvatoris nomen, non autem alia iſto ritu proſequi, ac cultum illum magna cum neceſſitate aliis imponere: quod veteri Eccleſiæ incognitum, nec ab Apoſtolo præceptum fuit, qui loco iſto non de externo nomine, ſed de Salvatoris perſona, ac mediatoris poteſtate & honore agit. Quanquam alioquin religioſe Dei ac Salvatoris noſtri nomina habenda ac uſurpanda non inviti fateamur. Et Scriptura cæteroquin diſcrimen quoque ſervat, nec promiſcue Servatoris nominibus utitur.

Succeſſit ipſius adoleſcentia, quæ rebus magnis prælu-ſit.

XIV. Duodecimo ætatis anno, peractâ pueritia, egregium futuri muneris ſpecimen ac rudimentum edidit; in ſapientum cœtu de lege patris ſui, ad ſtuporem omnium, graviſſimè diſſerens, Lu. 2.

XV. Cætera privatus vixit in parentum domo, quæ priſcâ ſanctitate, quanquam in re tenui, agebat, eoſque omni honore ac obſequio percoluit. Ac matureſcente ætate fabrilem quoque artem, ut videtur, exercuit: *Nonne hic eſt faber, filius Mariæ?* Marc. 6: 3. Quod adeo non dedecori ipſi fuit, ut idem celebrium apud Judæos doctorum, ac præſertim Phariſæorum, inſtitutum fuerit. Unde ſcitum magiſtrorum Miſnah Aboth. 2: 2. *Pulchra eſt doctrina legis cum via terræ* (id eſt, opificio) *nam labor utriusque facit hominem oblivi-ſci pravitatis.* Quomodo & Paulus σκηνοποιὸς dicitur, Act. 18: 3.

XVI. Sed nec ſibi ſoli in longo iſto otio vixit, ſed jam tum altiores curas volvens, ac magna illa, ad quæ paulatim ſurgebat, meditans, in privatis rebus noſtrum tamen negotium egit. In omni enim vita ſeſe pro nobis ſanctificavit, & ab ipſo ejus initio, legis ſubjectione, paupertate, continua mortis meditatione, precibus & ſupplicationibus, denique jugi illa ad munus publicum præparatione, & præſtituti temporis expectatione, ſeſe jam tum generis humani vadem ac Servatorem præſtitit. conf. Gal. 4: 4. *Miſit Deus filium*

Digitized by Google

filium ſuum — ſubjicientem ſe legi. Luc. 9: 58. *Vulpes luſtra habent, & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet ubi inclinet caput.* 2 Cor. 8: 9. *Cognoſcite enim gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod propter vos pauper factus eſt, quum eſſet dives, ut vos paupertate ipſius diteſceretis.* Hebr. 5: 7. *Qui in diebus carnis petitiones & ſupplicationes, ad eum, qui poterat eum ſalvum facere ex morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens; & exauditus à metu* &c.

XVII. Eclipſis autem ac tentatio fidei fuit, in illis qui Meſſiæ adventum jam acceperant, ubi ob Herodis inſidias exulare juſſus, Phari accola, in Ægypto aliquandiu delituit. Quo tempore piorum deſiderium ac expectatio non leviter concutiebatur, cum Meſſias, qui jam Eccleſiæ oſtenſus erat, non amplius eſſe videretur. Qua de re propheta agit Jer. 31: 15, 16. & reditum illius ex terra hoſtium pollicetur: *Vox in Ramâ auditur, ejulatus, ploratus amari, Rachelis plorantis ſuper filiis ſuis, quæ recuſat conſolationem admittere ſuper filiis ſuis; quia ipſe non erat. Sic dixit Jehovah: Prohibe vocem tuam à ploratu, & oculos tuos à lacrymâ. Nam eſt merces in operæ-pretium tuum, ait Jehovah, & revertentur ex terrâ inimici.*

XVIII. Rejicimus autem Pontificiorum apocrypha, de *miraculis infantiæ Chriſti*, aliaque ejus commatis, quibus quisquiliis plebis Chriſtianæ aures contaminare & paſcere illi ſolent: ſilente non ſolum Scriptura, ſed & contra inſulſas iſtas fabulas præſcribente, Joh. 2: 11. *Hoc initium ſignorum fecit Ieſus Canæ*, oppido *Galilææ*. Vera enim miracula doctrinam non præcedere, ſed comitari & ſubſequi amant. Nec παιδικὰ ac puerilia miracula facere ex majeſtate Dei eſt. Ejuſdem auctoritatis eſt Suidæ figmentum de Chriſto Pontifice ante juſtam ætatem; aliæque id genus næniæ frigidiſſimæ. *Pontificiorum apocrypha.*

CAPUT XI.

De initiatione & unctione Chriſti.

I. INeunte trigeſimo ætatis anno, ex Levitarum inſtituto, Chriſtus in publicum productus, ac munera ſua auſpicatus eſt. *Et ipſe Jeſus inceperat quaſi triginta annorum eſſe*, Luc. 3: 23. Ubi conſideranda 1. ejus *initiatio* 2. *miniſterium*, ac *munera* quæ geſſit. 3. vitæ denique publicæ *concluſio*. Ad primum pertinet *baptiſmus*, per Johannem miniſtratus; atque eum conſecuta *tentatio* in deſerto. *Initiatio Chriſti*

Digitized by Google

per BAPTISMUM.

II. Potiſſimum initiatio ejus facta eſt per *baptiſmum* ipſius, quem accipere & proprio in corpore conſecrare voluit; tum ut illo ritu pro humano genere ſeſe vadem ſiſteret, omnemque obedientiam lege debitam ſponderet; tum ut iſtud amoris ac gratiæ divinæ pignus ac arrhabonem pro ſe, ac pro fidelibus omnibus, præciperet & prælibaret; tum ut in ipſo remiſſio peccatorum & ablatio jugi obſignaretur.

III. Quanquam altius quoque hæc ſpectarent. Cum enim cœleſti voce pater interveniret, atque hunc filium ſuum mundo publice oſtenderet & traderet; fuit in baptiſmo ſimul illius inauguratio ad munera publica. Quorum non levia indicia hic comparent. *Rex* enim monſtrabatur, qui filius ac hæres Dei erat. Et *ſacerdotem* pater admittebat, quem ſibi placere, ac cujus ſacrificium ſeſe accipere teſtabatur: conf. Jeſ. 42: 1. בחירי רצתה נפשי *electus meus, quem accipit anima mea.* Præſupponit autem רצון τὸ כֹּפֶר & piamentum.

Denique *propheta* erat, qui de cœlo commendabatur, ut ſine exceptione audiendus. Atque hæc omnia viſibili Spiritus S. deſcenſu confirmabantur, qui leni motu, inſtar columbæ, in ipſum allabi certo modo viſus eſt.

(*quem excepit ipſius* TENTATIO.)

IV. Jordanis aquis ablutus, ac, cœlo teſte, non dubius ſalutis auctor & præco, *in deſertum* abductus eſt; in ſecreto illo familiarius Deo ſuo fruiturus, ac cum inferorum principe pugnaturus; iſtoque auſpicio pleniſſimè munus ſuum inchoaturus.

V. Atque in ſolitudine illa non ſimplici cum diabolo certamine defunctus eſt. Matth. 4. Nam & in corpore, quod hiſtoriæ ſimplicitas ac verborum emphaſis oſtendit, abreptus; & in anima complures inferni prædonis inſultus tulit. Sed cunctis ejus artibus ſuperior, quanto priori Adamo fortior ac major foret oſtendit: iſtoque pugnæ rudimento bellum, quod ſibi ac Eccleſiæ ſuæ cum diabolo reſtabat, imbuit; ac denique felicem fauſtumque ejus exitum fore oſtendit. Præterquam quod & ad obedientiam, quam Deo debebat, pertinuit, omnes Satanæ ſuggeſtiones ac fraudes vincere, quo ea omnibus numeris perfecta foret: ac muneris ejus intererat, cuncta hominum mala deguſtare, ut proprio exemplo edoctus, miſeriis eorum promtius ſuccurrere poſſet.

quò pertinet ipſius UNCTIO.

VI. Ad hanc initiationem pertinet unctio illa Chriſti, à qua *unctus* & *Chriſtus*, & Hebraicè *Meſſias* dicitur: quæ licet ab initio incarnationis ipſius, imo certo reſpectu, ut videbimus, ante eam locum habuerit, quia tamen in publica illius initiatione munerumque

que ipſi impoſitorum adminiſtratione præcipuè emicuit, hoc loco eam conſiderabimus.

VII. Erat autem unguentorum uſus in populo Dei frequens; tum ad honeſtam vitæ voluptatem, Joh. 11: 2. & 12: 3. Pſal. 23: 5 141: 5. tum in præcipuo aliquo officio mandando uſurpatus. Unde metaphora Prov. 8: 23. *A ſæculo uncta ſum, à capite, à primis terræ.* *cujus ſub V. T. typus,*

VIII. Ungebantur in adeundo munere non omnes, ſed qui celſioris gradus erant; præcipuè terni ordinis homines: 1. *Prophetæ*, quanquam rarius, & vix illo ritu. *Jehu autem filium Nimſchi ungito in regem, ſuper Iſraëlem; & Eliſam ungito in Prophetam loco tuo.* 1 Reg. 19: 16. conf. Pſal. 105: 15. 2. *Sacerdotes*, præſertim *Pontifices*. 3. *Reges*. De quorum unctione ſupra lib. IV. cap. VIII. §. 14, 15.

IX. Chriſtus autem externo oleo delibutus non eſt. Non enim typicis iſtis inſtitutis opus erat, cum non externo ritu, ut aliquis de ſæculo Rex, aut veteris templi miniſter; ſed ſublimiori ac ſpirituali modo munera iſta impleturus foret. Unde & unctio quoque myſtica ac ſpiritualis fuit: partimque in perſonæ ejus ad munus mediatorium deſignatione; partim in deitatis in carne ejus inhabitatione; partim in donorum ac charismatum collatione conſiſtit. *in ipſo impletum:*

X. *Ordinatio* ejus dupliciter conſiderari poteſt: tum prout æterno Dei conſilio iſti muneri deſtinatus fuit: *Præcogniti quidem ante facta mundi fundamenta, manifeſti autem facti ultimis temporibus propter vos.* 1 Pet. 1: 20. tum prout in tempore ad illud rite adminiſtrandum in terram ablegatus ac dimiſſus (*emiſit Deus filium ſuum,* Gal. 4:4. *A me non veni; ſed eſt verus, qui miſit me, quem vos neſcitis.* Joh. 7:28.) inque munus cœleſti ritu introductus, Matth. 3. rurſuſque in cœlum receptus eſt; quæ ſimiliter quædam ejus in Eccleſiæ regem quaſi inauguratio fuit. *Certo igitur cognoſcat tota domus Iſraelis, quod Deus illum Jeſum, quem vos cruci affixiſtis, Dominum & Chriſtum fecit.* Act. 2:36. *tum ipſius ordinatione;*

XI. Unctus etiam eſt, quatenus divinitas in carne ejus *inhabitavit*, cum potentia dandi Spiritum S. Unde *Spiritus Jehovæ* dicitur *eſſe ſuper ipſum*; idque *quia unxit ipſum Jehova ad Evangelium nunciandum manſuetis*, Eſa. 61: 1. *tum deitatis in ipſo inhabitatione;*

XII. *Chariſmata* denique in naturam ejus humanam effuſa ſunt magna copia. *Propterea, unxit te, ô Deus, Deus tuus oleo alacritatis, ultra conſortes tuos.* Pſal. 45: 8. *Et ex plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Joh. 1: 16. *Non enim ex menſura dat Deus Spiritum.* c. 3: 34. Unde ab ipſa nativitate *quieſcebat ſuper ipſo Spiritus Jehovæ,* *tum chariſmatum collatione.*

Digitized by Google

hovæ, *ſpiritus ſapientiæ & prudentiæ*, *ſpiritus conſilii & fortitudinis*, *ſpiritus cognitionis & timoris Jehovæ*, Jeſ. 11:2. ita tamen, ut pro ætate majori poſtea auctu & incremento ageret: *Et Jeſus profecit ſapientia & ſtatura, & gratia apud Deum & homines*, Luc. 2:52. tum præſertim cum publicè pro Servatore ac Meſſia ſeſe geſturus foret: *Vidi Spiritum deſcendentem, tanquam columba, ex cælo, & manſit ſuper eo— Hic eſt, qui baptizat in Sp. S.* Joh. 1:32, 33. Unde *unctus eſt ſpiritu & virtute*. Act. 10:38. Quæ in cœleſti gloria majori cumulo adaucta dubitari non poteſt: ex qua proinde Sp. S. *effudit*; ita *factus*, h. e. demonſtratus *Chriſtus*, Act. 2:33, 36.

XIII. Atque ex hac unctione Chriſtus ſuſcepto muneri renunciare, humanumque genus ſemel in fidem acceptum abdicare nunquam potuit. Ut Remonſtrantes aſſerere audent. Cujus ſententiæ labem ac periculum lib. 2. cap. 15. §. 16, 17, 18, 19. fuſius oſtendimus.

A qua ejus unctione nos quoque Chriſtiani dicimur.

XIV. A Chriſto appellantur fideles Chriſtiani; qui in naſcente Eccleſia *Diſcipuli* & *Nazareni* dicebantur, Act. 9:1. & 24:5. Poſtea Nazarenorum vocabulo pſeudo-prophetis, qui legem cum Euangelio miſcebant, relicto, Chriſtiani dicti ſunt. Quæ appellatio Antiochiæ primum nata, Act. 11:26. ac deinde porro uſurpata fuit, 1 Pet. 4:16. quanquam Apoſtolorum tempore, ut videtur, rarius; cum ſuavia illa diſcipulorum, fratrum, ac fidelium, nomina magis placerent. Atque ad novum iſtud nomen referunt quidam prophetæ oraculum: *Et videbunt gentes juſtitiam tuam, & omnes reges gloriam tuam; & nominaberis nomine novo, quod os Jehovæ exprimet*. Eſa. 62:2.

XV. Dicuntur autem Chriſtiani, quaſi unctionis Chriſti participes & hæredes; quod non de ſuperſtitioſo aliquo ritu, aut impuro chriſmate, quale vel catechumenorum, vel ſacerdotum, vel infirmorum in papatu eſt; ſed de divina Spiritus S. gratia intelligendum eſt; qua fideles inuncti, & prophetæ, & ſacerdotes, & reges ſunt. *Et vos unctionem habetis à Sancto*. 1 Joh. 2:20.

in quod nomen injurii Pontificii.

XVI. Iniqui ſunt in ſacram hanc unctionem apud Pontificios *Monachi*, è *Dominici*, *Franciſci*, *Antonii* &c. familia, qui ab humano nomine cenſeri malunt, diviſque iſtis impiâ devotione ſe obſtringunt. Quorum dedecus augent *Minoritæ*, *Franciſcum* ſuum, ut ipſo Jeſu vix minorem, ipſaque ejus ſtigmata præferentem, Jeſum typicum appellantes. Ac majori adhuc faſtu *Loiolitæ*, qui, Chriſtiano nomine non contenti, *Jeſuitas* ac *Jeſu ſocios* ſeſe jactant: quæ appellatio & ſchiſmatica, & ambitioſa, & irreligioſa eſt. Nam vel ſolos

ſeſe

Digitized by Google

ſeſe Jeſu diſcipulos, vel ſibi ſolis collatam Jeſu Domini gratiam ac ſalutem, vel denique ejus in divino munere ſocios ſeſe mentiuntur.

CAPUT XII.

De munere Chriſti prophetico.

Unctus eſt Chriſtus ad tria munera.

I. MUnera, ad quæ Chriſtus unctus eſt, tria ſunt, propheticum, ſacerdotale, regium: quæ tum ex noſtra neceſſitate, tum ex ſalutis conferendæ ordine colliguntur. Nos enim laborabamus profunda rerum divinarum *ignorantia*, & turpi *peccatorum labe ac reatu* obſtricti, in ſumma ad Deum redeundi *impotentia* veluti vincti ac ligati jacebamus. Cui triplici neceſſitati Chriſtus ſubvenit, & partim docendo, ut Propheta; partim pro noxis noſtris ſatisfaciendo, ut ſacerdos; partim beneficia illa applicando, ut Rex; ſalutem noſtram ordine quodam peregit. Ac ſingula hæc munera prophetarum vocibus jam ante ipſi attributa videmus. *Prophetam excitabo ipſis ex medio fratrum eorum, ſicut te; & dabo verba mea* (quæ nemo præter me poteſt eloqui) *in ore ipſius*. Deut. 18:18. *Juravit Jehova, & non pœnitebit ipſum. Tu es ſacerdos in ſæculum, ſecundum ordinem Melchizedeki*. Pſal. 110: 4. *Et unxi Regem meum in Zionem, montem ſanctum meum*. Pſal. 2:6.

Ipſi ſingularia.

II. Licet autem multi olim in populo Dei prophetæ & ſacerdotes, ac reges fuerint; vix tamen ullus cuncta iſta munera pleno titulo ſimul complexus fuit: quod ſolius Chriſti eſt. Qui ideo non ſimplici diademate inſignitus legitur, Apoc. 19:12. & prophetis omnibus, ſacerdotibus, ac regibus longè celſior ac ſublimior extitit. Propheta vel ipſo Moſe major, Deut. 18: 18. Hebr. 3: 1–6. inque domo Dei ſolus audiendus, Matth. 17: 5. & 23: 8. Sacerdos, ſupra Aaronis ſanctitatem, utpote alterius ſacerdotii, Pſal. 110. & epiſt. ad Hebr. Rex denique, qui non terreno in ſolio, ſed in cœlo ſublimis, divoſque, mortaleſque turbas, imperio regit unus æquo. Pſal. 110: 1. Pſal. 89: 28. *Etiam ego primogenitum faciam illum, ſummum regibus terræ*. Quod regium munus officiorum ejus colophon & apex eſt; cui reliqua ſubordinantur.

Munus ipſius PROPHETICUM.

III. Primum ordine eſt ſacerdotium Chriſti; tum ratione ſponſionis, tum quia ut Propheta de ſacerdotio ſuo debuit loqui. Ut tamen receptum ordinem ſequamur, cum etiam Chriſtus, antequam

ſe offerret, verba Dei locutus ſit, præmittamus officium ejus *propheticum*. Per hoc de ſinu ac concilio veluti Dei in terram miſſus, mortali ore hactenus indicta ediſſeruit; ac *verba Dei*, quæ Deum Deique filium ſolum proloqui fas erat, locutus eſt; omneque redemtionis myſterium planiſſime nudavit ac evulgavit. *Deum nemo vidit unquam. Unigenitus filius, qui eſt in gremio patris, ille ediſſeruit*, Joh. 1:18. *Quem enim miſit Deus, verba Dei loquitur*. c. 3:34.

olim prædictum,

IV. Venturum eum promiſit olim Moſes, prophetarum omnium maximus; ac ſeſe majorem hoc ipſo faſſus eſt, cum ipſi teſtimonium perhibeat, ut ſervus domino ſuo: (*Si enim crederetis Moſi, crederetis mihi: de me enim ſcripſit*, Joh. 5:46. *Moſes quidem fidelis in tota domo ipſius, ut famulus —— Chriſtus autem tanquam filius*. Hebr. 3:1-6.) atque in Eccleſia reſtare quædam adhuc λαληθησόμενα non obſcure innuat, quæ *verba Dei* appellat, in emphaſi. Deut. 18:18. conf. Hebr. 3:3. quæ non à ſervo, ſicuti Moſes erat, ſed à filio ac divinæ familiæ hærede proloquenda erant; qui ſub excidii pœna audiendus erat. Deut. 18:18. *Erit autem, ut quiſquis non auſcultaverit verbis meis, quæ loquuturus eſt in nomine meo, ego repoſcam ab illo*. conf. Matth. 17:5. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo beneplacitum habeo: ipſum audite*. Quæ profecto auguſtiora ſunt, quam ut in alium quemvis ex prophetarum numero conveniant, quæ Judæorum corruptela eſt. Sed & reliquorum prophetarum de prophetico Chriſti munere vaticinia extant. *Filii Zion gaudete & lætamini in Jehova, Deo veſtro, quia dedit vobis Doctorem illum ad juſtitiam: qui fecit vobis cadere pluviam primam & ſerotinam in primo menſe*. Joël 2:23. *Ecce ſervus meus, quem teneo; dilectus meus, quo acquieſcit anima mea. Dedi ſpiritum meum ſuper ipſum, judicium gentibus proferet*. Jeſ. 42:1. *Ecce teſtem nationum dedi ipſum, principem & præceptorem nationum* Jeſ. 55:4. *Spiritus Domini Jehovæ ſuper me eſt, quia unxit Jehova me ad Euangelium nunciandum manſuetis*, Jeſ. 61:1. conf. Luc. 1:76. Hebr. 3:1. *Conſiderate Apoſtolum & Pontificem aſtipulationis noſtræ Chriſtum Jeſum*. Unde quoque ſub nomine prophetæ cognitus eſt; concludente vel ipſa turba: *Hic eſt verè propheta, qui venit in mundum*. Joh. 6:14.

quibus conſtet partibus,

V. Munus autem prophetarum hiſce fere abſolvebatur partibus: 1. quod populum docerent, ac in fide patrum, & præcipuo illo de Meſſia articulo, confirmarent. *Et loqueris ad illos omnia verba hæc, & non auſcultabunt tibi; & vocabis illos, & non reſpondebunt tibi*, Jer. 7:27. 2. quod futura, tum præſentem, tum ſequentem Ec-

cle-

Digitized by Google

cleſiæ ſtatum ſpectantia, prædicerent. 3. quod miracula patrarent. *Dixit enim Eliſa, vir Dei, veniat ad me, & cognoſcat quod ſit Propheta in Iſraële.* 2 Reg. 5: 9. Quæ omnia Chriſtus pleniſſimè præſtitit. Nam & paſſim in Euangelio docentem audimus; variiſque ænigmatis & parabolis, ac apertis quoque verbis novæ Eccleſiæ ſtatum, ad extremum uſque finem, deſcribentem, Matth. 13. & 24. & cuncta denique magnificis operibus ac ſtupendis miraculis confirmantem videmus.

& quomodo à Chriſto obitum ſit:

VI. Prophetam vero egit, *tum* priſcis temporibus, ſub Vet. T. per Spiritum S. prophetaſque miniſtros: *Perſcrutantes in quod & quale tempus Spiritus Chriſti, qui in ipſis erat* &c. 1 Pet. 1: 11. *In quo* (ſpiritu) *abiens, ſpiritibus, qui in cuſtodia ſunt, præconiavit.* c. 3: 18, 19. Unde ejus nomen eſt המדבר *is, qui loquitur*, Eſa. 52: 6. ſicut & dicit ſe *initio locutum*, Joh. 8: 25. conf. Eſa. 48: 15, 16. *tum* præſertim ſub Novo T. cum præſens Eccleſiam ſuam doceret, non externo afflatu ſolum, ſed & interiori vi ac potentia, qua apud animum pollebat: diſcedens *denique* reliquit Eccleſiæ Spiritum ſuum ducem, & Apoſtolos doctores, ſequentemque eos Euangelizantium turbam. Eph. 4. Perverſe enim Sociniani Novi Teſt. miniſtros ultra Chriſti in terris prophetiam aſcendere, ac perfectiora longè tradere, blaſphemant, quæ videl. à Chriſto, vel regnaturo, vel regnante, acceperint.

in primo ejus ſpecimine.

VII. Primum muneris ſpecimen dedit duodecimo ætatis anno, quando templum ingreſſus, interque doctores aſſidens, futuro miniſterio præluſit, Luc. 2. publice autem illud auſpicatus eſt poſt baptiſmum, quo decedenti Johanni veluti ſuccederet, cœptumque ab ipſo Euangelium perficeret & conſummaret. *Poſtquam vero traditus eſſet Johannes, venit Jeſus in Galilæam, prædicans Euangelium regni Dei.* Marc. 1: 14. coll. Matth. 4: 12–17.

an exinde in cœlum raptus ſit?

VIII. Ubi notanda Socinianorum fabula: qui ut Chriſtum pro mero homine agnoſcunt, qui tam ſublimem ac divinam doctrinam, quæ veteri lege longè ſanctior ac perfectior fuerit, ex pectoris ſui adyto proferre nequiverit; eam ab ipſo de cœlo, ubi poſt baptiſmum ſublatus, ac aliquo tempore moratus fuerit, è divino contubernio hauſtam aſſerere non dubitant: non ſolum nulla Scripturæ auctoritate, quæ raptum iſtum nullibi narrat: ſed & nulla neceſſitate. Cum enim, ſi quiſquam mortalium, Chriſtus Deo plenus, ac cœleſti ſpiritu inunctus foret; ſua de cœlo profecto arceſſere, ibique

Digitized by Google

que arcana doctrinâ erudiri, neceſſe non habebat; neque eo ad muneris ſui auſpicia rite capienda aſcendere tenebatur, cum iſtud non in cœlo, ſed in terra, ſollemniter præſtiterit. Ac tandem omnis hæc nugatio contra manifeſtam Scripturam eſt; quæ Christum *ſemel* tantum in cœleſte ſanctuarium ingreſſum docet, Hebr. 9: 12. & proximis poſt baptiſmum diebus non in cœlo, ſed in deſerto egiſſe, & à diabolo tentatum teſtatur. Matth. 4.

Deinceps in publico miniſterio.

IX. Obivit miniſterium ſuum Chriſtus deinceps pleniſſimè & perfectiſſime. Nam 1. doctrina, quam tradebat, præceptis ſanctiſſimis, ac pretioſiſſimis de ſalute & vitâ æternâ promiſſis, conſtabat. 2. & modus docendi erat omnibus numeris abſolutus; cum divina quadam auctoritate, quæ ipſi pro eloquentia erat, polleret; nec humili ſermone, qualis eorum eſt *qui de terrâ* loquuntur, ſed cœleſti ſuada auditorum mentes afficeret; quæ, quanquam non multum humani cultus præferret, ſimplicitate tamen potens & veneranda erat. Accedebat orationis libertas, ſumma cum prudentia conjuncta, & perſpicuitas, & modo illecebræ, modo aculei & ſtimuli, nudandæ impiorum hypocriſi; quo in genere immenſum valebat. *Docebat enim ipſos, ut poteſtatem habens, & non ut ſcribæ.* Matt. 7: 29. *Novimus quod verus ſis, & viam Dei in veritate doceas, & non curæ tibi ſit de ullo: non enim aſpicis perſonam hominum.* c. 22: 16. *Reſponderunt miniſtri, nunquam ita locutus eſt homo, ut hic homo.* Joh. 7: 46. 3. Denique, cum doctrina Chriſti potiſſimum in moribus conſiſteret, & ſolam fidem ac reſipiſcentiam doceret, nec ritibus ac cæremoniis magnopere occuparetur, ita ea comparata erat, ut longe lateque à cunctis gentibus adoptari, atque ad ultima mundi tempora perdurare poſſet.

Inde ejus in hoc munere ſupra omnes alios excellentia.

X. Unde excellentia Chriſti ſupra omnes alios Prophetas appareret; quæ potiſſimum in hiſce tribus elucet. 1. quod cæteri aliunde accepto lumine, nec niſi per intervalla coruſcante; hic autem proprio gauderet; nec aliunde petere Spiritum neceſſe haberet, quem in proprio corpore hoſpitantem habebat. 2. quod illi omnia Dei nomine & auctoritate gererent, hic autem in proprio nomine ad Eccleſiam venerit, tanquam ad propria; erat enim Dei filius, ac familiæ iſtius princeps & hæres. Hebr. 3: 6. Unde locuturus erat ut *teſtis, princeps ac præceptor*, Eſa. 55: 4. & ut *legem ſuam*, Eſa. 42: 4. 3. quod illorum opera exteriori miniſterio abſolveretur; Chriſtus autem interiori ſermone mentem ipſam affari, & victam ſub jugum ſuum ducere

ducere poterat. *Et dixit unus ad alium, nonne cor noſtrum erat urens in nobis, quum loqueretur nobiſcum in viâ, & quum aperiret nobis Scripturas?* Luc. 24: 32. *Omnis igitur, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Joh. 6: 45. Quibus adde, cæteros, cum nudi homines forent, ex terra locutos; Chriſtum autem, de ſinu Patris demiſſum, quæ viderat quæque audiverat mortalibus enarraſſe: *Qui ſupernè venit, ſupra omnes eſt: qui è terra eſt, terrenus eſt, & terrena loquitur: qui è cælo venit, ſupra omnes eſt. Et quod vidit & audivit, hoc teſtatur.* Joh. 3: 31, 32. Ut pateat Prophetam hunc ſimul Deum fuiſſe. *Quis enim hominum novit ea quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? ſic etiam ea, quæ ſunt Dei, nemo novit niſi Spiritus Dei.* 1. Cor. 2: 11, 16.

XI. Atque hæc de prophetiâ Chriſti. Videndi nunc oppoſiti errores, quibus ea ab hæreticis paſſim defœdata eſt. Atque occurrunt hic primo *Sociniani*; qui, ut juſtitiam Euangelicam abnegant, eamque in operibus collocant, eo etiam Chriſti miniſterium ſubſervire faciunt. Cum enim vita æterna, ut ipſos ſæpius docentes audivimus, ex veteris legis præceptis ſperari non poſſet; ſanctiori quadam lege ac perfectioribus præceptis opus erat, quibus æternæ beatitudinis præmium annecteretur. Hinc jam Chriſtum novum legiſlatorem faciunt: cumque priſca lex nec præceptis, nec promiſſis perfecta eſſet, Chriſtum illam partim correxiſſe, partim variis in partibus ſanctitatem ejus intendiſſe, denique novis ac propriis præceptis adauxiſſe docent. Inque eo munus ejus propheticum abſolvi tradunt. Quæ propius excutienda ſunt.

Errores prophetiæ Chriſti oppoſiti. 1. Socinianorum, de novâ Chriſti lege.

XII. Ac de *Chriſto legiſlatore*, & quo ſenſu id nomen ferre vel non ferre poſſit lib. 2. cap. 16. §. 6. vidimus. Sine convitio autem *novi* & ſanctioris *legis*, novique ac perfectioris fœderis (quod pariter operum fœdus foret) auctor dici nequit. Quod ita oſtendimus:

XIII. 1. Illud foret divinæ *legis* ſanctitatem criminari, ejuſque perfectionem abnegare, quam Scriptura tam luculenter teſtatur. *Lex Jehovæ eſt integra, reſtituens animam.* Pſal. 19: 8. *Omne quod præcipio vobis, hoc obſervabitis, ut faciatis; neque ad hoc addes, neque ab eo diminues.* Deut. 12: 32. Nec enim perfectius ac ſanctius quiddam illibato Dei ac proximi amore cogitari poteſt, quem omnem divina lex jubet, Matth. 22: 37. Unde vitam ex ea ſperare juvenis ille in Euangelio ab ipſo Chriſto jubetur. Matth. 19: 17.

Quod revincitur.

XIV. 2. Quin eſt illud ipſius *Dei ſanctitatem* abnegare. Cujus expreſſio eſt in lege. Ut enim Deus ſanctitatem & imaginem ſuam

Digitized by Google

intus in cordibus noſtris expreſſit; ita eandem in legis tabulis quoque exaravit. Eſt autem eadem utrobique ſanctitas; tum in Deo ipſo, tum in imagine ejus; ſive ea in hominum animis, ſive in legis tabulis ſpectetur. Ut legis ſanctitate & perfectione negata, ipſa Dei ſanctitas & imago blaſphemetur.

XV. 3. Sed *& hypocriſeos Deum* arguunt; qui imperfectam ſanctitatem olim præſcripſerit, iſtoque pacto coli voluerit; vitamque æternam ad iſtum cultum dederit: ac ſi pro juſtitia accipere poſſet, quod juſtitia non erat; ſuique communionem eâ viâ largiri, qua tamen ad Deum non itur, ſed potius ab eo diſceditur.

XVI. 4. Denique quod de *nova* non ſolum *lege*, ſed & *fœdere* jactant; quod tamen rurſus operum fœdus ſit; id eo nititur, quaſi Chriſtus novam religionem, patribus inauditam, introduxiſſet: quod quantopere veterum ſanctitati ac religioni injurium; ſpei ac fidei ipſorum inimicum; reique ipſi, ac Veteris Novique Teſtam. Scripturis adverſum, cumque iis aperta fronte pugnans ſit, ſub Veteris Teſt. œconomia non uno loco demonſtravimus. Eſt enim *Jeſus Chriſtus & heri & hodie idem, & in ſæcula.* Hebr. 13: 8. Sicut nec per adventum Chriſti religio veterum mutata, aut lex Dei irrita facta fuit. *Legem igitur inutilem reddimus per fidem? abſit. Imo legem ſtabilimus.* Rom. 3: 31. Præſertim cum ipſi illi legi Chriſtus obedire, atque hoc pacto ſalutem noſtram peragere deberet. *Factus ex muliere, factus legi ſubjectus.* Gal. 4: 4.

XVII. 5. Accedere tandem poſſet ipſius *Chriſti* conſideratio, & *Euangelii* ſumma, quæ certe longè alio ſpectant, quam ad ſalutem per nova opera quærendam.

An legem Dei correxerit?

XVIII. Atque ita patet, peſſimè ab adverſariis ipſius munus mutari, quod ſine legis Moſaicæ criminatione perficere non poterant; quam videl. emendaverit, additoque novo rigore, propriiſque præceptis, auxerit. Quæ ipſorum ad ſingula præcepta additamenta, quæ memorant, percurrere nunc animus non eſt; cum illa tractatio ad decalogum pertineat. Sufficit ſententiæ iſtius fundamentum, ac præcipuum præſidium, quod in cap. Matth. 5. quærunt, breviter examinaſſe. Ad quod hæc annotamus.

juxta Matth. 5. v. 17.

XIX. 1. Verſu 17. Chriſtum legem *impleviſſe*, non eam corrigendo, vel, ſicubi deficeret, perficiendo; ſed, tum ſermone, eam explicando, (conſ. Rom. 15: 19. *ab Hieroſolyma uſque ad Illyricum πεπληρωκέναι annunciationem Chriſti.* Col. 1: 25.) tum opere, omnem ejus

ejus ſanctitatem adimplendo; tum denique reipſa legum Moſaicarum umbras & typos, inducto corpore, ſpiſſando & complendo.

XX. 2. Verſu 21, 27, 33, 38, 43. per *dicta* ac tradita *antiquis*, non lex ipſa, patribus tradita, aut veterum fides ac religio, vel incorrupta Patrum Catecheſis; ſed Scribarum traditiones intelliguntur; ut ex iis ipſis, quæ Chriſtus ibi adfert conſtat, quæ certe in lege non omnia extant. vid. v. 43. *Audiſtis dictum fuiſſe, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Erat enim hæc traditionariorum iſtorum formula, *dictum eſſe antiquis*; ut videri poteſt Miſnah Sanhedr. cap. x. § 2. quo fuco errores ſuos facile venditabant. Ac ſi quando à Chriſto vel ipſa Moſis dicta citantur, non illa, ſed ſubleſtus ſenſus, quem Phariſæi iis dabant, corrigitur. ỳ. 21, 27, 33, 38, 43.

XXI. 3. Verſu 21. & 22. *Audiſtis quod dictum ſit veteribus, non occides; qui autem occiderit, reus eſt judicii. Ego autem dico: quod quiſquis iraſcitur contra fratrem ſuum temere, reus eſt judicii; & quiſquis dixerit fratri ſuo raka, obnoxius eſt conſilio; & omnis, qui dixerit fatue, obnoxius eſt gehennæ ignis*: non *ſextum præceptum*, ſed perverſa Scribarum gloſſa caſtigatur; ac ſi ille ſolum, qui proximi ſanguine ſeſe polluiſſet, judicii reus foret. Quod Chriſtus ad fratrum iras ac odia etiam extendit; quæ apud Deum capitalia cenſeri, ac pro cæde reputari, phraſibus ab humanis judiciis deſumtis oſtendit. Hoc autem etiam ſub Veteri Teſtam. obtinuit. *Maledicta ſit ira ipſorum, quia robuſta, & excandeſcentia ipſorum, quia gravis.* Gen. 49: 7. *Iraſcimini, & ne peccate.* Pſal. 4: 5. coll. Eph. 4: 26. *circa præceptum ſextum,*

XXII. 4. Pariter ỳ. 27, 28. *Audiſtis dictum fuiſſe veteribus, non mœchaberis. Ego vero dico vobis, quicunque aſpicit mulierem, ut eam concupiſcat, jam adulteravit eam in corde ſuo*; non augetur *præceptum ſeptimum*, ſed vis ac ſanctitas ejus oſtenditur; quæ ipſos cordis motus, aſpectuſque omnes lubricos & adulteros coërcet: ſicut & in veteri œconomia illi damnantur: *& viderunt filii Dei filias hominis, quod pulchræ illæ eſſent*, Gen. 6: 2. conf. Job. 31: 1. Quod nec prorſus diffiteri Socinus potuit. *ſeptimum*

XXIII. 5. Quæ de *libello repudii* ỳ. 31. Servator addit, illa legem politicam, non moralem, ſpectant. Nec à Moſe licentia illa divortiorum, tanquam labe omni careret, approbata, ſed Judæis potius duriſſimum ipſorum cor non ſine probro ingeſtum ac exprobratum fuit. Cujus manifeſtum exemplum ac publica accuſatio erat, in frequentibus illis uxorum repudiis, quibus maritorum aſperitas pro-

Digitized by Google

palam vulgabatur, ac non leviter traducebatur. Quod non Chriſtus ſolum, ſed inter veteres Prophetas Malachias jam notavit: qui Deum repudiatarum ſuſpiriis veluti fatigatum, aramque ejus non ſanguine magis quam lacrymis ac quærimoniis ipſarum plenam, inducit; acriterque contra maritorum iras invehitur, quos *injuriam ſuperinduiſſe veſtimento ſuo* dicit, ut peccata ipſorum cuivis nota eſſent, Mal. 2:16. Quibus conſonant Chriſti verba Matth. 19:8. Moſes πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν *conceſſit vobis uxores veſtras dimittere. ſed à principio non ita fuit.* Manifeſtum enim eſt primævo conjugii inſtituto, ex qua, veluti certiſſima lege, leges omnes interpretandæ veniunt, hanc divertendi libidinem directâ fronte repugnare; ac lacerare par illud, quod Deus propria manu conjunxit, & initio rerum in Paradiſo collocavit.

& tertium. XXIV. 6. Verſu 33. ad *tertii præcepti* corruptelas Chriſtus pergit, & magiſtrorum axiomata de votis & juramentis corrigit. Fas enim ipſis non ſolum per nomen Dei, ſed & templum, & aram, ac præſertim dona templi jurare; idque temere ſæpe & nulla cogente religione, quin & leviculo, uti putabant, peccato per quædam eorum pejerare. *Qui juraverit per templum, nihil eſt; qui vero juraverit per aurum templi, debet — Et qui juraverit per altare, nihil eſt, qui vero juraverit per donum, quod eſt ſuper altare, debet.* Matth. 23:16-19. Quam ipſorum hypocriſin Chriſtus caſtigat, & non ſolum ſpuriis iſtis juramentorum formulis, ſed vero omni jurejurando extra neceſſitatem abſtinere jubet, ne vulgari ac quotidiano uſu Dei nomen, quod omnino ſanctum haberi debet, evileſcat. *Non feres nomen Domini Dei tui in vanum.* Exod. 20. cui concinit Eccleſ. 9:2. *Qui jusjurandum metuit.* & Jac. 5:12. *Fratres mei, ne juretis, neque per cælum, neque per terram, neque aliud ullum juramentum.* Ac præſertim Chriſtus hoc ipſo loco: *Ego vero dico vobis, ne jurate omnino: neque per cælum* &c. *neque per terram* &c. *neque per Hieroſolymam* &c. *neque per caput tuum* &c. *Eſto autem ſermo veſter etiam, etiam; non, non. Quod autem ſupra hac redundat, à malo eſt* v. 34.

circa judicia. XXV. Verſu 38. *Audiſtis dictum fuiſſe, oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego vero dico vobis, ne obſiſtite improbo* &c. fatetur ipſe Socinus non ſenſum legis, ſed perverſam ejus gloſſam carpi: cum ne quidem ſub Vet. T. privatæ vindictæ indulgere licuerit. Quam tamen, ſumto è legis verbis, (Exod. 21:24. *oculus pro oculo, dens pro dente*) colore, vulgo homines exercebant, atque illis peccato ſuo veluti nubem

Digitized by Google

nubem obducebant. Cum tamen de publicis judiciis lex illa diſerte agat. conf. Ex. 21: 22. *Si viri rixati fuerint, & percuſſerint — multando multabitur —— dabit è ſententia judicum.* Lev. 24: 19. *Vir, cum inflixerit proximo ſuo vitium, ſecundum quod fecit, ſic ipſi fiet.* Deut. 32: 35. *Mea eſt vindicta & retributio.* Quod autem nunc ne illa quidem privata in cauſa implorare Chriſtiano fas putet, magnopere fallitur. Ad vim enim ac injuriam arcendam tribunalia expoſita ſunt, ac publicè adire ea ſine crimine licet; ſed abſque fremitu & indignantis animi motu, ne condita nobis odia magiſtratibus imputantes judiciorum ſanctitatem livore ac animi tabe præpolluamus: nedum, ut unice nobis propoſitum ſit, legibus ipſis odia noſtra armare, fratremque evertere, ac jacenti inſuper illudere; quæ ſæva ἐπιχαιρεκακία eſt, & olim, & nunc, vetita.

XXVI. 8. Sequitur tandem Scribarum circa amorem proximi κατήχησις, immitis nimium & implacida, nec ex veri amoris lege. Cum enim peculiaribus de cauſis devotam Cananæorum gentem exſcindere juberentur, Deut. 7: 2. illi credita ſibi odia male regentes, quicquid uſpiam gentium ac populorum extra Judaicum nomen eſt, tanquam ad Deum nihil pertinens, iſti præcepto includebant, eoſque abominari ac palam odiſſe, pro juſto ac ſancto habebant. Cujus impietatis ſurculus eſt, quod apud Matth. v. 43. occurrit. *Audiſtis dictum fuiſſe, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Quæ certe à lege charitatis valde aliena erant. Unde Chriſtus veri amoris regulam uberius explicat, ipſoſque *hoſtes diligendos eſſe, maledicentibus benedicendum, oſoribus noſtris benefaciendum, & precandum pro iis qui damno nos afficiunt, ac perſequuntur*, monet; addita v. 45. ratione, quæ Vetus quoque Teſtam. ſpectat: *Ut ſitis filii Patris illius veſtri, qui eſt in cœlis; facit enim ut ſol ſuus exoriatur ſuper malos & bonos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.* Atque ad alienigenas etiam, ipſoſque inimicos noſtros, ſanctum illud proximi nomen extendendum luculenta pictura ac parabola oſtendit, Luc. 10: 30. Quæ & legis ſententia erat. Quæ enim de proximo & fratre Lev. 19: 17, 18. *Non odio proſequeris fratrem tuum in corde tuo, redarguendo redargues proximum tuum, & non feres ejus cauſa peccatum; non obtrectabis populari tuo; non ſtabis contra ſanguinem proximi tui; non vindictam ſumes, & non obſervabis iram cum popularibus tuis, & amabis proximum tuum ſicut te ipſum.* ego *Jehovah*: ac ipſo nono legis præcepto, *non reſpondebis falſum teſtimonium contra proximum tuum*; jubentur, omni-

& amorem proximi.

bus, ni fallor, hominibus, ipſiſque inimicis debemus, quos tam propinquo nomine conciliare nobis divina lex voluit. Neque hæc Novi Teſtam. ſolum explicatio eſt, Rom. 13: 10. *Dilectio proximo malum non facit. Impletio itaque legis dilectio:* cui concedere tamen adverſarii debebant: ſed & ipſius legis auctoritatem habet: *Cum occurres bovi inimici tui, aut aſino ejus erranti, reducendo reduces eum ipſi: cum videbis aſinum oſoris tui recubantem ſub onere ſuo, an omittis vacare ipſi? vacando vacabis cum eo.* Exod. 23: 4, 5. Cui concinit quoque Parœmiaſtæ dictum cap. 25: 22. *Si eſurit oſor tuus, ciba illum pane: &, ſi ſitit, pota illum aqua.* Quod repetitur & confirmatur Rom. 12: 20.

XXVII. Atque hoc quidem pacto Chriſtus Patris ſui legem expurgavit; Levitarum fæces, quibus aurum ſanctuarii obſcuraverant, abradendo, & divina ſua limâ illud priſtino nitori reſtituendo, denique duos illos omnium officiorum fontes, Dei ac proximi amorem, qui oblimati jacebant, ac hominum incuria lutulenti fluebant, rurſus recludendo, ſalubreſque inde aquas derivando. Quæ ſcribarum ac magiſtrorum cenſura ipſi jam olim debebatur, ex Malachiæ vaticinio, cap. 3: 3. *Nam ipſe quaſi ignis conflatoris, & ut ſmegma fullonum eſt. Ut ſedet conflans & purgans argentum, ita purgabit filios Levi; defæcans eos velut aurum & argentum.*

An nova præcepta ſuperaddiderit? XXVIII. Sed legem non ſolum correctam, ac ſanctitatem ejus in ſingulis præceptis non parum intenſam, ſed trium præterea præceptorum appendice de novo adauctam ſtatuunt: quæ ſunt, de abnegando ſemet ipſo, ferenda cruce, ac Chriſto imitando: quæ peculiaria Chriſtianæ philoſophiæ placita ajunt, iis qui ad ipſam aggregari volebant, in diſcipulatus rudimentum impoſita: *Si quis vel it poſt me venire, abneget ſe ipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Matth. 16: 24. Quod ex perverſo adverſariorum ſtudio proficiſcitur: quo Veteris Novique Teſtam. non diſcrimen ſolum, ſed propemodum diſſidium ſtatuunt; unde totis Scripturis, quæ huc facere poſſe putant, venantur, ut non ſine Veteris T. ſpoliis ac injuria novum hunc Eccleſiæ ſtatum exornent. *moralia?*

XXIX. Quid enim tria hæc, quæ adferunt, præcepta aliud ſunt, quam generalia ad excellentiſſimam virtutem, ac perfectiſſimam Dei obedientiam monita & hortamenta, quæ jam olim ſub præcepto perfectæ *Dei dilectionis*, ac puriſſimæ *ſanctitatis, ſicut Deus ſanctus eſt*, Deut. 6: 5. Lev. 19: 2. continebantur, & ab Abrahamo, à Moſe,

aliiſque

Digitized by Google

aliiſque ſanctis viris dudum præſtita fuerunt? Certe in Moſe trinæ hujus ſanctitatis compendium extat, qui *negavit* dici filiæ Pharaonis filius; elegit *vexari* cum populo Dei; ac majores divitias duxit improperium *Chriſti*; quem calcatis Ægypti deliciis in deſertum uſque ſecutus eſt. Hebr. 11: 24. Nec levius Abrahami exemplum eſt, qui patriam cognatoſque *deſerens*, *Deum* præeuntem *ſecutus* eſt; ac novus Cananææ accola non ſimplici *calamitate* iſto in exilio exercitus fuit. Ac ſpeciatim abnegationem ſui ſextum, ſeptimum, octavum, nonum, ac præſertim decimum legis præceptum apertè ſatis comprehendunt: tolerantiam crucis cunctæ Veteris Teſt. Scripturæ, ac præſertim Pſalmi ſuadent: ac imitari Deum, ſanctitatemque ejus æmulari vel ipſe Moſes expreſſis verbis juſſit: *Sitis ſancti quia ego ſanctus*, Lev. 19: 2.

XXX. Abſurdiores adhuc ſunt adverſarii, cum moralibus hiſce *poſitiva?* præceptis unicum præterea cærimoniale de *ſacra Cœna* ſuperaddunt. Ita enim amoris Dei pignora ac ſigilla in præcepta commutare ipſis libet. Et quaſi non vetus quoque Eccleſia illa habuerit? Quin & ipſius legis præceptum non ſit, ubi Deus favoris ſui ſigna exhibet, ea amplecti, & publico iſto ritu eum Deum ſuum fateri?

XXXI. Cum Socinianis paria errant *Anabaptiſtæ* & *Remonſtrantes* *II. Anabaptiſtarum & Remonſtrantium.* multi; præſertim primores illorum, *Puppius* & *Eſpicopius*: qui non aliud æque crepant, quam mandatorum Chriſti obedientiam, quæ immenſum in modum ſupra Moſis præcepta evehunt. Quo in genere copioſi admodum ſunt, nec eodem omnes ordine ea digerunt. Quæ ambages in Socinianæ impietatis ſummam aliquo modo perveniunt, ac Chriſtum in novum legiſlatorem, fidem in opera, & juſtitiam Euangelicam in juſtitiam legalem commutant; & pro Chriſti obedientia noſtram obedientiam ferè ſubſtituunt; omnemque prope fidei juſtitiam, ipſumque Chriſtianæ religionis apicem, evertunt ac produnt.

XXXII. Accedunt tandem & *Pontificii*, qui, in divinæ legis opprobrium, conſilia ſua Euangelica jactare non deſinunt, quæ Dei *III. Pontificiorum, de conſiliis Euangelicis.* præceptis ſanctiora prædicant. In religioſâ autem monachorum ſuorum diſciplina illa potiſſimum conſtituunt. Quæ ipſorum conſilia revera *præcepta* ſunt *hominum*, Eſai. 29: 13. quin imo *conſilium improbi*, ut Scriptura ea merito infamat, Pſal. 1: 1. dum religioſo prætextu veram reſipiſcentiam ac fidem in Chriſtum non parum obſcurant, ac ad falſam juſtitiam paulatim deflectunt, & à Chriſto

tandem

tandem apoſtaſiam inducunt. Huc enim tandem omnia evadunt, ac ſpecioſis iſtis verbis & legis ſanctitas, & Chriſti meritum, ac præcipua Novi Teſt. bona injurioſo pede proruuntur. In externa autem monachorum diſciplina, quicquid boni ac ſancti eſt, divina lege continetur; quicquid autem ultra illam ſeſe tendit, & malum, & ſuperſtitioſum, ac Chriſto denique inimicum eſt.

XXXIII. Nec ſatisfaciunt quæ in cauſam ſuam afferunt; nos ſub N. T. ad puriorem ſanctitatem teneri, nec diſplicere Deo pietatem, quæ ultra imperata ſe extendat. Eſt enim extra omnem controverſiam lex perfectiſſima ſanctitatis formula. Et ſi vel Novi Teſt. fideles, pro temporum iſtorum felicitate, atque uberiore divinæ gratiæ copia, ſupra veterem populum longe eminere deberent; iſtud tamen ex ejuſdem legis juſſu ac poſtulato foret. Illa enim cum ſanctitatem omnimodam, toto corde cunctiſque ex viribus præſtandam, jubeat, illi profecto, qui majorem gratiæ menſuram acceperunt, ad peculiaria quædam charitatis ac dilectionis officia obligari poſſunt, ad quæ aliorum mediocritas non pertingit. Ut, ſi quem Deus, non ex vulgo athletam, ad martyrii honorem, & ipſa Chriſtianæ militiæ decora vocet; certe ille, non ex conſilio quodam, quod facere majoris quidem meriti, omittere autem peccatum non ſit, ut adverſarii loquuntur; ſed ex ipſa amoris Dei lege ad palmam iſtam contendere debet. Quo tamen accedere non alii jubentur, quam quibus idem Spiritus audendi auctor eſt, &, pari undique rerum ſorte, depugnaturis eundem veluti campum aperit. Quo ſenſu ſi adverſarii perpetuam caſtitatem, & angelicum vitæ candorem, aliaque ſublimiora quibuſdam, pro donorum ac occaſionum occurſu, peculiariter ſervanda urgerent, in rectum ſenſum exire illa poſſunt. Verum iſtud quidem ab iis non agitur.

CAPUT XIII.

De miraculis Chriſti.

Prophetia Chriſti annexa 1. MIRACULA *ejus.*

I. AD prophetiam Chriſti pertinent ejus *miracula*, & vitæ mortiſque *exemplum*; quibus doctrinam ſuam validè confirmavit.

II. Miracula enim, cum vera doctrina conjuncta, non exiguum ad eam commendandam robur habent; ſuntque veluti divinæ

divinæ manus ſignacula, quibus illam ſibi curæ eſſe publicè teſtatur. Unde in Eccleſiæ exordio ea plerunque adhibita fuere, tum olim ſub Vet. T. tum etiam in novâ Eccleſiâ à Chriſto.

III. Verorum autem miraculorum quatuor ponunt conditiones: *quæ vera fuerunt* 1. ut opus aliquod ſit ſtupendum, ac ſupra naturæ ambitum. 2. ut idem ſit publicum ac patens, & luce ſua oculos perſtringens. 3. ut non longo molimine veluti elaboratum, ſed repente ac protinus, ad nutum Dei, productum ſit. 4. tandemque non aliqua ex parte imperfectum, ut naturæ manus agnoſcas, ſed perfectum atque integrum ſit. Quæ omnia in Chriſti operibus locum habuerunt; quæ naturæ vires immenſum ſupergreſſa, & publica, & perfecta, ac ad ſolum loquentis juſſum repente edita fuerunt. Quod non dubium divinitatis ejus teſtimonium fuit.

IV. Quibus accedunt in Chriſti miraculis quædam *ſingularia*, quæ *& planè ſingularia.* ipſum ſupra reliquos Prophetas longè evehebant: 1. quod miracula ejus non divinæ omnipotentiæ ſolum, ſed & bonitatis opera erant; ac talia quæ Meſſiam ipſum faterentur; quæque Deo ipſo, ſi, humani generis miſertus, in terras venire, illudque gratioſè viſitare vellet, digniſſima erant. In quo manifeſto à Moſis miraculis differebant. Bis autem, peculiaribus de cauſis, ſeveritate uſus legitur; tum circa Gadarenorum porcos, Matth. 8. tum circa ficum iſtam mendacem ac ſterilem, Matth. 21. 2. Quod opera poſt ſe relinquerent permanentia, ut in ægrorum ſanationibus patet. Longe aliter ac illa erant, quæ Moſes coram Pharaone geſſit. 3. Quod in omni naturæ parte ea ediderit in cœlo, in terrâ, in mari &c. ea veluti universâ doctrinæ ipſius ſuffragante. 4. Quod ſingularis exempli forent, *à ſeculis non exaudita*. Joh. 9: 32. 5. Nec ea parcè exhibita, ſed frequentia, & numero propemodum infinita; certe multitudine ſua omnia retro Moſis ac prophetarum oracula non exæquantia ſolum, ſed ſuperantia. 6. Quod propriâ poteſtate illa peregerit; quod & publicè faſſus eſt, Matth. 9: 28. *Dixit ipſis Jeſus, an creditis quod poſſum hoc facere? dixerunt ipſi, ita Domine.* Unde & pro arbitro ea patravit, quoties liberet, *Domine, ſi vis, potes me purificare.* Matth. 8: 2. eorumque patrandorum poteſtatem aliis quoque fecit: *Dedit ipſis* (diſcipulis) *poteſtatem, ſpiritus impuros ejiciendi*: Matth. 10: 1. Tandemque illa non vanæ gloriæ, aut commodi ſtudio; ſed in Dei ſolius, ac, quod non vanum deitatis argumentum erat, in ſuam quoque ipſius gloriam, ſuæque divinitati teſtandæ, fecit. *Dixit Jeſus, hæc infirmitas non eſt ad mortem, ſed propter gloriam Dei, ut glorificetur filius Dei per eam*, Joh. 11: 4.

Digitized by Google

ſtrem numinis ædem, vilemque jam domum, ſed in cœlum ingredi, ibique regnare debuit.

IX. Quod celare nonnunquam miracula ſua juſſerit, id non modeſtiæ cauſa fecit, quæ in eo ſita non erat, ſed peculiaribus de cauſis 1. Non enim propere nimis, ac ſaltu veluti in ora famamque hominum venire, ſed ſpatio & mora invaleſcere debebat; Judæiſque de Meſſia quærendi, & miracula ſua examinandi tempus largiri volebat. *Et dixit ipſi Jeſus: vide, nemini dicas: ſed abi, oſtende te ipſum ſacerdoti, & offer donum, quod præcepit Moſes.* Matth. 8. 4. Unde ſparſit quidem radios quoſdam, quibus agnoſceretur: *Si opera non feciſſem in ipſis, quæ nullus alius fecit, peccatum non haberent: nunc vero & viderunt, & oderunt, & me & Patrem meum.* Joh. 15: 24 nimia autem luce illorum oculos ferire ac offendere noluit. 2. Præſertim, cum ſufficerent illa, quæ publicè extabant, quædam intra privatos parietes geſta intempeſtive nimis efferri vetuit. Matth. 9: 30. coll. Marc. 8: 26. 3. Idoneo enim tempore iſta in lucem ventura erant. Sicuti maximam eorum partem, non niſi poſt reſurrectionem ejus, ut & alia ad ipſum pertinentia, primum publicata conſtat. Quod ſapienti de cauſa fiebat, ut ab opere iſto omnium maximo, ac publico divini favoris teſtimonio, reliqua ipſius miracula, ac doctrina univerſa, pondus ac auctoritatem acciperent. Unde & antea nonnunquam non miracula ſolum quædam, Matth. 17: 9. ſed & ſeſe Meſſiam eſſe aperte nimis divulgari vetuit, Matth. 16: 20. Luc. 9: 21. Atque huc ſpectat ſignum illud quod flagitantibus Judæis ut omnium maximum pollicitus eſt; *Tunc reſponderunt quidam ex Scribis ac Phariſæis, dicentes, præceptor, volumus ex te ſignum videre. Ipſe vero reſpondens dixit eis: gens mala & adulterina ſignum requirit, ſed ſignum non dabitur ei niſi ſignum Jonæ Prophetæ: ſicut enim fuit Jonas in ventre ceti tres dies & tres noctes; ita erit filius hominis in corde terræ tres dies & tres noctes.* Matth. 12: 38, 39, 40. 4. Magis autem indignabatur, ſi à mendaci ſpiritu ipſi teſtimonium præberetur, quod non niſi infamandæ ipſius doctrinæ ſervire poterat, unde os iſtud impurum ſæpe compeſcuit. Marc. 1: 34. & 3: 12. Matth. 12: 16.

Cur interdum celari juſſa?

X. Tandem non Chriſtus ſolum ipſe miracula patravit, ſed & Apoſtolos ea virtute induit, qui & poſt ipſius diſceſſum miraculorum gloria claruerunt, ut iſto commeatu doctrina ſacra mundo placeret. Unde cum toto orbe ſermonem illum ſpargere deberent, qui à Chriſto in Judæâ ſolâ prædicatus fuerat, operum magnitudine

Patrata in ipſius nomine quoque ab Apoſtolis.

Digitized by Google

& copia Chriſto non inferiores: ſed propemodum majores fuerunt. *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ille faciet, & majora his faciet; quia ego ad patrem proficiſcor*, Joh. 14: 12.

quo diſcrimine à miraculis Chriſti?

XI. Quanquam inter Apoſtolorum & Chriſti Domini miracula hoc interfuerit: 1. quod illi in nomine Jeſu miracula fecerint, nullo proprio honore: *Dixit vero Petrus — in nomine Jeſu Chriſti Nazareni, ſurge & ambula.* Act. 3: 6. *Quid miramini; quaſi potentia propria, aut pietate, feciſſemus hunc ambulare?* ℣. 12. Chriſtus autem & ſuam & patris gloriam ſæpiſſime teſtatus ea peregerit: *Jeſus autem reſpondit eis, Pater meus huc uſque operatur, & ego operor.* Joh. 5: 17. *Hoc fecit initium ſignorum Jeſus in Cana Galilææ, & manifeſtavit gloriam ſuam.* cap. 2: 11. 2. Illi, cum facultatem eam aliunde accepiſſent, eandem aliis tradere nequiverint: Chriſtus autem Apoſtolis, ſucceſſoribus ſuis, eam quoque largitus fueris: *Ecce, do vobis poteſtatem ambulandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones* &c. Luc. 10: 19. *Infirmos ſanate, leproſos purificate, mortuos ſuſcitate, dæmones ejicite, gratis accepiſtis, gratis date.* Matth. 10: 8. 3. Denique quod nec ipſi Apoſtoli, quoties ac ubicunque vellent, facultatem eam ad manum haberent, ac non ſine precum ambitu eam plerumque à Deo eblandirentur. Quod in Chriſto aliter ſeſe habuit, cui ad nutum omnis natura præſto erat: *Ita enim filius, quos vult, vivificat*, Joh. 5: 21.

Vindicata illa à Judæorum calumniis.

XII. Quæ vero contra miracula Chriſti objectant Judæi, levia admodum, & ex mero odio ad fulgorem eorum obſcurandum quæſita, dignitatem eorum minuere nullo modo valent. Quem enim colorem habet, quod ea dæmonis ope, vel magico miniſterio peracta blaſphemant, quæ regno ejus adeo adverſa fuerunt, ut potentiorem contra Satanæ caſtra bellatorem Servatore noſtro mundus habuerit neminem? *Ad hoc manifeſtatus eſt Filius Dei, ut ſolvat opera diaboli*, 1. Joh. 3: 8. quem & invitum regno ſuo occupatiſque corporibus cedere ſæpe coëgit: *Et rogarunt ipſum, ne ipſos juberet in abyſſum abire*, Luc. 8: 32. *Si Satanas Satanam ejicit, contra ſe ipſum eſt diviſus.* Matth. 12: 26. quæque non falsâ vel inani ſpecie oculos præſtringerent, ut magorum artes agnoſceres, ſed vera & manſura in genus humanum beneficia erant; qualia aut diabolo, aut magis imputari nulla ratione poſſunt. Quod autem ipſos Scribarum quoque diſcipulos dæmonas fugaſſe addunt, Matth. 12: 27. id ipſum Chriſti miracula non deſtruit, ſed confirmat; cum ne illi quidem niſi appellato Chriſti nomine iſtam in dæmones poteſtatem exercuerint.

Filii

Digitized by Google

Filii veſtri per quem ejiciunt dæmones? Matth. 12:27. *Novimus quendam, qui in nomine tuo ejicit dæmones.* Luc. 9:49. *Multi dicent, in nomine tuo ejecimus dæmonia*, Matth. 7:22.

XIII. Talia ergo cum undiquaque fuerint miracula Chriſti, vera & divina, imò & Moſis Prophetarumque miraculis majora, apparet non fuiſſe illa ad Iſraëlem tentandum compoſita, ut pſeudo-prophetarum ſigna, Deut. 13:1,2,3. ſed verbis doctrinæque ejus fidem feciſſe. Eſai. 8:18. Joh. 20:31. Hebr. 2:3,4.

XIV. Præter miracula ad munus Chriſti propheticum pertinet quoque vitæ ac mortis ejus *exemplum. Æmuli mei ſitis, ut & ego Chriſti.* 1. Cor. 11:1. conf. 1. Theſſ. 1:6. *Qui dicit, ſe in ipſo manere, debet, ut ille ambulavit, & ipſe ſic ambulare*, 1. Joh. 2:6. *Ad hoc enim vocati eſtis, quod etiam Chriſtus paſſus ſit pro vobis, relinquens nobis exemplar, ut ſequamur veſtigia ejus.* 1. Pet. 2:21. *II. Ejus* EXEMPLUM

XV. Vitâ enim ſanctiſſimâ doctrinæ, quam prædicavit, non mediocriter alluxit; nobiſque omnibus præluxit, ut eandem vitæ ſectam teneremus. Non quidem ubi mortale faſtigium ſupergreſſus divinam virtutem exerit, vel mediationis opere perfungitur, & ſalutem noſtram apud patrem peragit; quæ ſupra noſtram mediocritatem ſunt. Sed ubi eximiâ morum ſanctitate nobis præit, utque ipſi eandem quoque ſemitam tereremus, preſſa pedum poſuit claris veſtigia ſignis.

XVI. Nec parum denique doctrinam ſuam veluti ſupremo actu confirmavit morte ſua ac martyrio: *coram Jeſu Chriſto, qui teſtatus eſt coram Pontio Pilato pulchram illam confeſſionem.* 1. Tim. 6:13. *à Jeſu Chriſto, teſte illo fideli, primogenito ex mortuis.* Apoc. 1:5. Ut de reſurrectione ac cœleſti ejus gloria taceam: quæ totidem divinæ ejus doctrinæ publica fuerunt teſtimonia, ac de cœlo edita præconia.

CAPUT XIV.

De munere Chriſti ſacerdotali.

I. CUm ſalutem humano generi non ſolum promulgari, ſed & exhiberi ac præſtari oportuerit; poſt propheticum Chriſti munus, ſequitur ſacerdotale, ac denique regium ejus officium. *Munus Chriſti* SACERDOTALE.

II. Conſiderandum autem ſacerdotale Chriſti munus dupliciter:

1. in genere quoad naturam & dignitatem ejus muneris. 2. in ſpecie, quoad præcipuas illius functiones.

prædictum in Vet. T. III. Sacerdos deſcribitur Hebr. 5: 1. taliſque Chriſtus, cum ſponſor & angelus Jehovæ interceſſor eſſet, exhibitus jam olim fuit, Pſal. 110: 4. *Tu es ſacerdos in ſæculum, ſecundum ordinem Melchizedeci.* Zach. 6: 13. *Et erit ſacerdos in throno ejus. Et conſilium pacis erit inter utrunque.* Dan. 9: 24. *Septimanæ ſeptuaginta deciſæ ſunt —— ad conſummandum peccata, & ad expiandum pravitatem, & ad adducendum juſtitiam æternam.* Et in Novo T. Hebr. 9: 11. *Chriſtus autem quum advenit, ſacerdos ſummus futurorum bonorum* &c. & 3: 1. *Conſiderate Apoſtolum & Pontificem adſtipulationis noſtræ Chriſtum Jeſum.*

IV. Adeptus autem id munus eſt, ex patris juſſu ac vocatione: *Sic & Chriſtus non ſemet ipſum glorificavit, ut fieret Pontifex, ſed qui locutus eſt ad eum; filius es meus tu, ego hodie genui te.* Hebr. 5: 5. Cum enim filius foret, ad ipſum merito divinæ familiæ ſacerdotium pertinebat. conf. Num. 3: 12, 13. *Ecce ego capi Levitas pro omni primogenito — nam mihi eſt omnis primogenitus — ſanctificavi mihi omnem primogenitum ex filiis Iſraëlis.* & Pſal. 89: 28. *Etiam ego primogenitum faciam illum, ſummum regibus terræ.* Nec ſimplici mandato, ſed jurisjurandi religione illud ipſi confirmatum legimus; quo propoſiti Dei de ſalute hominum immutabilitatem intelligeremus. *Et in quantum non ſine juramento (nam illi quidem ſunt, qui ſine juramento ſacerdotes extiterunt: hic autem cum juramento, per illum, qui dicit ad eum, juravit Dominus, & non pœnitebit illum—) in tantum melioris teſtamenti extitit ſponſor* Jeſus. Hebr. 7: 20, 21, 22.

adumbratum in Melchizedeco V. Fuit vero ſacerdos, non ex Aaronidarum inſtituto, ſed ex Melchizedeci ritu & ordine, Pſal. 110: 4. qui Aaronidis ſacerdotibus & antiquior & major fuit. Qualis ille nobis Melchizedecus, in Cananææ partibus, paulo poſt mundi à diluvio renaſcentis exordium occurrit, inter cives ſuos regnum pariter & Pontificatum gerens. Quo in genere, interprete Apoſtolo, eximius fuit typus Chriſti, tum in iis, quæ de ipſo in S. Scripturâ narrantur; tum etiam quæ prætereuntur, & religioſi ſilentii ſupparo involvuntur: in quo ſupra reliquos typos eminet.

VI. Narrantur enim de ipſo 1. munus ipſius ſacerdotale ſimul ac regium; cum foret Rex idem hominum, cœlique ſacerdos. 2. ejus præ ipſo Abrahamo dignitas; à quo decimas accepit; cuique ſollemnem in modum benedixit. 3. Sacerdotii ejus præ Levitico antiquitas.

Digitized by Google

quitas. 4. Nec ſacrificium ejus prorſus prætertur, cum decimarum mentio occurrat, de quibus de more ſacrificavit. 5. Tacentur autem ſucceſſores ejus, ipſeque ſolus derepente ea in gente ſacerdos prodit. 6. quin & reliqua ejus univerſa hiſtoria reticetur; &, nulla vitæ mortiſque mentione, ipſe prorſus ἀγενεαλόγητος, & tanquam ex ſe natus, producitur. Ut non ſacerdotium ſolum Chriſti ἀπαράβατον & perpetuum, ſed & perſonæ ejus æternitatem figuratam intelligamus. Quæ Paulus latius in epiſt. ad Hebr. c. 7. exequitur, ubi Melchizedecum hunc ex tenebris illis, quibus eum ſacra hiſtoria non ſine myſterio obtexerat, evolvit; ac ſacerdotii ejus dignitatem præ Levitico multis in rebus oſtendit; iſtumque Chriſti typum per partes explicat ac oſtendit.

VII. Neque ſolum in Melchizedeco, ſed & in hieratico Aaroni- *& Aarone.* darum ordine Chriſti ſacerdotium expreſſum fuit: ut jam tunc ſacerdotem ipſum viguiſſe ſciamus, ac per miniſtros, & vicarium pecudem ſanguinem, id munus peregiſſe. Quales, ſicuti ante adventum ipſius in Eccleſia dari potuerunt, ut venturo viam panderent, ejumque fidelibus de longinquo oſtentarent; ita, peracto nunc Chriſti ſacrificio, & vero ſanguine libato, nulli amplius ejus vicario vel myſtarchæ in terris locus; quales ſeſe falſo ſacrificuli in papatu, cum ſuo ſacrorum rege, jactant. Poſſidet enim Chriſtus ſacrificaturam ἀπαράβατον, nec ulli mortalium communicandam. Hebr. 7: 24.

VIII. Ut autem ad muneris hujus præcipuas *functiones* pergamus, *Muneris il-* conſtitit illud in ſacra ἱερουργίᾳ Deo placando ac hominibus concili- *lius partes.* ando, peccatiſque ipſorum digno cruore expiandis, inſtituta. *Et per ipſum omnia reconciliare ad ſe, pacem faciens per ſanguinem crucis ejus, tum quæ in cælis, tum quæ in terris ſunt* Col. 1: 20. *Quod Deus in Chriſto mundum ſibi reconciliavit, non imputans ipſis lapſus ipſorum.* 2. Cor. 5: 19. Ac duabus partibus abſolvebatur 1. *Sacrificii immolatione*, & 2. *interceſſione*: quæ & veteris ſacerdotii partes erant.

IX. *Immolatio* Chriſti ſui ipſius oblatio erat, ac proprii ſanguinis IMMOLA-TIO. libatio, quem *per ſpiritum æternum obtulit, immaculatum Deo, purificantem conſcientias noſtras*. Hebr. 9: 14. Ubi Chriſtus ſimul ſacerdos, & victima, & altare fuit.

X. *Sacerdos* fuit juxta utramque naturam, cum actus hic θεανθρωπικὸς *in qua ipſe ſacerdos,* fuerit, præcipua tamen divinæ naturæ dignitate ac uſu; qui *ſpiritus ille æternus* eſt, per quem ſe ipſum obtulit. Hebr. 9: 14. Non enim in ſacerdotii hujus honorem latronum turba, qui ipſum cruci

ſuffixe-

ſuffixerunt, venire poteſt. Quicquid enim illis Chriſtus in ſacrum ſuum corpus permiſerit, ipſe ſolus animam ſuam, nulli hominum obnoxiam, poſuit, & propria voluntate patri obtulit. *Nemo tollit eam à me, ſed ego depono eam per me ipſum*. Joh. 10: 18.

victima XI. *Victima* maxime fuit ſecundum humanam naturam. Oblatio enim *corporis Chriſti* appellatur Hebr. 10: 10. 1. Pet. 2: 14. Cui divinitas pretium & valorem contulit. Cum non hominis cujuſlibet, ſed *Dei* fuerit ille *ſanguis*, qui fundebatur, Act. 20: 28. Unde *unus pro omnibus mori* potuit, 2. Cor. 5: 15. eoſque *unico* illo *libamine* expiare, Hebr. 9: 26. Nam ille Chriſti θεανθρώπου amor: illudque amoris martyrium tanti profecto erat, ut humanum genus univerſum & amplecti & ſalvare potuerit.

& altare. XII. *Altaris* autem cum duplex olim uſus foret, tum victimarum carnes ſuſtinendi, tum eaſdem conſecrandi; quo præſertim ignis ſacer in ara perpetuo excubans faciebat: priori reſpectu altare hujus ſacrificii fuit crux, in quam Chriſtus *ſurſum elatus fuit*, 1. Pet. 2: 24. Secundum reſpectum ipſa ejus divinitas & ſpiritus æternus ſuſtinuit, qui victimam hanc conſecravit diviniſque flammis accendit, Hebr. 9: 14. *Qui per ſpiritum æternum ſe ipſum obtulit, immaculatum Deo*. Joh. 17: 19. *Et pro ipſis ego ſanctifico me ipſum*. Utque duæ olim in templo aræ erant, una pro victimis, altera pro odoribus: ita utramque in Chriſti ſacrificio reperire eſt. Non enim ſolum peccata noſtra ab eo expiata ſunt, ut *ſanctorum animæ requieſcere ſub altari illo* ſuaviter poſſint, Apoc. 6: 9. conf. Hebr. 13: 10. ſed & preces noſtræ, ab ipſo ſanctificatæ & odoræ redditæ, in altaris illius aurei fumo recta in cœlum eunt. *Et alius angelus venit, & conſtitit apud altare, habens thuribulum aureum; & data ſunt ei thymiamata multa, ut daret orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt coram throno*. Apoc. 8: 3.

illius tempus. XIII. *Tempus* peracti hujus ſacrificii idem fuit, quod olim lege definitum erat; inclinante videl. veſpera, quando juge mactari moris erat, Num. 28: 4. idque juxta angeli vaticinium apud Danielem, cap. 9. Matth. 27: 46. *Circa horam autem nonam clamavit Jeſus voce magna*.

INTERCESSIO *Chriſti.* XIV. Altera ſacerdotii Chriſti functio eſt *interceſſio*. Quæ preces ſunt non privatæ, quales illæ quæ Matth. 26: 39 occurrunt: *& precatus eſt; Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me poculum hoc, ſed non ut ego volo, ſed ut tu vis*: ſed publicæ, quales & olim, Joh. 17. &

maximè

Digitized by Google

maxime nunc in cœlis fundit. *Introiit in ipſum cælum, ut nunc appareat faciei Dei pro nobis* Hebr. 9: 24. Et, ſi quis *peccet*, παράκλητον *advocatum habemus apud patrem, Jeſum Chriſtum juſtum*, 1 Joh. 2: 1. *Quis eſt, qui condemnat? Chriſtus is eſt qui mortuus eſt, imo qui & ſuſcitatus eſt: qui etiam eſt ad dextram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*, Rom. 8: 34. Quod ex veteris quoque ſacerdotii ritu; ubi publicam interceſſionem in intimo ſanctuario offerri, deique veluti ſolio affundi à Pontifice moris erat.

XV. Atque hac ratione παράκλητος ſeu *Advocatus* noſter dicitur, 1. Joh. 2: 1. quod nomen & Spiritui S. tribuitur, ſed diverſo ſenſu. Non enim ille preces propriè pro nobis fundit, ut Chriſtus ſacerdos noſter; ſed ſuſpiria ac tacitas preces nobis inſinuat ac dictat, atque interioribus reſponſis animam noſtram mulcet ac ſolatur. *Nam quod oremus, quemadmodum oportet, neſcimus: ſed ipſe Spiritus interpellat pro nobis gemitibus, qui ſermone non explicantur.* Rom. 8: 26. *Emiſit Deus Spiritum filii ſui in corda noſtra, qui clamat, Abba Pater.* Gal. 4: 6.

XVI. Non autem ſupplici ritu, in humum proſtratus, patriſque genibus minor, hac generis humani advocatione perfungitur; ſed glorioſo patrocinio cauſam noſtram in cœlis agit; ſanguinemque ſuum ac exantlatos pro Eccleſia labores, ipſam denique crucem ſuam teſtatur; eademque in voluntate, quâ olim in terras venit, nunc etiam in cœlis perſeverat, debitumque laboribus ſuis pretium poſcit. Unde ipſe *ſanguis ejus clamare* dicitur, Hebr. 12: 24.

illius modus & ratio;

XVII. Concurrit enim ad preces has, quæ θεανθρώπου ſunt, divina ejus natura & humana. Hæc, intimis viſceribus commota, laboranti Eccleſiæ condolere, proque ea patrem rogare, fuſumque olim ſanguinem oſtentare non ceſſat. *Debuit per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret— in eo enim quod paſſus eſt ipſe, poteſt iis, qui tentantur, auxiliari.* Hebr. 2: 17, 18. *Aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrum, & Deum meum & Deum veſtrum.* Joh. 20: 17. Quod eo majori efficacia facit, quod ipſa jam in regnum evecta rebus Eccleſiæ majori cum auctoritate præſit. Illa autem non orat, ſed exorat, & dignitate ſua interceſſioni Chriſti pretium facit.

ſecundum utramque naturam.

XVIII. Cumque hæc interceſſio θεανθρώπῳ conveniat, & ſacerdotalis ſit, atque univerſa Chriſti merito nitatur, facile patet quam impiè in honoris hujus ſocietatem ſancti adſciſcantur; quos Pontificiorum Eccleſia, non ſine delectu, invocare & apprecari, ac Dei

ita ut ſoli Chriſto conveniat, non verò ſanctis.

præſertim parentem veluti ſummo ac præcipuo ſolio ſedentem propitiare conſuevit. Quaſi aliquem in ſanctuario verſari fas ſit qui Pontifex non ſit: vel Chriſtus ſocia hominum opera indigeat, cum in ſummis animæ laboribus ſolus torcular calcaverit: vel denique ſine ſervorum adſtipulatione impetrari non poſſit, quod à patre filius poſtulat. Sed vide de his uberius tomi ſuperioris lib. 2. cap. 14. §. 14.

XIX. Sed non ipſe ſolum intercedit Chriſtus, ſed & preces ſanctorum, ſanguine ſuo tinctas & luſtratas, ad Dei thronum perfert; quod quoque ex ſacerdotali officio facit, ac juxta veterum ſacerdotum ritum. Quomodo & in ſacra Apocalypſi à Johanne viſus eſt c. 8: 3.

Hæc quoque ſpectat ſacrificii Chriſti applicatio & noſtra benedictio.

XX. Ad interceſſionem quoque Chriſti, & ſacerdotii ejus in cœlis actus, ſpectat *ſacrificii* ejus *applicatio*, ſanguiniſque adſperſio, quæ per Sp. ſanctum peragitur. *In ſanctificatione Spiritus, ad obedientiam, & adſperſionem ſanguinis Chriſti.* 1 Pet. 1: 2. *Sed acceſſiſtis ad ſanguinem adſperſionis, præſtantiora loquentem præ Abel.* Hebr. 12: 24. Et ſacerdotalis denique *benedictio*, Num. 6: 22, 23. quam non moriens ſolum in cruce, Gal. 3: 13, 14. ſed vivens præſertim & regnans in cœleſti ſolio nobis impertit: *Qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, in cœleſtibus, in Chriſto*, Eph. 1: 3. palamque ac pleniſſime in extremo mundi actu largietur. *Tunc dicet Rex iis, qui ad dextram ipſius erunt: venite benedicti patris mei, hæreditario jure poſſidete præparatum à fundatione mundi regnum.* Matth. 25: 34.

Sacerdotii Chriſti fructus & effectus.

XXI. Has ſacerdotalis officii functiones ſequuntur fructus ejus & effectus: qui ſunt 1. peccata noſtra expiare ac delere. *Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*, 1 Joh. 2: 2. *Per ſe ipſum purgatione facta peccatorum noſtrorum.* Heb. 1. 3. peccatores cum Deo reconciliare: *Gloriantes in Deo, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum; per quem nunc reconciliationem accepimus*, Rom. 5: 11. *Omnia vero ſunt ex Deo, qui nos ſibi reconciliavit per Jeſum Chriſtum.* 2 Cor. 5: 18. 3. cœlum nobis aperire, templumque iſtud ſanguine ſuo conſecrare: *Neceſſe ergo, figuras quidem eorum, qui in cœlis ſunt, hiſce mundari; ipſa autem cœleſtia melioribus hoſtiis præ ipſis.* Hebr. 9: 23. 4. Tandemque Eccleſiam ſuam iſta mercede acquirere ac ſibi deſponſare: *Ad paſcendam Eccleſiam Dei, quam ſuo illo proprio ſanguine acquiſivit.* Act. 20: 28. Quod ex more veterum. conf. Gen. 29: 20, 28. 1. Sam. 18: 25. Hoſ. 3: 1, 2.

Errores Socinianorum circa ſacerdotium Chriſti; qui

XXII. Sequitur tandem errorum circa ſacerdotium Chriſti ἀντίθεσις & ἀνασκευή. In quibus agmen ducunt & omnium inſtar ſunt So-

Digitized by Google

Sociniani. Qui ut Chriſti ſatisfactionem negant, eumque ſacerdotem revera non credunt; ita, quo teſtatam ac obviam adeo in Scripturis veritatem evadant, mirum in modum ſeſe torquent. Cum enim ſacerdotem eum perſæpe appellari, cunctaſque officii illius partes tribui ipſi videant; quo vim iſtam effugiant. 1. Sacerdotem quidem vulgo prædicant, ſed ſacerdotium ejus à regno non diſtinguunt, ſaltem Eccleſiæ ſuæ reſpectu. 2. Oblationem omnem negant, niſi quod tenui ſenſu pro ſe ipſo, propriiſque infirmitatibus obtuliſſe eum fingunt. 3. Propriè autem munere ſacerdotali in cœlis demum fungi ſtatuunt. 4. Atque illud denique omne in ſola interceſſione, atque hanc rurſus in fiduciario in Eccleſiam regno, ac continua pro ea cura ponunt. Quæ corruptelæ paucis profligandæ ſunt.

1 Sacerdotium Chriſti cum regno ejus confundunt.

XXIII. Ac *primò* quidem ſacerdotium Chriſti cum regno confundunt: quod quid aliud eſt quam verum ejus ſacerdotium negare, & figuratè ſolum ac improprie ſacerdotem fateri. Quod hi homines aperte audent. Quod enim propriè regnum eſt, impropriè ſacerdotium appellant; quia videl. non ſolum poteſtate, quod meri regis eſt, verum etiam benigna voluntate ac amore, ad inſtar ſacerdotis, Eccleſiam ſuam curet & paſcat. Scripturæ autem ſacerdotium & regnum Chriſti diſtinguunt; cum hoc munus apud homines, illud apud Deum peragat: *Omnis enim Pontifex, qui ex hominibus capitur, pro hominibus conſtituitur, in iis quæ apud Deum agenda ſunt*, Hebr. 5: 1. *Ego inungens regem meum præfeci Zioni, monti ſanctitatis meæ.* Pſal. 2: 6. illumque non externo nomine, & figura quadam, ſed verum ſacerdotem deſcribunt, cunctaſque ejus muneris partes exequuntur; ac veterum denique ſacerdotum turbam miniſterio ejus præluſiſſe, ac munus ipſius figuraſſe docent: qui certe ſi umbræ fuerint, in Chriſto veritas & corpus exiſtere debent. Col. 2: 17. *Quæ ſunt umbra rerum futurarum, at corpus eſt Chriſti.*

2. oblationem ejus tollunt.

XXIV. Sed & *ſecundo* oblationem Chriſti negant, quæ cum ſacerdotii præcipua pars ac ſequentis eam interceſſionis fundamentum ſit, hinc ſacerdotem quoque eum omnino negare debent. Quod enim in terris, non pro Eccleſia, ſed pro ſe ipſo obtuliſſe ajunt; ut olim Veteris T. ſacerdotes, hancque ſolam ejus oblationem intelligunt; quem colorem, aut quem revera ſenſum habere poteſt? Utcunque enim, dum mortali in corpore verſaretur, infirmitatibus noſtris & ærumnis, non tamen peccatis ſuccinctus erat. Obtuliſſe au-

 tem

tem Chriſtus in Scripturis cum dicitur, non id mortalis corporis ſortem, ut ab eo liberemur, ſed peccata ſolummodo ſpectat. Unde pro ſe obtuliſſe dici non poteſt, cum peccatis caruerit. Verum adverſarii oblationem pro peccatis, qui tamen communiſſimus ejus locutionis ſenſus eſt, ignorare volunt; ac ad humanæ vitæ infirmitates, corporiſque noſtri ærumnas, & mortem denique ipſam, hoc quicquid Chriſto tribuunt muneris referunt; quæ ille videl. ut ſacerdos, aut potius ut rex, ſanaverit & abſtulerit. Unde & repererunt, quomodo, cum peccata non haberet, pro ſeſe tamen ipſo in terris offerre potuerit; ad veterum videl. ſacerdotum morem. Quæ inſincera ſunt, ac tollendo ejus ſacerdotio excogitata. Hic enim à veterum ſacerdotum inſtituto Chriſtus paulum diverſus fuit, cum iis, utpote peccatoribus, pro ſeſe ipſis primo litandum foret, Lev. 4: 3, 4. Quo & Paulus ſpectat Hebr. 5: 2, 3. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumitur — Qui æquanimis eſſe poſſit ignorantibus & errantibus: quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate; & propter eam debet, quemadmodum pro populo, ita & ſua cauſa offerre pro peccatis.* Quæ ubi Chriſto applicat, miſericordem nobis ſacerdotem, & infirmitatibus obnoxium, ſed abſque peccato, contigiſſe ait, ac infirmitatum illarum finem ac uſum oſtendit: *Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit affici ſenſu enfirmitatum noſtrarum: ſed tentatum in omnibus ſimiliter, abſque tamen peccato.* Hebr. 4: 15. *Quamvis filius eſſet, tamen ex iis, quæ paſſus eſt, didicit obedientiam.* Hebr. 5:8. Ac pro illis ſuis infirmitatibus non niſi lacrymas & preces libaſſe dicit ℣. 7. *Qui in diebus carnis ſuæ deprecationibus & ſupplicationibus oblatis, cum clamore valido & lacrymis* &c. Aliter ac Aaronide olim, *quibus neceſſe fuit, prius pro peccatis propriis victimas offerre, deinde pro peccatis populi.* Hebr. 7: 27.

3. & qualemcunque ponunt, ab ingreſſu ejus in cœlum demum exordiuntur.

XXV. Cum autem ſacerdotium Chriſti non in oblatione ejus collocent; nec ſanguinis fuſionem ad eam pertinuiſſe exiſtiment; denique non in liberatione à peccatis, per interpoſitum lytrum ac pretium, ſed in liberatione à miſeria ac peccatorum pœnis per potentiam, quicquid iſtud muneris eſt conſiſtere faciant, hinc & *tertiò* exordium ſacerdotii ab ejus ingreſſu in cœlum demum arceſſunt; & mortem ejus, ac quicquid in terra pro humani generis ſalute egit, ab ea excludunt. Quod commentum 1. non ſolum ex veteris ſacerdotii analogia refutatur, cujus multæ partes peragendæ erant, antequam victimarum ſanguis in adytum inferretur: quin & erant victimæ nonnullæ, quarum ſanguis nunquam in interiorem thalamum

infe-

inſerebatur: quomodo & Chriſtus præcipuos ſacerdotii actus in terra peregit; in cœleſti adyto autem non de novo obtulit, ſed hoſtiam in terris oblatam ad patrium limen ſtitit, ac, peracto officio, in cœlum redux, pro animæ labore mercedem flagitavit. 2. Sed & apertis N. T. Scripturis refragatur, quæ oblationem ejus ab oblationis in cœlo repræſentatione accuratè diſtinguunt: *Purificatione peccatorum noſtrorum per ſe ipſum facta, ſedit ad dextram majeſtatis illius in locis excelſiſſimis* Hebr. 1:3. *Per proprium ſanguinem ingreſſus eſt ſemel in ſacrarium, æternam redemtionem nactus.* c. 9:12. *Una pro peccatis oblata in perpetuum victima, conſedit ad dextram Dei*, c. 10: 12. Ac ſanguini ejus in terris fuſo peccatorum purgationem; ſeſſioni autem ad dextram patris jugem pro Eccleſia ſua interpellationem aſſignant: *Et ſanguis Jeſu Chriſti Filii ejus, purificat nos ab omni peccato.* 1. Joh. 1:7. *Quis eſt qui condemnet? Chriſtus is eſt, qui mortuus eſt, imo vero qui etiam ſuſcitatus eſt, qui etiam eſt ad dextram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Rom. 8. 34. Hebr. 7:25.

XXVI. Denique *quarto* ipſum quoque Chriſti ſacerdotium in cœlis, pariterque regnum ejus, corrumpunt. Ne enim Deus eſſe ſummus putetur, qui abſoluta poteſtate Eccleſiam regat, ſacerdotem potius quam regem appellare malunt. Et ſacerdotale illud munus in cura quadam, & precario in Eccleſiam imperio collocant. Unde infirma profecto fides naſcitur. Cum Chriſtus, juxta ipſos, poteſtatem nullam niſi precariam alterique obnoxiam habeat. Ac multo ſatius ſit, ipſum Deum recta adire, nec tali ſponſore ac interprete niti, qui non ſolum noſtram fidem roborare non poſſit, ſed & in contumeliam ipſius Dei cedat; quaſi ipſi ſoli, ſine homine fidejuſſore, qui pro ipſo ſpondeat, confidere non liceat.

XXVII. Atque ita planè ſacerdotium Chriſti hi homines tollunt, cum nullam ſalutis impetrationem, nullam à peccatis liberationem, nullam victimam, nullam denique mediatoriam in cœlis interceſſionem agnoſcant; quæ cuncta ut non neceſſaria rejiciunt. Similitudine ſolum quadam, regnum Chriſti, ut & illud corrumpant, ſacerdotium appellant; quod videl. benevole, & ſummo in genus humanum amore, illud adminiſtret, acceptaque à patre poteſtate, Eccleſiam à peccatorum pœna, (quæ pœnæ ablatio illis omnis peccatorum expiatio eſt) liberet: denique in Chriſto metaphoricam ſacerdotis ac Pontificis appellationem ſolum ſupereſſe docent.

4. denique interceſſionem ejus in precaria potentia collocant.

CAPUT XV.

De munere Chriſti regio.

Chriſti REGNUM

I. POſt ſacerdotium Chriſti de *regno* ejus agendum: cujus tum natura, tum partes, ac functiones præcipuæ conſiderandæ.

naturale

II. Ac principio diſtinguendum venit regnum ejus mediatorium à regno naturali, quod juxta cum Patre ac Spir. S obtinet. Eſt enim hic quædam diverſitas χέσεων, pari cæteroquin regni utriuſque majeſtate ac honore. Cum illud Chriſto qua θεανθρώπῳ, hoc qua Deo competat; illud ſpeciatim Eccleſiam, hoc autem cunctas creaturas complectatur. Ut male Pontifex, qui ſe Chriſti in Eccleſia vicarium facit, hoc colore univerſa mundi regna faſtigio ſuo ſubjecta velit. Cum alii mundi, alii Eccleſiæ fines ſint; ac diſpar utriuſque ſit gubernatio.

& mediatorium:

III. Eſt autem regium Chriſti munus, ea mediatoris poteſtas ac auctoritas, qua, Eccleſiæ caput ac Rex conſtitutus, ſuprema poteſtate in cœlo ac terrâ viget; cunctaque ad Eccleſiam ſpectantia pleno jure gubernat; eamque & verbo ac interiore ſpiritus ſui potentia regit & perficit, & adverſus hoſtium quorumcunque aſſultus & potentiam tuetur tandemque victricem, ac corpore animoque perfectam, in cœlo æternum coronabit.

prædictum in Vet. Teſt.

IV. Regem Meſſiam fore omnia prophetarum oracula canunt: vide Pſal. 2. 6. *Et ego unxi regem meum in Zionem montem ſanctum meum* Dan. 2: 44. *In diebus regum illorum, eriget Deus cœli regnum, quod in ſæcula non corrumpetur* &c. Luc. 1: 33. *Et regnabit in domum Jacobi in ſæcula, & regni ejus non erit finis.* Pſal. 89: 28. *Primogenitum faciam illum, ſummum regibus terræ.* Eſai. 9: 5, 6. *Venit principatus in humerum ipſius — ad amplificationem principatus, & pacem ſine fine ſuper throno Davidis.* Jer. 23: 3. *Et excitabo Davidi germen juſtum, quod regnabit Rex, & proſperabitur.* Zach. 9: 9. *Gaude admodum, filia Zion; Ecce rex tuus venit tibi* &c. Prima autem regni ejus mentio in vaticinio Bileami extare videtur: *Incedit ſtella ex Jacob, & ſurgit ſceptrum ex Iſraële; & deſligit angulos Moab, & demolitur omnes filios Seth-- Et Iſrael ſtrenue aget, & dominabitur aliquis ex Jacobo, & perdet ſuperſtitem de urbe.* Num. 24: 17, 18, 19. Ac deinde in Hannæ Cantico:

Digitized by Google

Cantico: *Jehova judicabit in fines terræ, & dabit robur invictum regi ſuo, & efferet cornu Uncti ſui.* 1. Sam. 2: 10. Poſt quæ Davidi regia iſta proles promiſſa eſt, 2. Sam. 7: 1. Chron. 18. A quo tempore Meſſias in Eccleſia expectatus fuit, tanquam Rex ſtirpis Davidicæ: *Et ſervient Jehovæ Deo ſuo, & Davidi regi ſuo; quem excitabo ipſis* Jer. 30: 8, 9. *Et conſtituam ſuper ipſas paſtorem unum, & paſcet eas, ſervum meum Davidem; — & ego Jehovah ero ipſis in Deum, & ſervus meus David princeps in medio earum.* Ezech. 34: 23, 24. *Poſtea convertentur filii Iſrael, & quærent Jehovam Deum ſuum, & Davidem regem ſuum.* Hoſ. 3: 5:

V. Eſt autem regnum hoc ſpirituale ac cœleſte; non qualia inter homines regna ac principatus videmus, externa vi ac poteſtate ſubnixa, ac multum humani ſplendoris præferentia; ſed plane alterius generis. Cum in hominum animis ejus ſedes ſit, inque cordibus Deum amantibus, ac humana cuncta calcantibus, Chriſtique crucem læto animo ſequentibus, conſiſtat. Ad quæ profecto externa vi ac imperio opus non erat. Unde nec Chriſtus regio apparatu in mundum venit; ſed, tanquam cœleſtis ſapientiæ doctor, divinam iſtam philoſophiam tum ipſe, tum per diſcipulos palam tradidit; veteremque humani generis labem ſanguine ſuo eluit; atque eo pacto mundum devicit, inque eo adhuc regnat.

Eſt autem illud ſpirituale & cœleſte:

VI. Tantum autem abeſt, quod externum in eo regnum erexerit, quod ſacrorum illud regnum, nomenque humanum, quod in Eccleſia adhuc extabat, abrogaverit; & ſacerdotum thronos ac veterum regulorum ſolium everterit; & ne qua ejus erigendi amplius vel occaſio vel neceſſitas foret, carnalem illum cultum ſuperinducto meliori deleverit; ipſamque tandem regni ejus ſedem ac palatium, templum Hieroſolymitanum, devaſtaverit ac exciderit. Denique ne quis in externo nomine amplius gloriaretur, carnalem illum populum repudiavit, & cœlo ſoloque exulem toto terrarum orbe erraſſe juſſit, novumque gentium populum in Eccleſiæ hæreditatem ſuccedere fecit. Unde Chriſtus rectè Joh. 18: 36. *Regnum meum non eſt de hac mundo* &c. & Apoſtolus Rom. 14: 17. *Non enim eſt regnum Dei eſca & potus, ſed juſtitia, & pax, & gaudium per Sp. S.*

VII. Unde regni hujus præſtantia patet, quod & cœleſte prorſus, & divinum, ac denique æternum eſt. *Aſcendiſti in altum, egiſti prædam, accepiſti dona in hominibus* &c. Pſal. 68: 19. *Et agnus vincet eos, quia dominus dominorum eſt, & Rex regum.* Apoc. 17: 14. *Dixit dominus*

Digitized by Google

minus domino meo, ſede ad dextram meam. Pſal. 110: 1. *Talem habemus ſacerdotem maximum, qui conſedit in dextra throni magnitudinis in cælis*, Hebr. 8: 1.

(*malè in terrenum à Judæis converſum*) VIII. Ut Judæorum ſtuporem admirari liceat, qui ut Meſſiam non niſi carnalem regem agnoſcunt, inſtar Davidis vel Salomonis, ita religionis ipſorum hoc nunc præcipuum caput ac compendium eſt; exorturum aliquem de gente ipſorum regem, qui Judæos exules, non ſine multa hoſtium cæde, in patrias ſedes reducturus ſit, ubi tamen fortè quadraginta annorum regnum ſibi polliceri vix audent. Atque hæc eſt ſpes, ut ipſi appellant, Iſraëlis; ac huc tendit omnis ipſorum religio. Quod profecto indignum eſt, hoc pro religionis capite, quin & ſumma, habere, quod terrenus aliquis rex forte oriturus & late imperaturus ſit. Quod certe, ſi vel verum eſſet, non animam ſatiare, non hominem beare, neque fides iſta iis, qui beata iſta tempora non attingunt, prodeſſe quicquam poſſet. Non ultra enim inſanam iſtam opinionem vexare attinet, cum id ſæpius præſtitum ſit. Ita autem Judæorum acies in regio iſto Meſſiæ fulgore ſtupet, ut huic præcipua ejus beneficia, ac magnam illam ſalutem, quam attulit, conſiderare nec velint, nec poſſint.

adeoque & univerſale, IX. Sicut autem regnum Meſſiæ ſpirituale, ita & univerſale eſt omnium ſæculorum, omniumque terrarum fideles, quin & univerſæ naturæ potentiam, ambitu ſuo complexum. *Jeſus Chriſtus heri & hodie idem eſt & in ſæcula.* Hebr. 13:8. *Et huic datus eſt dominatus, gloriaque & regnum, ut omnes populi, nationes & linguæ ei ſerviant; cujus dominatus eſt perpetuus, qui non præterit* &c. Dan. 7: 13, 14. *Et omnia ſubjecit ejus pedibus, eumque conſtituit caput ſuper omnia Eccleſiæ.* Eph. 1: 22. Quod Judæi certe de ſuo illo Meſſia præſtare non poſſunt, de cujus regno veteres omnes Eccleſiæ patres nihil deguſtarunt; nec Abrahamus, nec David, nec alii veteris Eccleſiæ principes, imo ne ullus quidem in hunc uſque diem fidelium.

X. Similiterque regno huic ſubduntur omnia, omneſque ei creaturæ famulantur: *Facis ipſum poteſtatem habere in opera manuum tuarum; omnia poſuiſti ſub pedes ejus.* Pſal. 8: 7. coll. Hebr. 2: 8. 1. Cor. 15:27. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & terrâ.* Matth. 28:18. Non quod omnes ad regnum illud propriè pertineant; ſed quod ſine infinitâ illa poteſtate adminiſtrari nequeat.

illius ſubjecti XI. Subjecti ac vera hujus regni membra, ſunt ſoli fideles, populus ille voluntarius, Pſal. 110. qui non ex Judæis ſolum, ſed maximam

Digitized by Google

ximam partem ex gentibus conſtat. In Chriſto enim inane iſtud populorum diſcrimen ſublatum eſt: eſtque Deus nunc omnibus idem & unus. Gal. 3: 20.

Regni hujus adminiſtratio varia, ſub V. & N. T.

XII. Adminiſtratio autem ejus hoc modo ſe habuit. Veteris Teſtamenti temporibus, cum iidem reipubl. Judaicæ ac Eccleſiæ fines eſſent, regnabat, etiam quoad externa, eo in populo proprie Deus; ac regimen illius θεοκράτεια quædam erat. Erat enim ibi terrenum ejus ſolium, omniaque ad principalis domus formam compoſita; erant & regni miniſtri, Levitæ ac ſacerdotes, qui cærimoniis præſiderent, populoque jugum imponerent; qui cum majori quadam poteſtate inſtructi eſſent, Dei regnantis ſocii, & dii, ac veteris ſæculi principes dicebantur, Pſal. 45: 8. Pſal. 82. 1. Cor. 8. &c. Unde cum Deus non proxime aut ſolus Eccleſiam iſtam curare videretur, vigente qualicunque iſto hominum imperio ac dominatu, nondum plenè ibi erat regnum Dei. Quod demum ſub N. T. manifeſtatum ac promulgatum fuit; ubi omne hominum in Eccleſia regimen ſublatum eſt. Qui rerum ſtatus in Scripturis Novi T. *Regnum cælorum* perſæpe appellatur.

præcone Johanne.

XIII. Præco regni illius, regiſque jam adventantis præambulo fuit Johannes Baptiſta. *Lex enim ac prophetæ*, ac omnino vetus ille Eccleſiæ ſtatus, *uſque ad Johannem* duravit, Matth. 11: 13. cujus adventu fata in melius commutata ſunt, ac Dei regnum, non ſine motu, explicare ſeſe cœpit. *A diebus vero Johannis Baptiſtæ uſque nunc regnum cælorum vim patitur* (vel vim facit) *& vim facientes rapiunt illud*. Matth. 11: 12.

Rege Chriſto.

XIV. Chriſtus ipſe, Rex Eccleſiæ, quanquam à nativitate Rex erat, diſſimulatâ tamen plerunque majeſtate in terris egit: niſi quod miraculis & doctrina eam nonnunquam oſtenderit. Verum tenuia erant illa initia. Poſtquam autem è morte revixit, ac in cœlum aſcendit, tum demum publicè regem faſſus eſt; atque inde potiſſimum regni ejus faſti originem ſumunt. *Hunc Jeſum ſuſcitavit Deus — Certo ſciat ergo tota domus Iſraelis, quod Deus hunc fecerit Dominum & Chriſtum* &c. Act. 2: 32, 36. *Et nunc glorifica me, tu, Pater, apud te, gloria, quam habui, priuſquam mundus eſſet, apud te.* Joh. 17: 5. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* Matth. 28: 18.

à quo eſt Eccleſiæ

XV. Regia ejus functio duabus potiſſimum partibus conſtat, Eccleſiæ *gubernatione* & *defenſione*.

tum gubernatio,

XVI. *Gubernat* eam, tum *verbi*, tum *Spiritus* efficacia. *Scipionem robuſtum tuum emiſſurus eſt Dominus Zione* &c. Pſal. 110: 2. *Sceptrum re-*

ctum eſt ſceptrum regni tui. Pſal. 45: 7. *Et ego rogabo patrem, & alium advocatum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in ſeculum, Spiritum veritatis, quem mundus accipere non poteſt.* Joh. 14: 16, 17. *Vos autem non eſtis in carne, ſed in ſpiritu: ſiquidem Spiritus Dei habitat in vobis.* Rom. 8: 9.

tum defenſio. XVII. Cumque nec hoſtes, nec certamina ipſi deſint, non homines ſolum ac mundus hic, qui Chriſtum regnantem plerunque dedignantur; ſed præſertim inteſtina vitia, atque homo ſibi ipſi parum concors; & dæmonum denique vis ac furor, ac multiformes orci peſtes; quæ tum interno tumultu, tum externa vi ac terrore fideles quotidie infeſtant; ab omnibus illis tutos ac invictos ſuos Chriſtus præſtat. Ut fruſtra infernalis lupus ovile Domini circumgemat; cum æternæ paſtoris noſtri excubiæ gregem ſuum ab ejus rabie defendant; nec ulla unquam ovicula inferni raptoris præda fiat. *Simon, Simon, ecce Satanas appetit vos, quos ventilaret ſicut triticum: ſed ego deprecatus ſum pro te, ne deficiat fides tua.* Luc. 22: 32. *Qui virtutis Dei præſidio cuſtodimini per fidem, ad ſalutem paratam revelari.* 1 Pet. 1: 5. *Quis nos ſeparabit à charitate Dei? num afflictio, num anguſtia, num perſecutio, num fames?—imo in his omnibus amplius quam victores ſumus per eum qui dilexit nos. Nam mihi perſuaſum eſt, neque mortem, neque vitam, neque angelos, neque principatus, neque poteſtates, neque præſentia, neque futura, neque ſublimitatem, neque profunditatem, neque ullam rem aliam conditam poſſe nos ſeparare à charitate Dei.* Rom 8: 34. &c.

XVIII. A gubernatione fluit vocatio, reſipiſcentia, fides, nova obedientia; itemque dona illa extraordinaria, quæ naſcentis Eccleſiæ originem illuſtrarunt, nunc autem conſtituta ea ac firmatâ, neceſſaria non ſunt. A defenſione ejus eſt fidelium perſeverantia, crebræ Eccleſiæ liberationes, hoſtium vel converſio, vel interitus; tandemque peracto certamine fidelium coronatio & glorificatio. Ut ſatis pateat, non alium quam Chriſtum, Deum, Eccleſiæ caput ac regem eſſe poſſe, cum non alius ab illo munia iſta explere poſſit; Papam autem, vel quicunque Chriſti vices ſubire, ac ſupremam in Chriſti populum auctoritatem ſibi arrogare audet, eſſe Antichriſtum. *Nam fundamentum aliud nemo poteſt ſtatuere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Jeſus Chriſtus,* 1 Cor. 3: 11. con. Eph. 2: 20, 21.

Adjuncta regni hujus. XIX. *Adjuncta* regni hujus illud ab imperiis terrenis aperte diſterminant. Imperat enim Rex noſter in ipſas animas hominum, iiſque leges figere, ac pœnas ſtatuere poteſt. *Ne timete vobis ab iis,*

qui

qui trucidant corpus, *animam autem non poſſunt trucidare: ſed timete potius eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehenna.* Matth. 10: 28. Nec ſolum externo miniſterio virtutum præcepta docere, ſed & per Spiritum ſuum eadem animis potenter inſinuare novit: *Hoc illud eſt fœdus — indam legem meam menti eorum, & cordi eorum inſcribam eam.* Jer. 31: 33. Diſpenſat præterea abſolutiſſima poteſtate vitam & mortem æternam, ac ultra ſæculi hujus curſum dominatu ſuo pervadit; & inferni carcerem ac cœli gaudia ſolo nutu, pro ſingulorum meritis, deſtribuit. *Habeo claves inferorum & mortis.* Apoc. 1: 18. Denique regnum ejus æternum ac incorruptibile eſt. *Temporibus regum iſtorum ſuſcitabit Deus cœli regnum, quod in ſæcula non deſtruitur.* Dan. 2: 44.

An illius detur finis?

XX. Finem enim Chriſti regnum ignorat. Cum & Deus, & mediator, ac ſupremum Eccleſiæ caput perpetuo manſurus, nec ab iſto faſtigio unquam deſcenſurus, aut gloria ſua cariturus ſit. Quæ enim ex verbis Apoſtoli, 1. Cor. 15: 24, 25. nectitur difficultas, recto explicatu facile diſſolvi poteſt. De regno enim Chriſti in terris medios inter hoſtes, deque pugnis ac certaminibus ejus, eo loci Apoſtolus agit, ac finem eorum prædicit, deque Chriſti ac Eccleſiæ victoriis loquitur. Atque hoc eſt quod ait, *poſtea finis erit*. præſentis enim regni faciem tantum mutandam toto contextu narrat. Ac ſimili modo Chriſtus *regnum Patri tradet*, regnum videl. in terris geſtum conſummatum ac pacatum exhibendo, non in terra amplius, ſed in cœlo regnaturus. Niſi potius paſſivè per *regnum Chriſti* ipſam ejus Eccleſiam, ex terris aſſertam & victricem, ac poſt longum exilium cœlo redonatam, intelligas. Quod eſt eam *Patri tradere*, h. e, triumphantem cœlo inducere, ac ante ora Patris *ſiſtere*, *glorioſam*, *Eccleſiam non habentem maculam aut rugam*, *aut quicquid talium*, *ſed ut ſit ſancta & ſine vitio*, Eph 5: 27. Atque ita etiam *filius ſubjicietur Patri*, ℣. 28. nempe in corpore ſuo myſtico, ac in Eccleſia illa, cujus princeps & caput eſt: *Ecce ego, & pueri mei, quos donavit mihi Jehova*, Jeſ. 8: 18. coll. Hebr. 2: 13. Qui ſtatus præſentis finis regno gloriæ initium ac auſpicium dabit.

Socinianorum errores circa regni Chriſti

XXI. Componendi nunc cum hiſce veniunt adverſariorum, ac præcipue Socini de regno Chriſti errores; qui potiſſimum circa initium, naturam, amplitudinem, ac denique durationem ejus verſantur. Quos & alibi (præſertim ubi de filii divinitate) tactos, enumerare tantum ſufficiet.

initium;

XXII. Ac regem quidem Chriſtum recentem ac modernum

tantum faciunt, ex quo videl. devicta morte in cœlum aſcenderit, ac triumphalia adeptus fuerit, juxta Matth. 28: 19. *Data eſt mihi omnis poteſtas* &c. Joh. 17: 5. *Et nunc glorifica me, tu, Pater, apud te, gloria, quam habui, prius quam mundus eſſet, apud te.* 1 Pet. 3: 22. *Qui eſt in dextra Dei, ingreſſus in cœlum, ipſi ſubjectis angelis, & poteſtatibus, & potentiis:* diverſa regni ejus tempora, vel clariora, vel minus illuſtria, diſcernere non valentes. Sub Vet. enim Teſt. prorſus regnaſſe nolunt; &, ſi qua regni Meſſiæ ibi mentio, id de regno tantum aliquo terreno à piis tum intelligi potuiſſe aſſerunt.

naturam, XXIII. *Naturam* deinde regni ejus talem tradunt, ut illud Patri ſubordinatum, atque ab eo dependens ſit; utpote ab eo donatum. Patrem enim in Vet. Teſt. ſolum regnaſſe, in Novo autem Teſt. Chriſtum ſocium ac collegam adſciviſſe, diviſumque cum eo imperium poſſidere; ac, ſervato ſibi reliquo mundo, Eccleſiam potiſſimum ipſi regnandam tradidiſſe, docent. Quanquam illud quoad exercitium rurſus abſolutum & independens faciant. Quæ pugnantia ſunt.

amplitudinem XXIV. De *amplitudine* regni ejus ita philoſophantur: *Eccleſia* finibus imperium ejus contineri; circa *res* autem *alias* non aliter quam in quantum Eccleſiæ uſus poſtulat verſari: naturale autem Chriſti regnum *in cœlum ac terram* abnegant, ſolique illud patri creatori ac conſervatori tribuunt. Ac Dominum quidem *angelorum* quoque eum fatentur, ſed poſt exaltationem demum dominum factum. Quando & in *diabolos* poteſtatem acceperit, ad eos nunc quidem ſceptro ſuo coërcendos, extremo autem fine abolendos. Et quid de animabus piorum atque impiorum ſtatuant notum eſt. Ut in anguſtum exeant quæ alioquin tam magnificè de Chriſti regno, independente & abſoluto, jactant.

& finem. XXV. Denique, ut Chriſtum regem nuper factum aſſerunt, ita eundem regem πρόσκαιρον & ἐφήμερον facere non dubitant. Ut enim illum poſt quatuor annorum millia ſub N. T. demum regnare cœpiſſe ajunt, ita die noviſſimo regnum abdicaturum, ac de rege ſubjectum ac privatum rurſus futurum docent. Cum autem nunc in multis anguſtiis Eccleſiam regat, ac extremo demum mundi actu, in celebri illo humani generis comitio ac judicio, ſeſe verè regem ac Eccleſiæ vindicem præſtiturus ſit, hoſtibus ejus reſuſcitatis publice damnatis, ac una cum diabolis æternum perire ſive annihilari juſſis, revera unicum tantum diem pleniſſime Chriſtum regnaturum ferunt. Quod manifeſtè verbis angeli repugnat,

Luc,

Digitized by Google

Luc. 1: 33. *Et regnabit in domum Jacobi in ſecula, & regni ejus non erit finis.*

CAPUT XVI.

De Chriſti obedientia.

I. VIta autem Chriſti publica laborum, calamitatum ac *Vita Chriſti*
miſeriarum plena fuit. *Tunc dicit ei Jeſus, vulpes habent ærumnoſa*
luſtra, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non fuit.
habet ubi caput reclinet, Matth. 8: 20. Quanquam ignominia & mendicitas abfuerint; quam non piè ſatis mendicantium familiæ in papatu Chriſto adſcribunt.

II. Utque ad hominum præcipuè calamitates mollis & tener erat, *cum ſenſu*
ita intimo earum ſenſu tactus illacrymaſſe iis ſæpenumero legitur: *miſeria no-*
1. ad ſepulchrum Laſari, Joh. 11. 2. ſuper Judaicæ gentis excidio, *ſtra*
quod jam tum prævidebat ac prædicebat, Luc. 19. 3. denique ſuper univerſo genere humano. *Qui in diebus carnis petitiones & ſupplicationes — cum clamore valido & lacrymis obtulit.* Hebr. 5: 7.

III. Eminuit vero in vita ejus *obedientia* illa perfectiſſima. Unde *in ea præci-*
Paulus Phil. 2: 7. Cum dixiſſet, cum *formam ſervi accepiſſe*, addit *puè eminuit*
com. 8. quod *ſemet ipſum ſubmiſerit, factum obedientem*, &c. Sicut & *OBEDIENTIA*
inde per *ἀντονομασίαν ſervus Jehovæ* appellatur, Eſai. 42: 1, 19. 43: *Chriſti:*
10. 49: 3, 5. 52: 13. 53: 11.

IV. Dupliciter autem eam debuit; tum qua *homo* & creatura, *duplici re-*
quæ Deo ſubjecta eſſe neceſſario debebat, à quo nexu ne nunc qui- *ſpectu ab*
dem in gloria ſolutus eſt; tum qua *ſponſor* (licet ordine naturæ ſpon- *ipſo præſti-*
ſio præceſſerit, ex qua aſſumtio naturæ humanæ profluxit) quate- *ta.*
nus legi ſe ultro ſubjecit, & peragendæ ſaluti noſtræ certum obedientiæ curriculum implevit. Qui appellantur *dies carnis* ejus. Heb. 5: 7, 8. De quo vide lib. 2. cap. 15. §. 8, 9.

V. Cum enim θεάνθρωπος foret, ac ſine ullo certamine ac mora beatitudine potiri poſſet, ad illud obedientiæ curriculum, legiſque poſtulatum, pro ſeſe quidem non tenebatur; neque hoc pacto ſub lege erat. Poſtquam autem ex ſponſione hominem induerat, jamque homano generi in ſummam miſeriam lapſo ſuccurrere poterat, amor certè ille immenſus, ac charitatis ardor, quo proximum ſuum, Deique gloriam adamabat & quærebat, ipſum ad mediatorium munus capeſſendum, & perfectam illam obedientiam præſtandam urgere non ceſſabat.

 VI. Qui

VI. Qui eo major ac admirabilior fuit, quod ex tanto faſtigio (θεάνθρωπος quippe jamque filius & hæres omnium, ab ipſo aſſumtæ carnis initio erat) deſcendere, & gloriam ſuam humani generis neceſſitatibus poſthabere, jamque paratâ beatitudine ad tempus carere, atque infimas denique calamitates & crucem ipſam perpeti maluit; ut eam tanquam operæ impenſæ præmium & mercedem acquirere, hominemque ſervare, eorumque caput & ad ſalutem dux fieri poſſet.

idque quam perfectiſſime. VII. Perfectiſſima autem fuit hæc ejus obedientia, tum ſanctitate animæ habituali, tum actuali ejuſdem præſtatione, & divinæ legis obſequio; denique conſtanti & ad finem uſque currente perſeverantia, conſtans. Hæc enim requirebantur ad *δικαίωμα* legis implendum, quæ juſtitiam non habitibus ſolum, ſed præcipuè actibus circumſcripſerat ac definierat.

VIII. Nec dirimenda obedientia ejus *activa* ac *paſſiva*. Utramque enim noſtro nomine debuit; tum vitæ tum mortis obedientiam. Ac in paſſionibus obedientia ejus vel maxime ſeſe exeruit; ac charitas præcipuè emicuit, tum vel maxime circa hominum ſalutem laborans & operans, tantoque experimento prorſus conſummata.

Cui obedientia renunciare non potuit. IX. Quam ipſius obedientiam ut perimit *Durandi* blaſphemia, qui Chriſtum peccare ac damnari potuiſſe non ſine flagitio docuit: ita non parum lædunt eam *Remonſtrantes*, dum eundem mandatum munus ſine crimine deponere potuiſſe aſſerunt. Quæ quantopere Dei fœderi ac teſtamento, Chriſti ſponſioni, ac denique fidelium ſpei ac fiduciæ adverſentur, lib. 2. cap. 15. §. 16, 17. vidimus.

Ita obediens fuit per omnem vitam. X. Ita ergò non ſolum officiis omnibus legis naturalis ſeu dilectionis, cui omnis homo ſubjectus eſt, defungi voluit, verum etiam majoris humiliationis & ſubjectionis ſervilis teſtandæ ergo, legibus Dei poſitivis propter peccatum impoſitis illudque commemorantibus, ſe ſubmiſit; ut hac ratione ſe peccata noſtra in ſe ſuſcepiſſe teſtatum faceret. Hinc circumcidi ſe paſſus eſt, Luc. 2: 21, (ut in ipſo nobis obſignaretur conſummata circumciſio, Col. 2: 11.) oblationemque pro ſe, tanquam immundo, offerri, com. 22, 24. Ita etiam aliis legibus ceremonialibus ſe ſubjecit; Paſchatis feſtum celebrando, Luc. 2: 42, 43. & Hieroſolymam circa tempora feſtiva adſcendendo; quod paſſim hiſtoria Euangelica teſtatur. Ipſe tamen non obtulit victimas, nec pro ipſo illæ unquam nominatim oblatæ leguntur. Civem reipublicæ iſtius ſe etiam profeſſus eſt, ut vel ex didrachmi perſolutione patet, Matth. 17: 24. & ſeqq.

Nec

Digitized by Google

Nec minus ſacramentis N. T. initiatus eſt: baptizatus, Matth. 3:16. 17. & S. Cœnæ æque, ut videtur, conviva, quam ejus auctor, Matth. 26:29. Ita nimirum *omnem juſtitiam implens.* Matth. 3:15. Quin non Deo ſolum minor eſt factus. Joh. 14:28 ſed & diis reliquis ac Eccleſiæ iſtius dominis, h. e. angelis reliquiſque poteſtatem habentibus, & veteris populi tutoribus. Ita *minor pauliſper factus eſt angelis*, Hebr. 2:7. ſubjectus nimirum legi, angelorum miniſterio latæ, iiſque vindicibus munitæ, Act. 7:55. & *ſervus* factus *poteſtatem habentium*, Eſai. 49:7. Ne jam dicam de obedientiæ ejus colophone, quem ſuperaddit tandem Apoſtolus Phil. 2:8. *Factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Per quam mortem ſervitus ipſius finita eſt; de quo ſuo loco.

Quantum miniſterii ipſius publici fuerit curriculum?

XI. Quæri hic ſolet de obedientiæ Chriſti ſpatio ac curriculo, quot annos in publico miniſterio egerit? Quos certo definire non licet. Probabiliſſimus vero calculus eſt, qui à numero paſchatum, quorum in hiſtoria Chriſti mentio eſt, deſumitur. Quæ alii quatuor, nonnulli quinque numerant. Quatuor colligunt ex locis, Joh. 2:13, 14. cum purgaret templum; & c. 5:1. cum ſanaret paralyticum circa piſcinam: coll. cum c. 4:35. *Nonne vos dicitis, adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis veniet?* & c. 6:4, 9, 10. cum turbam miraculoſe paſceret: denique θανάσιμον ejus paſcha occurrit Matth. 21:12. cum rurſus purgaret templum. Hiſce quatuor autem quidam quintum, ex Luc. 6:1. ſuperaddunt, ubi σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ mentio fit. Cum verò hic ipſe numerus non prorſus certus ſit, ut in re non omnino liquida, rectius alii ſibi ſtatuere videntur, Chriſtum anno 30 ineunte miniſterium incepiſſe, Luc. 3:23. ac anno 33 decurrente abſolviſſe. Ut omne id ſpatium vitæ publicæ trium annorum ac dimidii ſit. Quo alludi putant Luc. 13:7. *Ecce tres annos venio, quærens fructum in ficu hac, & non invenio, exſcinde eam.* Cum vero duo duntaxat Paſchata Chriſti à baptiſmo ejus exacta adſtrui ſolide poſſint; rectius ſtatuiſſe videntur veterum illi, qui multò contractius illud miniſterii Chriſti publici curriculum ponendum eſſe crediderunt.

LOCUS

LOCUS TRIGESIMUS QUINTUS
DE
HUMILIATIONE CHRISTI.
CAPUT XVII.
De Chriſti Paſſionibus.

Chriſti exinanitionem excipit ejus humiliatio.

I. DUplici quaſi facie, duplicique gradu, circa hæc probe notando, contemplandum nobis ſeſe objicit ſtatus humiliationis Chriſti. Quorum alter gradus dicitur κένωσις ſeu exinanitio & evacuatio, qui conſtitit in incarnatione, & forma ſervi accepta; quem hactenus explicatum dedimus. Reſtat alter gradus expediendus, ταπείνωσις dicta, quæ exinanitæ jam deitatis, totiusque perſonæ quædam fuit depreſſio; quando velut radix è terra, in paſſionibus & morte ſua fuit conculcatus. Fundus hujus diſtinctionis eſt ad Phil. 2: 7, 8. *Se ipſum ἐκένωσε exinanivit, aſſumens formam ſervi — & ἐταπείνωσε humiliavit, dum ſe præſtitit obedientem uſque ad mortem, mortem autem crucis.*

Quò pertinent ejus PASSIONES.

II. Paſſionum nomine veniunt hic omnia ea, quæ Chriſtus, præter naturalem voluntatis ſuæ propenſionem propter peccata noſtra tulit. Nam ea demum eſt paſſio, quæ invito homini accidit, & naturali corporis conſtitutioni, indeque ortæ mentis proclivitati contraria eſt: non tamen hæc tollunt, quin ſponte quis patiatur; atque ita Chriſtus, ipſe lubens ſe invitum vicit, atque illam naturæ imbecillitatem, prolixa in homines voluntate ſuperavit; ut *zelus domus Dei ipſum*, hoc modo etiam *devoraverit*. Joh. 2:17. Siquidem *pro propoſito ipſi præmio, ſuſtinuit crucem*, Hebr. 12: 2. & ſic quidem, ut *nemo vitam tollat ab ipſo, ſed ipſe ponat eam à ſe ipſo*. Joh. 10: 19. Ita memoratur *labor animæ ejus* Eſai. 53: 11. quo ſcilicet ſe ipſam etiam expugnavit, & *ſe ipſam effudit in mortem*. com. 12. conf. Joh. 21: 18. *Quum ſenueris extendes manus tuas, & alius te cinget, & feret quò non vis*. Item Joh. 10: 11. Gal. 2: 10.

III. Strictiori autem ſignificatu, illæ appellantur paſſiones, quas Chriſtus proximis duabus ante mortem diebus perpeſſus eſt. Nihilominus tamen ad eas referuntur, omnes infirmitates, contumeliæ, paſſiones & dolores, quos ab inde exordio vitæ tulit; quæ ipſi in pœnam irrogata fuiſſe, vel hinc conficitur, quod *noſtri cauſa pauperem factum fuiſſe* doceat Paulus 2 Cor. 8: 9. ex qua paupertate, ſimili ratione, de reliquis etiam malis ejus putare debemus.

IV. Ha-

Digitized by Google

IV. Harum rerum non ignaros fuiſſe veteres luculenter teſtatur Petrus 1. Epiſt. 1: 11. utpote quibus teſtificatus fuerit Spiritus, paſſionem Chriſti, non unam & ſingularem, ſed παθήματα, numero plura. Sicut inde etiam tam celebres ſunt apud Judæos Meſſiæ dolores, חבלי המשיח. Vide Act. 26: 23.

V. Paſſionum harum *ſubjectum*, pro vario conſiderandi modo, dicitur vulgo vel *ſubjectum quod*, vel *quo*. *Illud* eſt perſona Chriſti; *hoc* humana ejus natura. Paſſa quidem tota eſt perſona, at paſſa tantum in *carne*. 1. Pet: 4: 1. Hebr. 5: 7, 8. Quæ caro non corpus ſolum notat, ſed & animam; ut utriuſque fuerint paſſiones, eæque iterum vel *in genere damni*, vel *in genere ſenſus*. de quibus conſulendi auctores. Corporis vero paſſiones non ita dicimus, ac ſi corpus ipſum etiam doleret, aut ſentiret, quod menti proprium eſt; ſed dolor corporis ille vocatur, quem anima percipit, ex turbato & male affecto corpore; vel qui, per corpus, tanquam per inſtrumentum animæ ſufficitur, aut cujus occaſionem per ſenſus exteriores præbet: quibus omnibus Chriſtus obnoxius fuit. Dolor autem animæ eſt, quem citra læſionem corporis aut occaſionem per illud exhibitam proxime in anima ſuſtinuit. De quibus doloribus generalius agit Paulus Hebr. 5: 7. *Qui in diebus carnis petitiones & ſupplicationes ad eum, qui poterat eum ſalvum facere ex morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, eſt exauditus à metu.* Specialius autem eos exprimunt Euangeliſtæ, Matth. 26: 37, 38, 39, 42, 44. Luc. 22: 43, 44.

qua veteribus nota fuerunt.

VI. Alienum igitur à veritate ſtatuunt Pontificii, quaſi ſatis fuiſſent dolores corporis, nec anima Chriſti pati debuiſſet: contrarium enim evincunt loca Eſai. 53: 10. *Ubi poſuit ſatisfactionis pretium, anima ejus videbit ſemen.* Luc. 22: 41, 44. Matth. 27: 46. *Deus mi, Deus mi, cur me deſeruiſti?* vid: 1. Cor. 6: 20. Inſulſe etiam iidem cum Thoma excipiunt, dolores illos tantum fuiſſe in parte animæ inferiori, aut ex ſympathia ejus cum corpore: commentitia enim eſt iſthæc animæ diviſio, cum eadem anima indiviſa ſentiat atque intelligat. Tum etiam ipſe in ſe ipſo, non ex ſympathia tantum, maledictionem tanquam ſponſor noſter ſubſtulit Chriſtus, *factus pro nobis execratio.* Gal. 3: 13.

Illarum in genere conſideratarum ſubjectum,

VII. Ingens fuit harum perpeſſionum cumulus: *In eo enim quod paſſus eſt ipſe quum tentaretur, poteſt iis qui tentantur, auxiliari.* Hebr. 2: 18. *Tentatus per omnia ad ſimilitudinem abſque peccato.* Hebr. 4: 15. Tentationes enim ipſi tum ab hominibus, tum à diabolo, tum etiam à Deo Patre ſuo obvenerunt. Quid ab hominibus ſuſtinuerit

diverſitas & magnitudo.

Digitized by Google

notum eſt. Concertationem cum diabolo tentationeſque ejus, juxta primævum oraculum Gen. 3: 15. ſibi imminentes ipſe indicavit Joh. 14: 30. *Venit princeps hujus mundi & in me non habet quicquam.* Quo etiam reſpexiſſe videtur Luc. 22: 53. *Hæc eſt hora illa veſtra & poteſtas tenebrarum.* Denique à Deo ſe *deſertum* in cruce pendens conqueſtus eſt Matth. 27: 46.

Ita tamen, ut abfuerit ab iis 1. durationis æternitas.

VIII. Tenenda hic ſunt duo, 1. Paſſionem hanc Chriſti, licet pœnarum noſtrarum vim omnem quoad intenſionem quaſi exhauſerit, non tamen æternitatem earum tuliſſe: temporis enim infinitatem, infinita perſonæ dignitas recompenſavit; in cujus perſonæ omnigena ſubjectione tam in vita, quam in morte, qua ſeſe Patri ſubjecerat, ſatis luculenter apparuit ira Dei adverſus peccatum; atque integer honos independentiæ Deo ampliſſime reſtitutus eſt, quem noſtra illi ereptum iverat inobedientia: quare non eadem Chriſti ac noſtri erat ratio, qua æterna nobis pœna ſubeunda erat, quod honorem illum Deo nunquam reſtituere liceret.

2. omnis peccati labes.

IX. 2. Nec minori etiam cum jure, omni peccati culpa abſolvendus eſt Chriſtus, in omnibus ſuis paſſionibus; nam licet peccatum ſæpe peccati pœna ſit, ipſaque pœna peccatum pariat, non tamen ad eſſentiam pœnæ pertinet; ſed adjunctum quoddam eſt in peccatoribus, illis accidens; ideoque illud in Chriſto uſu venire non potuit. Nihil enim erat in illo, quod ingruente quaſi pœnarum vento turbari poſſet. Ut nullus omnino blaſphemiæ locus fuerit in Chriſto; qui Deum dilexit vel in media pœna, lubenſque eam ſubiit. Joh. 14: 31. *Ut cognoſcat mundus, quod diligam Patrem, & quemadmodum præcepit mihi Pater, ita faciam.* Remotiſſimus etiam fuit ab omni murmure & deſperatione: non enim damnatorum, ſed damnandorum pœnas ſuſtulit: quin nec ipſa hæc mala, propriè ad pœnas infernales ſpectant, quarum auctor eſt Deus; ſed tantum iis accidunt in homine damnato; à Chriſto vero alieniſſima fuerunt. Matth. 26: 39. *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me poculum hoc; ſed non ut ego volo, ſed ut tu.* Act. 2: 24. *Quem Deus reſuſcitavit, quum ſolviſſet dolores mortis, ſicut non erat poſſibile, ut ipſe ab illa teneretur.* Joh. 2: 19. Matth. 20: 18, 19.

Pontificiorum hic diabolismus.

X. Inſignis igitur Pontificiorum diaboliſmus eſt, noſtros, & præcipue Calvinum, hujus tam fœdæ blaſphemiæ accuſare; ac ſi Chriſtum deſperaſſe diceret; quo nihil falſius eſt, cum, objectionem ex adverſariorum ſententia fingens, Chriſto tantum deſperationis vocem tribuat, id eſt, qualem homines ferme ex deſpera-

ſperatione edere ſolent; non vero qualis ipſius Chriſti revera fuit ut ipſe hoc propius explicat. Vide eum in Harm. & Inſtit. l. II. c. 16. §. 12. Nihilo æquius ex ejus verbis conficiunt Chriſtum cruciatus damnati hominis pertuliſſe; cum ſolummodo eas tuliſſe velit, quibus obnoxius fuiſſet homo damnatus; & ſpeciatim damnationem pro condemnatione intelligat.

XI. Atque ita delibavimus quædam quæ huc pertinent, nunc ipſam porro aggrediamur paſſionem; cujus partes præcipuæ tres ſunt. I. mortis antecedanea. II. mors ipſa. III. mortem conſequentia. *Paſſionum Chriſti ſpeciales partes.*

XII. Antecedanea mortis fuerunt vel in horto; vel in ipſa crucifixione, eique adjunctis malis & circumſtantiis. In horto fuit I. ipſa agonia. 2. effectus ejus; tum in ſudore ſanguineo; tum in vehementiſſima deprecatione. Eſt quidem proprie agonia, vitæ mortiſque confinium & inter utramque quaſi certamen; hic vero notat, certamen Chriſti cum extremis doloribus & animi angoribus ex tentationibus Satanæ, aliiſque cauſis, mox dicendis, atque inde natum horrorem: tum in genere damni, tum ſenſus, ut loquuntur: caruit enim gaudio, quippe divinam gratiam, tot doloribus ſtupefactus, ſentire non poterat; lethalis quoque triſtitia animum ejus affecit. Math. 26: 37, 38. *Incipiebat contriſtari & angi — valde triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Joh. 12: 27. *Nunc anima mea turbata eſt* Luc. 22: 44. *Et conſtitutus in agone intentius orabat. Erat autem ſudor ejus* &c. *Mortis antecedanea I. in horto; agonia ejus.*

XIII. Hujus quidem horroris cauſa fuit, non metus naturalis mortis, ſic enim infirmior eſſet Chriſtus multis martyribus; verum tentationes Satanæ. *Tu conteres ipſum quoad calcem.* Gen. 3: 15. quibus procul dubio acceſſerunt, ſenſus iræ divinæ, & συμπάθεια cum Eccleſiæ ſuorumque tentationibus & malis. Quare mors ejus alterius omnino generis fuit, ac mors martyrum, conjuncta quippe cum ſenſu judicii divini & aculeo peccati. 1. Cor. 15: 56. *Stimulus autem mortis, peccatum: vis autem peccati lex.* *Illius cauſa.*

XIV. Significatum hoc fuit per calicem illum, qui Chriſto oſtenſus fuit; hoc velut emblemate exprimente genus loquendi inter illas gentes de doloribus perferendis frequentatum. Perverſe hunc calicem *Smalcius* refert ad angorem illum animi & corporis antequam caperetur; ac ſi tantum conſtitiſſet in illo metu mortis jam imminentis; pariter ut *Epiſcopius* προπάθειαν illam Chriſti in horto, compoſitam arbitratur fuiſſe ex omne genus doloribus & ærumnis piorum in hac vita, quibus Deus Chriſtum hic proxime & totum delibutum & immerſum dediſſet; ut *miſericors* eſſet *Pontifex*. Heb.

M 2 2: 17,

Digitized by Google

2:17, 18. *Unde debuit per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret & fidelis ſacerdos* &c. Heb. 4:15. *Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, ſed tentatum per omnia ad ſimilitudinem, abſque peccato.* Hæc enim eo ſpectant, ut ſenſum iræ divinæ à Chriſto amoliantur, eamque propter peccata noſtra ipſum ſubiiſſe negent; quæ tamen utramque hic, ut vidimus, fecerunt paginam.

effectus: in ſudore ſanguineo

XV. Sequuntur effectus hujus ἀγωνίας; quorum primus eſt, quod ſanguinem ſudaverit, Luc. 22:44. qui ſudor ſanguineus, verus fuit; non enim particula ὡσεὶ hic ſimilitudinis, ſed veritatis nota eſt. Sic Joh. 1:14. *Ut unigeniti à Patre.* Luc. 24:11 ὡσεὶ λῆρος. Fuit etiam in illo Chriſti ſtatu naturalis; quemadmodum omnium ejus ſymptomatum naturales cauſæ & exempla prorſus gemina, in ſummis angoribus, reddi poſſunt. Refertur huc à quibuſdam locus Gen. 49:11. *Juda lavat in vino indumentum ſuum & in ſanguine uvarum, tegmen ſuum.* Magis autem huc reſpicitur ab Eſaia cap. 63:2. *Quare rubrum adeſt veſtimento tuo, & veſtes tuæ ſunt, ut calcantis in torculari.* & com. *Quis eſt veniens ex Edom, maculatis veſtibus Bozra?*

& deprecatione calicis.

XVI. Alter effectus fuit anxia illa deprecatio calicis, ut tranſiret, ſi pote. Matt. 26:39. *Si poſſibile eſt, tranſeat à me poculum hoc; ſed non ut ego volo, ſed ut tu.* ſive hora. Marc. 14:35. Joh. 12:27. *Salva me ex hora hac.* quas preces tertia vice iteraſſe legitur Matth. 39: 42, 44. Ita ut non abſoluta fuerit hæc deprecatio, ſed ea lege, ſi Patris voluntati conſentanea eſſet; neque adeo Chriſtus per eam indicavit conſtantem voluntatem ſuam; ſed potius naturæ deſiderium, quæ mortem non horrere non poteſt; ut non tam diſerta & articulata fuerit Chriſti vox, quam extortum naturæ dolenti ſuſpirium. Quare citra peccatum omnino fuit hæc correctio, ſeu anticipatio; cum *Chriſtus etiam ex iis quæ paſſus eſt, obedientiam didicerit.* Hebr. 5:8.

Moderatio in hac agonia Chriſti.

XVII. Non defuit huic paſſionis quaſi antecœnio modus etiam ſuus & remiſſio, qua reſpirare aliquantum & ad ſe redire datum eſt; ut par eſſet & locus concederetur officiis ab eo præſtandis. Fuit autem hæc remiſſio vel interna; vel externa. Interna erat, quando animus ex anxietate maxima paululum relaxatus ad hominum curam & officia iis debita ſe advertebat. Hebr. 5:9. *Et conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ.* Externa vero ex angeli conſolatione ipſi fuit collata, Luc. 22:43. *Apparuit vero ipſi angelus è cælo, corroborans ipſum.* Unde aqua Chriſto quaſi aſperſa, & otium datum eſt, in depreſſiſſima hac humiliatione, etiam miracula præſtandi; ut ne tunc quiden ulla in parte officiis ſuis defuerit.

XVIII. Ex

Digitized by Google

XVIII. Ex hoc propylæo quaſi, in ipſum paſſionis adytum deducimur; ubi inſolito Judæis ſupplicio, lurida mortis imago ſe conſpiciendam præbet; ubi medio in monte, ſtipes erectus cum antenna, & cruciarius adſtat, cruci ſuffigendus; mortis genus atrociſſimum, tum vero ſervile & ignominioſum valde; prædictum tamen de Meſſia: *Cœtus maleficorum me cingunt, foderunt manus meas & pedes meos.* Pſal. 22: 17. & 69: 22. *Et dederunt in cibo meo* (vel *refectione mea*) *venenum, & in ſiti mea potarunt me aceto.* Eſai. 53: 8. *Exciſus eſt ex terra viventium propter defectionem populi mei* Zach. 12: 10. & 13: 7. *Gladie excitare in paſtorem meum & in virum proximum meum* (vel, *qui eſt inſtar mei*) *ait Johovah Deus exercituum.*

2. in Cruce.

XIX. Quam mortem Chriſtus non fortuito adiiſſe cenſeri debet; cum maledictio legalis neceſſario hanc illi irrogaret; quippe quæ à Chriſto erat auferenda; illa vero ſpeciatim incumbebat illi, qui è ligno ſuſpenſus erat. Deut. 21: 23. Non enim omnia peccata expiàbat, aut omnem maledictionem tollebat Lex. *Non delectaris ſacrificio, alias darem: holocauſtum non accipis. Sacrificia Dei* ſunt *ſpiritus fractus.* Pſal. 51: 18, 19. Quinimo quoſdam ipſos peccata ſua, id eſt, pœnam eorum ferre jubebat; maledicens talibus quantum in ſe erat. Gal. 3: 10. *Quotquot enim ſub operibus legis ſunt, ſub maledictione ſunt.* in cujus maledictionis ſignum graviores peccatores è ligno ſuſpendebantur. Gal. 3: 13. *Maledictus omnis qui pendet è ligno:* hanc igitur maledictionem ut tolleret Chriſtus, ipſe eam prius ſubire, & è ligno ſuſpendi debuit. Joh. 3: 14. *Quemadmodum Moſes extulit ſerpentem in deſerto; ita efferri oportet filium hominis.* & cap. 12: 32. *Et ego quum elatus fuero ex terra, omnes traham poſt me.* Item cap. 18: 32. *Ut ſermo Jeſu impleretur, ſignificans quali morte moriturus eſſet.* Ut nulla de cauſa mors hæc Judæis ſcandalo eſſe debeat, cum & prædicta fuerit, & neceſſum etiam, ut mortem hanc oppeteret Meſſias.

illius ſupplicii neceſſitas.

XX. Raptus fuit Chriſtus ad hoc ſupplicium ex ſententia judicis, poſtquam ſe ſtiterat ejus judicio; quo adumbrata fuit forma judicii divini; ſicut eo reſpicit Apoſt. Rom. 8: 32. Ut in hac judiciaria morte appareret ſatisfactio pro peccatis noſtris; quæ in morte naturali non fuiſſet conſpicua. Intervenit hic etiam, ſingulari Dei providentia imperium Romanum; ut ita à toto quaſi orbe, quo illi potiebantur, condemnaretur Chriſtus; & quemadmodum imperium illud, partem aliquam fecerat in ejus nativitate, ita non exiguam hic facit in morte.

eaque interveniente judice Romano:

XXI. Ad externum hoc & diriſſimum ſupplicii genus, acceſſit

In quo acerbiſſimos etiam angores ſuſtinuit.

internus dolor acerbiſſimus, ex iiſdem cauſis ex quibus dolor antea in horto conceptus, animumque ejus afflixit; cujus ingentem paroxyſmum oſtendebat querela illa deſertionis divinæ. Pſal. 22: 2. *Deus mi, Deus mi, quare deſeruiſti me?* conſ. Matth. 27: 46. Quæ facta non naufragio unionis hypoſtaticæ, ſed cohibita, per paulum temporis, virtute divina. *Sed pauliſper præ angelis minoratum videmus Jeſum (qui propter paſſionem mortis gloria & honore coronatus eſt) ut gratia Dei pro omni guſtaret mortem.* Hebr. 2: 9. Ad quem ultimum vitæ ejus articulum præcipuè pertinet illud quod de eo refert Paulus Hebr. 5: 7. *Quod in diebus carnis petitiones & ſupplicationes ad eum, qui poterat eum ſalvum facere ex morte, cum clamore valido & lacrymis obtulerit, & exauditus ſit à metu.*

CAPUT. XVIII.

De morte Chriſti.

Paſſionum Chriſti terminus fuit ipſius MORS.

I. QUemadmodum ſalus noſtra ex uno Chriſto dependet, & in illo conſummatur, quicquid per orbem terrarum ſalvum eſt; ita Chriſtus ipſe, in morte ſua perficitur; quando non ſolum conſummatum eſt, quicquid prophetarum vaticinia prædixerant, ſed ipſe hactenus conſummatus fuit Chriſtus; utpote in quam derivarentur omnes ejus paſſiones, quas noſtri gratia ſubiit; ita ut niſi in hunc tandem finem terminatæ fuiſſent, vanus fuiſſet omnis labor anteactus, & tam pertinaci ſtudio exantlatus; *Mortem* enim *guſtare pro omnibus debebat*, & hac ratione tanquam *princeps ſalutis per paſſiones conſummari*, Hebr. 2: 9, 10. Atque hanc ob cauſam Euangeliſtarum ſinguli certatim, hiſtoriam hanc mortis diligentiſſime referunt.

Illius 1. Veritas.

II. Accuratiſſima autem hæc quatuor Euangeliſtarum enarratio, omnimodo docet veram hanc fuiſſe mortem, non fictam aut ſimulatam. Naturalis quoque fuit, quatenus per cauſas naturales fuit adſcita; at ſupernaturalis eadem fuit, quatenus ex abſoluta ſua poteſtate, vitam lubens poſuit. Joh. 10: 18. *Poteſtatem habeo ponendi eam* (vitam) *& poteſtatem habeo recipiendi eam.* & Joh. 2: 19. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Quare licet maxime violenta, non tamen eo minus voluntaria fuit.

An in ea deſierit eſſe homo?

III. Subnaſcitur hic quæſtio; num mortis hoc triduo, Chriſtus verus fuerit homo? quod merito negatur à Thoma; licet æquivoce homo dici poſſet, id eſt, homo mortuus; non autem univoce.

Quo

Quo vero modo deſiit eſſe homo, eo etiam hactenus deſiit eſſe θεάνθρωπος: licet cæteroquin laxato vinculo animæ & corporis, illæſa manſerit utriuſque unio cum λόγῳ; & ſoluta unione naturali, perſtitit tamen perſonalis. *& θεάνθρωπος.*

IV. Sicut autem immerito noſtram ſententiam criminantur Lutherani; quaſi dicamus merum hominem pro nobis mortuum; cum ſubjectum *quo* quidem referamus ad ſolam naturam humanam; ſubjectum vero *quod* ad totam perſonam θεανθρώπου, ut divinam naturam non excludamus: ita viciſſim è contrario, jure maximo carpendi hic veniunt iidem, qui Deum proprie & ſine tropo, atque adeo ipſam divinam naturam pro nobis paſſam volunt; quin S S. Trinitatis funus, in morte Chriſti, elatum eſſe, quidam eorum dicere ſuſtinent. A quibus non abludunt Anabaptiſtæ Flandri, qui Chriſtum mortuum ſtatuunt in natura divina, & nihil in illo vivum manſiſſe præter Spiritum, quem Patri tradebat; ipſum autem cadaver filium Dei fuiſſe. Ex qua quidem ſententia aut efficietur plures eſſe Deos; ſin vero; triduo illo mortis Chriſti, mundum abſque Deo fuiſſe; quod eadem opera qua recitamus, item refellimus. Deum autem illum diſerte ait Scriptura. *Si enim noviſſent, non crucifixiſſent Dominum gloriæ.* 1 Cor. 2: 8. *Deus Eccleſiam proprio ſanguine acquiſivit.* Act. 20: 28. *Lutheranorum hic error, nec non Anabaptiſtarum.*

V. Veritatem hujus mortis indubitate probavit perfoſſum haſta latus, & flumen illud ſanguinis largiter prorumpens, eumque ſubſecuta ex eodem vulnere aquæ unda. *Unus militum lancea ipſius latus pupugit & ſtatim exivit ſanguis & aqua.* Joh. 19: 34. Cui rei explicandæ non illico ad miraculum, tanquam ad ſacram anchoram confugere neceſſe eſt, cum ex ipſis naturæ legibus & ſolito curſu, ad iſtam cauſam, effectus iſte conſequi debeat. Quid, quod quantum hac in re tribuitur miraculo, tantum à veritate paſſionis Chriſti intervertitur; quem enim nos violaveramus naturæ ordinem, illum non præter ordinem reſtituere oportebat. Effluxerunt autem humores iſti, non indiſtincte, atque promiſcue, ſed ſeparatim; quod graves illæ conteſtationes, & accurata Johannis obſervatio ſatis luculenter docet. Joh. 19: 35. *Et qui vidit, teſtis eſt, & vera eſt ipſius teſtificatio, & ille novit quod vera dicat, ut vos credatis,* & 1. Joh. 5: 6. *Hic eſt Jeſus Chriſtus, qui venit per aquam & ſanguinem, non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine.* At nec lateris hujus tranſactio à Prohetis fuit tacita; utpote quam diſerte prædixerit Zacharias cap. 12: 10. *Et intuebuntur me cum* (eo), *quem transfoderunt, & plangent ſuper* *2. Certitudo, ex perfoſſo ipſius latere.*

Digitized by Google

per illo, ut planctum ſuper unigenito. coll. Apoc. 1:7. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, etiam qui eum transfixerunt.*

1 *Illius myſterium & ratio.* VI. Non enim altiori ſignificatu, aut myſterio caſſum eſt, quod ſtudioſe notat Johannes 1. Epiſt. 5:6. *Chriſtum veniſſe per aquam & ſanguinem.* Quippe docuit ille effluxus, in una Chriſti morte concurriſſe & impletum eſſe, quidquid olim per ingentem illum baptiſmorum apparatum, largiſſimam aquarum profuſionem; per exundantem ſacrificiorum cruorem præfiguratum erat. 1 Joh. 1:7. Eph: 1:7. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ipſius.* Rom. 3:25. Apoc. 1:5. *Qui (Chriſtus) dilexit nos & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Quibus, in quantum erant ſacramenta, cum maxime reſpondent baptiſmus & S. Cœna. Hebr. 10:19, 23. *Habemus igitur fiduciam ad introitum ſanctorum in ſanguine Jeſu — accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aſperſi corda à conſcientia mala & abluti corpus aqua munda.*

VII. Exprimebatur etiam hoc emblemate juſtificatio noſtri, & regeneratio ex aqua & ſanguine Chriſti; id eſt, ex pura ejus obedientia, quæ vim purificandi habet, & merito mortis, ſimul cum potentia Spiritus. *Niſi quis naſcatur ex aqua & ſpiritu, non poteſt intrare in regnum Dei.* Joh. 3:5. Denique etiam per hanc transfoſſionem, ſingulari Dei providentia præoccupatum fuit oſſifragium; quando enim vibrata manu centurionis haſta, latus hauſit apertum, nec ullum vitæ ſignum appareret, ſuperſedere ſolito cæteroquin crurifragio. Joh. 19:32, 33. *Ut viderunt eum mortuum, non confregerunt ipſius oſſa* &c. in quo retulit Chriſtus typum agni paſchalis. Exod. 12:46. *& os non frangetis in eo.* atque explevit, vimque dedit verbo illi conſolationis Pſal. 34:21. *Servat omnia oſſa ejus, unum ex illis non frangitur.*

3. *tempus.* VIII. Atque ita omiſſa ſupplicii capitalis accurata deſcriptione; tum quoque perſonarum, loci, aliarumque rerum circumſtantiis; memorabili præ cæteris eſt tempus, tum quoad periodum annorum, tempeſtatem, menſem, diem denique atque alia, quæ nunc diffuſa omnem in partem cogitatione, exequi non eſt animus. Illud unum obiter adverte, ipſam etiam horam qua Chriſtus mortuus, eandem eſſe quam olim prædixerat angelus apud Danielem, c. 9:21. & ſeqq. *Et vir ille Gabriel, advolitans celeritate maxima pertingebat ad me circa tempus doni veſpertini, & docebat* &c.

4. *neceſſitas.* IX. Morti huic ſumma ſtetit neceſſitas, illa de cauſa, quod Chriſtus noſter ἔγγυος & mediator & teſtator erat. Hebr. 9:15:16.

Et

Digitized by Google

Et propter hoc Teſt. Novi mediator eſt, ut morte obita--promiſſionem accipiant vocati æternæ hæreditatis. Ubi enim teſtamentum eſt, mortem neceſſe eſt contingere teſtatoris. Quo faciebat typus vaccæ rufæ. Num. 19: 9. Unde in hac morte vis & efficientia divinæ juſtitiæ demonſtrata fuit. Rom. 3: 25. *Quem propoſuit Deus propitiatorium, per fidem in ſanguine ipſius.* 2. Cor. 5. 21. *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut ſimus juſtitia Dei in ipſo.* Quare etiam non ſolum corpore, ſed & anima pati debuit Chriſtus, ferendo omnes quæ nobis debebantur, pœnas. Eſai. 53: 11. *A labore animæ ſuæ videbit ſemen & ſatiabitur.* Rom: 6: 23. Matth. 26: 28. *Valde triſtis eſt anima mea, uſque ad mortem.*

X. Ut eximiis ſolis vitioſis affectionibus, quæ in noſtris pœnis ex peccato accidunt, Chriſti mors fuerit genere & proportione eadem, cum illa morte, quæ peccatis noſtris ex juſtitia convenit, eoſdem omnino gradus, membra & ſpecies exhibens; quæque idcirco omnem miſeriam & pœnas nobis debitas, exhauſit. Unde per ſynecdochen mors & paſſio Chriſti ſæpe notat univerſam maledictionem illi incumbentem, & pro tota ejus ſatisfactione, tam in vita, quam in morte ſumitur. *Angelis minoratus eſt, ut gratia Dei pro omni guſtaret mortem.* Hebr. 2: 9.

XI. Ineptiunt igitur Pontificii, cum guttulam ſanguinis Chriſti ſuffeciſſe prædicant; quomodo cum ſibi videntur pretium & dignitatem meriti Chriſti immane quantum extollere; omnem ejus vim eludunt, & ſolutionem quandam imaginariam faciunt; Deoque crudelitatis notam inſignem inurunt, Legique & Euangelio contradicunt. Non enim per particulas adeo conſcindi debet aut poteſt Chriſti mors, non magis quam lux illa ſolis, quæ vel tanta requiritur, ut unum illuſtret hominem, quanta eſt, cum rebus omnibus lætos afflat honores. *quam elevant Pontificii.*

XII. Tandem denique hac morte Chriſti ademtus eſt morti ſtimulus & aculeus 1 Cor. 15: 55, 56. non ſolum circumciſa ab omni parte ejus dominatione, ſed penitus ſublata; ut nullo modo nunc formidoloſa ſit, qualis olim erat ſub ſervitute legis & metu mortis. Hebr. 2: 14, 15. *Ut per mortem aboleret illum, qui mortis habebat poteſtatem, hoc eſt, diabolum; & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti.* quod Davidis, Ezechiæ, aliorumque exempla evincunt. Reliquos illius effectus nunc mittimus. *5. effectus.*

Digitized by Google

CAPUT XIX.

De Satisfactione & fructibus mortis Chriſti.

Mortis Chriſti fructus

I. FUit ipſa mors & paſſio; reſtat, ut quænam inde fruges redundarit, & cui bono fuerit, videamus; niſi enim hoc conſtiterit, vana erit mors, vanus ipſe Chriſtus. Fructus autem hic conſiderari poteſt, pro duplici fine; nempe οὗ, *cujus gratia*; & ᾧ *cui perſonæ*. Prioris reſpectu tres ſunt fructus primarii, ſeu fructuum capita, ex quibus alii derivantur: *ſatisfactio* nimirum; ex qua profluit noſtri cum Deo *reconciliatio*, & *hæreditas* vitæ æternæ.

primus eſt SATISFACTIO *pro nobis.*

II. Ipſa ſatisfactionis vox, quæ forenſis eſt, & alterius ſenſus, αὐτολεξεὶ in ſacris paginis non legitur; at parium & æquivalentium vocum abunde eſt; ut λύτρωσις, ἀντιλύτρωσις &c. Originem ejus debemus adverſariorum importunitati & fallaciæ, quæ illam nobis expreſſit.

quæ deſcribitur.

III. Satisfacere eſt idem quod τὸ ἱκανὸν ποιῆσαι Marc. 15: 15. tantum facere, quantum poſtulanti ſatis eſt, ſeu verbis ſeu factis illud fiat. Quare in ære alieno & re debiti, eſt exolvere. In cauſa injuriæ, eſt illius compenſatio & redintegratio. Ita Chriſtus vadem ſe ſiſtens noſtro loco, juſtitiæ Dei ſatisfecit; reſtituens illi omnimoda ſubjectione ſua, tam in vita, quam in morte, auctoritatis & independentiæ honorem integrum, quem nos delibaveramus; injuriamque per nos Deo illatam propulſans; nec minus nos debitis tam ingentibus exolvens. Unde *Deus per juſtitiam ſanctificatus* dicitur, Eſai. 5: 16.

Illius præcipua capita.

IV. In hac ſatisfactione videbimus. 1. rem ipſam: 2. errorum ἀντίθεσιν. In ipſa re ſe conſiderandum offert 1. ejus *neceſſitas*. 2. *veritas*. 3. *pretium*. 4. *Cui* id oblatum & perſolutum? 5. ſolutionis ejus *modus* & jus. 6. *meritum* pretio conjunctum.

1. Neceſſitas.

V. *Neceſſitatem* 1. docet juſtitia Dei, ſeu conſtans ac æterna illius voluntas, qua, ſecundum ordinem immutabilem à ſe conſtitutum, cuique ſuum reddit, adeoque & peccatori, malum facienti, malum rependit, & ab eo ſeſe ſeparat. Ita ut niſi huic ordini ſatisfiat, Deus peccatori ſimilis eſſet, & cum illo communionem haberet. Qui tamen *negare ſe ipſum non poteſt*. 2 Tim. 2: 13. *Viſitat peccata patrum in filios, in tertios & quartos oſorum ſuorum*. Exod. 34: 5, 7. & 20: 5. *Hæc feciſti & ſilui, putaſti (quod) omnino tui ſimilis exſtiturus ſim:*

arguam

Digitized by Google

arguam te, aciem dirigam contra oculos tuos. Pſal. 50: 21. Rom. 1: 32. & 2: 5. & 3: 25, 26. 2. Theſſ. 1: 6.

VI. Porro hanc neceſſitatem demonſtrant II. comminationes quas denunciat Deus. *Quo die comederis de ea, moriendo morieris.* Gen. 2: 17. *Maledictus qui non ſtare facit verba legis hujus, ut faciat ea.* Deut. 27: 26. III. Eodem pertinent prophetarum vaticinia. Eſai. 53: 4, 5. & ſeqq. *Enimvero morbos noſtros ipſe tulit & dolores noſtros bajulavit* &c. aliiſque in locis; tum quoque IV. ſacrificia Vet. Teſt. *Quæ parabola* eſt *in præſens tempus, quo munera & ſacrificia offeruntur, quæ non poſſunt quoad conſcientiam conſummare eum, qui cultum præſtat.* Hebr. 9: 9.

VII. V. Quin ipſa lex operum idem evincebat, utpote quæ ſine promiſſione vitæ & comminatione mortis ferri aut juberi non poterat. Lev. 18. Deut. 27. jam vero *per carnem imbellis facta eſt.* Rom. 8: 3. atque ita nos per peccatum præmii compotes facere, aut peccatum accuſans condemnare nequibat, alii locum præſtans. VI. Nec minus ex ipſa Chriſti paſſione veritas & neceſſitas hujus rei conficitur; quippe indignum Deo facinus erat, hominem ſanctum, & ſummo Dei amore dignum, morti tradere, ſi non cogat, durum telum, neceſſitas: adde, quod hoc pacto, Deus in morte Chriſti, non ſuum erga nos amorem patefeciſſet, ſed ſummum potius in Chriſtum jus & imperium; imo ſupervacuam impoſitionem dolorum ſuper hominem innocentem, & ſuo, & alterius nomine: præterquam Paulus docet Rom. 5: 8. *Commendat autem ſuam charitatem erga nos Deus, quod quum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Ex quibus omnibus abunde liquet decentia paſſionum Chriſti, & conſummationis ejus per illas. Hebr. 2: 10. *Decebat enim ipſum — Principem ſalutis ipſorum per paſſiones conſummare.* coll. cap. 5: 7, 8, 9.

VIII. Diſſolvunt hanc neceſſitatem Durandus, aliique ſcholaſtici, negando neceſſariam fuiſſe ſatisfactionem; à quibus hæreſin ſuam hauſit Socinus. Si enim citra ſatisfactionem peccata remittere potuerit Deus, ſolvitur omnis lex, eaque ſoluta, nil quicquam à Chriſto præſtari opus fuit. *fruſtranegata à Durando & Socinianis.*

IX. At opponunt nobis, Deum ut partem offenſam, quæ id poteſt, imo debet, de jure ſuo remittere potuiſſe: verum non ſolum ut pars offenſa, ſed præcipue ut judex conſiderandus venit hic Deus, cum de pœnarum irrogatione & remiſſione agatur; quod judicis eſt; quam perſonam Deus hac in re primario gerit, nec unquam *Horum objectiones.*

 de-

deponere poteſt, licet ſimul ſit pars offenſa. Quod regerunt, etiam ſupremum judicem juri ſuo renunciare poſſe; verum equidem eſt, ſi legem ſuam violet; at hoc Deo tribuere, impium & blaſphemum eſt. Nec quoque Deus ſummum & abſolutum dominii ſui, & crediti jus proſecutus eſt, ſed juſtitiam ſuam hîc oſtendit: ut apparet ex Rom. 3:25, 26. *Quem propoſuit Deus propitiatorium per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ—— ad hoc ut ipſe ſit juſtus.*

X. Objiciunt porro; ſi tanta hinc rerum difficultas importetur, facili negotio, peccatum impediendo, potuiſſe Deum prævenire omnem hanc ſatisfactionis neceſſitatem. Verum enimvero noſtrum non eſt juri vel voluntati divinæ intercedere; licuit Deo jus ſuum exequi, quamvis inde lapſus hominis conſequeretur; multo magis quam homini illud licet, etiamſi peccatum proximi extra ſuam culpam inde conſequatur. Peccatum cohibere aut permittere divini fuit arbitrii; at vero jam commiſſum ſine ſatisfactione à Deo condonari non poteſt. Denique, quamvis nullum ex peccato commodum vel incommodum patiatur Deus, nulliſque gaudii vel triſtitiæ affectibus ducatur, eadem tamen manet neceſſitas puniendi.

Non tamen hic rigor ſine gratia eſt.

XI. Hæc vero ſatisfactionis neceſſitas ex rigore juſtitiæ, ipſam tamen ponit gratiam; tum qua vocatus & diſtinctus fuit Chriſtus ad ſatisfaciendum; tum qua ſatisfactio illa accepta eſt noſtro nomine, & in noſtrum bonum. 1. Joh. 3: 16. Rom. 3: 24. *Qui juſtificamur gratis ipſius gratia per redemtionem, quæ eſt in Chriſto J.* & 5: 5. *Gratia Dei & donatio in gratia, quæ eſt unius hominis J. Chriſti, in multos abundavit.* Juſtitia igitur fuit in ſatisfactione ipſa & in Chriſto; gratia in modo diſpenſationis & in nobis.

II. Veritas.

XII. II. Oſtenſa neceſſitate, *veritas* hujus ſatisfactionis ſeſe probandam offert; idque triplici potiſſimum via ex analogia ſacrificiorum. 1. Chriſto peccata noſtra fuiſſe imputata. 2. ipſum ob ea noſtro loco fuiſſe mortuum. 3. morte hac peccata expiata eſſe.

Quia 1. illi peccata noſtra imputata ſunt.

XIII. Imputata fuiſſe Chriſto peccata noſtra, variis modis patet 1. Cum appellatur ſponſor noſter. *In tantum melioris teſtamenti extitit ſponſor.* Hebr. 7: 22. quare illum pœnæ noſtræ vicarium ſucceſſiſſe oportet: atque hinc etiam vices noſtras in peccato tulit, factus pro nobis peccatum. *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut ſimus juſtitia Dei in ipſo.* 2. Cor. 5: 21. *Attigerunt me pravitates meæ, & non poſſum cernere, numeroſiores ſunt pilis capitis mei.* Pſal. 40: 13. Chriſtum enim ibi loqui patet ex comm. 7, 8, 9, 10. ideoque

Digitized by Google

ideoque peccata noſtra portaſſe dicitur; eodem ſcilicet modo, quo fiebat in victimis. *Et id* (ſacrificium pro peccato) *dedit* Deus *vobis, ut feratis pravitatem cœtus, ad expiandum pro ipſis coram Jehova.* Levit. 10: 17. *Nam ſanguis ille pro anima expiationem facit.* ibid. 17: 11. Eodem etiam modo Chriſto tribuitur; quod *morbos noſtros ipſe tulit & dolores noſtros bajulavit.* Eſai. 53: 4. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Joh. 1: 29. *Qui noſtra peccata ipſe ſurſum tulit in corpore ſuo ſuper crucem.* 1. Pet. 2: 24. hinc tam notanter, peccata noſtra in ipſum incurriſſe, & ab eo exacta fuiſſe dicuntur. *Jehova in eum fecit incurrere pravitatem omnium noſtrum.* Eſ. 53: 6.

XIV. 2. Quando mors ejus dicitur מוּסָר id eſt, pœna exemplaris, coërcitio. *Paradigma pacis noſtræ ſuper ipſo erat.* Eſai. 53: 5. Et ejuſdem capitis com. 10. dicitur אָשָׁם *ſatisfactio*, ſicut vox hæc eodem modo de victimis uſurpatur. Eadem mors alibi etiam λύτρον vocatur. *Venit filius hominis, ut daret animam ſuam* λύτρον, *redemptionis pretium pro multis.* Matth. 20: 28. & ἀντίλυτρον. *Qui dedit ſe ipſum* ἀντίλυτρον *redemptionis pretium pro omnibus.* 1. Tim. 2: 6. quod dicit vicarium redemptionis pretium: ſicut & ad alias res pretioſiſſimas, aurum & argentum, tanquam ſub hoc reſpectu, ejuſdem naturæ, contenditur. *Non auro aut argento empti eſtis — ſed pretioſo ſanguine — Chriſti.* 1. Petr. 1: 18. *Pretio empti eſtis.* 1. Cor. 6: 20. Adde quod hac ratione, & vi iſtius pretii, λύτρωσις & ἀντιλύτρωσις *redemtio* Chriſto adſcribatur. *Mortem obiit ad redemptionem tranſgreſſionum, quæ ſub priori teſtamento erant.* Heb. 9: 15.

XV. Vitilitigant hic adverſarii; redemptionem illam notare tantum liberationem impropriam, quæ fit per vim & potentiæ robur, non pretium; ſicut olim ex Ægypto Iſraëlem redemiſſe dicitur Deus: quibus non inficiamur, interdum hoc modo redemptionem ſumi; at hic ea tantum notione venire, id vero pernegamus; ubi tum ipſe modus redemptionis explicatur; tum λύτρον adjungitur: ut non ſolum propria fuerit reſpectu poenarum ex jure dominii & potentiæ, verum etiam reſpectu peccatorum, ex jure judicii & pretii. *Quam Eccleſiam Deus proprio ſanguine acquiſivit.* Act. 20: 28.

2 Ipſe propter peccata noſtra noſtro loco mortuus eſt.

XVI. Propter peccata noſtra, noſtro loco mortuum eſſe Chriſtum, probatur etiam variis ex locis. 1. Cum dicitur mortuus pro aliis. *Tradidi vobis imprimis, quod & accepi, Chriſtum mortuum eſſe pro peccatis noſtris, ſecundum ſcripturas.* 1. Cor. 15: 3. *Judicantes hoc, quod ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt.* 2. Cor. 5: 15.

Digitized by Google

non tantum ὑπὲρ ἡμῶν. Rom. 5: 8. ſed & ἀντὶ ἡμῶν, ſeu ἀντὶ πολλῶν. Matth. 20: 28. Marc. 10: 45. ἀντὶ enim vel oppoſitionem, vel ſubſtitutionem notat. Atqui cum priori modo nullum hic locum habeat; poſteriori ut veniat neceſſum eſt; quemadmodum & vidimus 1. Tim. 2: 6. mortem ejus ἀντίλυτρον dici. Non alia ratione ac olim ἀντίψυχοι vocabantur homines ſeu victimæ, quæ pro alio morti tradebantur; ita & Chriſtus 2. Sam. 19: 2. &c. 1. Cor. 1: 13. *An Paulus crucifixus eſt pro vobis?*

XVII. 2. Cum ſignificantiſſimo loquendi genere, *pro nobis execratio dicitur factus.* Gal. 3: 13. conf. Deut. 21: 23. cui formulæ tantum abeſt ut ſatisfaciant adverſarii, ut nihil omnino commune cum illa habeat eorum doctrina, quam de Chriſti munere, ejuſque partibus tradunt. Ubi perhibetur mortuus διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν *propter lapſus noſtros.* Rom. 4: 25. ὑπὲρ ἁμαρτιῶν ἡμῶν *pro peccatis noſtris.* 1. Cor. 15: 3. *Ipſe enim unam pro peccatis oblatam habens hoſtiam, in perpetuum conſedit in dextra Dei.* Hebr. 10: 12. Gal. 1: 4. & περὶ ἁμαρτίας. *Pro peccato condemnavit peccatum in carne.* Rom. 8: 3. & 1. Pet. 3: 18.

3. Morte ſua ea expiavit.

XVIII. Tandem etiam per mortem Chriſti peccata noſtra expiata eſſe liquet ex loco Rom. 5: 9, 10. *Si enim quum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filii ipſius, multo magis reconciliati ſalvi erimus in vita ipſius.* 2. Cor. 5: 19. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non imputans ipſis lapſus ipſorum.* 1. Joh. 2: 2. *Et ipſe* Chriſtus *expiatio eſt pro peccatis noſtris.* Huc pertinet, quod mors hæc ſacrificium pro reatu appelletur. Eſai. 53: 10. Eph. 5: 2. *Chriſtus tradidit ſe ipſum pro nobis oblationem & ſacrificium Deo, odorem fragrantiæ.* Heb. 9. 14. *Per ſpiritum æternum ſe ipſum obtulit* Chriſtus *immaculatum Deo.* Sacrificium videlicet illud, quod per victimas, Lev. 17: 11. & ſacerdotes antiquos, Lev. 10: 17. adumbratum erat. Quæ omnia eam ob cauſam poſt peractum Chriſti ſacrificium cum maxime ceſſant. *Una enim oblatione conſummavit in perpetuum, qui ſanctificantur.* Hebr. 10: 12, 14. Cum qua expiatione conjuncta eſt ἡ ἄφεσις proprie dicta, ſeu perfecta peccatorum remiſſio; ſine exactione chirographi aut commemoratione peccati. Hebr. 10: 3, 4, 18. Eodem refer quod Chriſtus dicatur veniſſe εἰς τὸ ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας. Hebr. 9: 28. quod non notat ſolum ablationem peccatorum, ſed ſublationem eorundem ſurſum in crucem; ut 1. Pet. 2: 24. *Qui ipſe noſtra peccata ſurſum tulit in corpore ſuo ſuper crucem.* Quod & contentio primi cum ſecundo Chriſti adventu ibidem docet. Ut

fruſtra

Digitized by Google

fruſtra ſint adverſarii, qui ferre peccatum, nihil aliud indicare volunt, quam ea auferre.

XIX. Iidem hæc omnia eludere conantur, purgationem hanc peccatorum per ſanguinem Chriſti in alium ſenſum detorquendo. Idque 1. quia ſcilicet effuſio illa ſanguinis non pretium, ſed cauſa fuerit, per quam Chriſtus accepit poteſtatem nos purgandi à peccatis, id eſt, liberandi à pœnis eorum. At vero obſtat locus diſertus Matth. 26: 28. *Hoc eſt ſanguis meus Novi Teſt. qui pro multis effunditur, in remiſſionem peccatorum.* tum quoque ipſa illa purgatio per ſanguinem, poteſtatem Chriſti anteceſſit. 2. Reponunt, purgare peccata, nihil aliud eſſe, quam purgationem eorum demonſtrare; quatenus Chriſti ſanguis promiſſiones Dei nobis confirmat, & promiſſam olim remiſſionem peccatorum nunc declarat. Verum illud vel minimo è Prophetis licuit, nec ſanguine Chriſti hac in parte opus fuit, cum abunde per miracula præſtari petuerit. 3. Pergunt obtundere; ergo purgare peccata ad ſummum erit, conferre ſymbolam aliquam ad noſtram regenerationem, videlicet argumentum quo perſuaderi, & ad eam moveri poſſimus. At contra facit illud 1. Joh. 1: 7. *Sanguis J. Chriſti filii ipſius purificat nos ab omni peccato.* Ubi ſanctificatio & purgatio peccatorum diſcernuntur. Vide & 1. Petr. 1: 2. *Secundum praecognitionem Patris, in ſanctificatione Spiritus, ad obedientiam & conſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti.* Conf. Apoc. 1: 5. Atque ipſe etiam fatetur Socinus, τὸ καθαρίζειν, quod ſanguini Chriſti tribuitur, rectius liberationem à pœna, quam animi emendationem notare.

XX. III. Sequitur nunc ſatisfactionis *pretium*. Pretium proprie eſt res aut factum aliquod, quod alicui pro alio perſolvitur, ut ejus valore redimatur alter; atque eo nomine pretium hac in re venit. *Venit filius hominis — ut daret animam ſuam redemptionis pretium pro multis.* Matth. 20: 28. 1. Tim. 2: 6. 1 Pet. 1: 18, 19. Pretium vero illud ad legem Dei relatum; vel illius execrationem reſpicit, cui ſatisfactum per execrationem Chriſti, Gal. 3: 13. vel ejus mandatum & jus ſeu δικαίωμα, quod impletum eſt Chriſti obedientia. *Per obedientiam unius juſti conſtituuntur multi.* Rom. 5: 19. Quamvis autem ad prius potiſſimum membrum ſatisfactio hæc referatur; non tamen divellenda eſt ſatisfactio mortis ab obedientia vitæ; cum alteram ab altera non ſejungas, niſi utrique noxam inferas; & ex utraque juncta, plena tandem ſurgit ſatisfactio; ſine illa enim obedientia vitæ, nulla nobis conferri potuiſſet vita. *Per unum juſtitia meritum* III. *Pretium.*

tum

tum (ſeu cauſam) *in omnes homines, in juſtificationem vitæ.* Rom. 5: 18. conf. com. 19. *Qui* Chriſtus Jeſus, *factus eſt nobis juſtitia* &c. 1 Cor. 1: 30. Honor enim abſoluti dominii divini, ut redintegraretur, requirebat utramque hanc obedientiam, licet ultimum complementum huic ſatisfactioni in paſſionibus Chriſti adjectum ſit. *Decebat ipſum—principem ſalutis ipſorum per paſſiones conſummare.* Heb. 2: 10.

XXI. Inane igitur eſt, quod cauſatur Socinus, pretium ſemper eſſe aliquid externi & adventitii, ut aurum, argentum, ſimilia; quod cum deſit in Chriſti ſatisfactione, deeſſe quoque vult pretium: cum ſæpe pretium conſiſtat in facto aliquo; non enim in pœna aliquid annumeratur, uti fit in re concredita, ſed omne debitum perſolvitur præſtando illud quod præſtari debebat. nec aliter Chriſtus.

Quod ſufficiens fuit.

XXII. Pretium hoc ſufficiens fuit, & merito contra carum. Tum propter perſonam perſolventem, qui fuit ipſe Deus; ex cujus dignitate pretii valor creſcit. Tum propter intrinſecam rei oblatæ dignitatem; cum Deus & homo ſemetipſum obtulerit. *Deus Eccleſiam proprio ſanguine acquiſivit.* Act. 20: 28. Tertio etiam propter modum offerendi, qui divinus fuit, in perſona divina; à qua, licet paſſiones in ſe eſſent finitæ, moralem tamen reſpectum infinitatis aliquo modo acceperunt.

XXIII. Unde conſequens eſt, ſatisfactionem hanc Chriſti, ſuffeciſſe quoad ſubſtantiam; ſuperabundantem vero fuiſſe quoad circumſtantias illas, quæ Chriſto non conveniebant; æternam videlicet pœnæ durationem, deſperationem &c. quæ tamen aliunde, ut jam vidimus, ſatis ſuperque fuerunt compenſatæ. Conſequens item erit ſatiſfactionem hanc non fuiſſe acceptilationem; quæ eſt commentitia & imaginaria ſolutio, quæque nihilo ſecius per victimas & cerimonias legales præſtari potuiſſet, quod negatur Hebr. 9: 9. *Quæ* ſacrificia *non poſſunt quoad conſcientiam conſummare eum qui cultum præſtat.* Cum igitur tam operoſa, tam cara Chriſti mors requiſita fuerit, facile patet veram hanc & plenam eſſe ſolutionem.

IV. Cui id pretium ſolutum?

XXIV. Declinanda igitur hic ab una parte, ridicula Pontificiorum ſuperſtitio; qua ſanguini Chriſti ita parcunt, ut putent vel ſolam guttam ejus ſuffeciſſe, cum in ea nec Deus fuiſſet ex æquo ſanctificatus, nec odium ejus adverſus peccatum ſatis oſtenſum; quam ad rem tractu temporis opus erat. Ab altera parte cavendum eſt, ne putemus, plus ſolutum eſſe, quam oportuit; cum pretium infinitum

adeoque nihil minus præſtari potuit, nec ſuperflui quid præſtitum eſt.

tum

tum requiratur, ut infinitorum bonorum compotes fiamus, & æterna mala depellantur; quemadmodum ex luce ſolis nihil quod demas, ſupereſt, ſi vel uni duntaxat homini luceat, cum tamen eadem luce mundus univerſus illuſtrari, & multo plures perfundi queant.

XXV. Videndum nunc IV. *cui* proprie pretium hoc ſolutum fuerit. Primo in veſtibulo hic ſe iterum objicit Socinus; cavillando, pretium alicui ſolvendum eſſe; verum in morte Chriſti, nulli cuiquam quicquam ſolutum; quare nec in ea pretium eſſe. At norunt Juriſconſulti, pœnæ creditorem proprie non dari; non enim judex in ea ſe, ſuamque privatam ſpectat utilitatem, uti ſupra dictum, ſed bonum tantummodo publicum & ordinem rerum; itaque in pœna nulli proprie aliquid ſolvitur; quamvis improprie; atque illo etiam modo à Chriſto factum eſt. Idque non diabolo, qui carnificis & tortoris tantum vices egit: ſed Deo tanquam judici. *Unus eſt legiſlator, qui poteſt ſalvare & perdere.* Jac. 4: 12. *Ne aliquando adverſarius te tradat judici & judex te tradat miniſtro, & in cuſtodiam conjiciaris.* Matth. 5: 25. Patrique ſpeciatim, qui ratione œconomiæ illius divniæ, judicis perſonam gerit, cui exhibita fuit hæc ſolutio. Nam quamvis filius quoad eſſentiam & re ipſa à Patre diverſum quid non ſit, eſt tamen diverſus ab eo, qua θεάνθρωπος & quatenus ſpectatur in hoc ſtatu. *IV. Cui id pretium ſolutum?*

XXVI. V. Indaganda ſunt *modus* & *jus* hujus ſatisfactionis; quo pacto Chriſtus hanc præſtare potuerit; ipſe innocens pro nocentibus. Ubi notandum venit, in pœnis humanis capitalibus hunc quidem à Deo poſitum eſſe obicem, ne filius patris vicem gerat in ſubeundis pœnis. *Non occidentur patres pro* (in textu eſt, *propter* vel *cum*) *filiis, & filii non occidentur pro patribus, quiſque ob peccatum ſuum occidetur.* Deut. 24: 16. 2. Reg. 14: 6. Ezech. 18: 20. *Anima peccans illa morietur, filius non feret de pravitate patris, nec pater feret de pravitate filii.* Non tamen illam ſibi Deus fixit metam, quin interdum pro jure ſuo, propter peccata patrum filios puniat; ut patet ex ſecundo præcepto decalogi, & 2. Sam. 21. quod ipſa naturæ lex dictat; quin certis in caſibus inter gentes publici & legitimi juris eſt. *V. Solutionis illius modus & jus.*

XXVII. At vero præ hiſce omnibus æquior cauſa & majus quoddam jus eſt Deo puniendi Chriſtum ob peccata noſtra; utpote qui non ſolum arctiſſimo naturæ & ſanguinis nexu, ſed etiam prolixo voluntatis conſenſu, nobiſcum ſit conjunctus: fidem enim

ſuam pro nobis adſtrinxit, & ſpopondit; quod ſicut ab humanis legibus non abhorret, ita multo magis abſoluto Dei imperio convenit. Atque hoc pacto patet, quomodo Deo non indecorum fuerit, Chriſtum noſtro loco punire. Verum nec etiam alienum à Chriſto fuit, ſponſionem hanc ſuſcipere, & fidem ſuam jubere; quo facit duplex poteſtas Chriſto peculiaris. 1. qua licuit ipſi ponere animam. *Poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum accipiendi eam.* Joh. 10: 18. tanquam membrorum ſuorum Dominus, quod nulli homini competit. 2. qua potuit illam liberare, & forti manu à morte vindicare; ut ibidem ipſe ait Chriſtus; quod nec item de ullo homine, pro alio morituro dici poteſt. Ut undequaque liqueat juſte omnino Chriſtum, Goëlem noſtrum, cognatum, itemque vindicem & fidejuſſorem, pro nobis pati potuiſſe.

XXVIII. Subdole hic agit Socinus, dum plena manu largitur, poſſe Deum affligere creaturam innocentem occaſione alienorum peccatorum; non vero punire. At 1. falſum eſt prius membrum: 2. Jam vidimus caſus quoque dari, in quibus propter aliena peccata alii puniri poſſunt. 3. Chriſtus inſons, non afflictus eſt occaſione alienorum peccatorum, ut quidem illi contendunt, ſed veras dedit pœnas à Deo judice ipſi irrogatas. *Ut liberi eſſemus ab execratione legis, dum pro nobis execratio factus eſt.* Gal. 3: 13. Non enim hunc in finem, vel ex ipſa Socini hypotheſi, opus fuiſſet tam acerba Chriſti morte. Apertius vero contra hanc doctrinam excipit, inauditam eſſe; & nunquam locum habere hanc ſurrogationem vadis in pœnis corporalibus; at tantum in mulctis pecuniariis. Nec mirum ſane, cum in rebus humanis ſimilis caſus nunquam obtigerit: verum nec deſunt exempla ſurrogationum in pœnis corporalibus; qualia videre licet Gen. 42: 37. *Et dixit Ruben ad patrem ſuum, dicendo, duos filios meos occides, ſi non reducam illum ad te* 1. Reg. 20: 39--41. Tum quoque peculiaris eſt Chriſti ratio, ut §. præced. oſtenſum.

VI. Meritum:

XXIX. VI. Reſtat nunc conſiderandum hujus ſatisfactionis *meritum*; nam quæ ſatisfactio fuit reſpectu Dei, meritum fuit reſpectu noſtri. *Per obedientiam unius multi conſtituentur juſti.* Rom. 5: 19. & com. 21. *Ut quemadmodum regnavit peccatum ad mortem, ita etiam gratia regnaret per juſtitiam ad vitam æternam, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum* —quod meritum fuit proprie dictum; cum omnes conditiones meriti in eo reperiantur; quin propter infinitam perſonæ dignitatem meritum hoc fuit ex condigno, ut ajunt. Quod quidem meritum à ſatisfactione reapſe non differt; ſed pro vario tantum

conſi-

Digitized by Google

conſiderandi modo, prout vel ad Deum relatum, ſatisfactionis reſpectum habet; vel ad homines, meriti. Quare nullo modo meritum hoc divellendum eſt; ut vel morti ejus denegetur, in qua maxima meritus eſt; vel dicatur Chriſtus, in vita nobis vitam meruiſſe, in morte tantum ſatisfeciſſe, cum in ipſa ſatisfactione meritum poſitum eſſe viderimus. Conjungenda ergo potius arctiſſime obedientia ejus vitæ & mortis, ſimulque univerſa humiliatio; excluſa tantum à merito exaltatione humanæ ejus naturæ.

XXX. Male igitur Sociniani obducunt; Chriſtum nihil meritum eſſe; quia nempe creditori tantum ſatisfecit, in qua ſolutione debiti, nullus merito locus ſupereſt; quod largimur omnino, ſiquidem proprio creditori, debitum à ſe contractum ſolvendo; alia vero jam eſt ratio, cum alieno ſatisfecerit. Male iidem meritum Chriſto reſpectu ſui adſcribunt, quod denegant ei reſpectu noſtri, ac ſi illa invicem pugnarent: quod tantum abeſt, ut verum ſit, ut quicquid ſibi meruerit, nobis omne illud meruiſſe maxime cenſendus ſit; & nihil ferme ſibi meruerit, niſi in noſtrum bonum. Sibi vero meruiſſe gloriam illam & beatitudinem in humanitate, docet Paulus Philip. 2: 9. *Se ipſum exinanivit — quamobrem & Deus ipſum ſuperexaltavit & in gratia donavit ei nomen, quod ſupra omne nomen eſt.* At de hoc negotio pluribus etiam viſum lib. 11. cap. XV. §. X. —— XIV.

XXXI. Ex hac ſatisfactione ſua Chriſtus quoque juſtificatus eſt à debito, quod ſponſor contraxerat, & à præcepto, quo obligabatur ad præſtandam juſtitiam & omnes gratias N. T. de qua juſtificatione ejus videre eſt Pſal. 16: 2. 1. Tim. 3: 16. Unde etiam ipſi competit hæreditas, præcipuè gentium, quâ habet nos ut περιποίησιν & λαὸν περιούσιον ſive κληρονομίαν. Tit. 2: 14. *& inde Chriſti juſtificatio, ejuſque peculium.*

XXXII. Atque ita nobis de veritate hujus ſatisfactionis conſtat, vidimuſque rem ipſam nobis eo modo tradi ex S. Literis; contendamus nunc hanc lucem ad tenebras huic veritati offuſas, ut ex utriuſque comparatione lux hæc manifeſtior fiat. Quo in negotio nobis res erit cum *Pontificiis*, *Socinianis*, *Anabaptiſtis* & *Remonſtrantibus*. *Αντίθεσις errorum circa ſatisfactionem Chriſti.*

XXXIII. Ut igitur horum errorum ſcaturiginem repetamus, unde ad reliquos dimanarunt, initium faciendum erit à Pontificiis: qui *1. Pontificiorum.* 1. ſatisfactionem Chriſti temere & ſceleſte circumcidunt, eamque ſolum factam volunt pro peccato originali, vel actualibus ante baptiſmum commiſſis; pro iis vero quæ poſt baptiſmum committuntur, non admittunt, niſi ea lege, ut ſint tantum mortalia, &

reſtringatur ad reatum culpæ, pœnamque æternam; cætera enim hominibus reliqua faciunt, aliis modis expianda. Verum omnem circumciſionem & coarctationem tollit Paulus Rom. 8: 1. *NULLA igitur nunc condemnatio iis, qui ſunt in Jeſu Chriſto.* 1 Joh. 1: 7. *Sanguis Jeſu Chriſti filii ipſius purificat nos ab* OMNI *peccato.*

XXXIV. Illud autem hac in re peccant Pontificii. 1. quod ſatisfactiones illas quæ Canonicæ tantum erant & externæ in foro Eccleſiæ, tranſtulerint nimis ſiniſtre ad ſatisfactiones veras & internas, apud Deum. 2 Diminuunt eandem Chriſti ſatisfactionem, & parte ſui non exigua mutilant, quando omnem obedientiæ ejus imputationem tollunt, & præter mortis ejus promeritum aliquod, nihil ad nos pertinere contendunt. 3. Majorem etiam in modum offuſcant hanc, ſuffecto in ejus locum, aut ſaltem ſuccenturiato alio ſacrificio propitiatorio, Miſſæ nempe; contra Rom. 3: 24, 25. *Qui juſtificantur gratis, ipſius gratia per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propoſuit Deus propitiatorium per fidem cum ſanguine ipſius.* 1. Joh. 1: 7.

XXXV. Excipit hos Socinus, qui poſt Abailardum, ſtatuit 1. peccata remitti à Deo per acceptilationem, ſine vero & proprio pretio mortis Chriſti: de quo vidimus. 2. negat ſatisfactionem Scripturæ teſtimonio probari poſſe. 3. Subdole tamen fatentur ſatisfeciſſe Chriſtum; ita nempe, ut expleverit omnia, quæ ipſi obeunda erant, ut ſummam illam poteſtatem adipiſceretur; nequaquam vero juſtitiæ Dei ſatisfeciſſe volunt. 4. Largitur etiam illum victimam piacularem fuiſſe, pro peccatis noſtris, id eſt, ſecundum ejus gloſſam, pignus ſeu depoſitum gratiæ divinæ, nobis datæ; non vero quaſi pœna ab illo eſſet ſublata. 5. Tandem quoque dat nobis, illum expiaſſe peccata, ſed caſſo hoc & nullo prorſus ſenſu; ſcil. illum accepiſſe poteſtatem nos ab omni miſeria liberandi. Hinc illum, doctrina magis & exemplo, ut alias viſum, quam merito ſalvatorem facit.

II. Socinianorum, quorum dogmata

XXXVI. Ultimo denique facile etiam nobis concedit, noſtri cauſa mortuum eſſe Chriſtum; at non niſi poſito hoc obice, ut metonymice, (quæ ſolita ſcilicet eorum acies eſt, in fingendis tropis & ſchematibus) per mortem nihil aliud intelligatur, quam poteſtas illa, ipſi in bonum noſtrum, morte interveniente, conceſſa. Atque hinc ſpeciatim tres hoſce mortis Chriſti fines ponunt: 1. ut hoc pacto novum fœdus, illique adjuncta promiſſa divina ſanciret. 2. ut homines ad amplectendas fœderis conditiones adduce-

Digitized by Google

duceret: per illas autem conditiones intelligunt, tum obedientiam mandatorum Chriſti, tum ſpem promiſſionum divinarum; atque hanc utramque fidei nomine comprehendunt. 3. ut Chriſtus hac ratione miſericordiam edoctus, & ſupremam hanc poteſtatem adeptus, tanquam Pontifex, iſque miſericors nobis ſuccurreret, & promiſſa divina reapſe præſtaret. Has potiſſimum ob cauſas mortuum eſſe Chriſtum ſtatuunt. Ex quibus liquet, quemadmodum ſubruto hoc fundamento, & negata ſatisfactione, cadat ſimul huic innixa fides vera & ſalvifica; quam idcirco aliam omnino faciunt; & pro vera fide ſubſtituunt obedientiam mandatorum Chriſti.

XXXVII. Quibus omnibus ut ſigillatim quicquam reponamus, nihil attinet; accurate interim hæc tenebimus, unde ſingula facile cadunt; 1. Chriſto ſic nihilo plus tribui, quam ipſis martyribus tribuitur à Paulo Col. 1: 24. *Nunc lætor in meis paſſionibus pro vobis, & viciſſim impleo reliquias afflictionum Chriſti in carne mea pro corpore ejus; quod eſt Eccleſia.* coll. 2. Tim. 2: 10. quod tamen ipſe negat Paulus 1. Cor. 1: 13. *An Chriſtus diviſus eſt? an Paulus crucifixus eſt pro vobis; aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* 2. Ita dicendum potius eſſet, Chriſtum pro nobis reſurrexiſſe; quam cruci affixum eſſe, cum poteſtatem illam quam ipſi tribuunt, ex reſurrectione nactus fuerit: contra ac S. Scriptura, quæ ſalutem cruci ipſius adſcribit. *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum.* 1 Cor. 1: 23. *ſtrictim revincuntur; in genere.*

XXXVIII. 3. Ex hac ſententia fructus mortis Chriſti in nullos redundant, niſi ſolos fideles N. T. excluſis plane V. Teſt. fidelibus; cum tamen Scriptura diſerte teſtetur, à Chriſto, ut fidejuſſore, etiam pro fidelibus V. Teſt. redemptionis pretium ſolutum eſſe. *Et propter hoc Teſtamenti Novi mediator eſt; ut morte obita ad redemptionem transgreſſionum, quæ ſub priori teſtamento erant, promiſſionem accipiant, vocati æternæ hæreditatis.* Hebr. 9: 15. 4. Nunquam refert Scriptura, Chriſtum tantum mortuum eſſe, ut Prophetam & Martyrem; verum expreſſiſſimis loquendi generibus, ut teſtatorem & teſtamenti conditorem. Hebr. 9: 15, 16, 17. Gal. 3: 17. *Teſtamentum ante ratum factum à Deo in Chriſtum, lex, quæ poſt quadringentos & triginta annos extitit, non facit irritum; ad obolendam promiſſionem.* Act. 20: 28.

XXXIX. 5. Tum non ſine inſigni in Deum injuria ſtatuitur, Chriſtum nobis in morte ſua ſolummodo exemplum exhibuiſſe; eo quippe tollitur 1. omnis demonſtratio juſtitiæ Dei in peccatores. 2. quaſi Deus ex ſe non ſit fide dignus, & alio egeat, qui fidem pro ipſo adſtringat; Chriſtum, qui noſtro nomine apud Deum ſpon-

ſponſorem agit, faciunt pro deo apud nos ſpondere, qui homo cum ſit, divina nobis confirmabit promiſſa; atque ita ſimul rerum ordinem invertunt.

In ſpecie. de confirmatione N. Fæderis.

XL. Fines illi particulares, quos morti Chriſti adſignant, ejuſdem omnino commatis ſunt. 1. Quid confirmatio illa novi fœderis, divinarumque promiſſionum magis dicit, quam quod etiam martyrum ſanguis præſtare potuit, qui Euangelium confirmarunt, ſine tamen peccatorum remiſſione? 1. Cor. 1: 13. tum quoque tantundem ipſa Chriſti miracula efficere potuerunt. *Ut cognoſcatis, quod poteſtatem habeat filius hominis in terra remittendi peccata* &c. Mattth. 9: 6, 7, 8. quin & multo magis fecerunt illud Chriſti reſurrectio & gloria; quibus tamen nunquam peccatorum remiſſio adſcribitur; ut peculiare quicquam & quod cæteris commune non eſt, in morte Chriſti indicetur.

de adducendis hominibus ad amplectendas conditiones N. T.

XLI. 2. Similiter vanus eſt ille prætextus finis, de adducendis per Chriſti mortem hominibus ad ineundas conditiones Novi Teſt. nam vel ex ipſorum ſententia, non adeo illuſtris apparuit Dei charitas in morte Chriſti; neque certius, aut præclarum magis exemplum dedit hæc, quam univerſa ejus vita; neque ira Dei vehementior exarſiſſe viſa eſt, ut à peccato deterreremur; neque aliquid per illam nobis revera acquiſitum eſt, ut ad virtutem alliceremur; & novis argumentis conſtringeremur.

de accepta poteſtate nos ſervandi.

XLII. 3. Eadem omnino eſt ratio tertii illius finis, quo volunt Chriſtum morte interveniente accepiſſe poteſtatem nos ſervandi & à peccatis abſolvendi. Nam 1. ipſe Socinus fatetur, Chriſtum jam eam poteſtatem in terra habuiſſe, quod ex Scriptura ſaltem vel maxime palam eſt. *Ut cognoſcatis quod poteſtatem habeat filius hominis in terra remittendi peccata.* Matth. 9: 6. 2. Itaquoque, ut jam vidimus, ad fideles Veteris Teſt. nullo modo ſpectaſſet hæc mors, ejuſque effectus, cum tamen illi per Chriſtum vitam æternam adepti ſint; quando Chriſtus, ex placito Socini, nondum illa poteſtate præditus fuit. 3. nec ipſe Socinus dabit hoc, Chriſtum nos liberaſſe à ſervitute peccati, ſed tantum à miſeria & malo ejus; quippe qui nequidem ſalutem ipſam nobis præſtiterit, ſed viam duntaxat monſtraverit, qua noſmet ipſos ipſi liberemus. At vero liberavit nos Chriſtus per λύτρον, quod ſane non datur liberandis, ſed illi, à quo ſunt liberandi, ut per hujus valorem, libertatem & ſalutem eorum impetret: qui verus eſt & dignus mortis Chriſti effectus, non ii, quos commentus eſt Socinus. Rom. 3: 24.

XLIII. Ru-

Digitized by Google

XLIII. Rudiores hiſce in rebus ſunt, at ſæpe non meliores Anabaptiſtæ; qui 1. negant Chriſtum in anima ſua iram Dei percepiſſe, aut pœnas infernales ſenſiſſe: quia ſcilicet Scriptura totidem verbis illud non dicit: quaſi vel corpus ſine anima dolore affici poſſit, nec dolores animæ ejus memorentur. 2. Chriſtum etiam ſtricte loquendo, pro nobis non ſatisfeciſſe, ſed tantum exemplum præbuiſſe: ſcripto videlicet conſignatum eſt, unum pro altero non moriturum. Ezech. 18. verum hiſce jam ſupra occurrimus. *III. Anabaptiſtarum.*

XLIV. Errant pariter Remonſtrantes. 1. Dum quidam eorum ſtatuunt Chriſtum non ſuſtinuiſſe noſtro loco pœnas gehennales, ſed mortem duntaxat temporariam; eamque plenæ ſatisfactionis vice à Deo fuiſſe habitam & acceptam. De quibus jam actum. 2. dum contendunt, huic ſolum fini Chriſtum mortuum, ut Patri acquireret jus nobiſcum redintegrandi fœdus, & de remiſſione peccatorum contrahendi, quacunque vellet conditione. Sed 1. non Patri quicquam acquiſivit Chriſtus, cui omnia competebant; at nobis, & quidem reconciliationem actualem, utpote quibus omnia deerant. 2. Poſita morte Chriſti nova conditio juſtitiæ iniri non poterat; niſi hæc ſola, quæ nunc rata eſt, & teſtamento Chriſti unicè innititur; neque enim novo pacto legali ullus locus concedi poterat. 3. non ita nobis impetrata fuiſſet reconciliatio, ſed tantum nova conditio & modus conſtitutus, quo reconciliari poſſemus, dummodo nobis ipſi ne deſimus. 4. nec eſſet inde, quare magis Chriſto illud imputaremus, quam nobis ipſis, quippe qui conditionem illam præſtiterimus. 5. denique repugnat hoc naturæ ſponſionis, per quam conſtat, primarium debitorem ipſo actu, ut ajunt, liberari debere; nos vero hic non liberari cenſemur, niſi accedente demum novo pacto. *IV. Remonſtrantium.*

XLV. III. Dum non abſolutam, ſed conditionariam reddunt hanc ſatisfactionem; quæ Deo quidem plena ſit, ſed nobis non efficax, niſi demum, ubi eam prona voluntate acceperimus; cæteroquin ipſam hanc ſatiſfactionem ex Dei voluntate irritam facimus: quomodo non veretur Epiſcopius profari. Verum obſtat hiſce; quod 1. morti Chriſti aſſignetur, præſens & actualis reconciliatio, tanquam repræſentato jam pretio; quæ idcirco ex nulla conditione ſuſpendi poteſt. *Et ipſe Jeſus Chriſtus expiatio eſt pro peccatis noſtris.* 1. Joh. 2: 2. Rom. 3: 25. *Omnia autem ſunt ex Deo, qui reconciliavit nos ſecum in Jeſu Chriſto.* 2. Cor. 5: 18. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ipſius, remiſſionem peccatorum.* Col. 1: 14.

Et

Digitized by Google

Et placuit per ipſum omnia reconciliare ad ſe, pacem faciens (ſive *dum pacem fecit*) *per ſanguinem crucis ejus per ipſum.* com. 20. Rom. 8: 34. & præcipue 5: 10.

XLVI. 2. Cum conditio hæc ſuſpenſa hæreret ex voluntate hominis, eaque indifferente & ambigua; incertum omnino & ambiguum fuiſſet, totum hoc opus, quod tum Deo indignum eſt, quem mutata hominis voluntate, ipſum mutari neceſſe eſſet: quique cum æternum præſciverit, quoſdam mortem Chriſti aſpernaturos, nullo tamen conſilio, nulloque ſcopo filium pro iis morti tradidiſſet: tum Dei rerumque naturæ contrarium fuiſſet; nam cum hominum voluntates Deus flectat, fruſtra fingitur exſpectare, quo tandem evaſurus ſit earum motus: tum quoque promiſſis Novi Fœderis non convenit. *Quod ſuper potioribus promiſſionibus in legis formulam redactum eſt.* Hebr. 8: 6.

XLVII. 3. Denique cum ſatisfactio ſit ſurrogatio unius pro alio, abſonum omnino erit illam ex conditione ſuſpenderi. *Hoc judicantes, ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt.* 2. Cor. 5: 15. *Ipſe cruciabtur propter defectiones noſtras, continebatur ob pravitates noſtras.* Eſai. 53: 5.

XLVIII. IV. Contradicunt hoc modo; ſatisfactionem Chriſti univerſalem eſſe pro omnibus, ſubſtratam quippe fœderi gratiæ univerſalis, ut pro pereuntibus æque ac ſalvandis Chriſtus mortem obierit; nam merito mortis ejus tantum effectum eſt, ut Deus cum peccatoribus ſit reconciliabilis, iiſque det gratiam ſufficientem ad reconciliationem conſequendam, ſi velint. Huic gemina eſt aliorum diſtinctio; qua Chriſtum dicunt mortuum pro omnibus ſufficienter, non vero efficaciter. Vide Apolog. pag 94, 95.

XLIX. At 1. inſolens eſt & inauditum in S. Scriptura, eodem prorſus modo mortuum eſſe Chriſtum pro damnandis ac ſalvandis. vide Matth. 21. Joh. 10. & 17. Eph. 5. 2. Itidem abſurdum eſt, Deum reconciliabilem factum, & peccata poſſe remitti; cum non ſemel expreſſiſſime peccata dicantur jam reapſe condonata. *Hoc judicantes, ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt.* 2. Cor. 5: 15. & com. 18. *Omnia autem ſunt ex Deo, qui reconciliavit nos ſecum in Jeſu Chriſto.* 3. Turpiter hoc modo ſe ipſos jugulant, cum ſufficienter mortuum velint Chriſtum, non vero efficaciter; quæ ſe mutuo tollunt; cum ſine efficacia nulla ſit ſufficientia. 4. Omnia illa quæ huc aurigantur, tum ipſe ſatisfactionis modus in Chriſto; tum omnes loquendi modi, notant ſemper aliquid quod jam

Digitized by Google

jam revera ſit, non quod poſſit eſſe. Ita in Scriptura mori pro aliquo ſemper ſignificat ſurrogationem, adeoque actualem ſatisfactionem; quare vel peccata noſtra in Chriſto punita ſunt, quando ſimul vere remiſſa eſſe oportet; ſin vero; vanam eſſe omnem Chriſti ſponſionem neceſſe eſt. De quibus amplius cap. ſeq.

L. v. Fallunt item, cum ita ordinant decreta Dei; ut Deum prius velint decreviſſe filium dare morti; tum eos eligere, quos prævidit in illum credituros; in quo Lutheranorum veſtigia premunt: ut mors Chriſti præordinata ſit electioni ad vitam æternam. At nihil abſurdius eſt, quam ut Deus prius media ordinaverit, quam finem; cum ſatisfactio medium ſit ad ſalutem, ubi videlicet hæc duo inter ſe conferuntur; reſpectu enim Dei coordinata ſunt hæc omnia, qui ſimul deſtinavit ſalutem, ſimulque ſatisfactionem; adeo ut in decreto Dei mors Chriſti non præceſſerit noſtram fidem; quamvis in executione res aliter ſe habeat.

Alter mortis Chriſti fructus eſt noſtri cum Deo reconciliatio: detorta à Socinianis.

LI. Poſt hanc ſequitur alter mortis Chriſti fructus, ex ſatisfactione fluens, quæ eſt noſtri cum Deo reconciliatio.

LII. Hac autem reconciliatio, ne in ipſo limine impingamus, non eſt concipienda μονόπλευρος, ut fingit Socinus, ſeu tantum à noſtra parte, quæ fiat per regenerationem, qua revertimur ad Deum, illique nosmet ipſos ſupplices objicimus, prætexto loco 2. Cor. 5: 20. *Reconciliamini cum Deo.* – nam liquet apertiſſime ex Scriptura, æque nobis Deum reconciliatum eſſe, quam nos Deo. 2. Cor. 5: 18, 19. Eph. 2: 15, 16. Col. 2: 14. Rom. 5: 10. Col. 1: 19-21. Hebr. 10: 14, 17. Vide & 1. Theſſ. 1: 10. Eph. 2: 18. Hebr. 12: 23, 29.

& Remonſtrantibus; qui diſtinguunt inter reconciliationem impetratam & applicatam.

LIII. Repugnat hiſce etiam ſiniſtra Remonſtrantium opinio, qui impetratam quidem omnibus reconciliationem, ſed non applicatam volunt, ut Deus non niſi credentibus & obedientibus ſit reconciliatus; reconciliabilis tamen omnibus. Primum intelligi volunt 2. Cor. 5: 19. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non imputans ipſis lapſus*: ſecundum ibidem com. 20. *Itaque nomine Chriſti legatione fungimur, & velut Deo rogante per nos, oramus Chriſti nomine, reconciliamini Deo.* Verum hoc pacto 1. tollitur Teſtamentum Novi fœderis, quod non hypotheticum eſt, ſed abſolutum. *Ubi enim teſtamentum eſt, mortem neceſſe eſt contingere teſtatoris: Teſtamentum enim in mortuis firmum eſt.* Hebr. 9: 16, 17. *Ego autem pono vobis, ſicut mihi Pater diſpoſuit regnum.* Luc. 22: 29. 2. Cum hypothetica hac reconciliatione, conciliari non poſſunt loca Eph. 2: 15, 16.

Col. 2: 14. Hebr. 10: 14. *Una oblatione conſummavit in perpetuum qui ſanctificantur* & vs. 17. *Peccatorum ipſorum & iniquitatum ipſorum non recordabor amplius.*

LIV. 3. Non conſiſtit cum ea mors Chriſti, ut ſponſoris noſtri, per quam reapſe reconciliati ſumus. *In tantum melioris teſtamenti extitit ſponſor Jeſus.* Hebr. 7: 22. *Hoc judicantes, ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt.* 2. Cor. 5: 15. Cæteroquin enim, ut ſupra vidimus, non punita ſunt in ipſo noſtra peccata. 4. Fruſtra quoque reconciliationem illam priorem univerſalem faciunt, cum ipſi extra illam amandent fideles Veteris Teſt. 5. Denique ita fieri potuiſſet, ut lytrum ſolviſſet, mortemque obiiſſet Chriſtus, nulli bono; quippe, unde ipſe nihil reportaſſet præmii, nec quiſquam alius ex ea vel minimum ſalutis retuliſſet: ſimulque teſtator fuiſſet Chriſtus, cum tamen nullum forte habuiſſet hæredem? quare fruſtra mori, fruſtra teſtari potuiſſet Chriſtus; quod tamen negat Paulus. Gal. 2: 21. *Si enim per legem eſt juſtitia, ergo Chriſtus fruſtra mortuus eſt.*

abſolutam & conditionatam, LV. Huc etiam velificantur illi, qui diſpartiuntur reconciliationem in abſolutam, & in comparatam, ſeu ex conditione ſuſpenſam; ut Chriſtus non prorſus propitiationem & placamentum impetraverit, niſi ea lege, ut ipſa hæc reconciliatio per Sp. ſanctum & fidem intimaretur. Quæ ſane indigna fuiſſet filio Dei ratio, & labori ſuo tam immani non conveniens, ut beneficium tam care acquiſitum, non niſi poſt novam conditionem aliunde præſtandam, daretur. Nullam ergo hæc reconciliatio agnoſcit legem aut conditionem; ſed merus eſt effectus ſponſoris, iſque ſecundum pactum aliquod, ex quo dictum, reconciliationem hanc abſolutam in homines per Sp. Sanctum & fidem redundaturam eſſe; atque ita juxta promiſſus eſt Sp. Sanctus & fides, citra omnem incertam conditionem.

plenam utrinque & non plenam. LVI. Interpolans hæc Epiſcopius, realem omnino ait & actualem eſſe, etiam à parte Dei, hanc reconciliationem; ea tamen lege, ne homo illam negligat; ut nulla quicquam ex parte deſit, ſed utrinque plena ſit & perfecta. Verum liquido contra apparet, Deum non omnibus quantum in ſe, placatum eſſe, aut eodem affectu proſequi; quo nihil crebrius & ſtudioſius Scriptura inculcat. Ita 1. ſub Veteri Teſt. ut anteacta Patrum tempora prætereamus, adoptat Iſraëlitas, rejectis gentibus. *Nam populus ſanctus tu es. Jehovæ Deo tuo, te elegit Jehovah, ut ſis ipſi in populum* סגלה περιποιήσεως *ſepoſitionis ex omnibus populis.* Deut. 7: 6. Pſal. 147: 18, 19. 2. In Novo

Digitized by Google

Novo Teſt. verſis rerum vicibus, Judæis exterminatis, adſciſcit gentes. *Quod quærit Iſraël, hoc non eſt conſecutus. Electio autem conſecuta eſt, reliqui vero occalluerunt, quemadmodum ſcriptum eſt, dedit illis Deus ſpiritum compunctionis: oculos, ut non videant, & aures ut non audiant, uſque in hodiernum diem.* Rom. 11:7,8. 3. nec etiamnum multis hominibus, quinimo populis, modus & via ſalutis oſtenſa eſt, quod tamen fieri oportuiſſet, ſi quidem omnibus impetrata ſalus. 4. Nec abſoluta erit illa reconciliatio, quæ ex mutabili hominis voluntate & conditione prorſus incerta, ſuſpenſa eſt. 5. Tum quoque non niſi ad adultos ſpectabit hæc reconciliatio, alienis ab ea infantibus, utpote quibus hæc conditio offerri non poſſit.

LVII. Porro pergit errare Epiſcopius, circa redemptionem Chriſti; quam duplicem facit; alteram prævenientem, quæ ad homines movendos conducit ut redimi ſe patiantur. 2. Cor. 5:18, 20. Alteram, qua, perſuaſi jam homines, & in mutuam gratiam cum Deo reverſi, reapſe à morte liberantur; quæ redemptio completa illi dicitur, eaque locum habet in iis, qui conſtanter Chriſto obedire perſeverant; ſicut priorem inde incompletam vocat. Sed indigna nimis & perverſa hæc eſt rei tractatio; nam 1. redemptio illa præveniens, nomen ſuum tueri non poteſt; cum redemptionis tantum ſit oblatio; uti nec altera, quæ ejuſdem eſt applicatio, qua homines vel illam ſibi, vel ad illam ſe applicant. 2. Quod alteram illam completam vocet, non niſi demum poſt emenſum vitæ noſtræ ſtadium, fallit itidem, cum redemptio incompleta nulla detur; & etiam in hac vita certo redimantur omnes, pro quibus Chriſtus mortuus eſt. Act. 26:17, 18.

ut & inter redemtionem prævenientem & completam,

LVIII. Ex iiſdem lacunis hauſit idem, cum duplici modo Chriſtum redemptorem vocat: priori, redemptor eſt ſine effectu; quatenus ad ſalutem conſequendam homines adducit, nulla tamen certa cum efficientia: poſteriori modo, cum effectu; quatenus poſt perſeveratum ſanctitatis ſtudium, plenam ſalutem eamque irrecuſabilem confert. Quando Chriſtus Salvator noſter erit, non ut Sacerdos, ſed ut Rex tantum, qui ex mera ſua poteſtate vitam æternam nobis largitur; cum tamen & reapſe & certiſſimo cum effectu, tanquam ſacerdos, propitiatorio ſuo ſacrificio nos ſalvet. *Una oblatione conſummavit in perpetuum, qui ſanctificantur.* Hebr. 10:14. & 9:24. *Ipſe ſalvabit populum ſuum à peccatis ipſorum.* Matth. 1:21.

& inde inter Chriſtum redemtorem ſine effectu, & cum effectu.

LIX. Ultimus denique mortis Chriſti fructus reſtat; quo legata eſt ſalvandis hæreditas vitæ æternæ. *Et ego diſpono vobis, ſicut Pa-*

Ultimus mortis Chriſti fructus eſt hæreditas vita æterna.

ter mihi diſpoſuit regnum. Luc. 22:29, 30. quem etiam intercipiunt, quin plenum ejus effectum negant, Sociniani & Remonſtrantes: ſed planiſſime probari poteſt. 1. Ex teſtamentaria Chriſti diſpoſitione, quæ morte ejus confirmata eſt. *Teſtamentum enim in mortuis firmum eſt.* Heb. 9:17. 2. Ex mandato Patris, cui cum Chriſtus ſatisfecerit, omnibus etiam ſibi datis vitam æternam acquiſivit. *Hæc eſt voluntas Patris qui me miſit, ut omne, quod dedit mihi, non perdam de eo: Hæc vero eſt voluntas ejus qui me miſit, ut omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Joh. 6: 39, 40. 3. Ex ipſo fine mortis Chriſti, qui is erat, ut vitam æternam nobis reapſe conferret. *Introduxit in gloriam multos filios.* Heb. 2:10. 4. Ex jurejurando Patris, per quod ſancitum & firmatum eſt Chriſto regnum ſacerdotale. Pſal. 110. regnum vero illud abſque iis qui tanquam vere ſalvati, regno illi ſubjecti erunt, vanum prorſus erit & inane. 5. Ex certiſſima conſolatione, quam ſolam ex morte Chriſti, contra damnationem & mortem capere licet. *Quis eſt, qui condemnet? Chriſtus is eſt, qui mortuus eſt.* Rom. 8: 34. & 5: 17, 22. Joh. 5: 24. *Qui ſermonem meum audit & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, ſed tranſiit ex morte in vitam.* 6. Ex ſollemni Chriſti precatione, jamjam morituri, eoque efficaciori. *Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ego ſum, etiam illi ſint mecum.* Joh. 17: 24. 7. Secus nulla foret in hac vita, vel adoptionis gratia, vel ejus hæreditas. Rom. 8: 16, 17. Eph 1: 5. *Dum definivit nos ad adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum.* 1. Pet. 1: 3, 4. *Regenuit nos ad ſpem vivam — ad hæreditatem incorruptibilem.* quin imo ne quidem electio ad gratiam; hæc enim ſimul ſunt & ſe mutuo ponunt. Eph. 1: 5.

LX. Ut huic negotio nullo modo reſpondeat adverſariorum pactio hypothetica, qua acquirenda ſtatuitur vita æterna, poſt noſtram demum obedientiam: cum ultro & indubitate illa ex morte Chriſti fluat; unde tum plena reconciliatio, tum hæreditas indivulſe & neceſſario conſequitur. *Qui dedit ſe ipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni adverſus legem delicto, & purificaret ſibi populum in divitiis ſuis perpetuo habendum.* Tit. 2: 14. 1. Joh. 1: 7.

CAPUT XX.

De Objecto mortis Chriſti, ſive pro quibus Chriſtus mortuus ſit.

OBJECTUM *mortis Chriſti, ſeu pro quibus mortuus ſit.*

I. VIdimus quem in finem ſuſceptum ſit tantæ molis opus, & quo ſcopo mortem obiverit Chriſtus; reſtat nunc conſiderandus finis

finis ☞, ſeu pro quibus ingens hoc negotium fuerit confectum. Sicut enim provinciam hanc non ſubivit Chriſtus temere ex vana gloria, nec incerta de cauſa, quod ab inſania non multum diſtaret; ita quoque eventus tanto conatui minime defuit, & quem ſibi propoſuit ſcopum certiſſime aſſecutus eſt. Qua in re dum verſamur, præcipua nobis opera collocanda erit in retundendis adverſariorum ictibus, quos veritati intentant.

II. Triplex potiſſimum ſententiarum divortium eſt. 1. Agmen ducunt Sociniani, qui inficias eunt, Chriſtum, ut ſponſorem mortuum eſſe; verum tamen omnium hominum bono: quos ſupra refutatos dedimus. Secunda ſententia eſt eorum, qui non omnimodo ſponſoris vices Chriſto derogant, at illum mortuum volunt pro omnibus & ſingulis hominibus, quibus licet reconciliationem promeruerit, nemo tamen, præter fideles, illius particeps fit. Atque hæc Remonſtrantium eſt opinio. Ultima ſententia eſt, quæ Chriſtum agnoſcit vadem, non quidem omnium & ſingulorum hominum, at vult tamen, redundare ex morte Chriſti, utilitatem aliquam in omnes; ut pro omnibus & ſingulis, ſufficienter mortuus eſſe dici poſſit, quorundam ſcilicet loco; aliorum vero bono: quam ſuam faciunt quidam inter Reformatos. *Triplex hic ſententiarum divortium.*

III. Quibus quidem ſententiis, quatenus in eandem hanc univerſalitatem conſpirant, opponemus primo Scripturæ veritatem; tum argumenta eorum & objectamenta examinabimus. Hæc enim ſententia, quæ antiquorum etiam Pelagianorum fuit, ſtatuentium pro univerſo genere humano Chriſtum mortuum eſſe, palam ex S. Scriptura & rei veritate refellitur. Nam 1. cum morte Chriſti, ſalvati ſint fideles ante Chriſtum; fatentibus illud, ut videtur, quibuſdam adverſariorum, neceſſario hinc ſequitur, mortuum illum duntaxat eſſe, pro iis qui jam revera ſalvati erant; nam pro damnatis mortuum eſſe, quo colore dici poſſet? quamvis illud affirmare non vereantur Remonſtrantium quidam. Nec meliori etiam cum ſpecie mortuus dicetur pro iis qui peccarunt in Sp. ſanctum, jam ante mortem Chriſti. *Qui dixerit* verbum *in ſpiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro.* Matth. 12:31, 32. coll. 1 Joh. 5:16. *Serpentes, progenies viperarum, quando effugietis judicium gehennæ?* Matth 23:33. Joh. 8:24. ita nec mori potuit pro Juda proditore. *Nemo ex iis periit, niſi filius perditionis, ut Scriptura impleretur.* Joh 17:12. *Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis eſt diabolus?* Joh. 6:70. & 13:11. *Rejicitur univerſalitas mortis Chriſti.*

Digitized by Google

IV. 2. Nequaquam etiam unquam pro omnibus interceſſiſſe legitur. *Non pro mundo rogo, ſed pro iis, quos dediſti mihi.* Joh. 17: 9. *Da peccatum ad peccatum illorum, & non veniant ad juſtitiam tuam. deleantur ex libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur.* Pſal. 69: 28, 29. Jam vero arctiſſimo & indivulſo nexu hæc utraque, interceſſio nimirum & ſatisfactio, inter ſe cohærent; quinimo hac quodammodo illa major & latior eſt.

V. 3. Si pro omnibus mortuus ſit Chriſtus; 1. etiam omnes actu reconciliati erunt. Hæc enim mortis ejus vis eſt & efficientia. *Hoc judicantes, quod, ſi unus pro omnibus mortuus eſt; ergo illi omnes mortui ſunt.* 2. Cor 5: 15. 2 Omnium peccata erunt remiſſa. *Hoc eſt ſanguis meus — qui pro multis effunditur, in remiſſionem peccatorum.* Matth. 26: 28. 3. Omnibus omnia gratificabitur Pater, & ſanctificati erunt omnes. *Quomodo non etiam cum eo filio, omnia nobis largietur Deus?* Rom. 8: 32. *Et pro ipſis ego ſanctifico me ipſum, ut & ipſi ſint ſanctificati in veritate.* Joh. 17: 19. quod falſum eſſe apparet. *Quem Spiritum veritatis mundus non poteſt accipere, quia non vidit eum, neque cognoſcit eum.* Joh. 14: 17. 4. Omnes erunt amore ſummo dilecti. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut quis animam ſuam ponat pro amicis ſuis.* Joh. 15: 13. coll. 1. Joh. 3: 16. at contra eſt. *Tum profitebor ipſis, quod nunquam novi vos.* Matth. 7: 23. 5. Ita nullus revera poſſet condemnari. *Quis eſt qui condemnet? Chriſtus is eſt, qui mortuus eſt* &c. Rom. 8: 34. aliter ac habetur Marc. 16: 16. *Qui vero non credit, condemnabitur.*

VI. 6. Omnibus foret acquiſita fides. *Quem Jeſum Chriſtum propoſuit Deus propitiatorium per fidem in ſanguine ipſius.* Rom. 3: 25. *Fides ex auditu* &c. Rom. 10: 17. cujus contrarium evincitur ex Pſal 147: 19, 20. *Indicat verba ſua Jacobo, ſtatuta ſua, & judicia ſua Iſraëli; non fecit ſic ulli genti, & judicia,* quod attinet, *non cognoverunt ea.* Act. 13: 48. *Et crediderunt, quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* Act. 16: 6. *Prohibiti à Spiritu ſancto loqui verbum in Aſia.* 2. Theſſ. 3: 2. *Non enim omnium eſt fides* 7. Omnes liberati erunt à ſervitute peccati, & habebunt ſpiritum regenerationis. *Hoc ſcientes, veterem noſtrum hominem una crucifixum eſſe, ut aboleatur corpus peccati, ut non amplius ſerviamus peccato.* Rom. 6: 6, 2 Cor. 5: 15. Hebr. 2: 14, 15. Jer. 31: 33. quod experientia quotidiana refellit. 8. Nullus erit ex natura filius iræ, ſed omnes in ſtatu gratiæ; diſerte contra Eph. 2: 3. *Eramus filii natura iræ, ut & reliqui.* 1. Cor. 7: 14. *Alioqui liberi veſtri impuri ſunt.* 9. Quinimo omnes erunt participes vitæ æternæ.

Pro-

Digitized by Google

Propter hoc Teſtamenti Novi mediator eſt, ut, morte obita, ad redemtionem, quæ ſub priori Teſtamento (erant) *tranſgreſſionum, promiſſionem accipiant vocati æternæ hæreditatis.* Hebr. 9:15. quod negat Paulus. *Si autem filii, & hæredes ſumus.* Rom: 8:17.

VII. 4. Hinc S. Scriptura ut huic errori occurreret, diligenter admodum notat, mortuum eſſe Chriſtum non pro omnibus hominibus, ſed diſtinctè pro iis, qui ex hominibus electi ſunt. *Et audivi numerum ſignatorum, centum & quadraginta quatuor chiliades, ex omni tribu filiorum Iſraël.* Apoc. 7:4. *Acquiſivit Deus per ſanguinem ſuum Eccleſiam.* Act 20:28. atque idcirco paſſim pro multis illum mortuum teſtatur, non ſine accurata notione, qua liquido negatur, pro omnibus morte functum. Eſ. 53:11, 12. Matth. 20:28. & 26:28. *Hoc eſt ſanguis meus--qui pro multis effunditur, in remiſſionem peccatorum.* Hebr. 9:28. & 2:10. Ita ſpeciatim mortuus perhibetur pro *populo ſuo. Ipſe autem ſalvabit populum ſuum à peccatis ipſorum.* Matth. 1:21. *Futurum erat ut Jeſus moreretur pro gente* Joh. 11:51. *Ipſe eſt ſalvator corporis.* Eph. 5:23. & pro *ovibus ſuis.* Joh. 10:15. *Animam meam pono pro ovibus.* & com. 28. *Ego do vitam æternam eis, & non peribunt in ſeculum.*

VIII. 5. Denique ex ipſa adverſariorum hypotheſi deſtruitur univerſalis mors Chriſti. Nam 1. non ſtatuunt mortuum pro infantibus, quos à peccato originali immunes faciunt; quare mediatore non egent. Licet aliter doceamur Matth. 1:21. 1. Cor. 7:14. *Alioquin liberi veſtri impuri ſunt.* Conf. Act. 2:39. 2. Mortuum etiam nolunt pro iis qui vixerunt ante N. Teſt. ſine cognitione vitæ æternæ; & qui ſub Novo Teſt. vixerunt, ſine notitia Euangelii; illi enim æternæ condemnationi non ſunt obnoxii. 3. Nec etiam pro reliquo genere humano; cum negent peccatum originale; & ab actuali omnes ſibi cavere potuiſſe, à multis revera cautum eſſe velint. Unde certo conſequitur, maximæ hominum parti inutilem fuiſſe Chriſti mortem.

IX. Hiſce ſatis ſuperque deturbavimus hanc univerſalitatem mortis Chriſti. Nunc etiam loco ſuo movenda veniunt, quæ ſpecioſe huic errori prætendunt argumenta. Qualia ſunt. 1. quod paſſim *pro omnibus mortuus* dicatur Chriſtus. 2. Cor. 5:15. Hebr. 2:9. *Ut gratia Dei pro omni guſtaret mortem.* 1. Tim. 2:6. qua in re tenendum hoc eſt, voculam *omnis* creberrime ita uſurpari, ut excludat omnem διαστολήν diſtinctionem; non vero exceptionem. *Dicit enim Scriptura, omnis, qui credit in eum, non pudefiet; non enim eſt diſtin-*

Revictis adverſariorum argumentis, Quod mortuus dicatur pro omnibus.

ctio

ſtiv Judæi & Græci— &c. Rom. 10: 11, 12. Gal. 3: 26, 27, 28. Col. 1: 20, 28. Rom. 11: 32. *Concluſit Deus omnes* (utroſque, Judæos & gentes) *ut omnium miſereatur*. Ut per hanc vocem quidem innuatur ſublatum eſſe omne diſcrimen inter Judæos & gentes; nequaquam tamen efficiatur omnes omnino Judæos & gentiles, ſine ulla exceptione ſalvandos. 2. Aperte ſatis reſpicitur hac voce ad promiſſionem Abrahamo factam, qua ſemen ſeu hæreditas ex omnibus gentibus adeunda ipſi promiſſa & confirmata fuit. *Benedicentur in te omnes familiæ terræ*. Gen. 22: 18. & 12: 3. & 28: 14. Hinc dicitur: *hæres mundi*. Rom. 4: 13. Gal. 3: 8. ut *omnes* hic intelligendi ſint, non de omnibus univerſim hominibus, ſed de omni ſemine Abrahamo promiſſo. *In Iſaaco vocabitur tibi ſemen*. Gen. 21: 12. *Non enim omnes, qui ex Iſraele; hi Iſrael*. Rom. 9: 6.

X. Atque hinc facile etiam apparet, quis ſpeciatim ſenſus ſit ſingulorum locorum in quibus hæc vocula occurrit. ut 1. Hebr. 2: 9. *Ut gratia Dei pro omni guſtaret mortem*. & com. 10. *Multos filios in gloriam introduxit*. 2. Rom. 5: 18. *Per unum juſtitiæ meritum* (ſeu *cauſam*) *in omnes homines in juſtificationem vitæ*. Vide & com. 19. *Per obedientiam unius juſti conſtituentur multi*. 3. 2 Cor. 5: 15. *Hoc judicantes, quod ſi unus pro omnibus mortuus eſt; ergo omnes mortui ſunt*. & com. 17. *Si quis in Chriſto, nova* eſt *creatura*. & com. 18. *Omnia ſunt ex Deo* &c. tum etiam illi omnes ſunt illi qui *Chriſto jam vivunt*, cum. 15. quales non ſunt omnes & ſinguli. Vide & 1 Cor. 15: 22, 23. Act. 2: 39.

pro mundo. XI. Deinde, quod ſæpe pro *mundo* Chriſtus mortuus dicatur. Joh. 1: 29. facile illud explicari poteſt; nam, ut omiſſis cæteris mundi ſignificationibus, illas tantum recenſeamus, quæ noſtro inſtituto inſerviunt; ſumitur interdum pro univerſitate electorum, ſæpe pro ſolis gentilibus; quandoque pro ſemine illo promiſſionis, ex gentibus ſine diſcrimine. qua notione hiſce in locis commodiſſime capi poteſt.

XII. Sic 2. Cor. 5: 19. *Deus erat mundum ſecum reconcilians in Chriſto*, intelliguntur gentes; non vero omnes univerſe homines. vide com. 17, 18, 19. *Omnia ſunt ex Deo, qui nos ſecum reconciliavit per Jeſum Chriſtum* &c. Col. 1: 20. *Per ipſum omnia reconciliavit ad ſe*. quemadmodum 1. Joh. 2: 2. per *peccata totius mundi* non intelliguntur omnium hominum, verum electorum ex gentilibus, ſeu potius univerſi ſeminis Abrahæ, ex Judæis non ſolum, ſed etiam ex gentibus collecti Vide Joh 11: 52. *Non tantum pro gente, ſed ut & filios Dei diſperſos cogeret in unum*. idem indicat quoque dictio tota epiſtolæ

Digitized by Google

piſtolæ ſcriptæ ad Hebræos, ut *pro nobis* ſit tantundem ac pro Judæis; *pro mundo* ac pro gentilibus. Ita & Joh. 3: 16. *Sic enim dilexit Deus mundum; ut filium ſuum* &c.

XIII. Objiciunt nobis locum 1 Tim. 2: 4. ad quem reſponderi poteſt; non dici σώζειν ſed σωθῆναι, quod quid ſit, explicatur mox; nempe *ut perveniant ad cognitionem veritatis*, id eſt Euangelii: poſito fine rei & conſequente, pro antecedente: ſicut Marc. 16: 16. *Abeuntes per totum mundum prædicate Euangelium omni creaturæ.* quare nos ita cenſere debemus, Deum velle, ut omni homini Euangelium annuncietur, atque idcircò juxta *pro omnibus orandum eſſe.* com. 1: 2. Quo facit, quod com. 5, 6. Chriſtus dicatur *ſe dediſſe* ἀντίλυτρον *pro omnibus*; illud autem non pro omnibus & ſingulis factum eſt, at tantum pro ſemine promiſſionis. Similiter 2. Pet. 3: 9. *Sed* Dominus *longanimis eſt in nos, nolens ullos perire, ſed omnes venire ad reſipiſcentiam*, ſermo tantum eſt de electis. *1 Tim. 2: 4.* *2 Pet. 3: 9.*

XIV. Parratio eſt locorum Rom. 14: 15, 20. *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Chriſtus mortuus eſt.* & 1 Cor. 8: 11. non enim in illis agitur de effectu ipſo, & eventu quem res ſortitur, ſed de conatu & molimine, quando nimirum per infirmorum ſcandalum frater infirmus, quantum in nobis eſt, perditur, non quidem funditus & internecivo prorſus interitu, aliqua tamen ex parte. Similes phraſes vide Matth. 5: 28. *Quicunque aſpicit mulierem, ut concupiſcat eam, jam adulteravit eam in corde ſuo.* Heb. 6: 6. *Rom. 14:15.*

XV. Nec tandem etiam aliquid efficitur ex loco 2 Pet. 2: 1. ubi *falſi doctores abnegare* dicuntur *Dominum, qui eos redemit.* Nam vox illa δεσπότης, diſtincta à voce κύριος, ſecundum multos Patri hic tribuitur. ut Luc. 2: 29. *Nunc dimittas ſervum tuum* δέσποτα, *Domine, ſecundum verbum tuum in pace.* & ex quorundam ſententia 2. Tim. 2: 21. Jud. 4. *Negantes illum ſolum* δεσπότην, *Herum, Deum & τὸν κύριον Dominum Jeſum Chriſtum.* 2. At demus licet per δεσπότην Filium hic intelligi, aliter tamen conſideratur ut δεσπότης, *herus*; aliter ut κύριος *Dominus*, qualis eſt non niſi verorum Eccleſiæ membrorum; at herus etiam eſt eorum, quos quocunque modo in Eccleſiam viſibilem adſciſcit. *In magna domo non ſunt tantum vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & teſtacea, & alia quidem ad honorem, alia autem non ad honorem.* 2 Tim. 2: 20. Joh. 8: 35. Gal. 4: 30. 3. Adde, quod empti dicantur illi non pretio, 1 Cor. 6: 20. *Empti eſtis pretio.* 1. Pet. 1: 19. *Redempti eſtis pretioſo ſanguine Chriſti*: ſed empti tantum, id eſt, ſine pretio; ut operarii & ſervi mercede & externis *2 Pet. 2:1.*

beneficiis conducti. Vide Matth. 20: 1, 2, 3. Deut. 7: 8. & 9: 26. *Et oravi Dominum & dixi: Domine Deus, ne perdas populum tuum & hæreditatem tuam, quam redemiſti per magnitudinem tuam, quam* vel *cum eduxiſti eam ex Ægypto, per manum fortem...*

An omnes teneantur credere, Chriſtum pro ſe eſſe mortuum?

XVI. Atque ita cum nullum ex S. Scriptura præſidium cauſæ ſuæ reportent, ad inanes logos & ratiocinationes recurrunt; clamantes Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum, quod omnes debeant credere, illum pro ſe eſſe mortuum; ſecundum πολυθρύλλητον illud; quod unuſquiſque credere debet, illud eſt verum. Reſp. 1. quoad formam, argumentum hoc paralogiſmum eſſe; hoc pacto reſtituendum: quicunque tenentur credere Chriſtum pro ſe mortuum eſſe, ſunt ii, pro quibus Chriſtus mortuus eſt; atqui omnes & ſinguli tenentur credere &c. 2. Reſp. quoad materiam, non omnes & ſingulos hoc debere credere; nam 1. non omnibus & ſingulis Euangelium annunciatur. *Quomodo autem credent, quem non audiverunt?* Rom. 10: 14. 2. Tum illi, quibus annunciatur, credere quidem debent, Jeſum eſſe Filium Dei, recepturum omnes reſipiſcentes & ad ſe confugientes; non tamen continuo pro ſe eſſe mortuum, quinimo impœnitentes contrarium credere jubentur. *Ne date ſanctum canibus; neque projicite margaritas veſtras coram porcis.* Matth. 7: 6. & cap. 16: 19. Joh. 20: 23. *Non eſt tibi pars, neque ſors in verbo hoc.* Act. 8: 21. 2 Cor. 13: 5. 3. Patet ex hiſce, juberi omino, ut omnes fide ſua in Chriſtum recumbant. *Ut omnis qui credit in eum, non pereat.* Joh. 3: 16. per modum & rationem præcepti. *Ubi igitur gloriatio? excluſa eſt: per quam legem? operum? non; ſed per legem fidei.* Rom. 3: 27. poſt quæ juſſa, jubetur demum fides in Chriſtum tanquam pro nobis mortuum. Vide Rom. 6: 3--8.

An ſimulate agatur cum reprobis?

XVII Inſtant, Deum hoc modo non poſſe ſimulationis crimine abſolvi, qui tales jubeat credere. Verum non jubet Deus, ut impœnitentes credant, ſed ut pœniteant & credant, atque ita vult, generatim nunciari, Chriſtum pro pœnitentibus & fidelibus mortuum eſſe; ut hiſce hæc conſolatio ſerio nec temere proponatur; reliquis vero monſtratur via, quam calcare deberent, ut fructus mortis Chriſti reciperent, idque ſine omni ſimulatione.

An Chriſtus ſufficienter ſit mortuus pro omnibus?

XVIII. Extricanda nunc reſtat quæſtio; an non Chriſtus, non quidem quoad efficaciam, ſed tamen quoad ſufficientiam mortuus ſit pro omnibus? Hanc autem ut recte ponamus, diſcernendum accurate eſt, inter ea quæ Remonſtrantes ſentiunt, & quæ à quibuſdam ex noſtris traduntur.

XIX. Re-

Digitized by Google

XIX. Remonſtrantes quod attinet, diſcrimen illi fecerunt inter ſalutis impetrationem & applicationem; illam dicunt eſſe factam à Chriſto, ex conſilio Patris, pro omnibus & ſingulis; hanc relinquunt uniuſcujuſque arbitrio. Ita olim conſtituerunt in collatione Hagienſi. 1. Deum morti deſtinaſſe filium ſuum, antequam quemquam deſtinaſſet ſaluti. 2. Redemptionem in ſeſe indeterminatam eſſe, adeoque mortem Chriſti pertinere ad omnes. 3. Deum non intendiſſe eam mortem alicui applicare ad ſalutem, ſed ſcopum ſuum obtinuiſſe mortuo Chriſto; adeo ut ejus morte non legata ſit alicui vita æterna, ſed via tantum patefacta Novo Fœderi, in quo per mandata Chriſti vitam æternam quilibet adipiſci poteſt. 4. Et hæc illis eſt ſalutis impetratio, dum per mortem Chriſti effectũ eſt, ut Deus ſalva ſua juſtitia, peccatorem ſalvare poſſit, ſeu per fidem, ſeu per opera; ex quo aliud etiam decretum poſterius fabricantur. 5. Inde dicunt Chriſtum tam indeterminato & vago modo morti deſtinatum, nec pro fidelibus, nec pro infidelibus (utriſque qua talibus) mortuum eſſe, ſed pro omnibus; ex quibus poſtea quidã fideles, quidam infideles fiunt, ut ea intentione æque pro Pharaone ac Maria ſit mortuus. 6. Quicquid autem deinceps fiat in applicatione poſt præſtitam ab homine conditionem requiſitam, id, ſecundum illos, confertur, non ſub ratione finis, ſed præmii ac mercedis, adeoque potius ad juſtitiam, quam ad gratiam & charitatem ſpectat. 7. Quin etiam ex eorum ſententia Chriſtus ſibi jus acquiſivit infideles perdendi. 8. Quidam tamen eorum docent univerſum genus humanum, actu non ſolum reconciliatum eſſe, modo in eo perſiſtant, ſed & univerſalem applicationem docere videntur, ſtatuentes univerſalem & ſufficientem gratiam omnibus & ſingulis dari. Quam applicationem alii negant, nolentes Chriſtum intendiſſe in impetratione applicationem reconciliationis, uti dictum eſt, ſed eam tantum velle poſt impetrationem completam. *ſecundum Remonſtrantes.*

XX. Circa hæc autem notandum eſt; tum quod ſupra etiam obſervavimus, à Chriſta ito Teſtamentum factum, abſque hæredum inſtitutione, in qua tamen omnis Teſt. fundamentum & ratio poſita eſt; tum diſtinctionem hanc impetrationis ab applicatione hauſtam eſſe è lacunis Pelagii, quo libero arbitrio litaret; quod tamen diſcidium res ipſa non patitur. Nam 1. vana eſt omnis impetratio ſine applicatione, nec una mutilari debet, aut latius extendi, quam altera, infauſto diſcidio: utramque enim in morte ſua intendit Chriſtus, qui mortuus eſt, ut ſalvaret electos; ad *qui confutantur.*

Digitized by Google

quod tam impetratio quam applicatio requirebatur. 2. Tum ab ea excludentur infantes, donec eam reipſa ſibi applicent, vel potius illa non egent, quippe qui & peccato originali careant. Imo nec adultis erit neceſſaria, cum à peccato actuali cavere ſibi poſſint, & in morte æterna, quæ quidem peccati pœna ſit, natura non hæreant. 3. Denique univerſalis illa reconciliatio ſeu impetratio ne unum quidem hominem amplius ſalvari facit, quam abſolutum illud, quod noſtris tribuunt, decretum; unde ſupervacuam eſſe abunde conſtat.

XXI. Porro cauſam ſuam non parum produnt, dum reconciliationem hanc univerſalem per fidem applicari volunt. Fides enim illa, vel erit modus & via, per quam Deus reipſa reconcilietur, & tum cauſa erit divinæ voluntatis, qua nos ſalvare velit; quod Deo indecorum; vel duntaxat inſtrumentum erit applicationis; qua ratione Deus, cum fides hæc ex hominis arbitrio ſuſpenſa hæreat, incertus plane erit, quis ſalutis impetratæ futurus ſit particeps. Summum igitur hinc nihil aliud conficitur, quam per impetrationem hanc effectum eſſe, ut Deus peccatorem ſalvare poſſit, modo velit; cum qua poſſibili redemptione homo æternum perire poteſt.

XXII. Facile hinc exiſtimare datur, quo reſpectu mors Chriſti dici poſſit ſufficiens pro omnibus. Ita nempe, ut ſi intrinſecum illud mortis pretium conſideretur, omnino ſufficiens ſit; hinc tamen non efficitur, Chriſtum pro omnibus ſufficienter eſſe mortuum: quoties enim in Scriptura Chriſtus pro aliquo mortuus dicitur, notatur vera ſubſtitutio in locum ejus, pro quo mortuus eſt. *Hoc judicantes, quod ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt.* 2. Cor. 5: 15. hoc auten nullo reſpectu de Chriſto reſpectu omnium dici poſſe, ante docuimus.

ſecundum Lutheranos. XXIII. Huic errori etiam innexi ſunt Lutherani, qui, cum eadem diſtinctione ſufficientiæ & efficaciæ, Chriſtum ex ſua & Patris intentione, pro omnibus & ſingulis mortuum eſſe volunt; quod difficilius illi tuentur; cum applicationem mortis Chriſti non ſuſpendant ex viribus liberi arbitrii, ſed ex gratia Dei. Ut ita ex illorum hypotheſi fingi nequeat, quomodo ſalutis impetratio latius patere poſſit, quam ejus applicatio.

ſecundum quoſdam Reformatos. XXIV. Aliter paulo concipiunt hæc quidam Reformatorum, quamvis omnes etiam non eodem modo. Nam 1. volunt quidam Chriſtum ita ſufficienter pro omnibus eſſe mortuum, & ſalutem iis impetraſſe, ut applicatio tamen illius pendeat à ſola Dei gratia. 2. Alii, cum dicunt Chriſtum ſufficienter mortuum eſſe pro omnibus, tan-

Digitized by Google

tantundem volunt ſignificare ac bono & utilitate omnium. Ita ut Chriſtum non velint mortuum loco omnium (hoc enim electorum tantum eſt) ſed bono, eoque non tanto, ut ſalutem in eo aſſequantur, ſed communiori, quo, vi hujus mortis, reprobi etiam vocentur, illuminentur, ſordes & inquinamenta ſeculi effugiant &c. Hebr. 6:4, 5. unde mors Chriſti iis manifeſtatur, cum obligatione eam non negligendi. Verum uſui Scripturæ repugnat hæc expoſitio: nam illa, ubi de morte Chriſti loquitur, particulam *pro*, eo ſemper ſignificatu accipit, ut notet vice ac loco alicujus, nunquam vero, in alicujus bonum ad hanc vitam pertinens. Phraſis vero illa nunquam enervanda eſt; cum generalis ſit hæc regula, non ſolum locum habens in particula ἀντὶ, verum & in altera ὑπὲρ; quæ quidem aliquando latius ſumitur, ut Col. 1: 24. *Viciſſim impleo reliquias afflictionum Chriſti in carne mea ὑπὲρ pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia.* cum tamen uſurpatur de morte Chriſti, ex analogia aliorum locorum ſumenda eſt.

XXV. Quam tamen utilitatem illi ex morte Chriſti pro reprobis arceſſunt, non negamus quidem talia beneficia communia illis conferri, quamvis ipſi illis abutantur. *Abnegantes herum, qui ipſos emit.* 2. Pet. 2: 1. non tamen hæc illis conceduntur à Deo tanquam redemptore, ut illos ſervet, at potius, ut in iis demonſtret longanimitatem & potentiam ſuam, & ſimul duritiem cordis illorum. *Deus volens oſtendere & notam facere potentiam ſuam, tulit in multa longanimitate vaſa iræ aptata ad interitum*, Rom. 9: 22. Eſai. 5: 3, 7. multo minus reſpectu talium beneficiorum & illius utilitatis, Chriſtus pro illis & maxime pro reprobis mortuus dici poteſt. Nec repetenda ſunt illa beneficia, ex amore Dei erga tales, qui ſit fructus mortis Chriſti, ſed potius ex providentia Dei, qua eos damnare non vult citra demonſtrationem bonitatis ſuæ tam illuſtris. Ut hoc reſpectu Chriſtus nequaquam mortuus pro iis dici debeat: adeoque novis hiſce loquendi generibus & formulis in Scriptura non uſitatis abſtinendum potius eſt. Tantum de morte Chriſti.

C A P U T X X I.

De Sepultura & deſcenſu Chriſti ad inferos.

I. Ultimus exinanitionis Chriſti gradus, ſeu complementum ejus, fuit ſepultura; non enim decebat Chriſtum guſtata morte continuo emergere, ſed per aliquantum temporis quaſi mor- *Mortem Chriſti excepit ejus* SEPULTURA.

tis vinculis irretitus teneri debebat, ut veritas mortis eo magis eluceſceret & pateſceret juſtitia Dei. *Cum vero abſolviſſent omnia*, quæ *de ipſo ſcripta* erant, *auferentes à ligno*, *poſuerunt* ipſum in ſepulcro. Act. 13:29, conf. Matth. 26:12. Joh. 12:7.

quæ ſecundum prædictionem peracta. II. Prædicta fuit hæc ſepultura. *Et quod ſepultus eſt*, *& quod excitatus eſt*, *tertio die*, *ſecundum ſcripturas*. 1. Cor. 15: 4. præcipue Eſai. 53:9. *Dedit cum improbis ſepulturam ejus & cum divite in mortibus ipſius*. quibus verbis duo dicuntur 1. ſepulcrum ipſius futurum fuiſſe cum improbis, more facinoroſorum. 2. Providentiam tamen divinam effecturam, ut non in illis facinoroſorum ſepulcris, ſed in divitis ſepulcro ſepeliretur; quod & factum Matth. 27: 59, 60. *Joſeph* (*homo dives*, *Aritmathaenſis*, com. 57.) *cum accepiſſet corpus*, *involvit illud ſyndone pura*, *& poſuit illud in monumento ſuo novo*, *quod exciderat in petra*. Marc. 15:43. Luc. 23:50. Joh. 19:38.

illius modus, III. Ut modum hunc ſepulturæ Chriſti rectius cognoſcamus, ſcienda eſt ſepulcrorum Judaicorum ratio. Erant autem ea, nimirum nobiliora, hanc ferme in formam, ut primo aream haberent in medio ad ingreſſum ſepulcri; ad utroque autem latere ſpeluncam, area quatuor cubitis depreſſiorem, quæ ſuos iterum habebat loculos, in quibus componebantur cadavera, numero vero octo, interdum etiam tredecim; qualis loculus כוך appellabatur: unde ratio univerſa ſepulcri Chriſti intelligi poteſt, ut & hiſtoriæ Euangelicæ Luc. 14: 3, 12. Marc. 16: 5. Joh. 20: 5, 11.

ratio IV. Speciatim hæc ita fieri voluit divina providentia; 1. ut ſepulcrum hoc in petra eſſet Matth. 27:60. ne per occultos meatus Chriſtum inde extractum calumniari poſſent. 2. ut novum eſſet Luc. 23:53. *Et poſuit illud corpus in monumento*, *in ſaxo inciſo*, *ubi nondum ullus erat poſitus*. Matth. 27:60. ne objici poſſet, Chriſtum aliena virtute inde reſurrexiſſe; ut 2. Reg. 13:20, 21. 3. ut alienum eſſet, quo Chriſtus pro aliena ſalute mortuus & ſepultus oſtenderetur.

& honor illi in ea habitus. V. Præterea ex conſuetudine Judæorum, qui variis ritibus fidem ſuam circa mortuorum reſurrectionem teſtabantur, corpus Chriſti, puræ ſyndoni, cum aromatibus, fuit involutum. Matth. 27:59. Joh. 19:39, 40. non autem Chriſti corpus pollinctum etiam fuit, propter temporis brevitatem, inſtante nempe Sabbato. *Et regreſſæ præpararunt aromata & unguenta*, *& Sabbato quidem quieverunt ſecundum præceptum*. Luc. 23: 56.

VI. Factum vero illud confici poteſt 1. ut declararetur Chriſti inno-

innocentia. 2. ut probrum crucis honeſta ſepultura jam propulſaretur. 3. ut notaretur vivificum odorem è ſepultura Chriſti emanaturum. 4. Quod autem pollinctura non fuerit adhibita, contigit, ut oſtenderetur, Chriſtum, etiam ſine illa, corruptioni non fore obnoxium. *Non dabis pium tuum, ut videat corruptionem.* Pſal. 16: 10. tum quoque ne virtuti illius integritas & incorruptio corporis Chriſti adſcriberetur.

VII. Ingens præterea ſaxum ſepulcro Chriſti fuit advolutum, *Saxum advolutum.* Judæorum rogatu. *Abeuntes vero munierunt ſepulcrum, obſignato lapide cum cuſtodia.* Matth. 27: 66. quod factum quibuſdam videtur ſecundum Thren. 3: 53. *Manciparunt foveæ vitam meam, & conjecerunt lapidem in me.* quo pacto ſimul à ludibrio cuſtoditum fuit Chriſti cadaver, & obſignata ſimul reſurrectionis veritas. Atque ita contraria adverſariorum ſtudia veritatem & juſtam cauſam non ſolum non lædere, ſed promovere debent.

VIII. Sepultura hæc hos in fines inſtituta fuit. 1. ut Scriptura *Sepulturæ Chriſti fines.* impleretur. Pſal. 16: 10. & 22: 16. *In pulverem mortis diſponis me.* Pſal. 88: 7. *Reputatus ſum cum deſcendentibus in foveam, extiti, ut vir, ſine viribus — poſuiſti me in fovea profundiſſima, in tenebris, in abyſſis.* Eſai. 53: 9. 2. Ut conſtaret certiſſimis argumentis, eum vere mortuum eſſe. *Pilatus, advocato centurione, interrogavit eum — & rem cognoſcens* &c. Marc. 15: 42, 43. 3. ut expiationem peccati morte ſua peractam eſſe teſtaretur & confirmaret; ex typo Deut. 21: 23. *Nam execratio Dei eſt ſuſpenſus.* quo vetabatur ut cadaver ſuſpenſi in ligno relinqueretur; nam cum in hoc ſupplicio per mortem Chriſti abolenda eſſet execratio, non debebat, aut ipſum corpus Chriſti, aut ſuſpenſi illius è ligno, in Veteri Teſt. ſub execratione illa noctem tranſigere. 4. Ut mortem in ultimo quaſi arcis ſuæ angulo & aſylo perſequens, illam inde deturbaret, & ſepulcra noſtra ſanctificaret. 5. Ut peccata noſtra ſecum ſepeliret; cujus rei veritas & certitudo obſignatur nobis in baptiſmo. *Conſepulti ſumus igitur ipſi per baptiſmum in mortem.* Rom. 6: 4. Col. 2: 12. 6. ut Sabbatum cæteraſque legis Moſaicæ cærimonias ſimul etiam ut emeritas & rude donatas tanquam cadaver in ſepulcro componeret; quare & Sabbatiſmum ſuum in ſepulcro peregit.

IX. Appendix huic articulo adjecta, luſtranda hic nobis etiam *Appendix de* eſt; quæ hiſce verbis concepta; *deſcendit ad inferos*; tum hiſtoricæ, DESCENSU tum dogmaticæ diſquiſitionis eſt. In anteceſſum tenendum hic eſt, *Chriſti ad* INFEROS quod nunc omittimus, Symbolum Apoſtolicum male ſtatui compoſitum

poſitum ab Apoſtolis; neque ab initio tot quoque articulorum fuit, ac nunc deprehenditur.

quomodo ſepultura ejus adjecta?

X. Articulum igitur hunc, qui nobis ſub manibus eſt, quod attinet, ultro patet, ab Apoſtolis compoſitum non eſſe; quo maxime facit, quod nec in Veteris Eccleſiæ Symbolis, uſque ad tempora Caroli Magni; nec in ipſo hoc Symbolo, quod Apoſtolicum dicitur, apud Orientales & Romanos etiam compareat. Prima ejus mentio fit in Symbolo Athanaſiano, quod tamen Athanaſii non eſt. Ex hiſce igitur probabilis, nec haud difficilis eſt conjectura: cum in Symbolo Niceno habeantur verba, *ſepultus eſt*; in Athanaſiano vero, omiſſis iis, legatur: *deſcendit ad inferos*; ſequentibus ſeculis ad verba Symboli Niceni: *ſepultus eſt*; ex Symbolo Athanaſiano in margine, explicationis gratia, adjecta fuiſſe verba, *deſcendit ad inferos*; quæ deinceps ex margine in ipſum Symbolum recepta, ſimulque eodem tenore recitata fuerint; quod ex variis MSS. Codicibus oſtendi poteſt.

illius varia interpretatio.

XI. Hæc ergo cum eorum verborum origo ſit, quid auctores per illa intellexerint, cum non fuerint Apoſtoli, ſcire non multum refert; laborandum potius eſt, quis conveniens ſenſus ex iis erui poſſit.

XII. Plurimas equidem interpretationes articulus hic eſt paſſus. Aliis eum ad deſcenſum duntaxat virtualem, ut vocant, referentibus; aliis ad realem; iique rurſus quadruplici ſententiarum genere diſtrahuntur. 1. Quidam volunt, deſcenſum hunc ſolummodo factum ſecundum divinitatem. 2. Alii, quoad animam ſolam: idque vel *metaphorice* ſumunt, vel de ſtatu animæ in loco inviſibili, vel de acerbiſſimis ejus doloribus; vel de dormitione, triduo mortis: vel etiam *ſecundum literam*: quando volunt, vel animam adſcendiſſe in cœlum, vel deſcendiſſe in locum obſcurum terræ, ſive ille ſit limbus Patrum & Purgatorium, ſive puerorum & Gehenna ſimul, ſive etiam hæc tantum; varios item fines hujus deſcenſus in hæc loca comminiſcentes; *intrantes* ſeu involantes, *in ea quæ nunquam viderunt*. Col. 2: 18. 3. Intercedunt quidam, volentes deſcenſum hunc factum ſecundum corpus & animam idque iterum vel realiter, ut quidam Lutherani; vel ita, ut anima & corpore apud inferos relictis, divinitate ſola in cœlum aſcenderit, ut olim hæretici χελειολύται. 4. Denique alii ſoli corpori deſcenſum hunc tribuunt, quando nimirum per triduum in ſepulcro fuit detentum; vel de ſtatu corporis intelligunt, quando per triduum iſtud vita naturali caruit; vel ſimpliciter de ſepultura ſumunt, ut in his verbis

ſit

Digitized by Google

ſit propior explicatio priorum; ſicut infernus pro ſepulcro ita paſſim venit. Gen. 42: 38. 1 Reg. 2: 6, 9. Pſal. 16: 10.

XIII. Senſus ergo horum verborum idoneus ſtatui poteſt, vel literalis, vel metaphoricus. Literalis notat Chriſti deſcenſum in ſepulcrum, ſeu triduanam perſeverationem ſtatus illius ſub dominio mortis. *Quem* Jeſum *Deus excitavit, ſolvens dolores mortis, ſicut non erat poſſibile ipſum ab ea teneri.* Act. 2: 24. conf. v. 27, 31. quod notatur etiam Eph. 4: 9. ubi explicatur per κατώτερα τῆς γῆς. Confer Matth. 12: 40. *Sic filius hominis erit tres dies & tres noctes in corde terræ.* Vide & Pſal. 69: 16. *Senſus illius literalis*

XIV. Analogice etiam & metaphorice per hæc verba notari poſſunt cruciatus & dolores Chriſti, tum in horto, tum in cruce toleratí, per quos improprie in infernum deſcendit: ita ut externis Chriſti paſſionibus in Symbolo ſubjungantur paſſiones animæ internæ; conf. 1 Sam. 2: 6. Pſal. 18: 6. 116: 3. 88: 16, 17, 18. ut inepte Pontificii, prætextu horum verborum negent ſpirituales Chriſti dolores ab ipſo toleratos. Ab altera tamen parte cavendum item ne cum aliis ſtatuamus, Chriſtum poſt mortem in anima paſſum eſſe, quod repugnat verbis Chriſti: *Conſummatum eſt.* Joh. 19: 30. verum dolores illos tulit in vita, poſt ultimam cœnam; Matth. 26: 37, 38. *Et incepit* Chriſtus *affici triſtitia & graviſſime angi; tunc dixit ipſis, valde triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Luc. 22: 44. & in cruce, Matth. 27: 46. qui etiam improprius in infernum deſcenſus repræſentatus fuit tenebris. Matth. 27: 45. Luc. 23: 44, 45. *metaphoricus,*

XV. Male ergo Pontificii & Lutherani caput hoc Symboli de deſcenſu incruſtant & detorquent; cum deſcenſionem hanc Chriſti in infernum localem faciunt; quamvis non eodem ſenſu omnes; cum alii præterea hunc deſcenſum pœnalem, alii triumphalem efficiant. Verum falſa horum omnium eſt hypotheſis, ac ſi effecta illius in variis inferni locis quæ fingunt, peragi à Chriſto nequiverint, niſi anima ejus reipſa deſcenderit; tum quoqe conceſſo licet hoc deſcenſu, non tamen inde limbus vel purgatorium efficietur, ſed infernus tantum. Præterea falſum eſſe quem huic hypotheſi ſuperſtruunt errorem, patet Luc. 23: 43. *Et dixit ipſi Jeſus, hodie mecum eris in Paradiſo.* ut anima quæ in Paradiſo jam erat, ſimul in inferno eſſe non potuerit. *detortus à Pontificiis & Lutheranis.*

XVI. Nec quicquam turbat hanc ſententiam, vox *inferni*: illa enim in Scriptura, non locum damnatorum, ſed mortuorum, ſeu ſepulcrum notat; quæ ſola tum Hebræi nominis שאול, tum *Illorum ratiuncula.*

Græci ᾅδης, notio eſt; niſi forte uno in loco Luc. 16: 23. nec aliud probatur ex locis Num. 16: 30. 1 Sam 2: 6. Matth. 11: 23. ubi infernus pro ſepulcro etiam ponitur. Fruſtra quoque objicitur 1. Pet. 3: 19, 20. *In quo Spiritu abiens, iis ſpiritibus, qui in carcere ſunt prædicavit.* & c. 4: 6. *Ad hoc enim etiam mortuis euangelizatum eſt.* nam licet *carcer* ibi inferos ſignificet; non tamen eo profectus fuit Chriſtus per animam ſeparatam, ſed *in Spiritu*, id eſt, divina inſpiratione per Noachum prædicavit ſpiritibus, qui ſunt in carcere; quæ iterum non jungenda ſunt, ac ſi prædicaverit iis jam mortuis; ſed à ſe mutuo ſeparanda; dum ſcilicet in vivis erant. Act. 2: 27. ubi *anima Chriſti in inferno fuiſſe* dicitur, per ſynecdochen anima ſumitur pro cadavere. ut נפש Lev. 21: 1, 11. Num. 19: 11. Luc. 6: 9. Vide & Act. 2: 31. Nihil amplius etiam infert, quod *in corde terræ* dicatur fuiſſe Matth. 12: 40. cum illud tantundem ſit, ac infra terram deſcediſſe. Vide Ezech. 28: 2. & Eph. 4: 9. de quo ſupra viſum.

LOCUS TRIGESIMUS SEXTUS
DE
EXALTATIONE CHRISTI
Et quæ eam conſecuta ſunt.

CAPUT XXII.
De ſtatu Exaltationis & Reſurrectione Chriſti.

Humiliationem Chriſti inſecuta fuit ejus EXALTATIO.

I. EÆ ſunt rerum humanarum vices, ut non niſi poſt depugnatam rite pugnam victoria reportetur, & poſt depreſſionem ſequatur demum exaltatio. Haſce etiam vices ſubivit Chriſtus: qui ſe ad infernum uſque abjici paſſus eſt, at viciſſim etiam in cœlos ſublatus; & tanquam herba terræ conculcatus, excrevit demum immenſum in modum: unde ταπείνωσιν *humiliationem* & abjectiſſimum ejus ſtatum mox ſubſecuta eſt ὕψωσις *exaltatio. Minorem eum feciſti pauliſper Angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* Hebr. 2: 7. ex Pſalmo 8: 6. Eſai. 50: 8, 9. & 52: 13. *Ecce, feliciter aget ſervus meus, efferetur, & extolletur valde.* 1. Petr. 1: 11. *Spiritus Chriſti ante teſtatus eſt, paſſiones in Chriſtum, & poſt eas, glorias.* Luc. 24: 26. *Nonne oportuit Chriſtum hæc pati & ingredi in gloriam ſuam?* conf. Dan. 9: 25, 26. Zach. 9: 9. 6: 13.

II. Hanc

II. Hanc autem ut explicatius teneamus, ſciendum eſt, eam *qua deſcri-*
non conſiſtere in abdicatione humanæ naturæ, ut ea quaſi rude do- *bitur.*
nata ſit; ſed tantum formæ ſervilis, ejuſque commutatione in gloriam cœleſtem: quoad humanam igitur naturam recepit illa reapſe; quoad divinam egit illa, & gloriam ſuam æternam tantum manifeſtavit. Phil. 2: 9. Joh. 17: 5. *Et nunc glorifica me tu, Pater, apud te gloria quam habui, prius quam mundus eſſet, apud te.*

III. Sicut autem non ſtatim in extremum illum humiliationis *Illius gra-*
ſtatum devolutus; ita quoque paulatim ſuperas evaſit ad auras, & *dus.*
non niſi per gradus quoſdam in faſtigium gloriæ ſurrexit. Gradus hi potiſſimum tres ſunt. Prima eſt, reſurrectio è mortuis. 1. Cor. 15: 45. *Factus eſt primus homo Adam in animam viventem, ultimus vero Adam in Spiritum vivificantem.* Secunda, aſcenſio in cœlos. Act. 1: 11. *Sic veniet, quemadmodum vidiſtis ipſum abeuntem in cælum.* Tertia, Seſſio ad dextram. Phil. 2: 9. Eph. 1: 20. *Eum excitavit ex mortuis & collocavit ad dextram ſuam in ſupercœleſtibus.* Hebr. 10: 12.

IV. Reſurrectio quidem eſt, qua natura ejus humana, vere ad *quorum pri-*
vitam fuit reſuſcitata; ſuo ſcilicet & improprio modo anima; cor- *mus eſt*
pus vero propriè. Partes ejus ſunt, tum interna excitatio, facta per RESURRE-
reſarcitam corporis vivificationem, & animæ cum illo unionem; CTIO.
tum externus è ſepulcro exitus in dias luminis auras. Cæterum de hac reſurrectione videnda 1. illius *veritas.* 2. *natura* & modus. 3. cauſa *efficiens.* 4. *tempus.* 5. *rationes* & *effectus.*

V. Certitudo ejus maximi, ſi quicquam, eſt momenti; niſi e- *Illius 1. ve-*
nim hoc conſtiterit, actum eſt de nobis & Chriſto. *Si autem Chri- ritas prædi-*
ſtus non ſuſcitatus eſt, vanum igitur præconium noſtrum, vana autem cta in V. T.
etiam fides veſtra; deprehendimur etiam falſi teſtes Dei, quia teſtati ſumus de Deo quod excitavit Chriſtum. 1 Cor. 15: 12, 14, 15. liquido autem illa patet, cum ex Veteri, tum ex Novo Teſt. Primo loco occurrunt vaticinia. *Quod ſuſcitatus eſt tertio die, ſecundum Scripturas.* 1. Cor. 15: 4. qualia ſunt Pſal. 16: 10. *Non relinques animam meam in in- vaticiniis*
ferno, non dabis pium tuum, ut videat corruptionem. quem locum de Meſſia ſolo intelligendum eſſe docet Petrus Act. 2: 27, 31. Ita & Eſai. 55: 3. eodem pertinere, luculentum Pauli teſtimonium evincit Act. 13: 34. Nec aliter Eſai. 53: 10, 11. Pſal. 22. & 40. &c.

VI. Vaticiniis ſecundo loco ſuccedunt typi, Gen. 2: 2. qualis & *& typis.*
illuſtris admodum eſt *Iſaacus*, Gen. 22: 12, 13. Hebr. 11: 18, 19. deinde *Joſephus*, Gen. 41: 14. *Jonas.* Jon. 2: 11. *Ezechias*, 2 Reg. 20: 5. *Ecce ego ſano te, tertio die adſcendes in domum Jehovæ.* quorum

 pri-

primus & duo poſteriores ipſum etiam reſurrectionis tempus præfigurarunt. Partes hic etiam ſuas habet Simſon. Jud. 16: 3. Huc etiam pertinet caro ſacrificii euchariſtici, quæ ex præſcripro legis ante tertium diem comedi debebat. Lev. 7: 16, 17, 18. Huc etiam ſpectabat *manipulus* ille Lev. 23. qui in Paſchate, poſtridie Sabbati, offerebatur, & agitabatur eo die, quo Chriſtus ſurrexit.

confirmata ex hiſtoria N.T. VII. Omnium vero clariſſime tota hæc res conficitur ex hiſtoria Novi Teſt. & ſerie univerſa narrationis. Nam primo corpus idem fuit, ut ex novo monumento apparet. Luc. 23: 53. Joh. 19: 41. deinde furto ablatum non eſt; ſive illud factum dicatur à diſcipulis timidiſſimis; ſeu à militibus cuſtodiæ illius admotis; quod etiam ſomnus eorum evertit; ſeu ab hoſtibus, qui cadaver illius oſtentaſſent; ut undequaque cadat hæc ſuſpicio. Contra vero vivum fuiſſe Chriſtum apertiſſime liquet 1. ex teſtimonio Angelorum, qui Angeli fuerunt lucis, quales ſe ſuo fulgore ſatis probabant, atque ideo mentiri non poterant. Matth. 28: 6. *Non eſt hic, excitatus eſt, ſicut dixit.* Luc. 24: 5, 6. 2. mulierum innocentiſſimarum, in quas nulla fraudis ſuſpicio cadebat, cum Chriſtum ſurrexiſſe ignorarent, quin & dolerent. 3. Petri & Johannis. Joh. 20: 5--8. qui ſepulcrum videbant inane; & ſpeciatim ſepoſitum cum linteis ſudarium; quod ſecuritatem Chriſti reſurgentis teſtabatur. 4. Thomæ aliorumque infidelitas maximum & graviſſimum reſurrectioni præbet argumentum. Joh. 20: 25, 27. 5. Ante omnia faciunt huc tot apparitiones Chriſti, eæque variis modis factæ, omnes efficaciſſime reſurrectionem probantes. Apparuit quippe variis perſonis, vicibus, locis, modis, & diuturno ſæpe tempore. Graviſſimus etiam & locupletiſſimus hujus rei teſtis eſt univerſa Eccleſia, quando in memoriam reſurrectionis Chriſti diem Dominicum dedicavit. Nec tenue eſt argumentum in baptiſmo gentium, poſt illam reſurrectionem inſtituto, Judæorum non credentium judicio &c.

VIII. Maximi ergo momenti eſt hic articulus, & fidei Chriſtianæ compendium. *Quod ſi confeſſus fueris ore tuo Dominum Jeſum, & credideris in corde tuo quod Deus eum excitaverit ex mortuis, ſalvus futurus es.* Rom. 10: 9. Ut præfractus ſit Judæorum error, quo in hanc veritatem invictam inſurgunt. *Multum argentum dederunt militibus; dicentes: dicite quod diſcipuli ipſius, nocte venientes, ſurripuerunt ipſum* &c. Matth. 28: 12.

11. Natura & perfectio; quoad animam IX. Conſiderandam nunc ſe offert reſurrectionis *natura* & perfectio. Per hanc autem animæ dotes eximia acceſſione fuerunt adauctæ,

ctæ pro natura ſcilicet humanæ animæ: ſumma lux fuit in intellectu, ut perceperit & noverit omnia, quæ ſcire potuit aut debuit humana natura; ſumma itidem in voluntate fuit ſanctitas, gaudium &c. quæ ſumma caritate ejuſque reciproco ſenſu cum Deo fuit conjuncta. Corpus vel in ſepulcro, corruptioni nequaquam fuerat obnoxium; quod factum tum ob brevem in eo moram, tum præcipue omnipotente vi divinæ ejus naturæ, vivificantis illud & ab omni labe præſervantis; reſurrexit vero glorioſum, & depoſito pulvere, in naturam cœleſtium corporum tranſiit. Phil. 3: 21. Act. 13: 34. Rom. 6: 9, 10. 1 Cor. 15: 44, 49. Hebr. 2: 9, 14. Phil. 2: 9. Matth. 26: 29. quod & editæ ejus operationes ſatis demonſtrant.

& corpus, quod glorioſum reſurrexit:

X. Quod hiſce obtendant, Chriſtum ediſſe & bibiſſe poſt reſurrectionem; fruſtra eſt. Non enim illud fuit humanæ indigentiæ, ſed benignitatis prorſus divinæ & liberæ œconomiæ, ad demonſtrandam veritatem reſurrectionis ſuæ; ideoque ſemel tantum factum eſt, Luc. 24: 41. 43. nam ſæpius id contigiſſe ex Luc. 24: 30. *Et factum eſt, cum ipſe accumberet cum illis, accepto pane benedixit, & fracto dedit ipſis.* Joh. 21: 13. Act. 10: 41. cogi non poteſt. Pariter ſolvitur, quæ de cicatricibus vulnerum ipſius nectitur difficultas. Primo enim dubitari non immerito poteſt, an eas ſemper habuerit. Joh. 20: 24, 25. an vero in illud tempus tantum, pro arbitratu ſuo & œconomice aſſumpſerit, & deinceps ſit aſſumpturus. *Videbit eum omnis oculus, & qui eum transfixerunt.* Apoc. 1: 7. Deinde, ſi vero eas habuerit, œconomicum nihilominus fuit, nec de glorioſo corporis illius ſtatu quicquam demit.

non obſtante œconomia contraria,

XI. Obſcurata tamen & obnubilata fuit hæc gloria quantiſper in terris egit, quo converſari cum diſcipulis poſſet: quod docet analogia loci 2. Cor. 3: 7. *Si autem miniſterium mortis — in gloria factum fuit; adeo ut filii Iſraëlis non poſſent intueri faciem Moſis, propter gloriam faciei ejus, quæ periret; quomodo non magis miniſterium Spiritus erit in gloria?* Vide Luc. 24: 16. Act. 22: 11. *Cum vero non viderem præ*, vel *à gloria lucis illius, manu deductus — veni Damaſcum.*

qua gloriam ſuam in terris agens texit.

XII. Non ergo amplius *ſecundum carnem cognoſcendus eſt Chriſtus*, poſt reſurrectionem. 2. Cor. 5: 16. id eſt, quoad infirmitatem & ſubjectionem ſub lege. Manſit tamen corpus illud idem numero & ſubſtantia; retinuit etiam eſſentiam & proprietates eſſentiales corporis; ſpeciatim quoad locum & dimenſionem. *Surſum latus eſt in cælum.* Luc. 24: 51. Matth. 28: 6.

Salva ſemper natura ipſius veritate.

XIII. Inepte igitur Pontificii corpus illud intra anguſtias hoſtiolæ

Quam ſubvertunt Pontificii ac Lutherani

læ cogunt, & ſub ſpecie panis contineri volunt, per eſſe ſacramentale, ut vocant; cum eſſe illud tantopere ab eſſentia corporis differat, quantopere modus & ſignificatio rei ſacramentalis ab ipſa re. Nec melius Lutherani dimenſionem ab hoc corpore auferunt, per commentum ſuum de ubiquitate, ſeu multipræſentia & replicatione, quæ ſine multiplicatione cogitari nequit. Nec obſtat quod ἄφαντος dicatur factus. Luc. 24: 31. quod notat illum ex conſpectu eorum ſubductum eſſe, ſive quod diſcipulorum oculos perſtrinxerit & præpedierit; ſive quod celerrime ſe iis ſurripuerit: non quod ἀφανὴς aut inviſibilis ſit factus, ſed quod iis non amplius ſit viſus. Ita nec clauſo ſepulcro reſurrexit. ut liquet Matth. 28: 2. Nec *per clauſas januas* ſe penetravit, Joh. 20. 18. illud enim loquendi genus vel tempus duntaxat ſignificat, veſpertinum ſcilicet, cum *clauſæ* jam eſſent *januæ*; non vero modum: ſin vero; non tamen clauſæ manſerunt; ut patet ex analogia loci Act. 5: 19. *Angelus Domini nocte aperuit fores carceris.* & com. 23. *miniſtri — renuntiarunt, carcerem invenimus quidem clauſum, cum omni certitudine.* conf. c. 12: 10.

ut & Sociniani.

XIV. Graviter hic errant etiam Sociniani. Qui primo, Chriſtum ante reſurrectionem, tempore mortis, eſſe deſiiſſe volunt, ſeu in infernum non exiſtentiæ detrudunt; quod ab horrenda blaſphemia non abeſt. Permanſit enim 1. *Anima. Hodie mecum eris in Paradiſo.* Luc. 23: 43. & corpus. *Non dabis pium tuum, ut videat corruptionem.* Pſal. 16: 10. 2. Ipſe erat *vita. Ego ſum via & vetiras & vita.* Joh. 14: 6. & 11: 25. habet *potentiam vitæ indiſſolubilis.* Hebr. 7: 16. 1 Cor. 15: 45. 3. Ita Chriſtus bis ἐξ ὐκ ὄντων emerſiſſet, ſemel in generatione, iterum in reſurrectione. Secundo iidem negant, corpus Chriſti, ſtatim à reſurrectione glorioſum eſſe factum, ſed demum poſt aſcenſionem: præter quam ſupra vidimus.

III. Cauſa efficiens: quæ eſt Chriſtus, virtute propria,

XV. Succedit nunc reſurrectionis *cauſa efficiens.* Facta quidem illa eſt virtute Chriſti propria, Joh. 2: 19. & 10: 18. 1 Cor. 15: 45. Zach. 6: 12. Joh. 5: 26. Act. 1: 3. tribuitur tamen generatim Deo. *Hunc Jeſum excitavit Deus, cujus nos omnes ſumus teſtes.* Act. 2: 32. Patri vero. *Quam, præpollentiam virium, operatus eſt* (Pater gloriæ. cum. 17.) *in Chriſto, dum eum excitavit ex mortuis.* Eph. 1: 20. Sp. S. *Spiritus ejus qui Jeſum è mortuis excitavit.* Rom. 8: 10. *Chriſtus quidem mortificatus eſt carne, vivificatus autem Spiritu.* 1 Pet. 3: 18. Speciali

ſpeciali ratione Pater,

ratione Patri adſcribitur, utpote qui in hoc negotio tanquam judex ſpectatur, qui Filium pro peccatis jam mortuum excitando, abſolvit à culpa, qua peccatorum nomine tenebatur, & è carcere de-

Digitized by Google

demiſit. *Qui traditus eſt propter lapſus noſtros, & ſuſcitatus propter juſtificationem noſtri.* Rom. 4:25. conf. c. 6:4. & Hebr. 13:20. Cæteroquin virtus hæc & operatio toti Trinitati fuit communis. Ut nulla cum ſpecie Sociniani & Anabaptiſtæ Filio hoc denegent, quia nempe Patri tribuitur.

XVI. Recte igitur hinc probatur Chriſti deitas & divina filiatio. Rom. 1:4. ὁρισθεὶς, nempe *Filius Dei ex reſurrectione.* Longe aliter ac Sociniani, qui illum inde Filium Dei denominatum fingunt, quo detorquent locum Pſal. 2:7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* coll. Act. 13:32, 33. & Hebr. 5:5. Col. 1:18. contra locorum iſtorum genium. *Oſtenſa inde divinitas Chriſti.*

XVII. Negligenda circa hoc negotium minime etiam eſt *circumſtantia temporis.* Fuit autem tertius dies. *Et occident ipſum, & tertio die excitabitur.* Matth. 17:23. Luc. 24:21. Joh. 2:19. *Solvite templum hoc, & tribus diebus excitabo illud.* Act. 10:40, *Hunc Jeſum excitavit Deus tertio die.* 1. Cor. 15:4. Tempus hoc Chriſto plane peculiare fuit; cum nec ſub V. nec Novo Teſt. ullus tertio die excitatus legatur. Vide ſpeciatim Joh. 11:39. *Dixit ipſi Martha, Domine, jam olet, quarti enim diei eſt.* Præfiguratum illud fuit in tribus præcipue viris Iſaaco, Ezechia, Jona; Patriarcha, Rege, Propheta. Diſtinctiſſime verò typum hunc in ſe ipſo exhibuit Jonas. Matth. 12:40. Reliquos typos ſupra luſtravimus. Conf. Hoſ. 6:2. *Vivificabit nos à duobus diebus: die tertio reſuſcitabit nos, & vivemus coram illo.* *IV. Tempus, tertio die.* *quod Chriſto peculiare; juxta prophetiam.*

XVIII. Ad difficultatem quam hic nectunt de triduo mortis Chriſti, cum ſummum per quadraginta tantum horas mortuus fuerit; facilis eſt reſponſio: triduum illud recte dici poſſe, tam proprie & ex nudo literarum ſenſu; quam ex analogia. Proprie quidem, ut per Synecdochen, ſub tribus hiſce diebus, eorumque partibus, noctes etiam comprehendantur; quod Judæis & S. Scripturæ frequens eſt. Vide Gen. 1:5. &c. Unde & numerum hunc ipſe Sp. Sanctus ad tertium diem coarctat. Matth. 16:21. &c. Vide & 1. Sam. 30:12. & ſeqq. Eſth. 4:16. & 5:1. Luc 2:21. Analogice vero ſi ſumatur, intelligi triduum illud poteſt, de toto illo tempore humiliationis Chriſti, ab extrema cœna, uſque ad primam veſperam, qua ſe diſcipulis vivum tot monumentis exhibuit; quod integrum adeo eſt triduum. *An triduum illud fuerit integrum?*

XIX. Dies quam in ſepulcro exigit, fuit Sabbati; atque hactenus ſimi- *Sabbatum in ſepulchro tranſegit, primo autem hebdomadis die reſurrexit.*

ſimilis fuit omnibus mortuis, unquam reſuſcitatis: nunquam enim quiſquam illo die excitatus legitur. Conveniebat illud utique etiam, ut ita typum Sabbati ſimul expleret. Dies reſurrectionis fuit primus hebdomadis, qui inde in memoriam reſurrectionis, ab Eccleſia primitiva Chriſtianorum ſacris conventibus dicatus & diſtinctus eſt; quare & læti & ſine geniculationibus diem illum tranſigere debebant. Quomodo vero ſimul impleti ſint typi veteres, alias viſum.

v. *Effecta & fructus.* XX. Tandem ſequuntur hic denique advertenda reſurrectionis *effecta* & *fructus*; tum Chriſti, tum noſtrûm reſpectu. Chriſtum quod ſpectat, reſurgendo declaratus eſt victor mortis & dux vitæ. *Jeſus Chriſtus primogenitus ex mortuis & princeps Regum terræ.* Apoc. 1: 5. *Rurſus autem quum introducit primogenitum in orbem habitabilem, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei.* Hebr. 1: 6. regius ſacerdos. *Dabit ipſi Dominus Deus thronum Davidis, Patris ipſius.* Luc. 1: 32. *Unde & ſalvare ad perfectum poteſt accedentes per ipſum ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro ipſis.* Hebr. 7: 25. Rom. 8: 34. Nos quod attinet, per reſurrectionem Chriſti ad nos pervenit teſtamenti ejus executio, quæ præſtari debebat ab ipſo Chriſto vivo. *Qui traditus eſt propter lapſus noſtros, & ſuſcitatus propter juſtificationem noſtri.* Rom. 4: 25. Hebr. 9: 12. atque ita fructus omnis mortis Chriſti in nos derivatus eſt.

XXI. Oritur ergo hinc 1. certitudo juſtificationis noſtræ; cum reſurrectione ſua abſolutus ſit Chriſtus ab omni reatu noſtri ergo ipſi incumbente. Rom. 4: 25. *Quem* Jeſum *Deus excitavit, ſolvens dolores mortis, ſicut non erat poſſibile, ipſum ab ea teneri.* Act. 2: 24. cum & hîc obtineret illud Matth. 5: 26. *Amen dico tibi, non exibis inde, donec dederis ultimum quadrantem.* Hinc *baptiſmus eſt* ἐπηρώτημα *bonæ conſcientiæ per reſurrectionem Chriſti.* 1 Pet. 3: 21. 2. In hac reſurrectione exemplar nobis datum eſt & arrha noſtræ reſurrectionis futuræ. *Ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me, etiamſi moriatur, vivet.* Joh. 11: 25. Rom. 8: 11. 1. Pet. 1: 3. 1. Cor. 15: 12. *Si autem Chriſtus prædicatur quod ex mortuis excitatus ſit, quomodo quidam inter vos dicunt, quod non ſit reſurrectio mortuorum?* inde Chriſtus dicitur *primitiæ eorum qui obdormiverunt* 1. Cor. 15: 20. cum tota fidelium maſſa in eo ſit ſanctificata. 3. Agnoſcitur in ea deformatio reſurrectionis noſtræ ſpiritualis. *Sicut ſurrexit Chriſtus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Rom. 6: 4. & 7: 4. *Vos mortificati eſtis legi, per corpus Chriſti, ut fieretis alterius, qui ex mortuis ſurrexit, ut fructum feramus.*

XXII. Plane

Digitized by Google

XXII. Plane alienum eſt, quod hic ſtatuunt Sociniani, Deum *perverſi à*
per reſurrectionem hanc nihil aliud intendiſſe, quam gloriam ſuam, *Socinianis.*
reſpectu ſui ipſius; reſpectu vero noſtri confirmationem fidei noſtræ, ut credamus hominem mortalem, Deo obedientem, excitari poſſe. Quod mirari licet, cum carnis reſurrectionem negent.

CAPUT XXIII.

De Aſcenſione Chriſti.

I. ALter gradus exaltationis Chriſti eſt ejus aſcenſio, quando triumphali quaſi curru ovans in cœlum ſublatus eſt. Act. 1: 11. Eph. 4: 10. *Qui deſcendit, ipſe eſt & is qui aſcendit, ſupra omnes cælos, ut impleat omnia.* Cujus tractatio ut ordine fiat, videnda 1. *aſcenſio* ipſa. 2. ejus *certitudo.* 3. *locus.* 4. *tempus.* 5. *cauſa.* 6. *finis* & *fructus.*

Progreſſus exaltationis Chriſti eſt in ASCENSIONE *ad cælos.*

II. Ipſi Deo interdum aſcenſio tribuitur ἀνθρωποπαθῶς. Gen. 11: 5. & 17: 22. & 18: 21. hic autem proprie ſumitur pro translatione ſubſtantiæ corporeæ è loco inferiore ad ſuperiorem, ſeu à corporum inferiorum vicinia in viciniam corporum ſuperiorum. Act. 1: 11. *Hic Jeſus qui ſublatus eſt a vobis in cælum.* &c. Marc. 16: 19. Luc. 24: 51. Proprie ergo convenit naturæ Chriſti humanæ, divinæ tantum figurate, quatenus nempe in illa manifeſtavit gloriam ſuam; & metonymice, quatenus aſcenſionis fuit cauſa; unde & de tota perſona divina aſcenſio prædicatur. Pſal. 47: 6. *Aſcendit Deus cum clangore, Jehovah cum voce tubæ.* & 68: 19. *Aſcendiſti in cælum, egiſti prædam, accepiſti dona in hominibus;* & ex eo Eph. 4: 8, 9.

1. illius modus.

III. *Certitudo* conſtat 1. Ex vaticiniis. Pſal. 68: 18, 19. & Pſal. 110. conf. Act. 2: 34. 2. Ex typis. Ita, ſicut Pontifex, ſemel quotannis, & quidem poſt exordium novi anni, intrabat in Sanctum Sanctorum, non ſine ſanguine Lev. 16. idem Chriſto etiam faciendum erat, in initio temporis gratiæ & libertatis, fuſo ſuo ſanguine, ut viam in cœlum apertam nobis dedicaret. Hebr. 9: 23, 24. *Neceſſe ergo figuras quidem eorum, quæ in cælis ſunt, hiſce mundari: ipſa autem cæleſtia majoribus hoſtiis præ ipſis. Non enim in manu facta Sancta introivit Chriſtus, verorum inſtar habentia, ſed in ipſum cælum, ut nunc appareat faciei Dei pro nobis.* rupto velo carnis ſuæ.

11. Certitudo.

Digitized by Google

Hebr. 4: 16. & 10: 20. *Quam initiavit nobis viam recentem & vivam, per velamen, id eſt, carnem ſuam.*

IV. Eodem ſpectabat Enochi & Eliæ raptus, Gen. 5. 2. Reg. 2. quorum ille ſub promiſſione, iſte ſub lege in cœlum tranſlati ſunt; ſicut Chriſtus ſub gratia; in exemplar fidelium omnium ætatum. Miraculum etiam hoc primum omnium fuit à creatione mundi, quemadmodum & ultimum futurum eſt, in conſummatione ſeculi. Notandæ autem hic ſunt differentiæ, inter hanc Chriſti aſcenſionem, & aliorum ſublationes: illi nempe aſcenderunt virtute aliena, Chriſtus propria: illi vivi, Chriſtus poſt mortem, quam ſuperare & hoc modo triumphare debebat.

V. 3. Indubitate probatur ex teſtibus, quorum numerus ſufficiens, & ſanctitas ſupra omnem calumniam; partim Angeli; partim duodecim Apoſtoli, Act. 1: 9, 10. 1 Cor. 9: 1. *Nonne* ſum *Apoſtolus? an non liber? an non Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum vidi?*

an ſocios in ea habuerit?

VI. Turbas hic excitant Pontificii, Chriſto ſocios in aſcenſione adſignando; alii Patres è limbo liberatos; ex Pſal. 68: 19. cum potius cogitari debeat Chriſtus, pro more triumphantium, Diabolum cum morte, peccato & inferno, revinctis manibus in captivitatem poſt ſe traxiſſe. Alii ergo malunt adjunctos illi fuiſſe ſanctos illos, qui in morte Chriſti reſurrexerant, Matth. 27: 53. ſed exigua itidem probabilitate.

III. *Locus quem reliquit.*

VII. *Locus* in aſcenſione duplex conſiderari poteſt; vel unde ſolverit quaſi; vel ubi appulerit. Prior Act. 1: 12. dicitur *mons Oliveti.* Luc. 24: 50. vero, *Bethania.* Confer. Act. 1: 12. & Joh. 11: 18. Quod ita in concordiam redigi poſſe videtur; ut aſcenderit Chriſtus ex monte Oliveti, eo nempe loco, quo ab urbe diſtabat per octo ſtadia (quantum eſt iter Sabbati Act. 1: 12.) qui ejus tractus jam inde denominabatur *Bethania*, à palmis ibi conſitis, uſque ad 15 ſtadia. Joh. 11: 18. ſicut primus ejus tractus urbi vicinus appellabatur *Bethphage*, à groſſis: cum generale & commune nomen horum tractuum fuerit mons Oliveti; ad quod nomen reſpicitur Act. 1: 12. Quæ vero de veſtigiis Chriſti, monti huic impreſſis ſcripſerunt veteres, fide ſua carent.

quem occupavit.

VIII. Locus quo aſcendit, eſt cœlum. *Aſcendiſti in altum.* Pſal. 68: 19. *Hic Jeſus, qui à vobis ſublatus eſt in cœlum* &c. Act. 1: 11. Marc. 16: 19. 1. Petr. 3: 22. *Qui eſt in dextra Patris, cum abiiſſet in cœlum.* Eph. 4: 10. ſive cœlum ſummum. *Jeſus Pontifex maximus* per-

Digitized by Google

pertranſiit cœlos. Heb. 4: 14. & cap. 7: 26. *Altior cœlis factus.* Eph. 4: 10. *Qui deſcendit, ipſe eſt, qui aſcendit ſupra omnes cœlos, ut impleat omnia.* Pervertunt hæc Lutherani Ubiquitarii, errorem novo errore tecturi, ne pateat; cœlum etiam ubiquitarium fingentes; atque ita non loci, ſed ſtatus tantum mutationem factam eſſe: contra ac eſt Joh. 6: 62. *Si igitur conſpiciatis Filium hominis aſcendentem, ubi erat prius.* & c. 14: 2. *Proficiſcor, ut parem vobis locum.* Phil. 3: 20. *Noſtra autem civitas in cœlo eſt, unde & Salvatorem exſpectamus Dominum Jeſum Chriſtum.* Eph. 4: 10. 1. Theſſ. 4: 16. Hebr. 12: 23.

IX. *Tempus* aſcenſionis, fuit quadrageſimus à reſurrectione dies. *IV. Tempus.* Act. 1: 3. qui numerus frequenter in S. Scriptura obſervatur, tum in Moſe, Elia, aliiſque, tum ſpeciatim in Chriſto, ſecundum varios ipſius excellentiæ gradus. Luc. 2: 22. Matth. 4: 2. Act. 1: 3. *Quibus & ſtitit ſe ipſum vivum, poſtquam paſſus ipſe eſſet, per multa ſigna, per quadraginta dies viſus ipſis, & diſſerens ea quæ ſunt regni Dei.* Per quadraginta vero iſtos dies converſatus eſt cum hominibus, & loquutus cum diſcipulis de rebus regnum Dei ſpectantibus. Act. 1: 3. quando *invigilans viſit* amicos ſuos, *ut irrigaret animam linquentem, & omnem animam ægram impleret; & ſomnus ſuus fuit ſuavis ipſi.* Jer. 31: 25, 26. Quod Chriſto proprium & peculiare fuit ex omnibus iis qui è mortuis excitati ſunt.

X. *Cauſa* fuit quidem Pater illum aſſumens, Act. 1: 11. 1 Tim. 3: 16. ita tamen, ut divina ſua potentia, qua ſe excitaverat, Joh. 10: 18. ſimul aſcenderit, Luc. 24: 51. Joh. 20: 17. & 3: 13. *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui ex cœlo deſcendit, filius hominis qui eſt in cœlo.* & 14: 2. *Proficiſcor, ut parem vobis locum.* conf. Joh. 8: 23. & 3: 31. *Qui de ſurſum venit, ſupra omnes eſt.* Eph. 4: 9. Hebr. 2: 10. Quo conferebat corporis glorificati ratio, quod ſpiritui ſubjectum, eadem facilitate ſurſum ac deorſum moveri poterat. *V. Cauſa*

XI. Occurramus nunc erroribus, qui veritati huic offucias obducunt. Quibus ſe intricarunt homines, ad carnales ſuas cogitationes omnia metientes; quorum πρῶτον ψεῦδος eſt, Chriſtum in S. Cœna corporaliter eſſe præſentem; quod ut tuerentur, pervertenda quoque fuit ejus aſcenſio. Ante omnes Lutherani hic toto cœlo aberrant, diſtinguentes inter aſcenſionem Chriſti viſibilem & inviſibilem; illam ſemel, hanc variis vicibus factam eſſe volunt. Quos varios aſcenſionis inviſibilis gradus, ſecutam fuiſſe viſibilem ſeu ultimam & diſpenſatoriam ſtatuunt, quam in diſparitione & glorificatione corporis ejus collocant. Quamvis in hiſce omnibus non omnes conſentiant. *Ἀντίθεσις errorum, 1. Pontificiorum & Lutheranorum,*

 XII. At

XII. At 1. vanum eſt illud aſcenſionis diſcidium in viſibilem & inviſibilem; cum Scriptura unam tantum agnoſcat. *Per proprium ſanguinem intravit ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa.* Hebr. 9: 12. Act. 1: 9. Joh. 20: 17. *Aſcendo ad Patrem meum.* 2. Aſcenſio non conſiſtit in ſola glorificatione corporis. Aliud enim eſt *aſcendere*, aliud *glorificari.* Matth 17. 2. *Et transformatus eſt coram ipſis, & ſplenduit facies ejus, ſolis inſtar.* 3. Neque etiam modo loquendi ſatisfit, cum dicitur diſparuiſſe; quod magis etiam ab aſcenſione diſtat, quam glorificari. Vide Marc. 16. 19. *Dominus igitur poſtquam locutus eſſet cum ipſis, ſublatus eſt in cœlum.* Luc. 24. 51. Act. 2. 34. ſecus enim ſæpius jam aſcendiſſet. *Ipſorum autem oculi aperti ſunt, & cognoverunt ipſum & ipſe diſparuit ab illis.* Luc. 24. 31.

Illum ſecundum carnem in terris non eſſe

XIII. Liquet igitur hinc, Chriſtum non amplius in terris degere, nempe ſecundum naturam humanam. Matth. 26. 11. & 28. 6. Joh. 16. 28. *Rurſus relinquo mundum, & proficiſcor ad Patrem.* 2 Cor. 5. 16. *Si autem etiam Chriſtum novimus ſecundum carnem, ſed nunc non amplius cognoſcimus.* quamvis quoad perſonam ſuam & ſpiritualem efficientiam, quæ ex humana natura etiam originem trahit, ubique ſit ſemper. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi.* Matth. 28: 20. cæteroquin in cœlos Chriſtum ſe contuliſſe, relictis terris docetur Act. 3: 21. Ὃν δεῖ οὐρανὸν δέξασθαι. *Quem oportet, ut cœli capiant, uſque ad tempora reſtitutionis omnium.*

nec omnibus aut multis locis præſentem.

XIV. Ruit ergo Pontificiorum πολυτοπία, & Lutheranorum quorundam παντοπία naturæ humanæ Chriſti. Repugnant quippe illæ 1. Aſcenſioni Chriſti, Act. 1. 9. Col. 3. 1. *Ea quæ ſurſum ſunt, quærite, ubi Chriſtus eſt, ad dextram Dei ſedens.* Hebr. 8. 4. 2. Pleriſque Symboli capitibus. 3. Ipſius Chriſti prædictioni. *Quando igitur dicant vobis, ecce in deſerto eſt, ne exite; ecce in ciboriis, ne credite.* Matth. 24: 26, 27. Johan. 6: 61, 62. 4. Inſtitutioni Sanct. Cœnæ. 1 Corin. 11: 25, 26. 5. Naturæ corporis, cui ſi locorum ſpatia & dimenſiones demas, ipſum corpus tolli neceſſe eſt.

XV. Putide contra hanc rem argutantur adverſarii, Chriſtum, ut iter hoc conficeret, plus quam quingentorum annorum intervallo opus habuiſſe. Qua in re quotidianus naturæ uſus, ut divinam Chriſti potentiam prætermittamus, eos arguere poteſt: parilem enim motus velocitatem in motu planetarum & materiæ ſubtilis animadvertimus; qualem agile illud corpus Chriſti etiam recipere potuit. Nec majoris ſunt ponderis, quæ obtendunt ex eo, quod

Chri-

Digitized by Google

Chriſtus poſtea in terris ſit viſus. Primum Stephano, Act. 7:55, 56. Verum apparuit ipſi non in terra, ſed in cœlo conſpiciendus; tum omnino fit vero ſimile, viſionem hanc fuiſſe ecſtaticam; quo facit, ut alia mittamus, quod dicitur, *Impletus Sp. Sancto.* Secundum, viſum volunt Chriſtum eſſe Paulo, Act. 9:4, 17. 22: 6. & 26: 19. At primitus non viſus eſt Paulo Jeſus, ſed auditus duntaxat. Act. 9: 3, 4, 17. & 22: 9. Deinceps conſpectus quidem à Paulo eſt Chriſtus, ſed mota mente & viſione interna. Act. 18: 9. *Dixit autem Dominus per viſionem noctu Paulo: ne time, ſed loquere, & ne ſile.* 22: 17, 18. & 23: 11. & 26: 13. 1. Cor. 9: 1. *An non Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum vidi?* Poſtea Johanni etiam conſpiciendum ſe præbuiſſe dicunt Chriſtum Apoc. 1:10, 12, 13. Quam viſionem emblematicam eſſe, locus ipſe vel prima fronte docere poteſt.

XVI. Veritatem hujus rei etiam Sociniani intervertunt. Quando non ſolum plures una Chriſto tribuunt aſcenſiones, de quo ſupra actum: verum etiam, quamvis corpus Chriſti in aſcenſione demum glorificatum fuiſſe velint, carne & ſanguine abſorptis quaſi, & in ſpiritum mutatis; aliud tamen corpus in cœlum ab eo illatum volunt, glorioſum nempe, & ejuſmodi quidem, ut corpus & oſſa non habeat. Quæ ſi vera ſunt 1. Chriſtus glorificatus conſtabit ex duobus ſpiritibus. 2. Nequidem aſcenſione prima, quam vult Socinus, Chriſtus corpore ſuo in cœlum potuerit aſcendere. 3. Et nos in cœlo corpus habere nequibimus. Cum *oporteat nos omnes manifeſtari coram tribunali Chriſti, ut quiſque ferat, quæ per corpus fecerit.* 2. Cor. 5: 10. Contra vero 1. corpus carneum & oſſeum ipſi poſt reſurrectionem adſcribitur. Luc. 24: 39. *Videte manus meas & pedes meos: contrectate me & videte: nam ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me conſpicitis habere.* conf. Act. 1: 11. 2. Et talis apparebit in futuro judicio. *Et intuebuntur me cum* eo, *quem transfoderunt.* Zach. 12: 10. Apoc. 1: 7. 3. Caro ejus corruptionem non ſenſit, aut ei unquam fuit obnoxia. Pſal. 16: 10. *Non dabis pium tuum, ut videat corruptionem.* Act. 2: 31. 4. Non citra blaſphemiam, cœlum carni Chriſti inacceſſum putant, perperam intellecto loco 1. Cor. 15: 53. *Caro & ſanguis non poſſunt regnum Dei hæreditare.* II. *Socinianorum.*

XVII. Alieni ab hiſce etiam non ſunt Anabaptiſtæ, fatentes quidem Chriſtum corpore ſuo reſurrexiſſe; at vero quali corpore, aut quo modo nunc dextram Patris claudat, ignorare ſe profitentes; quin volunt eum in cœlo abdicaſſe naturam & proprietates corporis: ſed contrarium jam evictum eſt. conf. Act. 1: 9. *Et hæc dicens, ipſis videntibus, ſublatus eſt.* III. *Anabaptiſtarum.*

 XVIII. Se-

Digitized by Google

primus & duo poſteriores ipſum etiam reſurrectionis tempus præfigurarunt. Partes hic etiam ſuas habet Simſon. Jud. 16: 3. Huc etiam pertinet caro ſacrificii euchariſtici, quæ ex præſcripro legis ante tertium diem comedi debebat. Lev. 7: 16, 17, 18. Huc etiam ſpectabat *manipulus* ille Lev. 23. qui in Paſchate, poſtridie Sabbati, offerebatur, & agitabatur eo die, quo Chriſtus ſurrexit.

confirmata ex hiſtoria N. T. VII. Omnium vero clariſſime tota hæc res conficitur ex hiſtoria Novi Teſt. & ſerie univerſa narrationis. Nam primo corpus idem fuit, ut ex novo monumento apparet. Luc. 23: 53. Joh. 19: 41. deinde furto ablatum non eſt; ſive illud factum dicatur à diſcipulis timidiſſimis; ſeu à militibus cuſtodiæ illius admotis; quod etiam ſomnus eorum evertit; ſeu ab hoſtibus, qui cadaver illius oſtentaſſent; ut undequaque cadat hæc ſuſpicio. Contra vero vivum fuiſſe Chriſtum apertiſſime liquet 1. ex teſtimonio Angelorum, qui Angeli fuerunt lucis, quales ſe ſuo fulgore ſatis probabant, atque ideo mentiri non poterant. Matth. 28: 6. *Non eſt hic, excitatus eſt, ſicut dixit.* Luc. 24: 5, 6. 2. mulierum innocentiſſimarum, in quas nulla fraudis ſuſpicio cadebat, cum Chriſtum ſurrexiſſe ignorarent, quin & dolerent. 3. Petri & Johannis. Joh. 20: 5--8. qui ſepulcrum videbant inane; & ſpeciatim ſepoſitum cum linteis ſudarium; quod ſecuritatem Chriſti reſurgentis teſtabatur. 4. Thomæ aliorumque infidelitas maximum & graviſſimum reſurrectioni præbet argumentum. Joh. 20: 25, 27. 5. Ante omnia faciunt huc tot apparitiones Chriſti, eæque variis modis factæ, omnes efficaciſſime reſurrectionem probantes. Apparuit quippe variis perſonis, vicibus, locis, modis, & diuturno ſæpe tempore. Graviſſimus etiam & locupletiſſimus hujus rei teſtis eſt univerſa Eccleſia, quando in memoriam reſurrectionis Chriſti diem Dominicum dedicavit. Nec tenue eſt argumentum in baptiſmo gentium, poſt illam reſurrectionem inſtituto, Judæorum non credentium judicio &c.

VIII. Maximi ergo momenti eſt hic articulus, & fidei Chriſtianæ compendium. *Quod ſi confeſſus fueris ore tuo Dominum Jeſum, & credideris in corde tuo quod Deus eum excitaverit ex mortuis, ſalvus futurus es.* Rom. 10: 9. Ut præfractus ſit Judæorum error, quo in hanc veritatem invictam inſurgunt. *Multum argentum dederunt militibus; dicentes: dicite quod diſcipuli ipſius, nocte venientes, ſurripuerunt ipſum* &c. Matth. 28: 12.

II. Natura & perfectio; quoad animam IX. Conſiderandam nunc ſe offert reſurrectionis *natura* & perfectio. Per hanc autem animæ dotes eximia acceſſione fuerunt adauctæ,

Digitized by Google

ctæ pro natura ſcilicet humanæ animæ: ſumma lux fuit in intellectu, ut perceperit & noverit omnia, quæ ſcire potuit aut debuit humana natura; ſumma itidem in voluntate fuit ſanctitas, gaudium &c. quæ ſumma caritate ejuſque reciproco ſenſu cum Deo fuit conjuncta. Corpus vel in ſepulcro, corruptioni nequaquam fuerat obnoxium; quod factum tum ob brevem in eo moram, tum præcipue omnipotente vi divinæ ejus naturæ, vivificantis illud & ab omni labe præſervantis; reſurrexit vero glorioſum, & depoſito pulvere, in naturam cœleſtium corporum tranſiit. Phil. 3: 21. Act. 13: 34. Rom. 6: 9, 10. 1 Cor. 15: 44, 49. Hebr. 2: 9, 14. Phil. 2: 9. Matth. 26: 29. quod & editæ ejus operationes ſatis demonſtrant.

& corpus, quod glorioſum reſurrexit:

X. Quod hiſce obtendant, Chriſtum ediſſe & bibiſſe poſt reſurrectionem; fruſtra eſt. Non enim illud fuit humanæ indigentiæ, ſed benignitatis prorſus divinæ & liberæ œconomiæ, ad demonſtrandam veritatem reſurrectionis ſuæ; ideoque ſemel tantum factum eſt, Luc. 24: 41. 43. nam ſæpius id contigiſſe ex Luc. 24: 30. *Et factum eſt, cum ipſe accumberet cum illis, accepto pane benedixit, & fracto dedit ipſis.* Joh. 21: 13. Act. 10: 41. cogi non poteſt. Pariter ſolvitur, quæ de cicatricibus vulnerum ipſius nectitur difficultas. Primo enim dubitari non immerito poteſt, an eas ſemper habuerit. Joh. 20: 24, 25. an vero in illud tempus tantum, pro arbitratu ſuo & œconomice aſſumpſerit, & deinceps ſit aſſumpturus. *Videbit eum omnis oculus, & qui eum transfixerunt.* Apoc. 1: 7. Deinde, ſi vero eas habuerit, œconomicum nihilominus fuit, nec de glorioſo corporis illius ſtatu quicquam demit.

non obſtante œconomia contraria,

XI. Obſcurata tamen & obnubilata fuit hæc gloria quantiſper in terris egit, quo converſari cum diſcipulis poſſet: quod docet analogia loci 2. Cor. 3: 7. *Si autem miniſterium mortis — in gloria factum fuit; adeo ut filii Iſraëlis non poſſent intueri faciem Moſis, propter gloriam faciei ejus, quæ periret; quomodo non magis miniſterium Spiritus erit in gloria?* Vide Luc. 24: 16. Act. 22: 11. *Cum vero non viderem præ*, vel *à gloria lucis illius, manu deductus — veni Damaſcum.*

qua gloriam ſuam in terris agens texit.

XII. Non ergo amplius *ſecundum carnem cognoſcendus eſt Chriſtus,* poſt reſurrectionem. 2. Cor. 5: 16. id eſt, quoad infirmitatem & ſubjectionem ſub lege. Manſit tamen corpus illud idem numero & ſubſtantia; retinuit etiam eſſentiam & proprietates eſſentiales corporis; ſpeciatim quoad locum & dimenſionem. *Surſum latus eſt in cælum.* Luc. 24: 51. Matth. 28: 6.

Salva ſemper natura ipſius veritate.

XIII. Inepte igitur Pontificii corpus illud intra anguſtias hoſtiolæ

Quam ſubvertant Pontificii ac Lutherani

læ cogunt, & ſub ſpecie panis contineri volunt, per eſſe ſacramentale, ut vocant; cum eſſe illud tantopere ab eſſentia corporis differat, quantopere modus & ſignificatio rei ſacramentalis ab ipſa re. Nec melius Lutherani dimenſionem ab hoc corpore auferunt, per commentum ſuum de ubiquitate, ſeu multipræſentia & replicatione, quæ ſine multiplicatione cogitari nequit. Nec obſtat quod ἄφαντος dicatur factus. Luc. 24: 31. quod notat illum ex conſpectu eorum ſubductum eſſe, ſive quod diſcipulorum oculos perſtrinxerit & præpedierit; ſive quod celerrime ſe iis ſurripuerit: non quod ἀφανὴς aut inviſibilis ſit factus, ſed quod iis non amplius ſit viſus. Ita nec clauſo ſepulcro reſurrexit. ut liquet Matth. 28: 2. Nec *per clauſas januas* ſe penetravit, Joh. 20. 18. illud enim loquendi genus vel tempus duntaxat ſignificat, veſpertinum ſcilicet, cum *clauſæ* jam eſſent *januæ*; non vero modum: ſin vero; non tamen clauſæ manſerunt; ut patet ex analogia loci Act. 5: 19. *Angelus Domini nocte aperuit fores carceris.* & com. 23. *miniſtri — renuntiarunt, carcerem invenimus quidem clauſum, cum omni certitudine.* conf. c. 12: 10.

ut & Sociniani. XIV. Graviter hic errant etiam Sociniani. Qui primo, Chriſtum ante reſurrectionem, tempore mortis, eſſe deſiiſſe volunt, ſeu in infernum non exiſtentiæ detrudunt; quod ab horrenda blaſphemia non abeſt. Permanſit enim 1. *Anima. Hodie mecum eris in Paradiſo.* Luc. 23: 43. & corpus. *Non dabis pium tuum, ut videat corruptionem.* Pſal. 16: 10. 2. Ipſe erat *vita. Ego ſum via & vetiras & vita.* Joh. 14: 6. & 11: 25. habet *potentiam vitæ indiſſolubilis.* Hebr. 7: 16. 1 Cor. 15: 45. 3. Ita Chriſtus bis ἐξ οὐκ ὄντων emerſiſſet, ſemel in generatione, iterum in reſurrectione. Secundo iidem negant, corpus Chriſti, ſtatim à reſurrectione glorioſum eſſe factum, ſed demum poſt aſcenſionem: præter quam ſupra vidimus.

III. Cauſa efficiens: quæ eſt Chriſtus, virtute propria, XV. Succedit nunc reſurrectionis *cauſa efficiens.* Facta quidem illa eſt virtute Chriſti propria, Joh. 2: 19. & 10: 18. 1 Cor. 15: 45. Zach. 6: 12. Joh. 5: 26. Act. 1: 3. tribuitur tamen generatim Deo. *Hunc Jeſum excitavit Deus, cujus nos omnes ſumus teſtes.* Act. 2: 32. Patri vero. *Quam, præpollentiam virium, operatus eſt* (Pater gloriæ. cum. 17.) *in Chriſto, dum eum excitavit ex mortuis.* Eph. 1: 20. Sp. S. *Spiritus ejus qui Jeſum è mortuis excitavit.* Rom. 8: 10. *Chriſtus quidem mortificatus eſt carne, vivificatus autem Spiritu.* 1 Pet. 3: 18. Speciali

ſpeciali ratione Pater, ratione Patri adſcribitur, utpote qui in hoc negotio tanquam judex ſpectatur, qui Filium pro peccatis jam mortuum excitando, abſolvit à culpa, qua peccatorum nomine tenebatur, & è carcere de-

Digitized by Google

demiſit. *Qui traditus eſt propter lapſus noſtros, & ſuſcitatus propter juſtificationem noſtri.* Rom. 4:25. conf. c. 6:4. & Hebr. 13:20. Cæteroquin virtus hæc & operatio toti Trinitati fuit communis. Ut nulla cum ſpecie Sociniani & Anabaptiſtæ Filio hoc denegent, quia nempe Patri tribuitur.

XVI. Recte igitur hinc probatur Chriſti deitas & divina filiatio. Rom. 1:4. ὁρισθεὶς, nempe *Filius Dei ex reſurrectione.* Longe aliter ac Sociniani, qui illum inde Filium Dei denominatum fingunt, quod detorquent locum Pſal. 2:7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* coll. Act. 13:32,33. & Hebr. 5:5. Col. 1:18. contra locorum iſtorum genium. *Oſtenſa inde divinitas Chriſti.*

XVII. Negligenda circa hoc negotium minime etiam eſt *circumſtantia temporis.* Fuit autem tertius dies. *Et occident ipſum, & tertio die excitabitur.* Matth. 17:23. Luc. 24:21. Joh. 2:19. *Solvite templum hoc, & tribus diebus excitabo illud.* Act. 10:40, *Hunc Jeſum excitavit Deus tertio die.* 1. Cor. 15:4. Tempus hoc Chriſto plane peculiare fuit; cum nec ſub V. nec Novo Teſt. ullus tertio die excitatus legatur. Vide ſpeciatim Joh. 11:39. *Dixit ipſi Martha, Domine, jam olet, quarti enim dies eſt.* Præfiguratum illud fuit in tribus præcipue viris Iſaaco, Ezechia, Jona; Patriarcha, Rege, Propheta. Diſtinctiſſime verò typum hunc in ſe ipſo exhibuit Jonas. Matth. 12:40. Reliquos typos ſupra luſtravimus. Conf. Hoſ. 6:2. *Vivificabit nos à duobus diebus: die tertio reſuſcitabit nos, & vivemus coram illo.* *IV. Tempus, tertio die. quod Chriſto peculiare; juxta prophetiam.*

XVIII. Ad difficultatem quam hic nectunt de triduo mortis Chriſti, cum ſummum per quadraginta tantum horas mortuus fuerit; facilis eſt reſponſio: triduum illud recte dici poſſe, tam proprie & ex nudo literarum ſenſu; quam ex analogia. Proprie quidem, ut per Synecdochen, ſub tribus hiſce diebus, eorumque partibus, noctes etiam comprehendantur; quod Judæis & S. Scripturæ frequens eſt. Vide Gen. 1:5. &c. Unde & numerum hunc ipſe Sp. Sanctus ad tertium diem coarctat. Matth. 16:21. &c. Vide & 1. Sam. 30:12. & ſeqq. Eſth. 4:16. & 5:1. Luc 2:21. Analogice vero ſi ſumatur, intelligi triduum illud poteſt, de toto illo tempore humiliationis Chriſti, ab extrema cœna, uſque ad primam veſperam, qua ſe diſcipulis vivum tot monumentis exhibuit; quod integrum adeo eſt triduum. *An triduum illud fuerit integrum?*

XIX. Dies quam in ſepulcro exigit, fuit Sabbati; atque hactenus ſimi- *Sabbatum in ſepulchro tranſegit; primo autem hebdomadis die reſurrexit.*

ſimilis fuit omnibus mortuis, unquam reſuſcitatis: nunquam enim quiſquam illo die excitatus legitur. Conveniebat illud utique etiam, ut ita typum Sabbati ſimul expleret. Dies reſurrectionis fuit primus hebdomadis, qui inde in memoriam reſurrectionis, ab Eccleſia primitiva Chriſtianorum ſacris conventibus dicatus & diſtinctus eſt; quare & læti & ſine geniculationibus diem illum tranſigere debebant. Quomodo vero ſimul impleti ſint typi veteres, alias viſum.

v. *Effecta & fructus.* XX. Tandem ſequuntur hic denique advertenda reſurrectionis *effecta* & *fructus*; tum Chriſti, tum noſtrûm reſpectu. Chriſtum quod ſpectat, reſurgendo declaratus eſt victor mortis & dux vitæ. *Jeſus Chriſtus primogenitus ex mortuis & princeps Regum terræ.* Apoc. 1: 5. *Rurſus autem quum introducit primogenitum in orbem habitabilem, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei.* Hebr. 1: 6. regius ſacerdos. *Dabit ipſi Dominus Deus thronum Davidis, Patris ipſius.* Luc. 1: 32. *Unde & ſalvare ad perfectum poteſt accedentes per ipſum ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro ipſis.* Hebr. 7: 25. Rom. 8: 34. Nos quod attinet, per reſurrectionem Chriſti ad nos pervenit teſtamenti ejus executio, quæ præſtari debebat ab ipſo Chriſto vivo. *Qui traditus eſt propter lapſus noſtros, & ſuſcitatus propter juſtificationem noſtri.* Rom. 4: 25. Hebr. 9: 12. atque ita fructus omnis mortis Chriſti in nos derivatus eſt.

XXI. Oritur ergo hinc 1. certitudo juſtificationis noſtræ; cum reſurrectione ſua abſolutus ſit Chriſtus ab omni reatu noſtri ergo ipſi incumbente. Rom. 4: 25. *Quem* Jeſum *Deus excitavit, ſolvens dolores mortis, ſicut non erat poſſibile, ipſum ab ea teneri.* Act. 2: 24. cum & hîc obtineret illud Matth. 5: 26. *Amen dico tibi, non exibis inde, donec dederis ultimum quadrantem.* Hinc *baptiſmus eſt* ἐπερώτημα *bonæ conſcientiæ per reſurrectionem Chriſti.* 1 Pet. 3: 21. 2. In hac reſurrectione exemplar nobis datum eſt & arrha noſtræ reſurrectionis futuræ. *Ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me, etiamſi moriatur, vivet.* Joh. 11: 25. Rom. 8: 11. 1. Pet. 1: 3. 1. Cor. 15: 12. *Si autem Chriſtus prædicatur quod ex mortuis excitatus ſit, quomodo quidam inter vos dicunt, quod non ſit reſurrectio mortuorum?* inde Chriſtus dicitur *primitiæ eorum qui obdormiverunt* 1. Cor. 15: 20. cum tota fidelium maſſa in eo ſit ſanctificata. 3. Agnoſcitur in ea deformatio reſurrectionis noſtræ ſpiritualis. *Sicut ſurrexit Chriſtus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Rom. 6: 4. & 7: 4. *Vos mortificati eſtis legi, per corpus Chriſti, ut fieretis alterius, qui ex mortuis ſurrexit, ut fructum feramus.*

XXII. Plane

Digitized by Google

XXII. Plane alienum eſt, quod hic ſtatuunt Sociniani, Deum per reſurrectionem hanc nihil aliud intendiſſe, quam gloriam ſuam, reſpectu ſui ipſius; reſpectu vero noſtri confirmationem fidei noſtræ, ut credamus hominem mortalem, Deo obedientem, excitari poſſe. Quod mirari licet, cum carnis reſurrectionem negent. *perverſi à Socinianis.*

CAPUT XXIII.

De Aſcenſione Chriſti.

I. ALter gradus exaltationis Chriſti eſt ejus aſcenſio, quando triumphali quaſi curru ovans in cœlum ſublatus eſt. Act. 1:11. Eph. 4:10. *Qui deſcendit, ipſe eſt & is qui aſcendit, ſupra omnes cœlos, ut impleat omnia.* Cujus tractatio ut ordine fiat, videnda 1. *aſcenſio* ipſa. 2. ejus *certitudo.* 3. *locus.* 4. *tempus.* 5. *cauſa.* 6. *finis* & *fructus.* *Progreſſus exaltationis Chriſti eſt in* ASCENSIONE *ad cœlos.*

II. Ipſi Deo interdum aſcenſio tribuitur ἀνθρωποπαθῶς. Gen. 11:5. & 17:22. & 18:21. hic autem proprie ſumitur pro tranſlatione ſubſtantiæ corporeæ è loco inferiore ad ſuperiorem, ſeu à corporum inferiorum vicinia in viciniam corporum ſuperiorum. Act. 1:11. *Hic Jeſus qui ſublatus eſt a vobis in cœlum.* &c. Marc. 16:19. Luc. 24:51. Proprie ergo convenit naturæ Chriſti humanæ, divinæ tantum figurate, quatenus nempe in illa manifeſtavit gloriam ſuam; & metonymice, quatenus aſcenſionis fuit cauſa; unde & de tota perſona divina aſcenſio prædicatur. Pſal. 47:6. *Aſcendit Deus cum clangore, Jehovah cum voce tubæ.* & 68:19. *Aſcendiſti in cœlum, egiſti prædam, accepiſti dona in hominibus;* & ex eo Eph. 4:8, 9. *1. illius modus.*

III. *Certitudo* conſtat 1. Ex vaticiniis. Pſal. 68: 18, 19. & Pſal. 110. conf. Act. 2: 34. 2. Ex typis. Ita, ſicut Pontifex, ſemel quotannis, & quidem poſt exordium novi anni, intrabat in Sanctum Sanctorum, non ſine ſanguine Lev. 16. idem Chriſto etiam faciendum erat, in initio temporis gratiæ & libertatis, fuſo ſuo ſanguine, ut viam in cœlum apertam nobis dedicaret. Hebr. 9:23, 24. *Neceſſe ergo figuras quidem eorum, quæ in cœlis ſunt, hiſce mundari: ipſa autem cœleſtia majoribus hoſtiis præ ipſis. Non enim in manu facta Sancta introivit Chriſtus, verorum inſtar habentia, ſed in ipſum cœlum, ut nunc appareat facici Dei pro nobis.* rupto velo carnis ſuæ. *II. Certitudo.*

Digitized by Google

Hebr. 4: 16. & 10: 20. *Quam initiavit nobis viam recentem & vivam, per velamen, id eſt, carnem ſuam.*

IV. Eodem ſpectabat Enochi & Eliæ raptus, Gen. 5. 2. Reg. 2. quorum ille ſub promiſſione, iſte ſub lege in cœlum tranſlati ſunt; ſicut Chriſtus ſub gratia; in exemplar fidelium omnium ætatum. Miraculum etiam hoc primum omnium fuit à creatione mundi, quemadmodum & ultimum futurum eſt, in conſummatione ſeculi. Notandæ autem hic ſunt differentiæ, inter hanc Chriſti aſcenſionem, & aliorum ſublationes: illi nempe aſcenderunt virtute aliena, Chriſtus propria: illi vivi, Chriſtus poſt mortem, quam ſuperare & hoc modo triumphare debebat.

V. 3. Indubitate probatur ex teſtibus, quorum numerus ſufficiens, & ſanctitas ſupra omnem calumniam; partim Angeli; partim duodecim Apoſtoli, Act. 1: 9, 10. 1 Cor. 9: 1. *Nonne ſum Apoſtolus? an non liber? an non Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum vidi?*

an ſocios in ea habuerit? VI. Turbas hic excitant Pontificii, Chriſto ſocios in aſcenſione adſignando; alii Patres è limbo liberatos; ex Pſal. 68: 19. cum potius cogitari debeat Chriſtus, pro more triumphantium, Diabolum cum morte, peccato & inferno, revinctis manibus in captivitatem poſt ſe traxiſſe. Alii ergo malunt adjunctos illi fuiſſe ſanctos illos, qui in morte Chriſti reſurrexerant, Matth. 27: 53. ſed exigua itidem probabilitate.

III. Locus quem reliquit. VII. *Locus* in aſcenſione duplex conſiderari poteſt; vel unde ſolverit quaſi; vel ubi appulerit. Prior Act. 1: 12. dicitur *mons Oliveti.* Luc. 24: 50. vero, *Bethania.* Confer. Act. 1: 12. & Joh. 11: 18. Quod ita in concordiam redigi poſſe videtur; ut aſcenderit Chriſtus ex monte Oliveti, eo nempe loco, quo ab urbe diſtabat per octo ſtadia (quantum eſt iter Sabbati Act. 1: 12.) qui ejus tractus jam inde denominabatur *Bethania*, à palmis ibi conſitis, uſque ad 15 ſtadia. Joh. 11: 18. ſicut primus ejus tractus urbi vicinus appellabatur *Bethphage*, à groſſis: cum generale & commune nomen horum tractuum fuerit mons Oliveti; ad quod nomen reſpicitur Act. 1: 12. Quæ vero de veſtigiis Chriſti, monti huic impreſſis ſcripſerunt veteres, fide ſua carent.

quem occupavit. VIII. Locus quo aſcendit, eſt cœlum. *Aſcendiſti in altum.* Pſal. 68: 19. *Hic Jeſus, qui à vobis ſublatus eſt in cœlum* &c. Act. 1: 11. Marc. 16: 19. 1. Petr. 3: 22. *Qui eſt in dextra Patris, cum abiiſſet in cœlum.* Eph. 4: 10. ſive cœlum ſummum. *Jeſus Pontifex maximus per-*

Digitized by Google

pertranſiit cœlos. Heb. 4: 14. & cap. 7: 26. *Altior cœlis factus.* Eph. 4: 10. *Qui deſcendit, ipſe eſt, qui aſcendit ſupra omnes cœlos, ut impleat omnia.* Pervertunt hæc Lutherani Ubiquitarii, errorem novo errore tecturi, ne pateat; cœlum etiam ubiquitarium fingentes; atque ita non loci, ſed ſtatus tantum mutationem factam eſſe: contra ac eſt Joh. 6: 62. *Si igitur conſpiciatis Filium hominis aſcendentem, ubi erat prius.* & c. 14: 2. *Proficiſcor, ut parem vobis locum.* Phil. 3: 20. *Noſtra autem civitas in cœlo eſt, unde & Salvatorem exſpectamus Dominum Jeſum Chriſtum.* Eph. 4: 10. 1. Theſſ. 4: 16. Hebr. 12: 23.

IX. *Tempus* aſcenſionis, fuit quadrageſimus à reſurrectione dies. *IV. Tempus.* Act. 1: 3. qui numerus frequenter in S. Scriptura obſervatur, tum in Moſe, Elia, aliiſque, tum ſpeciatim in Chriſto, ſecundum varios ipſius excellentiæ gradus. Luc. 2: 22. Matth. 4: 2. Act. 1: 3. *Quibus & ſtitit ſe ipſum vivum, poſtquam paſſus ipſe eſſet, per multa ſigna, per quadraginta dies viſus ipſis, & diſſerens ea quæ ſunt regni Dei.* Per quadraginta vero iſtos dies converſatus eſt cum hominibus, & loquutus cum diſcipulis de rebus regnum Dei ſpectantibus. Act. 1: 3. quando *invigilans viſit* amicos ſuos, *ut irrigaret animam linquentem, & omnem animam ægram impleret; & ſomnus ſuus fuit ſuavis ipſi.* Jer. 31: 25, 26. Quod Chriſto proprium & peculiare fuit ex omnibus iis qui è mortuis excitati ſunt.

X. *Cauſa* fuit quidem Pater illum aſſumens, Act. 1: 11. 1 Tim. *V. Cauſa* 3: 16. ita tamen, ut divina ſua potentia, qua ſe excitaverat, Joh. 10: 18. ſimul aſcenderit, Luc. 24: 51. Joh. 20: 17. & 3: 13. *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui ex cœlo deſcendit, filius hominis qui eſt in cœlo.* & 14: 2. *Proficiſcor, ut parem vobis locum.* conf. Joh. 8: 23. & 3: 31. *Qui de ſurſum venit, ſupra omnes eſt.* Eph. 4: 9. Hebr. 2: 10. Quo conferebat corporis glorificati ratio, quod ſpiritui ſubjectum, eadem facilitate ſurſum ac deorſum moveri poterat.

XI. Occurramus nunc erroribus, qui veritati huic offucias obducunt. *Ἀντίθεσις errorum,* Quibus ſe intricarunt homines, ad carnales ſuas cogitationes omnia metientes; quorum πρῶτον ψεῦδος eſt, Chriſtum in S. Cœna corporaliter eſſe præſentem; quod ut tuerentur, pervertenda quoque fuit ejus aſcenſio. Ante omnes Lutherani hic toto cœlo aberrant, diſtinguentes inter aſcenſionem Chriſti viſibilem & inviſibilem; illam ſemel, hanc variis vicibus factam eſſe volunt. *1. Pontificiorum & Lutheranorum,* Quos varios aſcenſionis inviſibilis gradus, ſecutam fuiſſe viſibilem ſeu ultimam & diſpenſatoriam ſtatuunt, quam in diſparitione & glorificatione corporis ejus collocant. Quamvis in hiſce omnibus non omnes conſentiant.

 XII. At

Chriſtus poſtea in terris ſit viſus. Primum Stephano, Act. 7:55, 56. Verum apparuit ipſi non in terra, ſed in cœlo conſpiciendus; tum omnino ſit vero ſimile, viſionem hanc fuiſſe ecſtaticam; quo facit, ut alia mittamus, quod dicitur, *Impletus Sp. Sancto.* Secundum, viſum volunt Chriſtum eſſe Paulo, Act. 9:4, 17. 22:6. & 26:19. At primitus non viſus eſt Paulo Jeſus, ſed auditus duntaxat. Act. 9:3, 4, 17. & 22:9. Deinceps conſpectus quidem à Paulo eſt Chriſtus, ſed mota mente & viſione interna. Act. 18:9. *Dixit autem Dominus per viſionem noctu Paulo: ne time, ſed loquere, & ne ſile.* 22:17, 18. & 23:11. & 26:13. 1. Cor. 9:1. *An non Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum vidi?* Poſtea Johanni etiam conſpiciendum ſe præbuiſſe dicunt Chriſtum Apoc. 1:10, 12, 13. Quam viſionem emblematicam eſſe, locus ipſe vel prima fronte docere poteſt.

XVI. Veritatem hujus rei etiam Sociniani intervertunt. Quando non ſolum plures uni Chriſto tribuunt aſcenſiones, de quo ſupra actum: verum etiam, quamvis corpus Chriſti in aſcenſione demum glorificatum fuiſſe velint, carne & ſanguine abſorptis quaſi, & in ſpiritum mutatis; aliud tamen corpus in cœlum ab eo illatum volunt, glorioſum nempe, & ejuſmodi quidem, ut corpus & oſſa non habeat. Quæ ſi vera ſunt 1. Chriſtus glorificatus conſtabit ex duobus ſpiritibus. 2. Nequidem aſcenſione prima, quam vult Socinus, Chriſtus corpore ſuo in cœlum potuerit aſcendere. 3. Et nos in cœlo corpus habere nequibimus. Cum *oporteat nos omnes manifeſtari coram tribunali Chriſti, ut quiſque ferat, quæ per corpus fecerit.* 2. Cor. 5:10. Contra vero 1. corpus carneum & oſſeum ipſi poſt reſurrectionem adſcribitur. Luc. 24:39. *Videte manus meas & pedes meos: contrectate me & videte: nam ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me conſpicitis habere.* conf. Act. 1:11. 2. Et talis apparebit in futuro judicio. *Et intuebuntur me cum eo, quem transfoderunt.* Zach. 12:10. Apoc. 1:7. 3. Caro ejus corruptionem non ſenſit, aut ei unquam fuit obnoxia. Pſal. 16:10. *Non dabis pium tuum, ut videat corruptionem.* Act. 2:31. 4. Non citra blaſphemiam, cœlum carni Chriſti inacceſſum putant, perperam intellecto loco 1. Cor. 15:53. *Caro & ſanguis non poſſunt regnum Dei hæreditare.* *II. Socinianorum.*

XVII. Alieni ab hiſce etiam non ſunt Anabaptiſtæ, fatentes quidem Chriſtum corpore ſuo reſurrexiſſe; at vero quali corpore, aut quo modo nunc dextram Patris claudat, ignorare ſe profitentes; quin volunt eum in cœlo abdicaſſe naturam & proprietates corporis: ſed contrarium jam evictum eſt. conf. Act. 1:9. *Et hæc dicens, ipſis videntibus, ſublatus eſt.* *III. Anabaptiſtarum.*

Digitized by Google

VI. Finis & fructus.

XVIII. Sequuntur denique aſcenſionis *Finis* & *Effectus*. Neceſſaria ſiquidem illa fuit, tum Chriſti ergo: *Primus homo ex terra pulvereus erat; ſecundus homo, Dominus ex cœlo.* 1. Cor. 15:47. Hebr. 9:6. & 12:24. tum præcipue noſtri cauſa. 1. Ut cœlum nobis reſeraret. *Nondum manifeſta erat facta via; adhuc priore tabernaculo habente ſtatum.* Hebr. 9:8. 2. Ut pro nobis intercederet. Rom. 8: 34. *Quis eſt, qui condemnat? Chriſtus* eſt is — *qui etiam interpellat pro nobis.* 3. Ut noſtro nomine cœlum occuparet. *Et conreſuſcitavit & collocavit in cœleſtibus in Chriſto Jeſu.* Eph. 2: 6. & *locum nobis* illic *pararet.* Joh. 14:2. 4. Ut Spiritum ſuum in nos effunderet. *Si vero proficiſcar, mittam eum paracletum ad vos.* Joh. 16:7. cujus virtute cœleſtia quæreremus. *Ea quæ ſurſum ſunt, quærite, ubi Chriſtus eſt, ad dextram Dei ſedens.* Col. 3:1—3. *Noſtra autem civitas in cœlo eſt, unde & Salvatorem exſpectamus, Dominum Jeſum Chriſtum.* Phil. 3: 20. 5. Ut τεκμήριον & certiſſimum noſtræ aſcenſionis argumentum in promptu haberemus. *Si quis mihi miniſtret, me ſequatur, & ubi ſum ego, ibi & miniſter meus erit.* Joh. 12: 26. *Aſſumam vos ad me, ut ubi ego ſum, ibi & vos ſitis.* Joh. 14: 3. Phil. 3:20, 21.

quos evertunt Sociniani.

XIX. Peſſime vero Sociniani adulterinas & fictas haſce aſcenſionis cauſas ponunt. 1. Ut per eam divino modo immortalis fieret, h. e. mori amplius nequiret. Cum videlicet idem corpus ante aſcenſionem Chriſto non fuerit, cum eo quod nunc habet, hoc per aſcenſionem ipſi acquirendum fuiſſe, ſupponunt. 2. Ut ſalutem nobis procuraret & præſtaret. Qualem nempe in procuranda ſalute Servatorem illum pro arbitratu ſuo fingunt. De quibus tum proxime, tum alio loco egimus.

CAPUT XXIV.

De Seſſione Chriſti ad dextram Patris.

Supremus gradus gloriæ Chriſti eſt SESSIO *illius ad* DEXTRAM *Patris.*

I. QUalis olim Regum in Oriente erat conſuetudo, ut quos vellent inſigni honore mactatos, & in ſecundum ab ipſis locum evectos, ad dextram ſuam collocarent; eodem etiam modo Spiritus ſanctus exaltationem Chriſti deſcribit, iiſdemque utitur loquendi generibus: ita enarraturus ſupremum illum gradum gloriæ Chriſti, in quem evectus eſt, dicit eum *ad dextram Dei ſedisse.* Quæ prærogativa ſoli Chriſto peculiaris eſt & propria. *Conſedit ad dextram magnitudinis in altis,* Hebr.

Digitized by Google

Quæ ipſi prædicta.

Hebr. 1:3. *Eum excitavit ex mortuis, & collocavit ad dextram ſuam in ſupercœleſtibus.* Eph. 1:20.

II. Prædicta fuit hæc gloria. *Dixit Jehovah Domino meo, ſede ad dextram meam.* Pſal. 110:1. Confer Matth. 22:42,43. non enim illud Davidi, vel ulli alii convenire poteſt.

Quid dextra Dei & ſedere ad eam?

III. *Dextra Dei* interdum potentiam Dei notat. *Juravit Jehovah per dextram ſuam, & per brachium roboris ſuum.* Eſai. 62: 8. *Dextra Dei exaltatus & promiſſione Sp. Sancti à Patre accepta, effudit hoc, quod nunc videtis & auditis.* Act. 2:33. Hic vero nobis paulo propius conſideranda eſt phraſis, *ſedere ad dextram*; quæ deſumpta à more Regum Orientalium, qui proximos à ſe ad dextram collocare ſolebant. 1. Reg. 2:19. Matth. 20:21. Pſal. 45:10. *Stat Auguſta ad dextram tuam in auro Ophirino.* 3. Eſdr. 4: 29. Notatur ergo hoc loquendi genere honos à regio ſecundus, quin etiam quandoque pro re nata æqualis. *Qui quum eſſet in forma Dei, non raptum duxit eſſe inſtar Dei.* Phil. 2:6. ubi Chriſtus dicitur ἴσα θεῷ εἶναι, paria cum Deo facere. Ut perverſiſſime Sociniani, ab una parte Chriſtum hic honoratiori loco poſitum velint, quam ipſe Pater; (quibus & aſſentitur Maldonatus Jeſuita) ab altera parte nihilominus dignitatem hanc precario ipſi collatam, & honorem non niſi à Patre ſecundum ipſi obtingere.

Per quod notatur ſuprema gloria.

IV. Seſſio hæc non externo & corporeo modo fingenda eſt, ſed figurate, ad honoris hujus ſtabilitatem ſignificandam. *Vidi Dominum ſedentem in throno celſo & elato.* Eſai. 6:1. *Qui feciſti judicium & jus mecum, conſediſti in ſolium judex juſtus.* Pſal. 9:5. 2. Theſſ. 2:4. Apoc. 17:1,9. alibi etiam *ſtare ad dextram* dicitur Chriſtus. Act. 7:55. & *ambulare.* Apoc. 1:13.

& poteſtas, ſeu regnum.

V. *Seſſio* igitur hæc ſupremam gloriam & honorem denotat. *Collocavit eum ad dextram ſuam in ſupercœleſtibus, ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & potentiam, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non tantum in ſeculo hoc, ſed etiam in futuro.* Eph. 1:20, 21. Phil. 2:9--11. Hebr. 1:3. *Conſedit ad dextram magnitudinis in altis.* & 2:7,8. & 8:1. 1. Pet. 3:22. Hebr. 12:2. Luc. 22:69. Matth. 26:64. huic gloriæ juncta ſimul eſt poteſtas & imperium. *Sede ad dextram meam, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum; virgam roboris tuam mittet Jehovah è Zione; dominare in medio inimicorum tuorum.* Pſal. 110:1,2. 1. Cor. 15:25. ut univerſa regia poteſtas ſeſſioni huic includatur.

Quod regnum œconomicum eſt in Eccleſiam.

VI. De regno illo Chriſti ita habendum eſt; non eſſe illud na-

turale,

læ cogunt, & ſub ſpecie panis contineri volunt, per eſſe ſacramentale, ut vocant; cum eſſe illud tantopere ab eſſentia corporis differat, quantopere modus & ſignificatio rei ſacramentalis ab ipſa re. Nec melius Lutherani dimenſionem ab hoc corpore auferunt, per commentum ſuum de ubiquitate, ſeu multipræſentia & replicatione, quæ ſine multiplicatione cogitari nequit. Nec obſtat quod ἄφαντος dicatur factus. Luc. 24: 31. quod notat illum ex conſpectu eorum ſubductum eſſe, ſive quod diſcipulorum oculos perſtrinxerit & præpedierit; ſive quod celerrime ſe iis ſurripuerit: non quod ἀφανὴς aut inviſibilis ſit factus, ſed quod iis non amplius ſit viſus. Ita nec clauſo ſepulcro reſurrexit. ut liquet Matth. 28: 2. Nec *per clauſas januas* ſe penetravit, Joh. 20. 18. illud enim loquendi genus vel tempus duntaxat ſignificat, veſpertinum ſcilicet, cum *clauſæ* jam eſſent *januæ*; non vero modum: ſin vero; non tamen clauſæ manſerunt; ut patet ex analogia loci Act. 5: 19. *Angelus Domini nocte aperuit fores carceris.* & com. 23. *miniſtri — renuntiarunt, carcerem invenimus quidem clauſum, cum omni certitudine.* conf. c. 12: 10.

ut & Sociniani. XIV. Graviter hic errant etiam Sociniani. Qui primo, Chriſtum ante reſurrectionem, tempore mortis, eſſe deſiiſſe volunt, ſeu in infernum non exiſtentiæ detrudunt; quod ab horrenda blaſphemia non abeſt. Permanſit enim 1. *Anima. Hodie mecum eris in Paradiſo.* Luc. 23: 43. & corpus. *Non dabis pium tuum, ut videat corruptionem.* Pſal. 16: 10. 2. Ipſe erat *vita. Ego ſum via & vetiras & vita.* Joh. 14: 6. & 11: 25. habet *potentiam vitæ indiſſolubilis.* Hebr. 7: 16. 1 Cor. 15: 45. 3. Ita Chriſtus bis ἐξ οὐκ ὄντων emerſiſſet, ſemel in generatione, iterum in reſurrectione. Secundo iidem negant, corpus Chriſti, ſtatim à reſurrectioneglorioſum eſſe factum, ſed demum poſt aſcenſionem: præter quam ſupra vidimus.

III. Cauſa efficiens: quæ eſt Chriſtus, virtute propria, XV. Succedit nunc reſurrectionis *cauſa efficiens.* Facta quidem illa eſt virtute Chriſti propria, Joh. 2: 19. & 10: 18. 1 Cor. 15: 45. Zach. 6: 12. Joh. 5: 26. Act. 1: 3. tribuitur tamen generatim Deo. *Hunc Jeſum excitavit Deus, cujus nos omnes ſumus teſtes.* Act. 2: 32. Patri vero. *Quam*, præpollentiam virium, *operatus eſt* (Pater gloriæ. cum. 17.) *in Chriſto, dum eum excitavit ex mortuis.* Eph. 1: 20. Sp. S. *Spiritus ejus qui Jeſum è mortuis excitavit.* Rom. 8: 10. *Chriſtus quidem mortificatus eſt carne, vivificatus autem Spiritu.* 1 Pet. 3: 18. Speciali *ſpeciali ratione Pater,* ratione Patri adſcribitur, utpote qui in hoc negotio tanquam judex ſpectatur, qui Filium pro peccatis jam mortuum excitando, abſolvit à culpa, qua peccatorum nomine tenebatur, & è carcere de-

demiſit. *Qui traditus eſt propter lapſus noſtros, & ſuſcitatus propter juſtificationem noſtri.* Rom. 4:25. conf. c. 6:4. & Hebr. 13:20. Cæteroquin virtus hæc & operatio toti Trinitati fuit communis. Ut nulla cum ſpecie Sociniani & Anabaptiſtæ Filio hoc denegent, quia nempe Patri tribuitur.

XVI. Recte igitur hinc probatur Chriſti deitas & divina filiatio. Rom. 1:4. ὁρισθεὶς, nempe *Filius Dei ex reſurrectione.* Longe aliter ac Sociniani, qui illum inde Filium Dei denominatum fingunt, quo detorquent locum Pſal. 2:7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* coll. Act. 13:32,33. & Hebr. 5:5. Col. 1:18. contra locorum iſtorum genium. *Oſtenſa inde divinitas Chriſti.*

XVII. Negligenda circa hoc negotium minime etiam eſt *circumſtantia temporis.* Fuit autem tertius dies. *Et occident ipſum, & tertio die excitabitur.* Matth. 17:23. Luc. 24:21. Joh. 2:19. *Solvite templum hoc, & tribus diebus excitabo illud.* Act. 10:40, *Hunc Jeſum excitavit Deus tertio die.* 1. Cor. 15:4. Tempus hoc Chriſto plane peculiare fuit; cum nec ſub V. nec Novo Teſt. ullus tertio die excitatus legatur. Vide ſpeciatim Joh. 11:39. *Dixit ipſi Martha, Domine, jam olet, quarti enim dies eſt.* Præfiguratum illud fuit in tribus præcipue viris Iſaaco, Ezechia, Jona; Patriarcha, Rege, Propheta. Diſtinctiſſime verò typum hunc in ſe ipſo exhibuit Jonas. Matth. 12:40. Reliquos typos ſupra luſtravimus. Conf. Hoſ. 6:2. *Vivificabit nos à duobus diebus: die tertio reſuſcitabit nos, & vivemus coram illo.* *IV. Tempus, tertio die. quod Chriſto peculiare; juxta prophetiam.*

XVIII. Ad difficultatem quam hic nectunt de triduo mortis Chriſti, cum ſummum per quadraginta tantum horas mortuus fuerit; facilis eſt reſponſio: triduum illud recte dici poſſe, tam proprie & ex nudo literarum ſenſu; quam ex analogia. Proprie quidem, ut per Synecdochen, ſub tribus hiſce diebus, eorumque partibus, noctes etiam comprehendantur; quod Judæis & S. Scripturæ frequens eſt. Vide Gen. 1:5. &c. Unde & numerum hunc ipſe Sp. Sanctus ad tertium diem coarctat. Matth. 16:21. &c. Vide & 1. Sam. 30:12. & ſeqq. Eſth. 4:16. & 5:1. Luc 2:21. Analogice vero ſi ſumatur, intelligi triduum illud poteſt, de toto illo tempore humiliationis Chriſti, ab extrema cœna, uſque ad primam veſperam, qua ſe diſcipulis vivum tot monumentis exhibuit; quod integrum adeo eſt triduum. *An triduum illud fuerit integrum?*

XIX. Dies quam in ſepulcro exigit, fuit Sabbati; atque hactenus ſimi- *Sabbatum in ſepulchro tranſegit; primo autem hebdomadis die reſurrexit.*

Digitized by Google

ſimilis fuit omnibus mortuis, unquam reſuſcitatis: nunquam enim quiſquam illo die excitatus legitur. Conveniebat illud utique etiam, ut ita typum Sabbati ſimul expleret. Dies reſurrectionis fuit primus hebdomadis, qui inde in memoriam reſurrectionis, ab Eccleſia primitiva Chriſtianorum ſacris conventibus dicatus & diſtinctus eſt; quare & læti & ſine geniculationibus diem illum tranſigere debebant. Quomodo vero ſimul impleti ſint typi veteres, alias viſum.

v. *Effecta & fructus.* XX. Tandem ſequuntur hic denique advertenda reſurrectionis *effecta* & *fructus*; tum Chriſti, tum noſtrûm reſpectu. Chriſtum quod ſpectat, reſurgendo declaratus eſt victor mortis & dux vitæ. *Jeſus Chriſtus primogenitus ex mortuis & princeps Regum terræ.* Apoc. 1: 5. *Rurſus autem quum introducit primogenitum in orbem habitabilem, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei.* Hebr. 1: 6. regius ſacerdos. *Dabit ipſi Dominus Deus thronum Davidis, Patris ipſius.* Luc. 1: 32. *Unde & ſalvare ad perfectum poteſt accedentes per ipſum ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro ipſis.* Hebr. 7: 25. Rom. 8: 34. Nos quod attinet, per reſurrectionem Chriſti ad nos pervenit teſtamenti ejus executio, quæ præſtari debebat ab ipſo Chriſto vivo. *Qui traditus eſt propter lapſus noſtros, & ſuſcitatus propter juſtificationem noſtri.* Rom. 4: 25. Hebr. 9: 12. atque ita fructus omnis mortis Chriſti in nos derivatus eſt.

XXI. Oritur ergo hinc 1. certitudo juſtificationis noſtræ; cum reſurrectione ſua abſolutus ſit Chriſtus ab omni reatu noſtri ergo ipſi incumbente. Rom. 4: 25. *Quem* Jeſum *Deus excitavit, ſolvens dolores mortis, ſicut non erat poſſibile, ipſum ab ea teneri.* Act. 2: 24. cum & hîc obtineret illud Matth. 5: 26. *Amen dico tibi, non exibis inde, donec dederis ultimum quadrantem.* Hinc *baptiſmus eſt* ἐπερώτημα *bonæ conſcientiæ per reſurrectionem Chriſti.* 1 Pet. 3: 21. 2. In hac reſurrectione exemplar nobis datum eſt & arrha noſtræ reſurrectionis futuræ. *Ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me, etiamſi moriatur, vivet.* Joh. 11: 25. Rom. 8: 11. 1. Pet. 1: 3. 1. Cor. 15: 12. *Si autem Chriſtus prædicatur quod ex mortuis excitatus ſit, quomodo quidam inter vos dicunt, quod non ſit reſurrectio mortuorum?* inde Chriſtus dicitur *primitiæ eorum qui obdormiverunt* 1. Cor. 15: 20. cum tota fidelium maſſa in eo ſit ſanctificata. 3. Agnoſcitur in ea deformatio reſurrectionis noſtræ ſpiritualis. *Sicut ſurrexit Chriſtus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Rom. 6: 4. & 7: 4. *Vos mortificati eſtis legi, per corpus Chriſti, ut fieretis alterius, qui ex mortuis ſurrexit, ut fructum feramus.*

XXII. Plane

Digitized by Google

XXII. Plane alienum eſt, quod hic ſtatuunt Sociniani, Deum per reſurrectionem hanc nihil aliud intendiſſe, quam gloriam ſuam, reſpectu ſui ipſius; reſpectu vero noſtri confirmationem fidei noſtræ, ut credamus hominem mortalem, Deo obedientem, excitari poſſe. Quod mirari licet, cum carnis reſurrectionem negent. *perverſi à Socinianis.*

CAPUT XXIII.

De Aſcenſione Chriſti.

I. Alter gradus exaltationis Chriſti eſt ejus aſcenſio, quando triumphali quaſi curru ovans in cœlum ſublatus eſt. Act. 1:11. Eph. 4:10. *Qui deſcendit, ipſe eſt & is qui aſcendit, ſupra omnes cœlos, ut impleat omnia.* Cujus tractatio ut ordine fiat, videnda 1. *aſcenſio* ipſa. 2. ejus *certitudo.* 3. *locus.* 4. *tempus.* 5. *cauſa.* 6. *finis* & *fructus.* *Progreſſus exaltationis Chriſti eſt in* ASCENSIONE *ad cœlos.*

II. Ipſi Deo interdum aſcenſio tribuitur ἀνθρωποπαθῶς. Gen. 11:5. & 17:22. & 18:21. hic autem proprie ſumitur pro tranſlatione ſubſtantiæ corporeæ è loco inferiore ad ſuperiorem, ſeu à corporum inferiorum vicinia in viciniam corporum ſuperiorum. Act. 1:11. *Hic Jeſus qui ſublatus eſt a vobis in cœlum.* &c. Marc. 16:19. Luc. 24:51. Proprie ergo convenit naturæ Chriſti humanæ, divinæ tantum figurate, quatenus nempe in illa manifeſtavit gloriam ſuam; & metonymice, quatenus aſcenſionis fuit cauſa; unde & de tota perſona divina aſcenſio prædicatur. Pſal. 47:6. *Aſcendit Deus cum clangore, Jehovah cum voce tubæ.* & 68:19. *Aſcendiſti in cœlum, egiſti prædam, accepiſti dona in hominibus;* & ex eo Eph. 4:8, 9. *I. illius modus.*

III. *Certitudo* conſtat 1. Ex vaticiniis. Pſal. 68:18, 19. & Pſal. 110. conf. Act. 2:34. 2. Ex typis. Ita, ſicut Pontifex, ſemel quotannis, & quidem poſt exordium novi anni, intrabat in Sanctum Sanctorum, non ſine ſanguine Lev. 16. idem Chriſto etiam faciendum erat, in initio temporis gratiæ & libertatis, fuſo ſuo ſanguine, ut viam in cœlum apertam nobis dedicaret. Hebr. 9:23, 24. *Neceſſe ergo figuras quidem eorum, quæ in cœlis ſunt, hiſce mundari: ipſa autem cœleſtia majoribus hoſtiis præ ipſis. Non enim in manu facta Sancta introivit Chriſtus, verorum inſtar habentia, ſed in ipſum cœlum, ut nunc appareat faciei Dei pro nobis.* rupto velo carnis ſuæ. *II. Certitudo.*

Digitized by Google

Hebr. 4: 16. & 10: 20. *Quam initiavit nobis viam recentem & vivam, per velamen, id eſt, carnem ſuam.*

IV. Eodem ſpectabat Enochi & Eliæ raptus, Gen. 5. 2. Reg. 2. quorum ille ſub promiſſione, iſte ſub lege in cœlum tranſlati ſunt; ſicut Chriſtus ſub gratia; in exemplar fidelium omnium ætatum. Miraculum etiam hoc primum omnium fuit à creatione mundi, quemadmodum & ultimum futurum eſt, in conſummatione ſeculi. Notandæ autem hic ſunt differentiæ, inter hanc Chriſti aſcenſionem, & aliorum ſublationes: illi nempe aſcenderunt virtute aliena, Chriſtus propria: illi vivi, Chriſtus poſt mortem, quam ſuperare & hoc modo triumphare debebat.

V. 3. Indubitate probatur ex teſtibus, quorum numerus ſufficiens, & ſanctitas ſupra omnem calumniam; partim Angeli; partim duodecim Apoſtoli, Act. 1: 9, 10. 1 Cor. 9: 1. *Nonne ſum Apoſtolus? an non liber? an non Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum vidi?*

an ſocios in ea habuerit? VI. Turbas hic excitant Pontificii, Chriſto ſocios in aſcenſione adſignando; alii Patres è limbo liberatos; ex Pſal. 68: 19. cum potius cogitari debeat Chriſtus, pro more triumphantium, Diabolum cum morte, peccato & inferno, revinctis manibus in captivitatem poſt ſe traxiſſe. Alii ergo malunt adjunctos illi fuiſſe ſanctos illos, qui in morte Chriſti reſurrexerant, Matth. 27: 53. ſed exigua itidem probabilitate.

III. Locus quem reliquit. VII. *Locus* in aſcenſione duplex conſiderari poteſt; vel unde ſolverit quaſi; vel ubi appulerit. Prior Act. 1: 12. dicitur *mons Oliveti.* Luc. 24: 50. vero, *Bethania.* Confer. Act. 1: 12. & Joh. 11: 18. Quod ita in concordiam redigi poſſe videtur; ut aſcenderit Chriſtus ex monte Oliveti, eo nempe loco, quo ab urbe diſtabat per octo ſtadia (quantum eſt iter Sabbati Act. 1: 12.) qui ejus tractus jam inde denominabatur *Bethania*, à palmis ibi conſitis, uſque ad 15 ſtadia. Joh. 11: 18. ſicut primus ejus tractus urbi vicinus appellabatur *Bethphage*, à groſſis: cum generale & commune nomen horum tractuum fuerit mons Oliveti; ad quod nomen reſpicitur Act. 1: 12. Quæ vero de veſtigiis Chriſti, monti huic impreſſis ſcripſerunt veteres, fide ſua carent.

quem occupavit. VIII. Locus quo aſcendit, eſt cœlum. *Aſcendiſti in altum.* Pſal. 68: 19. *Hic Jeſus, qui à vobis ſublatus eſt in cœlum* &c. Act. 1: 11. Marc. 16: 19. 1. Petr. 3: 22. *Qui eſt in dextra Patris, cum abiiſſet in cœlum.* Eph. 4: 10. ſive cœlum ſummum. *Jeſus Pontifex maximus per-*

Digitized by Google

pertranſiit cœlos. Heb. 4: 14. & cap. 7: 26. *Altior cœlis factus.* Eph. 4: 10. *Qui deſcendit, ipſe eſt, qui aſcendit ſupra omnes cœlos, ut impleat omnia.* Pervertunt hæc Lutherani Ubiquitarii, errorem novo errore tecturi, ne pateat; cœlum etiam ubiquitarium fingentes; atque ita non loci, ſed ſtatus tantum mutationem factam eſſe: contra ac eſt Joh. 6: 62. *Si igitur conſpiciatis Filium hominis aſcendentem, ubi erat prius.* & c. 14: 2. *Proficiſcor, ut parem vobis locum.* Phil. 3: 20. *Noſtra autem civitas in cœlo eſt, unde & Salvatorem exſpectamus Dominum Jeſum Chriſtum.* Eph. 4: 10. 1. Theſſ. 4: 16. Hebr. 12: 23.

IX. *Tempus* aſcenſionis, fuit quadrageſimus à reſurrectione dies. *IV. Tempus.* Act. 1: 3. qui numerus frequenter in S. Scriptura obſervatur, tum in Moſe, Elia, aliiſque, tum ſpeciatim in Chriſto, ſecundum varios ipſius excellentiæ gradus. Luc. 2: 22. Matth. 4: 2. Act. 1: 3. *Quibus & ſtitit ſe ipſum vivum, poſtquam paſſus ipſe eſſet, per multa ſigna, per quadraginta dies viſus ipſis, & diſſerens ea quæ ſunt regni Dei.* Per quadraginta vero iſtos dies converſatus eſt cum hominibus, & loquutus cum diſcipulis de rebus regnum Dei ſpectantibus. Act. 1: 3. quando *invigilans viſit* amicos ſuos, *ut irrigaret animam linquentem, & omnem animam ægram impleret; & ſomnus ſuus fuit ſuavis ipſi.* Jer. 31: 25, 26. Quod Chriſto proprium & peculiare fuit ex omnibus iis qui è mortuis excitati ſunt.

X. *Cauſa* fuit quidem Pater illum aſſumens, Act. 1: 11. 1 Tim. *V. Cauſa* 3: 16. ita tamen, ut divina ſua potentia, qua ſe excitaverat, Joh. 10: 18. ſimul aſcenderit, Luc. 24: 51. Joh. 20: 17. & 3: 13. *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui ex cœlo deſcendit, filius hominis qui eſt in cœlo.* & 14: 2. *Proficiſcor, ut parem vobis locum.* conf. Joh. 8: 23. & 3: 31. *Qui de ſurſum venit, ſupra omnes eſt.* Eph. 4: 9. Hebr. 2: 10. Quo conferebat corporis glorificati ratio, quod ſpiritui ſubjectum, eadem facilitate ſurſum ac deorſum moveri poterat.

XI. Occurramus nunc erroribus, qui veritati huic offucias ob- *Ἀντίθεσις* ducunt. Quibus ſe intricarunt homines, ad carnales ſuas cogitati- *errorum,* ones omnia metientes; quorum *πρῶτον ψεῦδος* eſt, Chriſtum in S. Cœna corporaliter eſſe præſentem; quod ut tuerentur, pervertenda quoque fuit ejus aſcenſio. Ante omnes Lutherani hic toto cœlo *I. Pontificiorum & Lutheranorum,* aberrant, diſtinguentes inter aſcenſionem Chriſti viſibilem & inviſibilem; illam ſemel, hanc variis vicibus factam eſſe volunt. Quos varios aſcenſionis inviſibilis gradus, ſecutam fuiſſe viſibilem ſeu ultimam & diſpenſatoriam ſtatuunt, quam in diſparitione & glorificatione corporis ejus collocant. Quamvis in hiſce omnibus non omnes conſentiant.

Digitized by Google

Chriſtus poſtea in terris ſit viſus. Primum Stephano, Act. 7:55, 56. Verum apparuit ipſi non in terra, ſed in cœlo conſpiciendus; tum omnino fit vero ſimile, viſionem hanc fuiſſe ecſtaticam; quo facit, ut alia mittamus, quod dicitur, *Impletus Sp. Sancto.* Secundum, viſum volunt Chriſtum eſſe Paulo, Act. 9:4, 17. 22: 6. & 26: 19. At primitus non viſus eſt Paulo Jeſus, ſed auditus duntaxat. Act. 9: 3, 4, 17. & 22: 9. Deinceps conſpectus quidem à Paulo eſt Chriſtus, ſed mota mente & viſione interna. Act. 18: 9. *Dixit autem Dominus per viſionem noctu Paulo: ne time, ſed loquere, & ne ſile.* 22: 17, 18. & 23: 11. & 26: 13. 1. Cor. 9: 1. *An non Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum vidi?* Poſtea Johanni etiam conſpiciendum ſe præbuiſſe dicunt Chriſtum Apoc. 1: 10, 12, 13. Quam viſionem emblematicam eſſe, locus ipſe vel prima fronte docere poteſt.

XVI. Veritatem hujus rei etiam Sociniani intervertunt. Quando non ſolum plures uni Chriſto tribuunt aſcenſiones, de quo ſupra actum: verum etiam, quamvis corpus Chriſti in aſcenſione demum glorificatum fuiſſe velint, carne & ſanguine abſorptis quaſi, & in ſpiritum mutatis; aliud tamen corpus in cœlum ab eo illatum volunt, glorioſum nempe, & ejuſmodi quidem, ut corpus & oſſa non habeat. Quæ ſi vera ſunt 1. Chriſtus glorificatus conſtabit ex duobus ſpiritibus. 2. Nequidem aſcenſione prima, quam vult Socinus, Chriſtus corpore ſuo in cœlum potuerit aſcendere. 3. Et nos in cœlo corpus habere nequibimus. Cum *oporteat nos omnes manifeſtari coram tribunali Chriſti, ut quiſque ferat, quæ per corpus fecerit.* 2. Cor. 5: 10. Contra vero 1. corpus carneum & oſſeum ipſi poſt reſurrectionem adſcribitur. Luc. 24: 39. *Videte manus meas & pedes meos: contrectate me & videte: nam ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me conſpicitis habere.* conf. Act. 1: 11. 2. Et talis apparebit in futuro judicio. *Et intuebuntur me cum eo, quem transfoderunt.* Zach. 12: 10. Apoc. 1: 7. 3. Caro ejus corruptionem non ſenſit, aut ei unquam fuit obnoxia. Pſal. 16: 10. *Non dabis pium tuum, ut videat corruptionem.* Act. 2: 31. 4. Non citra blaſphemiam, cœlum carni Chriſti inacceſſum putant, perperam intellecto loco 1. Cor. 15: 53. *Caro & ſanguis non poſſunt regnum Dei hæreditare.* II. *Socinianorum.*

XVII. Alieni ab hiſce etiam non ſunt Anabaptiſtæ, fatentes quidem Chriſtum corpore ſuo reſurrexiſſe; at vero quali corpore, aut quo modo nunc dextram Patris claudat, ignorare ſe profitentes; quin volunt eum in cœlo abdicaſſe naturam & proprietates corporis: ſed contrarium jam evictum eſt. conf. Act. 1: 9. *Et hæc dicens, ipſis videntibus, ſublatus eſt.* III. *Anabaptiſtarum.*

Digitized by Google

Hebr. 1:3. *Eum excitavit ex mortuis, & collocavit ad dextram ſuam in ſupercæleſtibus.* Eph. 1:20.

qua ipſi prædicta.

II. Prædicta fuit hæc gloria. *Dixit Jehovah Domino meo, ſede ad dextram meam.* Pſal. 110:1. Confer Matth. 22:42,43. non enim illud Davidi, vel ulli alii convenire poteſt.

Quid dextra Dei & ſedere ad eam?

III. *Dextra Dei* interdum potentiam Dei notat. *Juravit Jehovah per dextram ſuam, & per brachium roboris ſuum.* Eſai. 62: 8. *Dextra Dei exaltatus & promiſſione Sp. Sancti à Patre accepta, effudit hoc, quod nunc videtis & auditis.* Act. 2:33. Hic vero nobis paulo propius conſideranda eſt phraſis, *ſedere ad dextram*; quæ deſumpta à more Regum Orientalium, qui proximos à ſe ad dextram collocare ſolebant. 1. Reg. 2:19. Matth. 20:21. Pſal. 45:10. *Stat Auguſta ad dextram tuam in auro Ophirino.* 3. Eſdr. 4: 29. Notatur ergo hoc loquendi genere honos à regio ſecundus, quin etiam quandoque pro re nata æqualis. *Qui quum eſſet in forma Dei, non raptum duxit eſſe inſtar Dei.* Phil. 2:6. ubi Chriſtus dicitur ἴσα θεῷ εἶναι, paria cum Deo facere. Ut perverſiſſime Sociniani, ab una parte Chriſtum hic honoratiori loco poſitum velint, quam ipſe Pater; (quibus & aſſentitur Maldonatus Jeſuita) ab altera parte nihilominus dignitatem hanc precario ipſi collatam, & honorem non niſi à Patre ſecundum ipſi obtingere.

Per quod notatur ſuprema gloria.

IV. Seſſio hæc non externo & corporeo modo fingenda eſt, ſed figurate, ad honoris hujus ſtabilitatem ſignificandam. *Vidi Dominum ſedentem in throno celſo & elato.* Eſai. 6:1. *Qui feciſti judicium & jus mecum, conſediſti in ſolium judex juſtus.* Pſal. 9:5. 2. Theſſ. 2:4. Apoc. 17:1,9. alibi etiam *ſtare ad dextram* dicitur Chriſtus. Act. 7:55. & *ambulare.* Apoc. 1:13.

& poteſtas, ſeu regnum.

V. *Seſſio* igitur hæc ſupremam gloriam & honorem denotat. *Collocavit eum ad dextram ſuam in ſupercæleſtibus, ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & potentiam, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non tantum in ſeculo hoc, ſed etiam in futuro.* Eph. 1:20, 21. Phil. 2:9--11. Hebr. 1:3. *Conſedit ad dextram magnitudinis in altis.* & 2:7,8. & 8:1. 1. Pet. 3:22. Hebr. 12:2. Luc. 22:69. Matth. 26:64. huic gloriæ juncta ſimul eſt poteſtas & imperium. *Sede ad dextram meam, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum; virgam roboris tuam mittet Jehovah è Zione; dominare in medio inimicorum tuorum.* Pſal. 110:1,2. 1. Cor. 15:25. ut univerſa regia poteſtas ſeſſioni huic includatur.

Quod regnum œconomicum eſt in Eccleſiam

VI. De regno illo Chriſti ita habendum eſt; non eſſe illud naturale,

turale, ſed œconomicum; in quo tanquam caput & mediator Eccleſiæ eam gubernat, & aſſertam potenti manu tuetur, omniaque in bonum ejus dirigit. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Matth. 28:18. Phil. 2:7,8,9. quæ poteſtas non eſt proprietas Dei eſſentialis, ſed œconomica, quæ finem habitura eſt in conſummatione ſeculi, quando externa ejus adminiſtratione defunctus regnum illud Patri tradet. *Deinde finis, quando tradet regnum Deo & Patri.* 1 Cor. 15:24. & com 28. *Et ipſe filius ſubjicitur ei.* ut ſcilicet regni illius functione œconomica abdicata, immediate regnet, & ſimul cum Patre omnia ſit in omnibus. Vide lib. 1. cap. XXXIII. §. XVI.

Illius varii actus VII. Primus actus hujus regni, unde illud auſpicatus eſt, fuit effuſio Sp. Sancti in Apoſtolos & Eccleſiam. Act. 2:33,35. Quod factum eſt in templo, ſeu cœnaculis & conclavibus ejus: de quibus vide 1. Paral. 28:2. *Et dedit formam omnium, quod erat per Spiritum apud ipſum, de atriis domus Jehovæ, & de omnibus conclavibus circumquaque.* Jer. 36:10. Illos autem in iis egiſſe, patet ex Luc. 24:53. *Et erant ſemper in templo* &c. conf. Act. 1:13. *Aſcenderunt in ſuperiorem domus partem*: juxta illud Pſal. 2:6. *Et ego unxi regem meum, in Zionem montem ſanctum meum.* coll. Act. 2:1, 2. &c. Effuſionem hanc Sp. Sancti conſecuta eſt conceſſio miniſteriorum ad Eccleſiæ ædificationem neceſſariorum. *Ipſe dedit alios quidem Apoſtolos, alios autem Euangeliſtas, alios vero paſtores & doctores — ad ædificationem corporis Chriſti.* Eph. 4:10--13. Ad regiam hanc dignitatem pertinet quoque inter alia, judicium vivorum & mortuorum; regium enim illud eſt, & peculiariter etiam Chriſto ſoli competit.

æternitas. VIII. Cæterum regnum hoc æternum eſt. *Venit principatus in humerum ipſius — ad amplificationem principatus, & pacem ſine fine, ſuper throno Davidis, & ſuper regno ipſius.* Eſai. 9:5,6. 2. Sam. 7:13. Pſal. 45:7. *Solium tuum, ô Deus, in ſæculum & perpetuum.* Confer Hebr. 1:8. Luc. 1:33. quod enim illud Patri traditurus dicatur, 1. Cor. 15:24,28. non probat, illum regno movendum, ſed adducturum ſolummodo Eccleſiam ad Deum, ut illam, & ſe in illa, Deo ſiſtat conſummandam, Vide ſuperius l. v. c. xv. §. xx.

Dignitas illa regia in reliqua ipſius munera quoque derivatur. IX. Dignitas illa regia derivatur etiam in reliqua ejus munera: ita regiam nunc exercet prophetiam, regium item ſacerdotium. *Prophetiam*, dum Spiritum in omnem carnem effundit, & miniſtris ſuis ſuccurrit. Matth. 28:18-20. Marc. 16:20. *Ipſi vera egreſſi prædicarunt ubique: Domino cooperante & verbum confirmante per ſigna* ſub-

Digitized by Google

ſubſequentia. Sacerdotium, dum non humiliter, ſed glorioſe, & convenienter regiæ majeſtati, cauſam noſtram in cœlo agit. *Tu es ſacerdos in ſeculum, ſecundum ordinem Melchizedeci.* Pſal. 110: 4. Zach. 6: 13. Hebr. 7: 25. *Unde & ſalvare ad perfectum poteſt accedentes per ipſum, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.* & 9: 24. & 10: 12, 13. Rom. 8: 34.

X. Adſcribenda eſt hæc gloria toti ſimul perſonæ mediatoris & quoad utramque naturam, pro ratione utriuſque: humanæ ſcilicet, proprie & reapſe data eſt. Matth. 28: 18. Phil. 2: 9. *Deus ipſum ſuperexaltavit & in gratia donavit ei nomen, quod ſupra omne nomen eſt.* Hebr. 2: 9. divinæ convenit quoad uſum & ἀνέγερσιν potentiæ & gloriæ ſuæ æternæ. Joh. 17. 5. *Et nunc glorifica me, tu Pater, apud te, gloria quam habui prius quam mundus eſſet, apud te.* Ut infinita & abſolute ſumma gloria perſonæ Chriſti conveniat: humanitati vero ſumma quidem competat, ſed non niſi comparate ad creaturas, quibus omnibus major eſt. *Collocavit eum ad dextram ſuam in ſupercœleſtibus, ſupra omnem principatum* &c. Eph. 1: 20. Joh. 5: 27. Liquet ex hiſce quemadmodum in uno Chriſto concurrant omnes omnino prærogativæ & privilegia, tam dignitatum, quam aliarum rerum miraculoſarum, quæque ſingulatim ulli unquam homini obtigerunt, eas in ſummo quoque faſtigio unus tulit Chriſtus; & quod nulli unquam datum eſt, ſolus ad dextram Dei ſedet.

Competit illa toti perſonæ Chriſti, pro ratione naturarum.

XI. Teſtes etiam laudatiſſimos gloriæ hujus fecit ſibi Chriſtus, Stephanum & Paulum; illum martyrum primum, hunc Apoſtolorum ultimum. Act. 7: 55, 56. 1. Cor. 9: 1. & 15: 8.

Teſtes illius.

XII. Pellucent facile, ad hanc veritatem compoſiti, adverſariorum errores. Ita 1. perverſa eſt Socinianorum gloſſa, quando *ſedere ad dextram* tantundem volunt notare, ac gerere vices Dei; ut ſcilicet Pater nunc non regnet, ſed filius, qui propterea aliquomodo honoratior ſit ipſo Deo. Quod tamen ipſi ſubruunt, negantes Chriſtum eſſe æternum illum Deum, imo poteſtatem hanc ſtatuentes cauſam adorationis ejus; inſuper Chriſtum ideo facientes Dei vicarium, quod gubernet Dei Eccleſiam, eamque non ſuam, ſed Patris. Ut poteſtas hæc non ſit dominium, ſed tantum poteſtas volendi quod communis Dominus vult, ſeu conſenſus cum eo. Cum quibus quo pacto conſtare poterit, quod profitentur, Chriſtum abſolute & independenter poteſtatem hanc exercere? longum abit ab hiſce Apoſtoli ſententia, qui cum Chriſtum hæredem om-

Adverſariorum errores.
1. Socinianorum.

nium dicit, divinitatem ejus manifeſte ſupponit, per quem ſcil. Deus *ſecula fecerit*. Hebr. 1: 2.

11. Lutheranorum. XIII. 2. Lutherani interdum quidem *ſedere ad dextram* bene interpretantur per *τὸ βασιλεύειν. Oportet enim ipſum regnare, uſque dum poſuerit omnes inimicos ſub pedibus ſuis.* 1 Cor. 15: 25. Plerumque tamen per eam intelligunt communicationem omnipræſentiæ & ubiquitatis factam naturæ humanæ. Verum ita 1. natura humana non erit omnipræſens vi unionis. 2. Diverſum omnino eſt, glorioſum eſſe & omnipræſens; huc enim tantum abeſt, ut quid conferat omnipræſentia, ut gloriam humanæ naturæ tollat potius. 3. Omnipræſentia naturæ humanæ ad regnum Chriſti neceſſaria modo non eſt, ſed & nulli cuiquam bono. Eph. 1: 20. Hebr. 1: 3. *Conſedit ad dextram magnitudinis in altis.* & cap. 8: 1. Act. 7: 56. *Vidit Stephanus gloriam Dei, & Jeſum ſtantem à dextris Dei.* Joh. 17: 24. Matth. 26: 11. *Semper enim pauperes habetis vobiſcum, me vero non ſemper habetis.* Joh. 16: 28.

XIV. Inepte equidem hic objiciunt *dextram Dei* ubique eſſe, ergo & id quod *ad dextram* Dei *ſedet*. Qua in re peccant tum in formam ſyllogiſmi, adhibentes quatuor terminos; nam omnino differunt *dextra Dei*, & *ſedere ad dextram Dei*: tum in rem ipſam; ſedet enim ad dextram Dei ſecundum naturam humanam Chriſtus, non quatenus dextra illa ubique eſt, ſed quatenus maxime glorioſa in cœlo eſt. Eph. 1: 20. Hebr. 1: 3. & 8: 1. Adde quod eadem etiam opera naturam Chriſti humanam æternam eſſe probari poſſet, cum dextra Dei æterna ſit.

XV. At pergunt errare Lutherani, cum ſeſſionem hanc humanæ tantum Chriſti naturæ convenire arbitrantur: contra quam eſt Pſal. 110: 1. 5. *Dixit Deus Domino meo; ſede ad dextram meam:* ubi natura divina ſatis clare & aperte includitur. Et fruſtra reponunt; divinam naturam eſſe ipſam Dei dextram; atque ita ſecundum eam Chriſtum non poſſe dici, *ad dextram Dei ſedere*: ad quæ iterum regerimus; aliud notare *dextram Dei*; aliud, *ſeſſionem ad dextram*.

XVI. Hiſce erroribus mantiſſam adjiciunt illi inter eoſdem, qui Chriſtum ſecundum naturam humanam, ab utero matris, ad dextram Dei ſediſſe volunt; quod præter Scripturam non ſolum eſt, ſed & contra eam, quando ſatis liquido docet, non niſi poſt exaltationem demum ad dextram Dei collocatum eſſe Chriſtum. *Dominus igitur poſtquam cum illis locutus eſſet, ſublatus eſt in cœlum, &* *con-*

Digitized by Google

conſedit à dextris Dei. Marc. 16:19. Luc. 24:26. Hebr. 1:3. Apoc. 3:21. *Qui vincit, dabo ei ſedere mecum in throno meo, quemadmodum & ego vici, & conſedi cum Patre meo in throno ipſius.*

XVII. Fructus hujus ſeſſionis potiſſimum hi ſunt. 1. Interceſſio Chriſti pro nobis. *Quis eſt, qui condemnet? Chriſtus is eſt, qui mortuus eſt; imo qui & ſuſcitatus eſt; qui etiam eſt ad dextram Dei; qui etiam interpellat pro nobis*, Rom. 8:34. 2. Defenſio Eccleſiæ militantis. *Tu es Petrus, & in hac petra ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferni non prævalebunt eam.* Matt. 16:18. 3. Communio gloriæ cum Chriſto ſervata capitis & membrorum proportione. *Nos convivificavit cum Chriſto, & conreſuſcitavit & collocavit in cœleſtibus* &c. Eph. 2:5,6. Apoc. 3:21. *Fructus hujus ſeſſionis.*

CAPUT XXV.

De Euangelio.

I. SUblato in cœlum Chriſto, non vaſta & vidua relicta eſt terra, ſed continuo Spiritus ejus replevit omnia; nec omnis abiit Chriſtus, ſed potius per terras undequaque in prædicatione Euangelii ſe ipſum exhibuit; & quo altius aſcendit in cœlos, eo illuſtrior in terris apparuit per annuntiationem harum rerum toto orbe factam, inceptam primo felicibus auſpiciis, effuſo ſcilicet in Apoſtolos Spiritu ſancto, die Pentecoſtes Act. 2. & deinceps propriis ſuis temporibus. *Qui dedit ſe ipſum redemptionis pretium pro omnibus, teſtimonium temporibus ſuis.* 1. Tim. 2:6. *Exaltationem Chriſti inſecuta fuit ejus annunciatio per* EUANGELIUM.

II. *Euanglium* Græcis notat vel lætum nuntium; vel munus dandum, læta nuncianti, vel ſupplicationes & ſacrificia pro re feliciter geſta. In ſacris mutuata eſt hæc vox à Græcis LXX. interpretibus, qui illa frequenter utuntur. *Quam decori ſunt in montibus pedes* מבשר (LXX εὐαγγελιζομένου) *nunciantis Euangelium, qui facit audiri pacem; qui nunciat bonum?* Eſai. 52:7. Venit autem apud S. Scriptores in ſignificatione prima & propria pro læto nuntio, ſpeciatim de Meſſia; quamvis aliqua cum varietate, modo notet hiſtoriam Chriſti, Marc. 1:1. *Principium Euangelii J. Chriſti filii Dei.* modo promulgationem gratiæ Chriſti. *Abeuntes in totum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Marc. 16:15. 1. Cor. *Illius ſignificatio.*

Digitized by Google

Cor. 9: 14. & 15: 1. 2. Cor. 8: 18. modo doctrinam ipſam, prædicatione illa comprehenſam. *Spiritus Domini Jehovæ ſuper me eſt: quia unxit Jehovah me, ad Euangelium nuntiandum manſuetis.* Eſai. 61: 1. Luc 2: 10. Gal. 1: 15, 16. Indolem ſuam produnt Judæi, quando impie vocem Euangelii detorquent in און גליון *revelationem iniquitatis.* Blaſpheme item monachi, prædicatores & Minoritæ, Anno 1250. aliud Euangelium ſibi & mundo cuderunt, *æternum* ipſis dictum, ex abuſu loci Apoc. 14: 6. *Et vidi alium Angelum volantem in medio cæli, qui habebat Euangelium æternum.*

Initium, III. Euangelium hoc non demum cum incunabulis Chriſti incepit, ut mallet Socinus, ſed ab ipſo mundi exordio jam promulgatum fuit. Gen. 3: 15. Rom. 1: 2. & 10: 15, 16. *Etenim nobis bonus nuncius allatus eſt, quemadmodum & illis.* Hebr. 4: 2. *Ad hoc enim & iis qui mortui ſunt Euangelizatum eſt; ut judicentur quidem ſecundum homines carne, vivant autem ſecundum Deum ſpiritu.* 1. Pet. 4: 6. quamvis tunc proprie ἐπαγγελία fuerit. *Et nos vobis Euangelizamus promiſſionem factam ad Patres, quod Deus hanc impleverit, nobis filiis ipſorum, dum excitavit Jeſum.* Act. 13: 32. *Populus, quem formavero mihi, glorificationem meam narrabunt.* Eſai. 43: 21. Gal. 3: 18.

impletio IV. Speciatim vero & ἐμφατικῶς Euangelium notat בשורה טבוה ipſam rei bonæ annuntiationem, diſtinctam ab ἐπαγγελίᾳ. *Viviſcit cor meum verbo bono; dico ego: opera mea regi: lingua mea ſtilus ſcribæ expediti.* Pſal. 45: 2. *Qui bonum guſtaverunt Dei verbum, ac virtutes futuri ſeculi.* Hebr. 6: 5. Matth. 4: 23. Marc. 1: 15. Rom. 16: 25, 26. Summam hujus Euangelii breviter exhibet Apoſtolus

& ſumma. Rom. 1: 3, 4. Qui filius *extitit ex ſemine David ſecundum carnem, qui definite notatus eſt filius Dei in potentia, ſecundum Spiritum ſanctitatis, ex reſurrectione mortuorum.* Vide & cap. 10: 15, 16. ex Eſai. 52: 7. Continetur ergo in eo. I. *Veritas;* quatenus nimirum per illud oſtenditur, & luce meridiana clarius effulget; tum fides Dei, tum nomen ejus: *Notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis.* Joh. 17: 26. id eſt, virtutes & attributa ejus; ſigillatim, juſtitia & miſericordia. II. *Pietas. Sine dubio, magnum eſt pietatis myſterium: Deus eſt manifeſtatus in carne.* 1. Tim. 3: 16. Tit. 2: 11, 12.

Non convertendum in legem operum: V. Naturam illius Euangelii omnino pervertunt, qui id transfundunt in legem operum, eamque Moſaica perfectiorem; cum Euangelium proprie non ſit lex, ſed annuntiatio rei bonæ, neque lege

lege Moſaica quicquam perfectius dari poteſt, ut ſupra demonſtratum. *Lex* autem vocatur Rom. 3: 27. *Ubi eſt gloriatio? excluſa eſt. per quam legem? operum? non; ſed per legem fidei.* Rom. 8: 2. *Lex Spiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberum me fecit à lege peccati & mortis.* Gal. 6: 2. *Complete legem Chriſti.* Jac. 1: 25. quatenus eſt demonſtratio viæ, (quam Hebræis vox תורה ſignificat) illius ſcilicet, qua per Chriſtum peccatori Deum accedendi facultas conceditur: quod dicitur Jer. 31: 33. *Do legem meam in medium ipſorum, & ſuper corde eorum ſcribam eam:* quare etiam ad inſtar legis ſua mandata & promiſſiones habet. Marc. 1: 15. *Reſipiſcite & credite Euangelio.* Rom. 1. 17. *Juſtitia Dei ex annunciatione Chriſti, revelatur ex fide in fidem.* 1. Joh. 2. 25.

a qua differt;

VI. Differt autem à lege hiſce modis; nam 1. Lex data fuit homini integro; Euangelium miſero: 2. Illa exigebat juſtitiam operum; hoc fidem. 3. Illa promittebat vitam æternam; hoc ſalutem. 4. Illa nitebatur viribus hominis; hoc divina gratia. 5. Illa eſt miniſterium mortis, & *litera occidens*, conſiderata nempe ſine Euangelio & Spiritu Chriſti; hoc *Spiritus vivificans. Litera occidit, Spiritus autem vivificat. Si vero miniſterium mortis — fuit in gloria — quomodo non miniſterium Spiritus?* &c. 2. Cor. 3. 6, 7. quia Spiritus eo utitur; ut nos deducat ad vitam æternam per Chriſtum. *Quare lex pædagogus noſter extitit ad Chriſtum, ut in Chriſto juſtificaremur.* Gal. 3. 24. & com. 26. *Omnes enim filii Dei eſtis, per fidem in Chriſto Jeſu.*

illi tamen ſubordinatum.

VII. Quæ tamen differitates non impediunt, quo minus lex Euangelio ſubordinari poſſit; hac videlicet ratione, ut ſtupentem in peccatis hominem denuntiatione iræ divinæ excitet, dejiciat deinde & conſternet, mox ab Euangelio erigendum. Gal. 3. 24. Rom. 10: 4. *Finis legis Chriſtus, ad juſtitiam omni credenti.* Quare etiam Euangelium legem non tollit, ſed eam ſtabilit potius. Rom. 3: 31. *Legem igitur irritam facimus per fidem? abſit. imo legem ſtabilimus.* quatenus nempe oſtendit 1. Chriſtum finem legis. Rom. 10: 4. 2. confirmat comminationes legis impletas in Chriſto. *Deus, quum filium ſuum miſiſſet in ſimilitudine carnis peccati, & quidem pro peccato, condemnavit peccatum in carne.* Rom. 8: 3. Gal. 3: 10, 13. 3. approbat juſtitiam legis, eamque implet, per Chriſtum. *Ut jus legis impleatur in nobis, qui ſecundum Spiritum ambulamus.* Rom. 8: 4. 4. adoptat & exigit omnia præcepta legis. *Affulſit gratia Dei — erudiens nos, ut abnegata impietate — temperanter,*

Digitized by Google

ranter, juſte & piè vivamus in hoc ſeculo. Tit. 2: 11, 12. 5. Vires nobis dat legem per Spiritum pro modulo implendi, cum illa per peccatum impotens facta eſſet, & viribus deſtituta. *Lex Spiritus vitæ in Chriſto Jeſu, liberum me fecit à lege peccati & mortis* &c. Rom. 8: 2, 4.

Pontificiorum & Socinianorum hic errores.

VIII. Male ergo Pontificii, hac in re Socinianis præluſerunt; dum Euangelium lege perfectius faciunt; inde nimirum nova illa & perfectior lex Chriſti nata eſt. Cum tamen tam exacte & diligenter lex facienda exigat; quam Euangelium credenda; tum quoque Euangelium proprie non continet leges morum, ſed conſcientias lege perterrefactas ſedat; & unice in eo regnat gratiâ, ad quam reliqua omnia, quæ in Euangelio ſunt, conſpirant & ordinantur.

Quomodo ſit concio pœnitentiæ?

IX. Ad quæſtionem quam hic ponunt Lutherani, an Euangelium ſit concio pœnitentiæ; reſponderi poteſt: pœnitentiam, ubi duntaxat dolorem ex peccato notat, legalem propriè eſſe; at ubi dicit veram reſipiſcentiam, ſolius fidei eſſe, atque ita ex Euangelio originem trahere. Act. 15: 9. Gal. 3: 5. *Qui igitur vobis ſuppeditat Spiritum, & operatur potentias in vobis,* an hoc facit *ex operibus legis, an ex auditu fidei?* & quicquid huc confert lex, non niſi per Sp. ſancti ſpecialem gratiam & opem præſtare poteſt.

CAPUT XXVI.

De vocatione Gentium.

Promulgationem Euangelii ſecuta fuit vocatio GENTIUM.

I. Euangelii præcipuum opus fuit, Gentium ad Eccleſiæ ſinum collectio; quas, ſylveſcentibus quotidie Judæorum ramis, Eccleſiæ ſtipiti inſeri & ad mitiorem naturam redigi oportebat. Cujus inſignis adeo, ac maximi, ſi quodquam unquam, Dei in mundo operis, tum prædictiones & vaticinia olim edita; tum implementum; ac fructus denique & effecta conſideranda ſunt.

quæ olim fuit prædicta,

II. Fatis autem monſtratam illam olim Gentium felicitatem, ex univerſa Vet. Teſt. Scripturâ patet. Gen. 3: 15. 9: 27. 12: 3. 17: 4, 5. 49: 10. Deut. 4: 6. 29: 24, 25, 29. 32: 43. Pſal. 2: 8. 8: 2. 22: 29. 40: 10, 11. 45: 10, 13, 17. 68: 19. 72: 3, 9, 10, 11. 82: 8. 86: 9. conf. Apoc. 15: 4. & 87: 4, 5, 6. 96: 7, 8, 9, 10. 110: 2, 3. Jeſ. 2: 3, 5.

Digitized by Google

3,5.11:10,12. 19:18,19.&35.&42:1,4.&49:6,20.52:10,15.55:1,2.56:6. Jer.16:19. Joël.2:23. conf. Act.2:21. Ac in Euangelio Chriſtus quoque paulo ante id docuit: *Alias etiam oves habeo, quæ non ſunt ex hac caula: illas quoque oportet me adducere: nam vocem meam audient: fietque unus grex, & unus Paſtor*, Joh. 10:16. Ac variis parabolis illarum adventum delineavit, Matth. 20. & 21. Luc.14. & 15.

III. Apoſtolus autem, ubi adductionem earum *myſterium, præcedentibus ætatibus nondum pateſactum*, appellat, Eph. 3:5. loquitur de myſterii illius impletione, quæ ultimis demum temporibus reſervabatur; deque omni ejus modo & ratione: quod videl. faciliori longe modo, ac olim Judæi, ſine legis ac rituum onere, ſola fide ſalutem acciperent: *gentes eſſe cohæredes & concorpores, conſorteſque promiſſionis ejus in Chriſto per Euangelium*, vs 6. *Et nullum diſcrimen poſuit inter nos & illos, fide purificans corda ipſorum*, Act. 15:9. Quod Judæi vel maxime indignabantur.

IV. Conſiliis autem Dei tandem ſe explicantibus, non pauci qui jam proſelyti, ac de ingenti meſſe ſpicæ nonnullæ, ut olim in veteris Eccleſiæ anguſtiis; ſed totæ nationes, ad Chriſtum converſæ, baptiſmum fidemque acceperunt. Ut Judæorum Eccleſiam non tam, adfluente convenarum ſobole, ditaſſe ac dilataſſe; quam novam Eccleſiam novumque Chriſti populum condidiſſe videri poſſint; obliterata paulatim Judaici nominis gloria. Quod deinde infidelibus de gente illa manſit: dum nova illa Euangelii maſſa novum quoque nomen ſortita, ac de Chriſto Chriſtiana appellata eſt. Act. 11:26. *Ita ut ab Hieroſolyma ad Illyricum impleverim annunciationem Chriſti*. Rom. 15:19. *Quod* Euangelium *prædicatum eſt in omni creatura, quæ ſub cœlo eſt*. Col. 1:23. *Stupor invicem contigit Iſraëli, donec plenitudo gentium intret*. Rom. 11:25. *An parturitur terra uno die? an naſcitur gens una vice? nam parturivit; ſimul peperit Zion filios ſuos*. Eſai.66:8.

& ſuo tempore impleta.

V. Factum hoc, tum externo Euangelii præconio: *Quomodo autem credent, quem non audiverunt?* Rom. 10:14. Deo non peregrino amplius ſono, ut olim; ſed, uti domeſticos ſeſe factos agnoſcerent, notâ ac familiari linguâ ipſos alloquente: Græcè enim Nov. Teſt. myſteria tradita ſunt; factuſque tum Deus Judæis barbarus eſt: *Nam tunc vertam ad populos labium purum*. Zeph. 3:9. *Cum peregrino ſermone & lingua exotica allocutus ſit populum iſtum Jehova*. Jeſ.28:11. tum interno Spiritus alloquio, ac potenti vi. Quale Dei

Facta autem fuit præconio Euangelii,

Dei verbum eſt, quo *vocat ea quæ non ſunt, tanquam ſint*. Rom. 4: 17. *Ut accipiant promiſſionem hi, qui vocati ſunt ad hæreditatem, quæ eſt in æternum*. Hebr. 9: 15.

ſine jugo Legis; VI. Compellati autem ſunt non alio quam Euangelii & fidei verbo, abſque legis ac rituum Moſaicorum onere, Act. 15. & in epiſt. ad Galat. Cum Deus non foret προσωπολήπτης, Act. 10: 35. qualis in Vet. Teſt. aliquo modo videri potuerat, ubi Judæorum gentem præcipuè deamabat. Qua nudâ ac facili via dum Apoſtoli, ac præſertim Paulus, gentes adducerent, non mediocrem invidiam ſubiere. Fuitque ea in recenti illa Eccleſia prima litium ac diſputationum materia, ut ex actis Apoſtolicis liquet; dum fideles ex Judæis non ſine dolore veterem iſtum cultum, dilectoſque olim Deo ritus, antiquari viderent.

Occaſione infidelitatis Judæorum. VII. Crevit vero gentium Eccleſia præcipue ex Judæorum ruinis; qui dum frigidius ferrentur in oblatam ſibi ſalutem, eamque averſarentur, & Euangelium odiſſe ac pertinaciter perſequi tandem in animum inducerent; ex iſta nocte, veluti vices ſervante Dei gratia, pleniſſima lux gentibus affulſit. *Si vero delictum ipſorum divitiæ ſunt mundi, & damnum divitiæ gentium* &c. Rom. 11: 12. Atque ita *omnes ſub inobedientiam concluſi ſunt, ut omnes miſericordiam acciperent*, vs 32. Ac, veluti Abrahami ac Judæorum vocatio creationis, ita gentium converſio generationis imaginem habuit. Sicuti Apoſtolus inſitionis figura utitur dum illi, à ſylveſtri matre avulſi, Judaico trunco inoleſcere juſſi ſunt. *Advenientes radicabit Jacobus*. Eſai. 27: 6.

Fructus converſionis gentium. VIII. Nec exigui operis iſtius in mundo fructus fuerunt: 1. Dii enim Deæque omnes, quæ hactenus meliori orbis parti illuſerant, faceſſere & in orcum remeare juſſi ſunt. *Et idolorum quantum eſt, abibit. Illo die projiciet homo Deos nihili aureos ſuos -- ad talpas & ad veſpertiliones* Jeſ. 2: 18, 20. *Ad te gentes venient à finibus terræ; & dicent, meram falſitatem hæreditaverant patres noſtri, vanitatem, & in quibus non erat utile*. Jer. 16: 19. 2. Oracula, ſi quæ fuerint, conticuerunt, vocaleſque olim ſylvæ & quercus reſponſa edere ceſſarunt, ipſeque Apollo Delphicus infans redditus eſt. 3. Deus vero, mundi conditor ac redemptor, publicè in mundo agnitus eſt. 4. Lexque ejus ac cœleſtis doctrina, ut vera ac divina, celebrata eſt. 5. Innumeri denique mortales, atque integræ nationes, feræ hactenus & barbaræ, Euangelio colla ſubdiderunt, ac manſuetum Chriſti ſermonem acceperunt, & pulſa barbarie ad pietatem ac modeſtiam

Digitized by Google

deſtiam formatæ ſunt. Quod in ænigmate cecinit Jeſaias cap. 11. Et, quod maximum eſt, Judæos, veterem Dei populum, non æquaverunt illi ſolum, ſed rerum divinarum cognitione, morum pietate, cunctiſque bonis artibus, immenſum ſuperarunt. Ut ipſi hodie Judæi legis ſuæ myſteria, ac linguæ intellectum, omnemque patriam eruditionem, ab iis, quos gentiles ipſi appellant, petere pene neceſſe habeant.

IX. Quæ omnia certe Euangelii divinitatem ac veritatem teſtantur. Illa enim doctrina, quæ talia ac tam magna in mundo præſtitit, ac cui tam multum humanum genus debet, & vera, & ſancta, & divina eſſe debet. Niſi Deum rebus humanis illudere, gentesque à paganiſmo non ad fidei Solem, ſed ad aliam noctem & impietatem eſſe prolapſas impie dicas. Quomodo nec verum quicquam in mundo unquam fuerit, nec futurum porro unquam ſit: ſed quicquid hoc ævi eſt, in tenebris omne degendum reſtabit. *Oſtenſa inde ſimul Euangelii veritas:*

X. Sed & modus, quo mundus per Euangelii ſermonem converſus, ac tantum non triumphatus eſt, admiratione plenus eſt, ac divinitati ejus non mediocrem fidem adſtruit: ſive 1. doctrinæ genium, 2. ſive doctores, 3. ſive denique docendi modum ſpectes.

XI. Ille enim *doctrinæ* iſtius genius erat, ut ab hominum ſenſu maxime remotus eſſet, ac abſterrendis iis, quam alliciendis ſerviret. Nam qui in iſtam diſciplinam veniebant 1. nihil prius imbuebantur, quam patrias religiones exuere, & profana omnia dicere quæ hactenus ſacra habuerant. 2. Credere autem ac animo accipere, quæ incredibilia ac imperceptibilia erant: *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, Græcis autem ſtultitiam.* 1. Cor. 1: 23. *Quæſtiones autem quaſdam habebant — de Jeſu quodam, qui mortuus eſt, quem Paulus dicebat vivere.* Act. 25: 19. *Quid? incredibile vobis videtur, quod Deus mortuos excitat?* c. 26: 8. 3. Ac pietatem ſequi duram ac difficilem, nec ad deſidis ac marcentis mundi genium compoſitam; illumque vitæ morem induere, qui conceſſis etiam voluptatibus modum poneret: cujus formula extat Matth. 5, 6, 7. cap. & c. 16: 24. *Si quis vult pone me venire, abdicet ſemetipſum, & attollat crucem ſuam, ac ſequatur me.* 4. ac ob diſciplinam iſtam dura omnia ac acerba perpeti, & omnia vitæ commoda, ac vitam denique ipſam vilia habere: *Et omnes vero volentes piè vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur,* 2 Tim. 3: 12. Non aliud ob pretium, quam quod immortalitatem ſperarent, atque ignavum ducerent rediture parcere vitæ. Quæ mira doctrinæ ratio *tum ratione doctrinæ ejus;*

Digitized by Google

erat, dum ſeſe revicturos crederent, interim mori non dubitare.

tum ratione Doctorum;

XII. Nec *doctores* ii erant, quibus mundus facile accederet. Jeſus, fabri filius, ex paterna officinâ ipſe prodiens, tandemque à gente ſua necatus, quod non leve novæ iſti doctrinæ ſcandalum fuit. *Nos audivimus ex lege, quod Chriſtus maneat in ſæculum*; & *quomodo tu dicis, oportere efferri filium hominis?* Joh. 12. 34. *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, Græcis autem ſtultitiam.* 1 Cor. 1: 23. Diſcipuli autem, ſeu Apoſtoli ejus, viri erant obſcuri, idiotæ, nulla arte, ingenio, aut eruditione celebres, iique numero pauci, duodecim enim erant; quos mundum partitis operis, veluti Domini ſui regnum, inter ſeſe diviſiſſe, & tam vaſta ac incredibilia cogitaviſſe, ſupra fidem fuit. Non alia autem ad tam ſtupendum opus præſidia habebant quam doctrinæ veritatem, vitæ ſanctitatem, ac miraculorum gloriam: quibus de mundo tandem triumpharunt, quanquam non ſine ſanguine; nam & ipſi operi iſti immortui ſuo cruore ſalutem mundi dedicarunt.

tum denique ratione docendi modi.

XIII. Denique *docendi modus* non erat ad florentis ſæculi genium, cui ipſa veritas niſi compta ac ornata non placebat; ſed ſimplex ac inaffectatus, procul omni cultu ac humano lenocinio, ut virilem ac robuſtam ſapientiam, vereque Dei filiam, agnoſceres; non armis denique aut ulla ſæculi potentia adjutus & inſtructus. Ut omnia Deo ac cœleſti veritati deberet, quæ, ictu fulmineo potentius, celſa mundi, & quicquid Euangelio inimicum erat, pene momento proſtravit. *Et prædicatio mea non fuit in perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in demonſtratione Spiritus & potentiæ.* 1 Cor. 2: 4. Quæ & univerſa & ſingula divinam hanc doctrinam, Deumque ejus auctorem commendabant.

CAPUT XXVII.

De Judiciis Dei in Judæos.

JUDÆORUM *triplex ſtatus.*

I. ADductionem gentium ſequutum eſt Judaicæ gentis repudium: quæ hactenus Dei in terris ſponſa, nunc ab eo diſſidens, ac pudorem ſuum alienis diis ſubſternens, in profanum ſcortum degeneraverat. Qua imagine Hoſeas ſtatum ejus depingit, cap. 1. ubi triplici veluti periodo cuncta ejus populi fata complectitur: 1. quando fuit *Ammi*, ac Dei populus. 2. quando, repudium paſſus, factus eſt *Lo-ammi*. 3. deni-

Digitized by Google

denique quando olim ad Dei fœdera rurſus redibit, & ad priorem virum revertetur, ac *Ruchamah* erit.

Prima illis Euangelii annunciatio facta:

II. Statum populi ejus quando in Dei fœdere agebat, ſuperiori libro, ſub ſecundo temporum intervallo, latius vidimus. Unde & Meſſias non ad alios prius venire quam ad ipſos, nec aliis prius Euangelium annunciari debebat. Hæc enim fœderis iſtius prærogativa erat. *Abite autem potius ad oves perditas domus Iſraëlis.* Matth. 10: 6. *Neceſſe erat vobis primum prædicari verbum Dei*, Act. 13: 46.

cum multorum ex iis ad Chriſtum converſione.

III. Unde ipſi novæ Eccleſiæ primitiæ fuerunt. Ac prædicante quidem Chriſto, jam non pauci ex ipſis crediderant. *Si eum*, Jeſum, *ſic omittamus, credent omnes in eum*, Joh. 11: 48. coll. 7: 49. Erantque hæc ejus de gente illa ſpolia & manubiæ; quæ ipſi debebantur. Poſt mortem autem ac aſcenſionem ejus haud paulo majori ſtudio ad diſciplinam ejus aggregabantur: *Additæ ſunt Eccleſiæ die illo animæ quaſi ter mille.* Act. 2: 41. & 5: 14. *Vides, frater, quod myriades ſint Judæorum credentium.* Act. 21: 20. Quin & integræ ferè provinciæ ad Euangelii vexillum ſe erexerant: quibus ingens præterea numerus ex Judæis exteris, inter gentes de gentibus, accedebat; ad quos pleræque Apoſtolorum epiſtolæ extant. Quæ non exigua Euangelii in gente iſta primordia erant.

IV. Nec hi de vulgo ſolum Judæi erant: ſed & Sacerdotes multi ac primores Chriſto nomen dederunt. *Et de principibus multi credebant in ipſum*, Joh. 12: 42. *Et magna turba Sacerdotum obediebat fidei.* Act. 6: 7. Inter quos eminent, Simeon, de quo Luc. 2. 25. Nicodemus & Joſephus Arimathæenſis, quorum & faſti Judaici ſub variis involucris meminere. Quibus quidam, quanquam parum certo, accenſent Gamalielem ſenem, Pauli præceptorem, cujus moderatum circa Chriſtianæ rei exordia conſilium legitur Act. 5. Ac præter hos etiam mulieres non ignobiles in Chriſti comitatu leguntur, Luc. 8: 3. magna fidei incrementa.

Ita tamen, ut gens ipſa infidelis & contumax manſerit.

V. Ac hæ quidem gentis iſtius primitiæ erant, ac flos delibatus, quem in Eccleſiæ aream cogi, iſtoque auſpicio mundi meſſem conſecrari intererat. Cæterum gens ipſa univerſa, ſi publicum ac communem ejus ſtatum ſpectes, Euangelio rebellis permanſit: unde & repudium à Deo paſſa, ac tandem funditus deleta eſt. Qui infidelitatis, repudiationis ac denique exciſionis ejus gradus ſpeciatim conſiderandi ſunt.

VI. Eſt autem hoc admirandum valde, ac fidei præſertim grave, cum Chriſtus Eccleſiæ Judaicæ tot ſæculis promiſſus foret;

Digitized by Google

illiuſque proprium peculium ac decus exiſteret; quin & religionis ac fidei maximum hactenus apud illos caput faceret; tamen à gente illa ſua non agnitum, ſed rejectum, tandemque necatum fuiſſe: contraque gentes, hactenus ab Eccleſia ſegreges, eum accepiſſe, ac debitum Judæis Servatorem veluti intercepiſſe. Sed S. Scriptura dudum ſcandalo iſti obviam ivit, rem ita olim futuram clariſſimis vatum oraculis longe ante ſignificans. Deut. 31. & 32. Pſal. 2: 1, 2. & 81. & 95. & 118. 22. Eſai. 6. & 43. & 53. 8. Hab. 1. 5. 2. 4. Zach. 12. 10. Malach. 2. 11. conf. Joh. 19. 37. Act. 2. 23, 36, 37.

Illius infidelitatis cauſa.

VII. Sed operæ pretium eſt cauſas tam prodigioſæ perfidiæ inveſtigare; quæ, aliis latius narratæ, præcipuæ hæ erant: 1. quod terram illam, & urbem, & politiam, miro affectu deperibant. Unde pignore iſto excuti æquo animo ferre non poterant. Cujus rei indicium eſt: Joh. 11: 48, 50. *Si enim Jeſum omittamus ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent noſtrum & locum & gentem — conducit nobis ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Quare cum & Johannes Baptiſta, & Chriſtus ſupremum urbis illius diem, fatumque gentis propinquare prædicarent, ac vana iſta contemnere, jamque ad exitum ſeſe comparare, juberent, ingenti offenſioni erant; cum Judæi urbem illam, utpote religionum caput, æternam fore inani ſuperſtitione ſibi perſuaderent.

VIII. 2. Cui conjunctus erat idem erga templum, omneque ejus miniſterium affectus: cui plus æquo adhæreſcentes ipſum templi Dominum agnoſcere non potuerunt, ſed in externo illo cultu ac γυμνασίᾳ ſtupentes juſtitiam ac ſalutem ſuam ab eâ pendere exiſtimabant. à quo errore profectum eſt, quod legem fidei agnoſcere, ſeque ei ſubjicere non poſſent. Loci enim ac cultus illius reverentia obſtabat, qua perculſi ac attoniti ad molem iſtam perpetuo ſuſpirabant; nec adduci ullo modo poterant, ut Chriſtum, qui imagines ac umbras iſtas evacuatum ibat, nudum ac ſine choragio illo reciperent. Unde in actis ſæpe Apoſtolos hoc crimine petitos legimus, quod contra urbem, & templum, ac inſtituta Moſis concionarentur.

IX. 3. Nimia autem hæc externorum veneratio, quæ, uti olim Eccleſiæ fidem aluerant, ita tum objecto obice morabantur, profecta erat ex perverſa *Scribarum Catecheſi*; quæ, cum verbum Dei paulatim negligeretur, contra ac ultimus prophetarum monuerat, *memores eſtote legis Moſis, ſervi mei*, Mal. 4. 4. præcipua religionis capita corruperat: cum nihil ſani de Fœdere Dei, de Juſtitia peccatoris

Digitized by Google

catoris, de fide Patrum, de regno Dei, de Meſſia Deique filio, deque beneficiis illius ſentirent.

X. 4. Contraque *Traditionum* ſtudium invaluerat: circa quas cum iſta ætate mirum in modum inſanirent, magiſque quid Magiſtri edixiſſent, quam quid Deus juſſerat, in promtu haberent, iſta labes Eccleſiam prorſus devaſtaverat.

XI. 5. Denique non minima culpa erat in ipſo religionis apice, de *Meſſia*, corrupto: circa cujus perſonam ac regnum cum errarent, non mirum eſt, quod adventantem, nec iſta quæ illi quærebant ſigna præferentem, recipere dedignarentur. Avulſum enim illud primarium religionis caput ab ipſa religione tum temporis erat. Cum enim illa ſpiritualis ſit, ac ſalutem animæ ſpectet, hi Meſſiam expectabant, Regem, externa gloria præfulgentem, qui Judœorum rempubl. priſtino nitori reſtitueret. Quod veræ doctrinæ ſtuprum, ut & cætera, Doctorum inertiæ ac impietati, de qua acerbas apud vatum poſtremum querelas legimus, adſcribendum erat.

XII. Atque hæc populi infidelitas, & Meſſiæ rejectio, *abdicationis* ipſorum propria ac unica cauſa erat. Cum enim alia populi illius peccata minoribus olim pœnis caſtigata forent; atque antea idololatriam ejus Deus Babylonis exilio, ac brevi veluti divortio, vindicaſſet; hæc Meſſiæ rejectio ac cædes, quæ totalis à Dei fœdere apoſtaſia, & ſumma denique perfidia erat, non niſi univerſæ gentis repudio expiari poterat. Recte enim, qui à Fœdere Dei primi abierant, fidemque jam non læſerant ſolum, ſed prorſus exuerant, iidem à Deo abdicari, ac inſtar profanæ, nec Deo amplius fœderatæ gentis, haberi poterant. Quod futurum Prophetæ olim prædixerant. *Omiſiſti populum tuum, domum Jacobi!* Eſai. 2: 6. *Et fiet ipſis verbum Domini, præceptum ad præceptum — ut eant, & lapſent retro, & confringantur, & illaqueentur.* Eſai. 28: 13. *Quomodo dabo te, Iſrael, ut Adamah, ponam te ut Zeboim!* Hoſ. 11: 8. *Et urbem, & ſanctum corrumpet populus principis advena.* Dan. 9: 26. Hoſ. 1. Ezech. 16. *Hinc ſecuta populi illius abdicatio.*

XIII. Hoc gentis repudium denique non magno intervallo conſecutum eſt ejus *excidium*, itidem à Prophetis prædictum. Num. 24: 24. Lev. 26. Deut. 29: 19, 20, 21. & 31. & 32. conf. Rom. 11: 32. 1 Theſſ. 2: 16. Deut. 18: 19 conf. Act. 3: 23. Eſai. 8: 14, 15. Joel. 2. 30, 31, 32. conf. Act. 2: 19, 20, 21. Zach. 5: 1--4. & 11. Mal. 2: 3, 12. & 4: 6. Matth. 24: 6. conf. Dan. 9: 24—27. *ejuſque excidium.*

XIV. Cujus ultimi tamen ſupplicii moras quaſdam Deus indulſit, col- *Cujus va-*

rii fuerunt gradus: colligendis prius ex gente illa fidelium reliquiis. Unde per partes illud executus eſt, ac veluti gradibus quibuſdam rempublicam, templum, ac gentem denique totam afflixit & tandem evertit. Quem judiciorum Dei ordinem obſervare licet, quomodo cœperit, ac per partes progreſſus fuerit, donec tandem conſumta omni miſericordia, cum nihil ſancti, nihilque bonæ frugis in Eccleſiæ area ſupereſſet, arentes ac ſteriles prædii ſui ſtipulas ſanctiſſimo ac juſtiſſimo incendio depopulatus eſt.

in republica, XV. Primus judicii gradus erat, quod *reipublicæ* auctoritas, per Romana arma jam antea non parum imminuta, tum prorſus languere cœperit, ſublata judiciorum capitalium poteſtate: *Dixerunt igitur ipſi*, Judæi, *nobis non licet occidere quenquam*, Joh. 18. 31. Quod anno ante excidium 40. contigit, non neceſſitate aliqua, ſed religione quadam ipſorum. Ac cum judiciis ſimul intercalandi facultas diminuta, ac à præſidum nutu ſuſpenſa fuit.

urbe, XVI. Hunc reipublicæ caſum, accelerantibus gentis fatis, exceperunt deinde crebræ ſeditiones, & latrocinia; ac bellum denique cum Romanis, ſæpius per arma ipſorum civilia dilatum, iterumque repetitum, ac Tito victore tandem abſolutum. Quando *urbis* ipſius fatum maturavit. Qua, poſt ultimæ miſeriæ exempla, tandem expugnatâ ac deletâ, *gens* univerſa in metropolis ſuæ funere concidit.

templo, XVII. Ac cum urbe ſimul everſum eſt *templum*, eodem, quo primum templum abſumtum erat, die; ubi varia numerorum myſteria ac reſponſus oſtendi poſſent. Ac cum templa ſacra quoque gentis illius interiere, cum extra locum illum celebrare illa nefas foret. Atque tum nova fidelium Eccleſia prorſus conſtituta; ac, remoto templo, quod utriſque adibatur, à reliquo infidelium Judæorum grege ſeparata eſt, juxta illud Eſai. 52: 11. *Recedite, recedite, exite inde, impurum ne tangite.*

Pontificibus, XVIII. Cum templo defecerunt 4. *Pontifices*; quorum ultimus fuit Phannias, ſeu Phannaſus, homo rudis & divinarum cærimoniarum imperitiſſimus. Atque ita poſtquam verus Sacerdos adveniſſet, tandem quoque externum illud ſacerdotium periit.

Doctoribus, XIX. 5. Utque omne decus ſuum gens illa amitteret, etiam *Doctores* hac ætate defierunt; quorum ultimus fuit Hillel princeps, Judæ ſancti nepos. Cum extra terram ſanctam iſtum honorem capeſſere non liceret. Qui ſecuti enim ſunt Doctores Babylonici, longe minoris dignitatis erant.

XX. 6. Con-

Digitized by Google

XX 6. Confuſæ porro ſunt *tribus* & *familiæ*, deperditis ac exuſtis cum templo genealogiarum faſtis ac tabulis. Sapienti autem conſilio Deus id accidere permiſit, 1. ut populi, generis ſui nobilitate ac ſanctitate præferocis, animos paulatim accideret, odiumque in externos, ut ſibi longe impares, ponere adſueſceret; ſenſimque diſcrimen illud Judæi & Græci de mundo tolleret: *Omnes enim filii Dei eſtis per fidem, in Chriſto Jeſu*, Gal. 3: 26. 2. utque pro carnali cognatione ſpirituale illud genus, quod à Chriſto ſolo arceſſitur, æſtimare, iſtique ſtirpi nos inſerere doceret, quæ ſola in cœlis cenſetur, quæque unica Chriſtianorum nobilitas eſt. *Qui autem fecerit voluntatem Patris mei, qui eſt in cœlis, ille eſt frater meus, & ſoror, & mater.* Matth. 12. 50. *Flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ex quo tota familia in cœlis & in terrâ nominatur.* Eph. 3: 14, 15. Unde inutilis nunc & vetita infinita illa genealogiarum ſcrutatio. *Neque attendere —— ad genealogias ſine carentes, quæ quæſtiones exhibent magis, quam ædificationem Dei in fide* 1 Tim. 1: 4. coll. Tit. 3: 9. *Tribubus.*

XXI. 7. Conſecuta hæc fuit tandem univerſæ gentis *captivitas* & ſervitus; dum cœlo ſoloque ſuo extorres, ac toto orbe vagi, miſerrima fata ſua ubivis agitanda habent; omnium nationum ludibrium ac ſervi, cum nullibi gentem aut rempubl. componant, nec ullum terrarum angulum poſſideant. Cum qua hodierna eorum captivitate nulla præterita comparari poteſt. *Nam diebus multis ſedebunt filii Iſrael, ſine rege, & ſine principe; & ſine ſacrificio, & ſine cippo: & ſine Ephod, & ſine imaginibus. Poſtea convertentur filii Iſrael, & quærent Jehovam Deum ſuum.* Hoſ. 3: 4, 5. *univerſæ denique gentis exilio ac ſervitute,*

XXII. Eſtque miſeriarum illarum colophon, quod non corpore magis quam animo ſervi, atque in perfidia ſua obſtinati redditi ſunt; contra omnem Euangelii lucem animum oculoſque pertinaciſſime obfirmantes, & clauſi undique ac impervii. *Sed obdurata ſunt mentes ipſorum.* 2 Cor. 3: 14. *Nolo enim vos ignorare — quod ſtupor invicem contigit Iſraeli, donec plenitudo gentium intret.* Rom. 11: 25. *animique cæcitate & obſtinatione.*

XXIII. Unde rari admodum ex illis, licet in longa adeo miſeria, ad Eccleſiæ gremium convertuntur. Cujus rei cauſa eſt, partim *juſtum Dei judicium*, populi iſtius perfidiam ulciſcentis: partim *inſita genti pertinacia*, atque hoſtile in alias gentes odium, quas divinæ legis cognitione; quam pro corona ac decore Iſraëlis ſolius habent, præ ſeſe præſtare non ferunt: unde, ne Chriſtianis concedere videantur, vaniſſimis exceptionibus, ac præſtantiſſimorum *unde rara illorum converſio.*

lo-

Digitized by Google

locorum detorſionibus, ſeſe adverſus fidem eorum muniunt; ac nubes & inania captare adſueti inſulſiſſimas tandem nugas & fabulas pro liquidiſſimis veritatibus habent: denique & *oblata à Chriſtianis ſcandala*, ſectæ, hæreſes, mores denique, non ſatis ad legis illius, quam profitentur, ſanctitatem caſtigati.

hodierni Judaiſmi facies. XXIV. Ut hinc tandem appareat quid de hodierno Judaiſmo cenſendum ſit; quod videl. non fides, ſed perfidia, & à Patrum doctrina apoſtaſia, atque erga regnum Chriſti mera rebellio ſit. Unde fœcunda errorum omnium ac hæreſium, quæ vel hodie fidem Chriſtianam exercent, vel mater, vel nutrix eſt. Quæ peſtilentiſſimæ hæreſes, in varios ramos exeuntes, univerſam religionem depopulantur ac penitus devaſtant. Omnes autem à Judaicâ perfidiâ vel ortum habent, vel incrementum, vel denique in eam deſinunt; juxta illud Prophetæ: *Ex te exivit cogitans contra Jehovam malum, conſiliarius nequitiæ.* Nah. 1: 11.

XXV. Ut vero Theologiæ ac religionis ſcopo Judæi exciderint. Cum enim ille unice in Dei gloria, ac animarum ſalute poſitus ſit; illi non niſi humano cultu Deum devenerantur, &, pro ſuperſtitionis ingenio, levibus quibuſdam præceptis, ac hominum inſtitutis, eum colunt; iſtiſque figmentis, magico propemodum ritu, eum ſibi devinctum ac obnoxium arbitrantur. Veram autem animarum ſalutem adeo non aſſequi poſſunt, ut eam ne quidem ſperent aut expectent: ſed, ut cultum ſuum potiſſimum externis operibus abſolvunt, ac Meſſiam ſolum terrenum quendam Regem futurum putant; quod tamen fidei ac ſpei ipſorum primarium caput eſt; ita etiam vix aliam quam terrenam ac carnalem felicitatem ſomniant; nec magnopere de animæ poſt mortem ſtatu ſolliciti, moleſtas illas diſputationes Rabbinis ſuis potius relinquunt. Ut non ſatis recte Sociniani, ac alii, Judæos verum Deum colere; ac fidem habere, quæ bonorum operum mater exiſtat; quin & externo legis ſuæ cultu Deo placere poſſe contendant. *Et me noſtis, & noſtis unde ſim; & à me non veni, ſed eſt verus, qui miſit me, quem vos neſcitis.* Joh. 7: 28. *Eſt Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis Deum veſtrum eſſe, & non cognoviſtis eum.* Joh. 8: 54, 55. *Novi opera tua — & blaſphemias eorum, qui dicunt Judæos eſſe ſe, & non ſunt, ſed congregatio Satanæ.* Apoc. 2: 9.

L I-

LIBER VI.

DE BENEFICIIS CHRISTI.

LOCUS TRIGESIMUS SEPTIMUS DE Primis beneficiis Chriſti.

CAPUT. I.

De Gratia Chriſti.

I. POſtquam Chriſti perſonam & officia, ſtatuſque varios decurrimus, ſalutemque ab eo impetratam vidimus; ſequitur jam ejus applicatio, quæ impetrationis effectus & fructus, pariſque cum eâ latitudinis eſt; ac tum vi meritorum Chriſti, tum S. Spiritus in fidelibus habitantis efficaciâ peragitur. *Chriſti officia excipiunt*

II. Ac prout ſalus noſtra vel in hac vitâ inchoatur, vel in futura vitâ abſolvitur; ita beneficia Chriſti vel hujus, vel futuræ vitæ ſunt; adeoque vel ad vitæ ſpiritualis initium, vel progreſſum, vel conſummationem denique faciunt: atque hoc ordine ſibi invicem ſuccedunt. 1. Principium eſt efficax Chriſti *gratia*. 2. Cujus effectum eſt *vocatio potens*. 3. Sequitur *regeneratio*. 4. *Fides*. 5. *Juſtificatio*. 6. *Adoptio*. 7. *Libertas Chriſtiana*. 8. *Sanctificatio* & *bona opera*. 9. *Reſipiſcentia*. 10. *Perſeverantia*. 11. *Glorificatio*. Quæ licet univerſæ œconomiæ gratiæ communia ſint, cum tamen ſub N. T. emineant, variiſque controverſiis ſub eo involuta ſint, hoc loco à nobis præcipuè tractari merentur. *ipſius beneficia.*

III. Primo occurrit gratia Chriſti, ſeu Dei in Chriſto. In Chriſto enim ſolo ea locum habet; quæ enim homini adhuc integro exhibebatur, impropriè gratia appellatur, prout illa vox in Scripturis accipitur. Sub V. T. autem gratia illa non ſine omni iræ mixtura erat: quando obtinebat *particula fervoris*, Eſai. 54: 8. & *Lex* *Inter quæ primo occurrit illius* GRATIA.

iram operabatur, Rom. 4:15. ſub œconomia vero N.T. mera eſt gratia. *Lex per Moſen data eſt; gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*. Joh. 1:17. ut nunc obtineant *τὰ ὅσια Δαβὶδ τὰ πιςὰ beneficentiæ illa Davidis firma*. Act. 13:34. conf. Eſai. 53:3.

Illius deſcriptio: IV. Per gratiam autem hic intelligimus amorem, ſeu favorem gratuitum Dei erga nos, propter Chriſtum, cum potenti ſua operatione & efficacia. Conjungenda enim illa ſunt. Et conſideranda eſt illa gratia, tum ut in Deo, tum ut in nobis eſt. *In Deo* gratuitum ejus amorem & benevolentiam dicit: quæ vel *communior* eſt; nec enim vel ipſos reprobos prorſus dedignatur Deus; vel *ſpecialis*, ex Teſtam. vid. Dei, & ad ſolos electos ſe extendens; quæ propriè *gratia gratum faciens* appellari poteſt. *Ad laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua nos cumulavit in dilecto illo*. Eph. 1:6. *Gratia illa ſalvati eſtis per fidem*. c. 2:8. *Juſtificamur gratis, ipſius gratia per redemtionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu*, Rom. 3:24. *In nobis* dicit amoris Dei effecta ac dona; quæ itidem vel communia ſunt, prout ipſi quoque reprobi aliquod ex Chriſto impendium habent & in tam magna luce aliqui quoque radii ad ipſos pertingunt; ac appellatur ea *gratia gratis data*; vel electorum propria, quam vulgo, licet minus rectè, Scholaſtici gratiam gratum facientem appellant.

V. Cum autem gratiæ donum in electis vel *habituale* ſit, vel *actuale*: quorum illud eſt habitus infuſus, ut fides, ſpes, charitas; hoc, ipſa Dei operatio ſupranaturalis: illud inſtar auxilii ſine quo non, abſque quo nihil bene velle poteſt voluntas, quod in homine primo quoque locum habebat; hoc inſtar auxilii cum quo, per quod ipſa jam voluntas actu determinatur & vult; illud ad modum qualitatis, hoc ad modum actus animam actu afficientis & cientis ſe habet: de poſteriori hic ſermo eſt.

VI. Aberrant autem Pontificii, qui gratiam omnem Dei commutant in donum, ſeu gratiam habitualem, ac qualitatem infuſam, qua præditos fideles Deo gratos ac juſtos eſſe prædicant: qua tamen uti vel non uti in hominis poteſtate ſit; imo qua ſuâ culpâ excidere ac carere tandem poſſit. Cum, uti vidimus, gratia Dei ipſius miſericordiam æternumque in Chriſto amorem quoque involvat.

Interior natura & operatio. VII. Naturam ac operationem hujus gratiæ quod attinet, non conſiſtit illa in externa revelatione, cum auxilio ſine quo non conjuncta; nec in morali ſolum ſuaſione, cujus efficacia tantum metaphorica ac occaſionalis eſt; nullaſque proprie vires homini largitur; ac Deum denique in hominibus convertendis non multo po-

tentio-

tentiorem facit, quam diabolus eſt in iiſdem corrumpendis: ſed ipſum divinæ potentiæ robur, divinæque manus efficaciam dicit, nulla humana vi ſuperabilem, ſed ipſum cordis noſtri lapidem frangere ac edomare, & ad inſtar udi ac mollis luti fingere ac flectere aptam. *Et quæ excellens magnitudo potentiæ ejus in nos, qui credimus, ſecundum efficacitatem præpollentiæ virium ejus.* Eph. 1: 19. *Et faciam, ut in ſtatutis meis ambuletis.* Ezech. 36: 26. *Deus enim is eſt, qui efficit in vobis & ipſum velle, & ipſum agere, pro gratuita ſui benevolentia.* Phil. 2: 13. *Aduna cor meum ad reverendum nomen tuum.* Pſal. 86: 11.

qua in rerum cœleſtium delectatione conſiſtit,

VIII. Duo autem præſertim agit illa gratia: 1. impedimenta converſionis amolitur & tollit; tum communia, ut fortia illa ignorantiæ ac concupiſcentiæ vincula; tum peculiaria, pro cujuſque perverſa indole ac genio. 2. pulſis illis tenebris, atque univerſo cupiditatum agmine faceſſere juſſo, animæ deinde ſtatum ſerenat ac tranquillat; novaque eam luce perfundit, ac præſertim rerum cœleſtium & juſtitiæ amorem ac delectationem infundit. Qui blandus ac potens affectus ipſum gratiæ regnum eſt; illa enim ineffabili hac ſuavitate cœleſti & ſpirituali delectatione univerſa abſolvitur. Atque hæc eſt illa *tractio*, Joh. 6: 44. illa Dei *unctio*, 1 Joh. 2: 27. illa videl. divinæ dulcedinis gutta, quæ ubi primum in cor deſtillavit, jam illud ſeſe amplius capere non poteſt, ſed blanda iſta vi poſſidetur prorſus & aufertur.

& ad inſtar creationis eſt.

IX. Non enim gratia eſt virtus aliqua, vel motus extra voluntatem conſiſtens, ac ab ea diverſus, eamque ab extrinſeco movens & afficiens; neque etiam rectè inſtar qualitatis extrinſecus accedentis ipſique inhærentis concipitur, ſed potius ad inſtar creationis explicanda eſt. Atque uti in rebus naturalibus creatio, conſervatio, concurſus, non vim vel virtutem aliquam extra res ipſas dicunt, quæ ipſis de novo inſinuetur; ſed ipſas tantum res, quas Deus, ſi materiales ſint, cum motu ſemel indito, ſi cogitantes, cum cogitationibus ac volitionibus earum variis, ſingulis momentis quaſi reproducit, atque ita eas conſervat, & ad actiones ipſarum concurrit: ita in operibus gratiæ, animam noſtram reproducit cum talibus cogitationibus ac volitionibus, ad quas ipſa naturaliter eſt inidonea; quæ operatio cum extraordinaria ac ſupranaturalis ſit, inde gratiæ nomen ſortitur.

Illius cum libero arbitrio concordia.

X. Unde pulchre gratiæ & liberi arbitrii concordia explicari poteſt: cum non magis gratiæ operatio, quam Dei conſervatio, aut con-

Digitized by Google

concurſus, vel qualiſcunque ejus in nobis operatio, cum libertate arbitrii pugnet: nec magis animæ interſit aut libertatem ejus lædat, reproduci cum cogitationibus ſpiritualibus ac cœleſtibus, quam reproduci cum cogitationibus naturalibus; quorum alterum ordinariæ, alterum extraordinariæ conſervationis & concurſus, adeoque gratiæ eſt.

ut tamen illa non ſit ſubjecta libero arbitrio, ſed illud ſibi ſubjiciat:

XI. Præpoſtere autem, ac contra operationum Dei ordinem ac dignitatem rem capiunt, qui non liberum arbitrium à gratia duci ac dirigi, ſed gratiam à voluntate pro arbitrio regi, & motus ejus vel admitti, vel excludi, atque eam vel efficacem reddi, vel ſecus, autumant. Quod eſt homini ac voluntati creatæ primas dare, Deumque ac operationes ejus ipſi obnoxias facere: qui error, ſive in naturali Dei concurſu, ſive in ſupernaturali gratiâ locum habeat, univerſi Pelagianiſmi & fundamentum, & compendium eſt.

quod primo momento paſſive ſe habet.

XII. Habet autem ſeſe voluntas humana in primo ſupervenientis gratiæ momento mere paſſive, ſeque ei fingendam & formandam unicè præbet: in ſecundo autem momento, jam altius animata, deque cœlo impulſa, & ipſa porro agere incipit; dumque divinis motibus obſequitur, ulterius ſeſe promovet, & ad cœleſte brabêon aſpirat. *Cum timore ac tremore veſtram ipſorum ſalutem conficite: Deus enim is eſt, qui efficit in vobis & ipſum velle, & ipſum agere, pro gratuitâ ſuâ benevolentia.* Phil. 2: 12, 13. Quæ tamen momenta non de temporis partibus proprie (mens enim noſtra, cum purus actus ſit, ſemper ipſa agit, nec unquam deſes eſt) ſed de naturæ ordine accipienda ſunt.

Errores gratiæ oppoſiti. Judæorum.

XIII. Atque hac brevi divinæ gratiæ ἐκθέσει præmiſsâ, jam ejus corruptelæ examinandæ ſunt. Quo in genere primas ducunt *Judæi*, inſignes divinæ veritatis mangones. Inter quos *Sadducæi*, nullum Dei auxilio locum dantes, omnia προαιρέσει relinquebant. *Phariſæi* Deum in partem venire, hominemque in bono adjutare ferebant, verum ita, ut majorem operis laudem homini, & præcipuè fatali aſtrorum neceſſitati, adſcriberent. *Phariſæus ſtans in ſe ipſo, hæc precabatur: Deus, gratias tibi ago, quod non ſim, ut reliqui hominum, rapaces, injuſti, adulteri, aut etiam ut hic publicanus* Luc. 18: 11. conf. Joſeph. de bello Jud. lib. 2. cap. 7. Ad quos propemodum accedunt *Judæi hodierni*, qui internam cordis innovationem, ſecretumque illud Spiritus opus non agnoſcentes, ad externa ſolum opera gratiam divinam adhibent; quæ auxilio ejus non quidem inchoari, hoc enim ipſius hominis eſſe ſtatuunt, ſed perfici & abſolvi,

ſolvi, quin & oblatis occaſionibus hominem ad ea incitari & animari volunt. Quæ exilia nimis ſunt, nec Deo decora, ut vidimus.

Manichæorum & Pelagianorum.

XIV. Apud *Chriſtianos* autem fermentum iſtud Judaicum novæ Eccleſiæ maſſam protinus corrupit. Non ſolum enim Philoſophorum diſcipuli, dum fumidâ & incertâ face religionis abdita explorant, ex Scholarum ſuarum ſpatiis liberrimas opiniones in Eccleſiam induxerunt, ac turpi adulterio caſtitatem ejus violarunt: ſed & contrario errore in adverſum connifus eſt *Manes*: quo in certamine dum in alteram partem inclinat Eccleſia, vehementiuſque τὸ αὐτεξούσιον prædicarent Patres, non parum ſinceritas ejus libata eſt. *Pelagius* enim, inſignis corruptæ naturæ adulator & præco, atque inficandum Eccleſiæ nomen; dum Manichæiſmi odium præfert, in Sadducaiſmum incidit, latamque ſtragem dedit. Hæſeruntque ſemper vulneris iſtius veſtigia in Eccleſiæ corpore; ac identidem tractatum, & proterva manu irritatum, ſæpius recruduit. Pelagianos enim ſecuti *Semipelagiani*, diſcipuli non admodum degeneres: & deinde inter Pontificios *Scholaſtici*; hodieque *Jeſuitæ*; ac tandem *Remonſtrantes*; qui, Pelagianæ hæreſeos infamia territi, aliter venenum iſtud miſcuerunt.

XV. Pelagius cum inter alios errores abnegatæ gratiæ crimine maximè infamis eſſet, quod ſibi peculium, ſuamque præ reliquo mundo prærogativam, eripi Eccleſia ægre ferebat; non uno ſchemate errorem illum velavit. 1. enim naturæ integritate, atque abſolutiſſima libertate confiſus, nihil ultra requirebat; hominem ſeſe ipſo beatum, ſibique ſufficientem prædicans; quem ingenitis ſibi motibus dare leges ſufficere volebat: 2. utque aliquo colore ſpecioſo gratiæ nomine uti poſſet, legis ac externæ doctrinæ auxilium naturæ ſuperaddidit; quo videl. homo facilius omnia præſtaret 3. Cum ne ſic quidem ſatisfaceret, alteram præterea gratiam agnovit, qua condonantur peccata, ac culpis ſuis anima exſolvitur; quam tamen non omnibus neceſſariam ſtatuebat. 4. Adjecit porro, præter legem, Euangelii doctrinam, & promiſſa, & præcipuè Chriſti exemplum. 5. Tandem, ut cum Eccleſia ſentire videretur, & internam Spiritus operationem agnovit; quæ intellectum illuſtraret, & ſtupentem voluntatem excitaret. Omnem autem voluntatis determinationem, veramque gratiæ vim & potentiam prorſus negabat; & quicquid vanis hiſce nominibus ponebat gratiæ, non tamen abſolute neceſſarium ſtatuebat; ſed ſolummodo ad facilius operandum, nec tam ad incipienda, quam ad perficienda virtutis

opera conducere arbitrabatur. Ac revera hæc nihil aliud erant quam recoctus Ethniciſmus, aut ad ſummum Judaiſmus, & turpe naturæ gratiæque adulterium.

Semipelagianorum. XVI. Pelagio ſucceſſerunt *Maſſilienſes*, *Semipelagiani*, qui, Pelagii errores cum Eccleſiæ dogmatibus miſcere annifi, contra Pelagium naturæ labem ac vulnus, in Adamo acceptum; contra Auguſtinum autem, amorem gratiamque Dei univerſalem urgebant; partimque à natura, partim à gratia omnes ad ſalutem ſufficienter inſtructos ſtatuebant: gratiam autem aliquando hominis voluntatem prævenire, aliquando ſequi & adjuvare dicebant. Quæ quam perplexa quamque labantia undiquaque ſint facile perſpicitur.

Scholaſticorum. XVII. Revixit inſequentibus temporibus Pelagianiſmus in *Joh. Erigena*, Scoto, &, oppugnante Godeſchalco, repreſſus fuit. Semipelagianiſmus vero, utpote ſpecioſior, à *Scholaſticis* adoptatus eſt; quorum illud ſolemne eſt, facienti homini quod in ſe eſt non deeſſe gratiam; quanquam Deus pro miſericordia ſua etiam immerentibus eam ſæpe largiatur, ultroque hominem ſtupentem, & è priſtino veterno nauſeantem excitet, & ad ſe convertat.

Socinianorum. XVIII. Omne autem Pelagii venenum hauſit, iterumque Eccleſiæ propinare ſtuduit *Socinus*: qui in libero arbitrio exornando totus eſt, ac univerſæ ſalutis auſpicium inde deſumit; gratiæ autem nomine non niſi Euangelii promiſſa, de peccatorum remiſſione & vita æterna, quæ legis ſermoni jam antiquato ſucceſſerint, intelligit; quibus fidem adhibere vel abrogare in unius hominis poteſtate ſit.

Pontificiorum. XIX. *Pontificii* hodie per gratiam ferè intelligunt qualitatem ſpiritualem, à Deo animæ infuſam, quæ mentem illuminet, & ſuaſu atque hortatu ſuo voluntatem ſtupentem excitet; unde & prævenientem ac excitantem eam nonnunquam appellant: ita tamen ut in hominis arbitrio ſit, gratia ac inſtinctu iſto uti, vel ſecus; à cujus conſenſu omnem ejus vim atque efficaciam ſuſpendunt. Imo auxilium illud ipſis adeo generale eſt, ut vix ulli, loco ac tempore ſuo, deſit. Quod revera nihil aliud eſt, quam *vires noſtras Deum noſtrum facere*. Hab. 1: 11.

Remonſtrantium. XX. Ac ejuſdem prorſus generis cum Jeſuitica eſt *Remonſtrantium* gratia. Nam & communem eam faciunt, & expoſitam omnibus; inque hominis poteſtate ponunt eam accipere vel repudiare; omneque hominum diſcrimen non ab interna gratiæ vi, ſed ab ipſis hominibus, rectove vel pravo gratiæ uſu petunt. Contra Apoſtolum: *Ergo igitur non volentis eſt, neque currentis, ſed gratificantis Dei*. Rom. 9: 16.

XXI. Nec

Digitized by Google

XXI. Nec inſidiis caret trita ipſorum diſtinctio gratiæ in *ſufficientem* & *efficacem*; quarum illa omnibus, hæc fidelibus tantum communicetur. Quanquam enim gratiam aliquam ſuo in genere ſufficientem ſtatuamus, ex. gr. quantum ad gratiam externam, ſufficit Euangelii ſermo, qui tamen ad ſalutem nec efficax nec ſufficiens eſt: ac in primo homine, partimque etiam nunc in regenitis, gratiam aliquam habitualem, ad multa ſufficientem, nec tamen actu ipſo ſemper pollentem ac efficacem, agnoſcamus: in homine tamen lapſo, de quo hic quæſtio eſt, diſcrimen illud gratiæ non accipimus, nullamque ad converſionem gratiam ſufficientem vocandam cenſemus, quæ non eadem ſit efficax. *Sufficit tibi gratia mea. Potentia enim mea in debilitate perficitur.* 2 Cor. 12:9.

borum gratia ſufficiens & efficax.

XXII. Nec *ſuaſio* ipſorum *moralis* gratiæ nomen meretur, cum omnis ejus efficacia metaphorica ſit, vireſque non conferat, ſed ſupponat, ac denique cunctis hominibus ex æquo communis ſit. Quod enim inter Jeſuitas Suarezius commento iſti fulciendo adjecit, electos majorem accipere gratiam quam alios, quia illis ex ſingulari Dei benevolentia ea gratia confertur, quæ, ex adminiſtrationis congruitate, infallibilis ſit efficaciæ; eo Remonſtrantes ne quidem aſcendunt, nec omnem moralis ſuaſionis potentiam gratiæ illi ſuæ concedunt, infallibilem gratiam æque horrentes ac irreſiſtibilem.

ſuaſio moralis.

XXIII. Neque etiam ſani coloris eſt *gratia*, quam appellant, *congrua*. Multiplex enim venenum illa vox habet. Non enim gratiam, ſed ipſum potius hominem certis temporibus ad ſalutarem converſionem ponunt congruum, & gratiæ efficaciam ab ejus unius aſſenſu ſuſpendunt. Tam autem incongruum eſt, captatis temporum momentis, hominem in peccatis mortuum, tempeſtivo videl. & congruo ſuaſu, ad vitam cœleſtem velle adducere; quam mortui hominis cineres & oſſa muſicæ quadam ope, & accommodato cantu ad vitam ciere velle. Ut nulli fundamento Dei illa præſcientia, qua gratiam illam peritè ac congruè diſpenſat, innitatur. Solius autem gratiæ eſt, hominem ad ſalutem aptum compoſitumque reddere: quæ, ut liberrima eſt, ita indigniſſimis ſæpe adeſt, multoſque extrorſum pulchros & ſpecioſos, & à ſæculi labe, ut videtur, remotos, præterit.

gratia congrua.

XXIV. Errant præterea, cum *Deum, quæ ſuadet mandatque, eadem in nobis operari poſſe negant*, quod hæc à ſapienti monitore abſint. Cum hæc potius Novi Teſt. natura ſit, Deum ipſum fœderis, quas exigit,

An Dei ſuaſio & operatio ſimul conſiſtere poſſint?

exigit, conditiones, præſtare, ac hominibus ultro largiri: *Quamobrem hoc eſt pactum, quod paciſcar domui Iſraëlis poſt dies illos, dicit Dominus, Indam leges meas menti eorum, & cordi eorum inſcribam; & ero ipſis Deus, & ipſi mihi erunt populus* &c. Hebr. 8: 10, 11. conf. Ezech. 11: 19, 20. Nec ideo fruſtraneæ ſunt admonitiones, cum Deus cum creatura rationali agat, atque illis tanquam inſtrumentis opus ſuum in ea peragat. Nullo modo enim abſurdum eſt, operationem Dei in homine eodem tempore ſimul eſſe phyſicam & moralem; ut in Pauli vocatione patuit; quam certe omnem Deo, potentique ejus virtuti, acceptam debere ferri ſatis conſtat; quam tamen Deus non ſine externo verbo ac hortatu explicuit. Conf. Eſai. 50: 5. *Dominus, Jehovah aperuit mihi aurem, & ego non extiti inobediens, non retroceſſi.* Joh. 6: 63. *Verba, quæ ego loquor vobis, Spiritus ſunt & vita.* Act. 16: 14 *Quædam mulier nomine Lydia —— nos audivit; cujus Dominus adaperuit cor, ut attenderet iis, quæ dicebantur à Paulo.* Hebr. 4: 12. *Vivus enim eſt ſermo Dei, & efficax & penetrantior quovis gladio ancipiti* &c.

An habitus infuſi ſub præceptum cadere poſſint?

XXV. Majorem vero difficultatem movent *circa habitus infuſos*, quos à Deo infundi, ſimulque ſub præceptum poſſe cadere, non capiunt. Unde habitus tales à Deo infuſos ſæpe negant; verecundius Pontificiis ex veteris orthodoxiæ reliquiis eos agnoſcentibus. Fidem enim Dei in nobis opus eſſe Scriptura clare dicit; idemque de charitate, reliquiſque Spiritus operibus clamitat. *Charitas Dei effuſa eſt in cordibus noſtris per Spir. S.* Rom. 5: 5. *Quem* Spir. S. *effudit in nos copioſe.* Tit. 3: 6. Quos tamen habitus eſſe, animamque pio affectu induere, inque ea manere, & habitare, eadem Scriptura affirmat. *Si ἔχητε πίϛιν haberetis fidem.* Matth. 17: 20. *Quæ* fides *inhabitavit in matre tua Eunice; perſuaſus vero ſum quod & in te habitet.* 2. Tim. 1: 5. *Unctio, quam accepiſtis ab eo, in vobis manet*, 1 Joh. 2: 27. Neque ideo minus ſub præceptum cadunt; non quidem quatenus Dei infundentis actus ſunt, ſed quatenus hominis officium circa illa locum habet. *Ne negligas donum quod eſt in te.* 1 Tim. 4: 14. *Jeſus dixit ipſis, habete fidem Dei.* Marc. 11: 22. coll. Jac. 2: 1.

An gratia ſit irreſiſtibilis?

XXVI. Præcipua autem nobis cum iis lis eſt de ſalutaris gratiæ operandi modo, *an ea reſiſtibilis atque humana vi ſuperabilis ſit?* Cum enim magnificis verbis olim gratiam prædicarent, omniaque illi tribuere viderentur, ut de tertio articulo inter Eccleſias noſtras ipſoſque vix quæſtio ſupereſſe videretur, mox quarto articulo, ubi de gratiæ illius potentia, deque modo ejus operandi agitur, illa omnia

nia

Digitized by Google

nia quæ liberaliter adeo conceſſerant, rurſus abſtulerunt; & quam male in univerſum de gratia ſentirent, oſtenderunt. Ubi primo controverſia aperienda, tum Eccleſiarum noſtrarum ſententia tuenda & confirmanda venit.

XXVII. Diſputatur autem de gratiæ operatione ac potentia, an realis, an tantum moralis ſit? an præter externum Euangelii ſermonem, Spirit u ſecretâ quoque potentia in ipſam mentem voluntatemque agat? & an intellectum & affectus ſolum, an vero ipſam quoque voluntatem attingat, juſſiſque ſuis obtemperare faciat, ut repugnare ne quidem velit, adeoque nec poſſit? *Status controverſia.*

XXVIII. Volebant autem *Remonſtrantes* 1. *mentem* quidem à Dei Spiritu illuſtrari, & admiſſo lumine tenebras ejus vinci, ac vim iſtam inſuperabilem eſſe. 2. *affectus* quoque ſanari; & hoc quoque irreſiſtibiliter. 3. *voluntatem* autem immediatè attingi nolebant: quod quomodo cohæreat certe concipi non poteſt. Voluntatem vero ſolum invitari & allici, nec quicquam Deum apud ipſam pollere niſi ſuaſu & hortatu docent; cui tamen pro liberrimo ſuo arbitrio reſiſtere homo, Deique opus abrumpere poſſit. Ut in præcipuo articulo gratiæ operationem non niſi moralem ſtatuant.

XXIX. Nos quod attinet, vocabuli invidiam primum amoliendam cenſemus, & *irreſiſtibilis gratiæ* vocem, à Jeſuitis primum ortam, & ad odium confictam, incommodam arbitramur; quaſi voluntati noſtræ vis fieret, eaque invita expugnaretur. Quantum autem ad rem ipſam, hominem peccatis ſuis indormientem, ſua natura contra gratiæ motus ſe obfirmare fatemur; nec facile adduci poſſe, ut domitas Deo manus porrigat, imo eo in ſtatu non aliter quam motibus ejus reſiſtere poſſe concedimus: *Duri cervice, & incircumciſi corde & auribus, vos ſemper Spiritui S. obnitimini.* Act. 7: 51. *Nam ſenſus carnis inimicitia in Deum eſt. Legi enim Dei non ſubjicitur. Nam nec poteſt.* Rom. 8: 7. Electos autem quod attinet, ubi Deo ex æterno, quo vincti erant, ſopore eos excitare, magnumque illud converſionis opus moliri placet; tam potenti vi eos adoritur, tamque blandâ & penetrabili ſuada permulcet & trahit, ipſamque ipſorum animam intus affatur, & voluntatem fingit ac format, ut repugnare nec velint amplius, nec poſſint. *Deus enim is eſt, qui efficit in vobis, & ipſum velle, & ipſum agere, pro gratuitâ ſuâ benevolentiâ.* Phil. 2: 13. *Nam ejus voluntati quis reſiſtit?* Rom. 9: 19. Quoad particulares autem gratiæ motus, ubi Deus non æque potenter ſemper operatur; ſæpe iidem à Spiritus diſciplina rece- *Orthodoxorum ſententia.*

dunt, nec cunctis ejus ſuaſibus obſequuntur; quamvis interim non in totum aberrent, tandemque acriore ſtimulo admoniti ad ſalutis ſemitam redeant. Rom. 7. *per totum.*

XXX. Atque adeo hæc Eccleſiæ doctrina eſt, hominem, utcunque primum renitentem ac reluctantem, quin & poſtea, ubi jam converſus eſt, perſæpè lapſantem, nec ſemper Spiritui auſcultantem; tamen in magno illo ac præcipuo Dei opere, ubi potentiam ſuam in convertendo eo experiri placet (de hac enim re propriè quæſtio eſt) adeo Dei opus impedire non poſſe, ut tandem ultro conſentiat, Deumque vocantem ſequatur, ipſique in æternum adhæreat.

quæ confirmatur. XXXI. Argumenta Orthodoxorum in hac cauſa olim hæc erant: 1. Scripturam valde efficacibus verbis hoc in negotio uti, quæ corrumpi, & in tenuem ac nullum tandem ſenſum vaneſcere non oporteat. Appellat enim converſionem noſtram *regenerationem* & *vivificationem: Niſi quis genitus ſit iterum, non poteſt videre regnum Dei*, Joh. 3: 3. *Etiam nos, quum in offenſis mortui eſſemus, vivificavit una cum Chriſto.* Eph. 2: 5. ut non magis homo Deo convertenti reſiſtere, ac potentiam ejus ſuperare poſſit, quam infans in materno utero fingentis naturæ manibus repugnare; aut mortui hominis cineres, ubi immiſſo ſpiritu animantur, illum non accipere, Deoque ad ſuperas auras evocanti reniti poſſunt. *Væ litiganti cum fictore ſuo! An dicturum eſt lutum fictori ſuo, quid facturus es? Væ illi, qui dicit patri, quid facturus eſſes? & fæmina, quid paritura eſſes?* Jeſ. 45: 9. Appellat & *tractionem Patris*, quam, ne quis leviter nimis accipiat, cum ſuſcitatione ex mortuis, quæ Filio adſcribitur, ex æquo componit: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit illum; & ego ſuſcitabo illum die ultimo.* Joh. 6: 44. Adeo enim potens illa tractio eſt, ut non ſolum abſque ea nemo accedere, ſed & nemo ei obluctari poſſit: *Quicquid dat mihi Pater, ad me veniet.* vs. 37. Nec credendi ſolum potentiam, ſed ipſum credere, ac credendi actum donum Dei eſſe dicit. *Fides donum Dei eſt.* Eph. 2: 8. *Quia vobis donatum eſt —— credere in ipſum* Chriſtum, Phil. 1: 29. *Si forte det eis Deus reſipiſcentiam, ad cognitionem veritatis.* 2 Tim. 2: 25. Atque huc pertinet quoque, quod Deus *ipſum velle & perficere in nobis operari*, Phil. 2: 13. & *corda noſtra* ad exemplum Lydiæ *aperire* dicitur, Act. 16: 14.

XXXII. 2. Quæ omnia tam potentia ac tam eximia cum Scriptura in converſione hominis Deo adſcribat, inde & ſancti converſionem tum ſuam, tum aliorum à Deo precibus expoſcunt. *Reduc*

Digitized by Google

duc me, & *revertar*. Jer. 31: 18. Quod autem petere à Deo ſancti, monitore Spiritu, jubentur, id certe in ejus poteſtate poſitum eſſe fatendum eſt.

XXXIII. 3. Unde & Deus, iſtis Eccleſiæ ſuæ precibus annuens, ſeſe populo ſuo cor carneum largiturum eſſe promittit. *Et dabo ipſis cor unum, & ſpiritum novum dabo in medio ipſorum, & auferam cor lapideum ex carne ipſorum, & dabo ipſis cor carneum.* Ezech. 11: 19. conf. cap. 36: 27. *Et faciam, ut in ſtatutis meis ambuletis.* Cujus non antecedens, ſed conſequens conditio erat, quod amotis ſordibus ac abominationibus ſuis in ſtatutis Dei ambulaturi ſorent.

XXXIV. 4. Addebant præterea Orthodoxi, niſi magna illa in converſione potentia Deo adſcribatur, illam omnem in hominem recidere: quod nefas; illiuſque proprium opus eſſe, quod ſeſe præ aliis, quibus eadem gratia affulget, convertat; atque adeo illum ſeſe diſcernere, quod Paulus generali ſententia negat: *Quis enim te diſcernit?* 1 Cor. 4: 7.

XXXV. 5. Urgebant præterea, ſi tam tenuiter Dei potentiam capiamus, non validiorem eum fore in homine convertendo, quam diabolus eſt in eodem ſeducendo; qui ſuaſu, blanditiis, omnique iſto armorum genere hominis credulitatem quoque adoriri, & incautum in exitium deducere novit.

XXXVI. 6. Denique, ne in cauſa victrice argumenta cumulemus, niſi hæc divinæ gratiæ potentia agnoſcatur, jam ipſa quoque Dei conſilia, & gratiæ teſtamentum, ac fœdus Dei cum Chriſto, incerta ac labantia ſunt. Hæc enim cum in tempore demum, in opere Dei erga hominem, ſeſe explicent; niſi illud potenter peragatur, omnemque corruptæ naturæ vim vincat, jam reliqua omnia vana & inania ſunt. Nec illæſus jam manet iſte ſalutis humanæ ordo ac veluti cirrus, quem Apoſtolus diverſis ex annulis conformat Rom. 8: 30. *Quos vero prædeſtinavit, eos etiam vocavit: & quos vocavit, eos etiam juſtificavit: quos autem juſtificavit, eos etiam glorificavit.* Et voluntati denique ejus ac æterno conſilio reſiſti poſſet, contra Rom. 9: 19. *Nam voluntati ejus quis reſiſtit?*

XXXVII. Ut autem Remonſtrantium *exceptiones*, quas pro cauſa ſua afferebant, prætereamus, Achilles eorum eſt locus Act. 7: 51. ubi *reſtitiſſe* Judæi dicuntur *Spiritui S.* Quod tamen non de Spiritu intus operante, ac hominis converſionem moliente, de quo nunc quæſtio eſt; ſed de externo ejus miniſterio intelligendum eſt, cui iſti duræ ac rigidæ cervicis homines non aliter quam reſiſtere *Sublatis objectionibus adverſariorum.*

 pote-

poterant: *Quem prophetarum non perſecuti ſunt patres veſtri? & occiderunt praeuangelizantes de adventu Juſti.* vs. 52. Eademque aliorum locorum ratio eſt.

XXXVIII. Sed & ratiunculis quibuſdam divinam hanc veritatem laceſſunt; ac ex hypotheſi hac neminem omnino converti poſſe, quam qui actu convertatur; atque illum, qui Deo vocanti obſtrepit, revera voluntatem ejus adimplere, objectant: ſed & hominem ſemper dubium manere volunt, num ſerio ad ſalutem vocetur, an vero alio fine: denique, ſi tam potens ſit gratia, ipſum ut truncum ac inutile lignum moveri ac fingi clamitant. Quæ inania ſunt. Nam & non alios, quam quos Deus iſta luce dignatur, converti poſſe, ſano ſenſu verum eſt. Ac qui vocanti ipſi reſiſtunt, quanquam fati legem impleant, tamen non extra culpam eſſe, alibi oſtenſum eſt. Nec habent quod de voluntate Dei dubitent qui rite officium faciunt. Denique cum homo rationis ac libertatis potens ſit, non aliter Deus in ipſo operatur, quam ut illæſas iſtas facultates conſervet: nec hominem ut molem aliquam inertem verſat, ac cunctis formis induit (hoc enim non magis ex actione Dei in voluntatem, quam in intellectum & affectus hominis, quam tamen ipſi concedunt ſequitur) ſed ut *lapidem vivum in domum ſpiritualem ædificat*, 1. Pet. 2: 5. ac ea ratione ipſum trahit, ut ipſe lubens accurrat, & ad Deum feſtinet. *Trahe me, poſt te curremus.* Cant. 1: 4.

Errorum horum πρῶτον ψεῦδος.

XXXIX. Ut autem ad erroris hujus cubile perveniamus, ita inſtituere coguntur adverſarii, quia Dei conſilium de certorum hominum ſalute negant, cunctoſque ex æquo à Chriſto redemtos, ac ſalutaris gratiæ ſi velint participes, pronunciant. Unde, ducente eodem errore, gratiæ quoque Dei obſtrepere, ejuſque vires minuere debent, quo eam theſibus ſuis ancillari cogant, & vulgarem ac promiſcuam reddant. Si enim irreſiſtibilis illa ſit, jam paucorum hominum eam futuram, definitoque iſti Dei conſilio ſubſervituram vident. Quod abnuunt.

Anabaptiſtarum.

XL. *Anabaptiſtarum* vero errores cum iidem prope ſint, niſi quo horridius paulo ac magis incondite ſenſa ſua effari, vel involvere ſoleant, attingere non opus eſt; cum ex dictis facile jugulentur.

C A-

CAPUT II.

De Vocatione ad ſalutem.

I. PRimus gratiæ effectus eſt divina *vocatio*, qua è mundo hoc, in cujus ſemitis cum reliquo hominum vulgo oberrabamus, ad cœleſtis vitæ ſpem evocamur; &, Chriſto deducente, poſt longum divortium ad Deum reducimur. *Gratia primus effectus eſt* VOCATIO.

II. Et cum Chriſtus unica ad ſalutem *via*, Joh. 14:6. & *janua* ſit, quæ ad caulas ducit, c. 10: 9. peccatorum ante omnia cum ipſo adunari oportet. *Manete in me, & ego in vobis*, Joh. 15:4. Quæ unio non localis, ſed ſpiritualis eſt, qualis etiam inter abſentes locum habet; ac Chriſti Spiritu, & mutuo animi noſtri affectu & fide peragitur. *Et in hoc cognoſcimus, quod maneat in nobis ex Spiritu quam nobis dedit.* 1. Joh. 3: 24. *Ut habitet Chriſtus per fidem in cordibus veſtris.* Eph. 3: 17. Prodigioſa enim ſunt, quæ Weigeliani & Oſiandriſtæ de quadam hominis Deificatione; & Pontificii ac Lutherani de orali corporis Chriſti manducatione adſerunt. *per quam unimur Chriſto.*

III. Intelligitur ergo hic vocatio non ad munus aliquod, ſive in Eccleſia, ſive in republ. qualis alibi ejus vocis ſignificatio eſt: *Et non ſibi quis ſumit hunc honorem, ſed qui vocatur à Deo, ut & Aaron.* Hebr. 5: 4. *Ecce, vocavi nomine Bezaleelem.* Exod. 31: 2. ſed longè ſublimior ac ſanctior eſt; ac totius hominis è mundi fæce ſegregationem, & ad Deum adductionem ſignificat. Quomodo Plato philoſophiam ſuam auguſto nimium nomine, *reditum ad Deum* appellabat. *Vocationis hujus deſcriptio.*

IV. Atque eſt hæc vocatio certo reſpectu; licet quantum ad vocem non uſque adeo propriè, vel *æterna*, ſeu decreti ſive teſtamenti, à quo omnis vocationis hujus efficacia; quo certi quidam hæredes deſignati ſunt, è mundo olim evocandi. *Ut promiſſionem accipiant vocati æternæ hæreditatis.* Hebr. 9: 15. *Sine pœnitentia enim ſunt dona gratiæ, & vocatio Dei.* Rom. 11: 29. vel quæ *in tempore* peragitur; quæ æternæ vocationi ſubordinata eſt. Eſtque ea rurſus vel *externa*, vel *interna*: quæ non eſt diviſio generis in ſpecies, ſed integri in partes ac membra ſua. *qua vel æterna eſt, vel in tempore peragitur.*

V. Vocatio *externa* nihil aliud eſt, quam externa peccatoris *quò perti-*

 com-

Digitized by Google

compellatio, & ad ſalutem capeſſendam invitatio. Quæ cum per *nec externa compellatio,* ſeſe nondum ſalutaris, ac reprobis quoque communis ſit, *multi enim ſunt vocati, pauci verò electi*, Matth. 20: 16. & 22: 14. diſtinguenda eſt ab illa vocatione, quæ ex teſtamento ac κατὰ πρόθεσιν fit, quæ nunquam inanis & abſque fructu eſſe poteſt, ac *interna* potiſſimum gratia abſolvitur. Unde Apoſtolus tales κατὰ πρόθεσιν κλητοὺς appellat, *ſecundum propoſitum vocatos*. Rom. 8: 28.

VI. Quanquam neque externa ſalutis oblatio omni interna efficaciâ deſtituatur. Solet enim Deus ſæpe internæ lucis radios etiam in reprobos ſpargere, ac tanto eos lumine perfundere, ut Deum de propinquo videant, Euangelii decora admirentur, ac rerum cœleſtium dulcedinem guſtent: quæ tamen, dum brevi tantum viſu ac guſtu tranſmittunt gaudia ſolida ac æterna non ſunt, & inter mortalium bonorum blanditias, ad quarum memoriam ſubinde redeunt, cito expirare ſolent. *Qui ſemel fuerint illuminati, guſtaverintque donum illud cæleſte, & participes facti fuerint Spir. S. guſtaverintque bonum Dei verbum, ac virtutes futuri ſæculi; ſi prolabantur* &c. Hebr. 6: 4, 5, 6.

quæ peragitur verbo VII. Fit autem hæc vocatio per Euangelii ſermonem: *Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvare credentes*, 1. Cor. 1: 21. ſive per externum auditum: *Fides ex auditu: auditus autem per verbum Dei*, Rom. 10: 17. Male autem Enthuſiaſtæ verbum non ſcriptum, & internos Spiritus ſermones prætereà jactant. Cum Spiritus nihil cordi inſcribat, niſi quod in ſacris Scripturis jam antea exaraverit. *Spiritus ille veritatis ducet vos in omnem veritatem*, Joh. 16: 13. Quanquam non negamus eum immediate, abſque externo ſermone, hominem affari poſſe, atque iſto pacto, ut videtur, nonnullos aliquando convertiſſe. Verum hæc extraordinaria ejus opera ordinariam vocationem non tollunt.

& proprie ad electos ſpectat. VIII. Proprie autem externa hæc vocatio ad electos pertinet: cum gratiæ divinæ effectus; & mortis Chriſti beneficium; ac denique in ſeſe teſtamentaria, & æterni Dei teſtamenti ac fœderis executio ſit: quæ certe promiſcua & reprobis communia non ſunt. Unde κατὰ πρόθεσιν eam fieri Apoſtolus dixit, Rom. 8. Quare ad alios pertinere non poteſt, niſi qui teſtamento illo ſcripti ſunt hæredes. Semperque efficax & ſalutaris eſt, nec magis fruſtra eſſe poteſt quam ipſum teſtamentum ac fœdus Dei. Eſtque ejus generis hæc vocatio, ac illa *qua Deus vocat ea quæ non ſunt, tanquam ſint*, Rom. 4: 17. quaque Abrahami poſteritatem vocavit; cum ipſe ex-

Digitized by Google

extremâ ætate improlis, ac uxor ejus effœta, & naturæ lege infœcunda foret; juxta illud quod dictum erat, *in Iſaaco vocabitur ſementum.* Gen. 21:12.

IX. Quod vero Euangelii ſermo etiam ad reprobos fiat, ea quidem non eſt vocatio κατὰ πρόθεσιν Dei; cum ad gratiæ teſtamentum non pertineant. Nec adeo Dei iſta appellatio & vocatio eſt, quam hominum; qui Euangelica legatione fungentes, nec eos, qui in teſtamento Dei ſcripti ſunt, ab aliis dignoſcere valentes, ad cunctos homines de ſalute iſta verba faciunt. Eſtque hoc revera non contemnendum beneficium, quod univerſus mundus ex Chriſti adventu, atque ex Euangelio ejus accepit; quod, occaſione electorum, omnes verbum ſalutis audiant; omnes ad curam ejus invitentur; ac veras de Deo, de regimine ejus, de mundi conditu ac fine, deque ſummo hominis bono, aliiſque rebus graviſſimis, ſententias audiant; multique, cum non ſalutariter ad amorem Dei & ſæculi contemtum imbuantur, ſaltem multas ſordes exuant, & ad externam aliquam honeſtatem virtuteſque civiles formentur; ut humanum genus ſibi ipſi jam placere, ac pretioſum eſſe poſſit. Qua ratione divina hæc Chriſti philoſophia plus mundo profuit, quam cunctæ veterum ſapientum ſectæ: cum nulla adeo univerſum mundum pervagata, tantum ei cultum ac decus addiderit. Ubicunque enim religio Chriſtiana pervaſit, paulatim barbariem exui, & reliquum quoque humanæ vitæ cultum accedere vidimus.

Licet ex parte reprobis quoque contingat,

X. Ut ſatis pateat, non fruſtra, nec ſine omni Dei conſilio, ad reprobos ſalutis ſermonem fieri; quanquam non ex teſtamento Dei, nec cum collatione ſalutis vocari eos videamus. Neque ideo vocatio eorum, quod objiciunt adverſarii, hypocritica ſtatuenda eſt. Nam & ab hominibus proprie, quanquam peculiariter diſpenſante, ac lucis iſtius tempora nunc his nunc illis mundi partibus diſtribuente Deo, ea peragitur. Ac mittunt illi quidem Euangelii ſagenam magnum in mare, cunctique generis piſcibus implent, ſed ita, ut ad littus illi tandem explorandi veniant. Unde hypocriſeos argui non poſſunt, cum pro munere omnibus officium facere ſuadent, ac obedientibus cœleſte præmium pollicentur; quæ & vera, & certa, & ſeria ſunt.

idque nec fruſtra, nec ſimulatè:

XI. Non tamen hæc vocatio, quanquam communis ſit ſub N. T. atque abſque illo populorum diſcrimine, quod olim obtinuit, cum hic *non ſit Græcus & Judæus, circumciſio & præputium, Barbarus & Scytha, ſervus & liber, ſed omnia & in omnibus Chriſtus*, Col. 3.11.

non tamen ut univerſalis ſit omnium hominum

3:11. ideo & univerſalis eſt. Habet enim Dei gratia ſua, & *præſtituta tempora*, 1. Tim. 2:6. & certa *menſura* & linea currit, ac diverſis mundi partibus affulget: *Sed ſecundum menſuram canonis, quam menſuram diſtribuit nobis Deus, ut veniamus etiam uſque ad vos.* 2: Cor. 10. 13. *Sivit Deus omnes gentes ire viis ſuis.* Act. 14: 16. Atque alii populi prima, alii tertia hora, alii ſerius vocantur. Matth. 20.

XII. Per naturæ vocem enim quoſdam ſalutariter, quanquam remotius, vocari, atque iſta via ad Deum ire Euangelii abnegatio eſt. Neque communis Chriſto cum omnibus hominibus natura gratiam quoque ejus communem ac promiſcuam facit: nam præter iſtam naturæ cognationem propius cum ipſo vinculum neceſſarium eſt, fidei videl. ac Spiritus. Neque etiam gratiæ hujus univerſalitatem mundi infidelitas & incredulitas, quæ in Scripturis ſæpe adeo accuſatur, coarguit, quaſi ea acceptam cunctiſque obviam Euangelii lucem præſupponeret; juxta illud, *qui vero non credit, jam condemnatus eſt*, Joh. 3: 18. nam incredulitas hæc in pleriſque negativa eſt, nec ullam gratiæ lucem infert, unde damnationis cauſa eſt ſine qua non; aliter ac incredulitas privativa, quæ verbum Euangelii jam auditum, & protervè rejectum innuit.

Præcipua autem hic eſt interna vocatio.

XIII. Sequitur *vocatio interna*, quæ altera & præcipua divinæ vocationis pars eſt, qua ad externum Euangelii ſonum interior Spiritus vox & efficacia accedit, de qua 1 Cor. 1: 26. *Videtis vocationem veſtram, quod non ſitis multi ſapientes, ſecundum carnem.* Apoc. 17:4. *Vocati, electi, fideles.* Joh. 6: 46. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſerit me, traxerit eum.* Quæ electorum ita propria eſt, ut nulla ex parte reprobis contingat. Eſt enim vocatio non hominis, ſed Dei, cujus vocatio fuſtra eſſe nunquam poteſt; eaque facta juxta πρόθεσιν, Rom. 8: 28. & ex æterno illo teſtamento, quo certos quoſdam homines æternæ felicitatis hæredes ſcripſit. Quod decretum ac teſtamentum invalidum eſſe non poteſt.

qua ſemper efficax eſt,

XIV. Unde vocatio hæc ſemper efficax eſt, & cum potentia peragitur; ſicut *vocare* Dei per emphaſin idem in Scriptura eſt quod actu creare & producere. vide Rom. 4: 17. *Qui vocat illa quæ non ſunt tanquam ſint.* Pſal. 33:9. *Nam ipſo dicente, eſt, ipſo præcipiente, exiſtit.* Pſal. 105: 16. *Quum advocans famem ſuper terram, omnem ſcipionem panis fregit.* Matth. 8: 8. *Solum modo loquere, & ſanabitur puer meus.* 1 Cor. 15: 10. 1. Pet. 2: 9. Unde vocatio hæc adſcribitur *verbo* illi *Jehovæ*, quod *ſtat in ſæculum*, Eſai. 40: 8. cui regenerationem noſtram, ut ſeminiſcuidam, aſſignat Petrus 1. Epiſt. c. 1: 23, 24, 25.

XV. Quæ

Digitized by Google

XV. Quæ tamen potentia omnis à Spir. S. eſt, qui propter meritum filii nobis donatur: ut qui vocationem hanc ſentiunt, eo ipſo Spiritus ſignaculum ac notam in ſeſe deprehendant, quo lætari, ſuperque reliquos mortales in Deo gloriari poſſunt. *Qui nos obſignavit, & dedit arrhabonem Spiritus in cordibus noſtris.* 2 Cor. 1: 22. Non enim ab homine vocationis hujus effectus dependet, quaſi in ejus poteſtate foret illam præ aliis ſequi. Occurrit enim mox Apoſtolus: *Quis enim te ab aliis diſcernit? quid habes quod non acceperis?* 1 Cor. 4: 7. *Non eſt ejus, qui velit, neque ejus qui currat, ſed ejus, qui miſeretur, Dei.* Rom. 9: 16. conf. Matth 24: 40. *Tunc erunt duo in agro, unus accipietur, & alter relinquetur.* *per potentiam Spiritus S.*

XVI. Fit in hac vocatione *receptio* Chriſti, ſicut in priori ejus parte *oblatio* locum habebat: quæ & *converſio*, & *regeneratio*, aliiſque vocabulis appellatur. *& conſiſtit in receptione Chriſti.*

XVII. Ad initium autem & primum ejus momentum habet ſeſe homo tantum paſſive, ac æternæ lucis ſplendorem ſolum recipit: *Quoniam Deus, qui dixit ut è tenebris lux ſplendeſceret, is eſt qui ſplenduit in cordibus noſtris, ad præbendum lucem notitiæ gloriæ Dei in facie Jeſu Chriſti.* 2. Cor. 4: 6. qua perfuſus mox vocanti Deo parere, novamque illam vitam explicare, & in luce illa ambulare incipit. Quæ tamen, ut ſuperius quoque viſum, non tam temporis, quam naturæ momenta ſunt, atque iſtum in modum diſtinguenda veniunt. *ad quam homo primitus paſſivè ſe habet.*

XVIII. Per gradus autem Deus in hoc opere procedit: variiſque actibus illud tandem abſolvit. Ac primo agnitionem miſeriæ, ejuſque ſenſum & dolorem, ac de ſe ipſo deſperationem operatur; qui actus ejus præcedanei ſunt; quos ſequuntur ſuaviores Spiritus operationes, fides, dolor verecundo pudore miſtus, qualis ex amore oriri ſolet, ac tandem reſipiſcentia & ad Deum cum fiducia reditus, quales filiorum effectus ſunt. *Per quot gradus producatur.*

XIX. Nullum autem hic locum habent *diſpoſitiones* hominis *præviæ*, quibus ille ſeſe Deo commendare, ulterioremque gratiam ex merito aliquo ſperare poſſit. Ita enim liberi arbitrii patroni hominem, ſi naturalibus rectè utatur, divinæ vocationi congruum ponunt; unde & meritum de congruo appellant. Quod Arminius emollire nitens, ad rectum primæ gratiæ uſum, quando homo per eam facit quodcunque in ſe eſt, uberiorem ipſi gratiam obtingere docuit. Qui dolus eſt, cum prima iſta gratia revera à natura non differat. Atque ejuſdem notæ ſunt quæ ejus aſſeclæ ſtatuunt, hominem adhuc irregenitum ex miſeriæ ſuæ conſcientia ad Chriſtum poſſe *ſine diſpoſitionibus præviis, quæ hominis ſunt.*

Digitized by Google

confugere; atque iſtam miſeriæ agnitionem, & prioris vitæ pœnitentiam ac tædium, atque ardens liberationis deſiderium, aliaque ejus generis opera, regenerationem ac Sp. Sancti adventum præcedere; nec quenquam facile Spir. Dei accipere, aut fidei lumine perfundi, niſi qui prius naturali quadam probitate ac cordis ſimplicitate Deo ſeſe dignum effinxerit; atque alia ſimilia partim ex Jeſuitarum, partim ex impura Socini ſcholâ hauſta.

qua profligantur. XX. Quæ commenta divinæ voluntatis de hominum ſalute conſilium, & præcipuam gratiæ potentiam è fundamento evertunt, atque experientiæ denique repugnant. 1. Omne enim hominum diſcrimen à divina prædeſtinatione, ſive gratiæ conſilio eſt. *Dominus vero addebat quotidie Eccleſiæ, qui ſalvarentur.* Act. 2:47. *Et crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* c. 13:48. *Quos vero prædeſtinavit eos etiam vocavit* &c. Rom. 8: 30. Unde nemo ſeſe ipſum *diſcernere* poteſt. 1. Cor. 4: 7. 2. Si quid autem in aliquo verè boni eſt, id omne divinæ prædeſtinationi ac gratiæ acceptum ferendum eſt; ſine qua ne quidem de miſeriis ſuis peccator gemere, atque ad Chriſtum anhelare poteſt. Quod & de præparationibus quibuſdam accidentalibus, gradibuſque ad converſionem remotioribus intelligendum eſt, quibus Deum ſæpe uti videmus. 3. Quanquam, quo manifeſtius divinæ gratiæ in hoc opere potentia appareat, ſæpenumero eos, qui reliquis mortalibus perverſiores habebantur, derepente, ac ſine longiori molimine, motibuſque præambulis, ad Chriſtum converſos legimus, aliis, qui ad probitatem magis facti videbantur, præteritis, ac æternum valere juſſis. conf. Act. 9: 1. & 5: 34.

una cum adverſariorum objectamentis. XXI. Ad *objectamenta* adverſariorum reſpondemus: male atque extra ſcopum urgeri illud Chriſti, ex parabola Euangelica, *habenti dabitur.* Matth. 25. cum ibi de regenitis ac credentibus agatur, qui dona à Deo accepta bene collocare monentur, ut recto uſu ea augeant. Non ſimul enim omnia electis dantur, ſed per numeros graduſque ſuos à Deo illa diſpenſantur. *Scriba* autem ille, qui *non longe à regno cœlorum* fuiſſe dicitur, Marc. 12: 34. non benignioris naturæ ope præ reliquis ad illud aptus erat; ſed, cum tam ſapienter de vera juſtitia, deque ſacrificiorum natura reſpondiſſet, à Meſſiæ agnitione non procul abeſſe videbatur. De qua rerum divinarum cognitione, quæ & ipſa non ſine Dei gratia in ipſo erat, non autem de internis ejus diſpoſitionibus ibi agitur. Ac perverſè imprimis *Cornelius* Act. 10. inter nondum converſos ponitur. Quanquam

Digitized by Google

quam enim in Meſſiæ perſona hæreret, & Jeſum adhuc ignoraret, tamen ſalutem ejus ardenter deſideraſſe, atque inter eos qui regnum Dei, ac conſolationem Iſraëlis, expectabant, quales tum plures erant inter Judæos, fuiſſe, ex tota ejus hiſtoria patet.

CAPUT III.

De Regeneratione.

Vocationis primus effectus eſt REGENERATIO. *quæ deſcribitur.*

I. VOcationis primus, ut diximus, effectus eſt *regeneratio*, quæ primum vitæ ſpiritualis gradum dicit, uti ſanctificatio ejus progreſſum. Appellatur παλιγγενεσία Tit. 3: 5. quaſi *ſecundam generationem* dicas. Prima enim origine homo corruptus exit, nec ſancti quicquam poſſidet; unde incudi veluti reddi, atque Dei plaſtis manu refingi eum oportet, ut Deo dignus evadat. Quæ *veteris novique hominis* vocabulis Apoſtolus adumbrat; ſicut & *interioris* ac *exterioris hominis* appellatio eò à plurimis Theologis (contradicentibus tamen rectius aliis) referri ſolet: quia vetus homo corporis ac membrorum ſervitio magis utitur, eaque veluti arma ſua movet; interior vero pectoris ſacrario ſedet, atque inde in univerſum corpus ſeſe exerit. *Quamvis exterior noſter homo corrumpatur, tamen interior indies renovatur.* 2. Cor. 4: 16. *Ergo igitur ipſe ego mente quidem ſervio legi Dei, carne vero legi peccati*, Rom. 7: 25. *Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem*, vs. 22. *Sed occultus homo cordis* &c. 1 Pet. 3:4.

Prave explicata à Socinianis

II. Ut male Socinus eam in anteactæ vitæ mutatione, atque ad Chriſti legem conformatione ponat. Quia videl. naturæ corruptionem ignorat. Unde & adultis ſolum illam competere exiſtimat. Contra Scripturæ auctoritatem, quæ, prout naturæ noſtræ ſcaturiginem vitiatam, ac fontem ipſum inſincerum eſſe docet; ita univerſum hominem, mentem, voluntatem, affectus, corpus ac membra denique omnia regenerari debere docet; nec adultos ſolum, ſed ipſos quoque infantes beneficii iſtius participes facit. Vide 1 Theſſ. 5: 23. *Ipſe vero Deus pacis ſanctificet vos* ὁλοτελεῖς *integros.* Eph. 4: 23. *Renovari autem ſpiritu mentis veſtræ.* Gen. 8: 21. *Eo quod figmentum cordis hominis ſit malum à pueritia ipſius.* Rom. 7: 14. *Scimus enim legem eſſe ſpiritualem: at ego carnalis ſum, venditus ut ſubjicerer peccato.* Rom. 6: 12. *Ne regnato igitur peccatum in mortali ve-*

Digitized by Google

ſtro corpore. & 19. *Sicut ſiſtitis membra veſtra ſerva impuritati, & iniquitati, ad patrandam iniquitatem, ita nunc ſiſtite membra veſtra ſerva juſtitiæ ad ſanctimoniam.* Luc. 1: 15. *Et Spiritu S. implebitur etiam à ventre matris ſuæ.* & vs. 80. *Ipſe autem puerulus creſcebat, & corroborabatur Spiritu* &c.

& Pontificius. III. Unde nec recte Pontificii partem tantum animæ inferiorem, quam ſenſualitatem vocant, regeneratione opus habere ſtatuunt. Nam & inanis iſta diſtinctio eſt, cum eadem ſit anima, quæ ſentit & quæ intelligit; & Scriptura illam expreſſe τῷ ἡγεμονικῷ, ac parti principi attribuit. *Renovari vero ſpiritu mentis veſtræ.* Eph. 4: 23. conf. Matth. 6: 22.

Illius principium, IV. Principium regenerationis ex ſolo Deo eſt. Unde *ex Deo naſci* dicimur, Joh. 1: 13. Quod adeo verum eſt, ut ſoli Chriſti ſanguini ac merito ea adſcribatur; nam adeo extra poteſtatem hominis ea res eſt, ut anima non niſi à Chriſto redemta, ac ſanguine ejus abluta, iſtud decus acquirere poſſit. Quod apud Johannem eſt, *regenerari ex aqua & Spiritu*, c. 3: 5. Obedientia enim Chriſti aquæ puriſſimæ comparatur. conf. Hebr. 10: 23. *Et abluto corpore munda aqua, retineamus confeſſionem ſpei.* 1. Joh. 5: 6. *Hic ille eſt, qui venit per aquam & ſanguinem, Jeſus Chriſtus.* Cui Spiritus potentia additur. conf. Ezech. 36: 25, 27.

Semen V. Utitur autem ille ad iſtam rem verbi divini ſemine: *Peperit nos per verbum veritatis*, Jac. 1: 18. quod non aliud quam verbum Euangelii & gratiæ eſt. Quod, ut ſolum de amore Dei teſtatur, ita peccatorem ad amorem ejus adducere ſolum poteſt. Agnoſcendum tamen Deo ſolo fœcundante illud animari ac fructus edere poſſe. Novo enim corde & ſpiritu ad illud opus eſt, ut in novali iſto juſtitia & veritas germinet. *Animum mundum crea mihi, Deus, & Spiritum firmum renova intra me* Pſal. 51: 12.

VI. Ut male *Sociniani* hominem ſuis auſpiciis refingi, ac de propria fœtura filium Dei renaſci poſſe exiſtiment: ac præpoſtere Spiritum, qui ad novæ vitæ initia vel maximè neceſſarius eſt, regenitis demum dari doceant. Quæ jam profligata ſunt. Rurſuſque, ut Chriſto aliquam laudem ſervent, ac gratiam ejus agnoſcere videantur, alio errore, non ante mortem ejus regenerationem datam fuiſſe ſtatuunt: quæ videl. per doctrinam ejus, ac cœleſtis vitæ promiſſa, quæ antea non obtinuerint, mundo demum contigerit. Quæ Theologiæ iſtius bellaria ſunt, toties jam recocta, totieſque eliminata, quæ ſemper alia pompa ac apparatu reduci videmus.

VII. Eſt

Digitized by Google

VII. Eſt autem modus regenerationis in *adultis* plerunque valde ſenſibilis, dum novâ iſta luce perculſus animus ſtupet, ac ad proprias ſordes horret & æſtuat, nec ſine motu Spiritus S. opus ſuum peragit. *Hoc audito compuncti ſunt corde.* Act. 2: 37. In *infantibus* autem in Eccleſia natis, interque fauſtas ſanctorum preces in ſinu ejus educatis, aliter ſeſe res habet. Illi enim, dum à teneris Deo dedicantur, ac in ſanctam parentum diſciplinam imbuuntur, magis regenitos ſeſe eſſe deprehendunt, quam regenerari ſenſerunt. Ferè ut in naturali generatione fieri videmus. *& modus.*

VIII. Ad novam autem hanc generationem homo tantum paſſivè ſe habet, ſi primum ejus momentum ſpectes; quomodo & ad generationem naturalem ſe habet: ubi autem novæ vitæ auſpicia adeptus eſt, & ipſe agere incipit. Quod tamen non tam de temporis, quam naturæ ordine intelligendum, ut ſupra non ſemel monitum. Omnis enim regeneratio unico in momento abſolvitur, cum vita ſpiritualis partes non admittat, non magis quam naturalis generatio, vel mortuorum vivificatio. Diſtinguendus autem ab ea eſt prævius ille apparatus, & longa Spiritus molimina, quibus ad converſionem perſæpe viam facit: quæ & in mortuorum ſuſcitatione adhibita legimus: 2. Reg. 4: 34, 36. quæ moram aliquam plerunque admittunt. In iis autem formalis regenerationis ratio non conſiſtit. *In illa homo paſſivè ſe habet.*

IX. Atque ita regeneratio. Quæ licet ſub V. T. quoque fuerit in comparatione prioris creationis, quam per illam exuebant ſancti; præcipuè tamen locum habet ſub N. T. Sicut cum Paulus 2. Cor. 5: 17. καινὴν κτίσιν dicit, in mente maxime habuit τὰ ἀρχαῖα, quæ fuerunt ante manifeſtationem Chriſti, cum populus Dei ſub lege eſſet. Quam novitatem in eo ponit, quod credimus in *ſermonem reconciliationis*, atque ita *ſimus juſtitia in Chriſto*. com. 18, 19, 21. Unde etiam colligit, ſe *neminem cognoſcere ſecundum carnem*. com. 16. Quemadmodum etiam *regenerari ex aqua & Spiritu*, Joh. 3: 5. *per verbum veritatis*, Jac. 1: 18. *nobis prædicatum*, 1. Pet. 1: 25. in emphaſi acceptum, proprium N. T. eſt bonum. *Illa autem in emphaſi proprium N. T. eſt bonum.*

Digitized by Google

vi & evanida luce mentem perſtringit, quomodo & cæteras hiſtorias novimus; ſed intima ac viva rei agnitio, quæ ſuavi ſenſu in animam deſcendens intimos ejus affectus ciet & permulcet: quomodo rem amatam non ſine guſtu quodam ac voluptatis ſenſu novimus, ac identidem recolimus, inque ea imagine ſæpe obhæremus.

VII. Flagitioſe ergo Pontificii fidem, quæ in ævi hujus tenebris unica nobis ad cœlum dux eſt, vel cæcam prorſus faciunt, vel non niſi fumida & incerta face inſtruunt. Nam per ignorantiam eam melius quam per notitiam deſcribi, quidam eorum dixere. Et fidem implicitam, quæ in Eccleſiam tota reſolvitur, quam pro fidei videl. magiſtra & non dubio cœli interprete habent, miris laudibus deprædicant; cum tamen ipſe neſcias quid Eccleſia credat. Quod omnino inſanire eſt, & perindè ac ſi cæcus jactet ſe videre illa omnia quæ luſcus, quem ducem forte nactus eſt, videt. Quanquam etiam majus hic periculum eſt. Cum enim de ſalute noſtra agitur, non aliena, ſed propria fide niti, & propriis veluti manibus Chriſtum apprehendere, proprioque ore ſanguinem ejus haurire debemus, non autem aliena fide ignotam nobis ſalutis ſemitam terere, & fortuito greſſu ad cœlum tendere; qua in re animum ſecurum & lætum habere non poſſumus. Et revera Eccleſia, cum nil niſi humanum nomen ſit, fides, quæ in illam revolvitur, pariter non niſi humana, nec omni errore tuta ac ſecura eſſe poteſt. Quod in Romana Eccleſia ſollemne eſt, ubi merè humana omnia, non inſtituta ſolum pleraque & dogmata, & ſuperba Eccleſiæ moles, ad humanæ reip. formam compoſita, ut partem populumque in mundo faciat, haud ſecus ac alia regna ejuſque noſcendæ ſigna; ſed & fides denique ipſa; & Chriſtiana perſuaſio, ac univerſa religio; quæ cum tam levi fundamento nitatur, altius aſſurgere, & fidens ac ſecura eſſe nunquam poteſt. Sed hoc agunt illi, objecta tam præclari nominis larvâ, ut populum à veri ſtudio avertant, animoſque eorum humiles reddant, quo melius ſervire, ac ab ipſis ſolis pendere, nec ultra quicquam ſapere diſcant. *Et faciebat omnes, parvos & magnos, divites & pauperes, & liberos & ſervos, ut daret ipſis ſignaturam in manu illorum dextra, aut in frontibus eorum.* Apoc 13:16. *Ecce clivatur cujus non eſt recta anima in ipſo: juſtus in fide ſua, vel illius, vivet.* Hab. 2:4.

non vero cæca aut implicita.

VIII. Ut autem fides noſtra perfecta nondum eſt, ſed quotidianos profectus habet, ita non repugnamus *implicitam* eam ſæpe eſſe; tum in pueris & rudibus ad proficiendum paratis; tum etiam

in

in provectioribus, in quibus lux iſta nondum omnes tenebras vicit, ſemperque latet aliquid ac latebit, quod religioſo affectu venerari, quam pervidere magis datur. Quod, utcunque in cœlo demum nudandum, hic tamen credere, & velatum obſignatumque amplecti & poſſidere oportet. Sed differt illa fides immenſum à perplexa Pontificiorum fide. Non enim, ut illa, Eccleſiæ vel hominum cœtui ſeſe ſubjicit, ac pudendum in modum idolo iſti, quod unicum in terris oraculum eſſe putat, deſervit: ſed, uni Deo ſubjecta, ejus ſolius verba audit; quæ ſcrutari quidem omni ſtudio non ceſſat; ſed ita ut ubertatem eorum mirari, plenitudinem adorare, & reconditos ac inexhauſtos ſenſus ſtupere non deſinat. Quanquam in neceſſariis non deficiat, quæ tanta luce perfudit Deus, ut vel infantes in Chriſto ea capere & pervidere poſſint.

2. aſſenſus. IX. *Secundus* fidei *actus*, ſeu potius primus eſſentialis, eſt *aſſenſus* ad verbum gratiæ adhibitus; tum generalis, ad omnia quæ in verbo revelata ſunt; tum ſpecialis ad veritatem Euangelicam, Chriſtum ſufficientem eſſe Salvatorem omnibus ad ſe confugientibus, adeoque & mihi, ſi ad ipſum confugiam. *Qui accepit ipſius teſtimonium, obſignavit quod Deus verus eſt*, Joh. 3: 33. *Fidelis eſt ſermo, & omni receptione dignus, quod Chriſtus venerit in mundum ad peccatores ſalvandum.* 1. Tim. 1: 15. Aſſenſus hic etiam in reprobos cadere poteſt: ſed non ſine aliqua divini Spiritus ope; cum mente animoque adeo corrupti, & tenebris cupiditatibuſque immerſi ſimus, ut infirmam aciem ad tam liquidam lucem obvertere, ac intellectum noſtrum domitum ac ſubjugatum ei tradere non poſſimus. Ut ſola naturæ vi, abſque Spiritu, aſſenſum iſtum elicere homo nulla ratione poſſit. *Animalis vero homo non capit ea, quæ ſunt Spiritus Dei. Stultitia enim illi ſunt. Et non poteſt cognoſcere, quia ſpiritualiter dignoſcuntur.* 1 Cor. 2: 14. *Nullus poteſt dicere Chriſtum Dominum, niſi per Spiritum S.* c. 12: 3.

3. Fiducia; X. *Tertius* fidei *actus*, quin potius eſſentialis ſecundus, eſt *fiducia*, quæ electis ſolis propria eſt, & tum in *Deum*, tum in *rem promiſſam* fertur; ac duplicem actum habet, tum *directum* ſeu *primum*, tum *reflexum* ſeu *ſecundum*.

quæ primò fertur in Deum, per Chriſtum. XI. Ac primum quidem Deum ipſum ac Chriſtum hic fidei actus quærit ac intuetur; atque animam longis erroribus laſſam in ejus ſinum tandem componit, ſuaviterque recumbere ac quieſcere facit. Eſt autem hic præcipuus ac proprie ſalutaris fidei actus nihil aliud, quam

Digitized by Google

Deum in Chriſto amantis & ad eum confugientis, niſus & reclinatio, ſuique in manum ac gratiam Dei traditio & reſignatio: *Sed nitetur Jehovah ſancto Iſraëlis in veritate*, Eſai. 10:20. *Ut validam inhortationem haberemus arripiendi expoſitam ſpem*, Hebr. 6:18. Appellat & Scriptura *famem & ſitim juſtitiæ*, Matth. 5:6. *receptionem* Chriſti, ſive manu, ſive ore factam: iſtis enim ſimilitudinibus utitur: *Quotquot acceperunt eum* &c. Joh. 1:12. *Niſi comedatis carnem filii hominis, & bibatis ipſius ſanguinem, non habetis vitam in vobis*. cap. 6:53. *Experiens an quoque apprehendam, cujus etiam rei cauſa apprehenſus fui à Chriſto Jeſu*. Phil. 3:12. atque hinc arctam cum Deo unionem mutuamque communionem loquitur: *Et inhabitet Chriſtus per fidem in cordibus veſtris*. Eph. 3:17. *Manete in me, & ego in vobis: ſicut palmes non poteſt fructum ferre à ſemet ipſo, niſi manſerit in vite, ita nec vos, niſi in me manſeritis* &c. Joh. 15:3,4.

& inde in rem promiſſam.

XII. Hinc fiducia hæc in *rem promiſſam* quoque fertur, eique ut præcipuo ſuo peculio indivulsè inhæret. Poſtquam videl. in Deum recubuit, ac tantam ſalutem offerri ſibi videt, non poteſt non anima viſu iſto inardeſcere, ac pretioſa illa promiſſa de manu Dei accipere, eique veluti theſauro incubare: *Certiſſimum habens, eum, quod promiſerat, etiam faciendi potentiam habere*. Rom. 4:21. coll. 2. Tim. 1:12. Quo pertinet fidei ὁμολογία, ac mutua cum Deo veluti conſenſio & aſtipulatio, & ſpei robur, & inter ipſas ſæculi labentis ruinas immota mens, & de Deo ſemper anima ſecura. *Conſiderate Apoſtolum & Pontificem aſtipulationis noſtræ Chriſtum Jeſum*, Hebr. 3:1. coll. 4:14. *Teneamus adſtipulationem ſpei indeclinabilem*, c. 10:23. *Parati autem ſemper ad defenſionem omni, qui à vobis petit rationem ſpei, quæ in vobis eſt*. 1. Pet. 3:15. Atque hoc ſenſu fides à Scholaſticis benè appellatur *ſpes corroborata*. *Eſt autem fides eorum, quæ ſperantur, pollicitatio*. Hebr. 11:1. *Qui contra ſpem ſecurè credidit, ſe factum eſſe patrem multarum gentium* Rom. 4:18. *Acceſſum nacti ſumus, qui fide fit, & gloriamur in ſpe gloriæ Dei*. c. 5:2.

Unde exoritur certitudo divinæ gratiæ.

XIII. Atque ex priore illo actu exoritur certitudo & ſenſus divinæ gratiæ, ac animæ ſuavis quies, & ineffabilia illa ſolatia: quæ amoris noſtri quædam repercuſſio, & redeuntes ac reflexi ejus radii ſunt, qui de mutuo Dei amore, ac univerſæ ſalutis ſpe nos certos reddunt. Fidei enim propriè eſt confugere ad Servatorem, eaque tota in illo animæ recumbentis actu conſiſtit. Quod autem illa, jam in ſinu Dei poſita, exultare

Digitized by Google

ac lætari incipiat, ille fidei corroboratæ fructus eſt. Unde nemini contingit niſi qui prius Deo ſeſe tradiderit, inque eum tanquam unicum ſervatorem ſuum recubuerit: *In quo habemus aditum cum fiducia, per fidem ipſius*, Eph. 3: 12. Unde, cum fidem demum conſequatur, ab ea, ſalvâ ejus eſſentiâ, abeſſe, & ad tempus non exeri poteſt. Quare ad fidei iſtam πληροφορίαν contendere, omnique ope niti jubemur: *Et — retineamus adſtipulationem ſpei indeclinabilem.* Hebr. 10: 23. Huc quoque gaudium & pax conſcientiæ ex illa fiducia nata, ſpectant.

Cum hac fiducia conjuncta ſemper eſt charitas.

XIV. Comitatur autem fiduciam hanc ſemper *charitas*. Tam fortis enim animæ ad Deum anhelatio, atque erga illum Deum affectus, & cum ipſo unio & conſenſus, ſine amore ac ſtudio gloriæ ejus eſſe non poteſt. Eſt quippe ipſa fides quidam amoris Dei actus. *In Chriſto valet fides per charitatem operans*, Gal. 5: 6. Sicuti nec verus Dei amor abſque fide exiſtere poteſt. Nemo enim Deum amare poteſt, qui non prius ipſe de amore ejus ſecurus fuerit, eique ut auctori fœderis per ſinceram fidem adhæſerit & adſtipulatus fuerit. Adeo hæc ſe mutuo conſequuntur.

quomodo tamen illa à fide diſtinguatur?

XV. Quanquam fidem à charitate ſtrictè dicta diſtingui non abnuamus. *Nunc autem manet Fides, & Spes, & Charitas, hac tria. Maximum autem horum eſt Charitas*. 1. Cor. 13: 13. Alius enim eſt actus amoris; quo confugimus ad Deum, ac cum eo fœdus facimus, qui primus animæ affectus eſt: alius, quo, de amore ejus mutuò perſuaſi, ipſum attributaque ejus omnia veneramur, & amamus; ac proximum quoque noſtrum, quia Deus in eo glorioſus eſſe poteſt, diligimus; quæ charitas propriè appellatur. Priori actu anima Deum quærit, ejuſque particeps eſſe ſtudet; altero, de Deo ſecura, ſeſe ipſam ac ſua omnia ei viciſſim offert & donat. Qui poſterior animæ motus facilior eſt priori.

Non ſufficit ergo ad fidem aſſenſus generalis, qui charitate deſtitui poteſt.

XVI. Quæ autem de aſſenſu illo generali, qui charitatem interdum habeat comitem, interdum non, adferunt Pontificii, quem pro fide juſtificante venditant, diluta nimis ſunt, & frigida, ac præclaro illo Chriſtianæ animæ affectu indigna. Quæ enim anima de ſalute ſua laborat, inque iſto fidei certamine æſtuat, ac Chriſtum ſitit & anhelat, non levi profecto aſſenſu vel motu ferri, ſed tota in ipſum ruere, cunctoque affectu & amore amplecti illum ac exardeſcere debet. Nam fides niſi viva eſſe non poteſt. Cum tota in curſu ac motu illo, atque animæ niſu conſiſtat.

Unde cadit

XVII. Atque ejuſdem generis commentum illorum, niſi vocabulorum

rum alio uſu ludatur, de *fide informi* eſt, quæ tantum convictionem de veritate Euangelii, & leve forte de eo accepto gaudium dicit; quam tamen diſpoſitivè ad juſtificationem facere, ut principium ac fundamentum ejus; accedente autem deinde charitate animari ac perfici, & plenè hominis juſtificationem abſolvere ſtatuunt. Quæ in concilio Tridentino audita ſunt. Cum tamen fides talis, abſque charitate & pio ullo animæ motu, non ſalutaris fides, ſed informe fidei cadaver ſit. Jac. 2: 17, 18, 20, 22, 26. *fides informis Pontificiorum.*

XVIII. Non rectè tamen iidem charitatem formam fidei ſtatuunt, quæ ipſam ad actus ſuos promoveat. Habent enim ſinguli hi animæ actus propriam formam; &, ſi de operationum ordine quæratur, non charitas, ſed fides prior eſt, quæ charitatis, ita propriè dictæ, fons eſt, dulcemque iſtum ſenſum fidelium pectoribus inſtillat. *In Chriſto valet fides, per charitatem operans.* Gal. 5: 6. *Finis autem denunciationis eſt amor ex puro corde, & conſcientiâ bonâ, & fide non fucatâ*, 1. Tim. 1: 5. Charitatem cæteroquin latiori ſenſu acceptam, ut fidei actus eſt, ita quoque formæ ejus partem eſſe, negari non debet. *Nec tamen charitas fidei formam proprie conſtituit.*

XIX. Nec melius Sociniani & Socinizantes fidem juſtificantem in obedientia præceptorum Chriſti conſtituunt, cum ea animi fiducia, quod per ea juſtitiam ac ſalutem adepturi ſimus. Quæ non eſt *fides in ſanguine Chriſti*, Rom. 3: 25. ſed de mercede obtinenda, poſt obedientiam præſtitam, ex Chriſti promiſſis deſumta fiducia. Eſtque nihil aliud quam *fides legalis*, quæ operibus nititur, quæ ſæpe adeo damnatur in Scriptura, tanquam ſtirps venenata, quæ noxio ſuo ſucco omnem religionem corrumpit. Utque nec *Legi* quidem ſatisfacit illa fides, ita multo minus *Euangelio*, quod funditus evertit; cum pro obedientia Chriſti noſtram obedientiam & noſtra opera inducat. Ac tandem, dum in Chriſto tanquam ſponſore ac vade fiduciam hanc collocant, non exigua *Deum* contumelia afficiunt; dum non ſolum in mero homine, qualem Chriſtum habent, ad ſalutem confidunt, ſed ne Deo quidem fidere, niſi ſponſore homine, in animum inducunt. Cæteroquin, ſi fidem materialiter conſideres, obedientiam eam, ac de Chriſtianarum virtutum numero eſſe non diffitemur: *Accepimus gratiam ad obedientiam fidei.* Rom. 1: 5. Cum autem in juſtificationis negotio ea præcipuè conſideretur quatenus Chriſti juſtitiam apprehendit, non in obedientia fidei, ſed in Chriſti merito omnis fiducia collocanda eſt. *Rejicitur quoque fides legalis Socinianorum.*

XX. *Objectum* fidei quod attinet, conſiderari illud poteſt pro di- *II. Obje-*

 verſis

Digitized by Google

ctum; verſis actibus ejus, & vel aſſenſum, vel fiduciam dicit.

ratione aſſenſus, materiale, eſt teſtimonium divinum:

XXI. Priori reſpectu, quatenus fidus aſſenſum notat, objectum ejus iterum vel materiale, vel formale eſt, illud notat rem creditam, hoc rationem formalem, ſub qua creditur. Illud eſt verbum & teſtimonium divinum, ſive quæcunque à Deo revelata, in cuncta ſua latitudine; ſeu omne Dei verbum, ſpeciatim vero promiſſiones Euangelii. *Qui accepit ipſius teſtimonium, obſignavit quod Deus verus eſt.* Joh. 3:33. Quo nomine etiam illa venire poſſunt, quæ alioquin ratione quoque innoteſcunt, modo eadem à Deo quoque revelata ſint: *Fide conſideramus, aptata eſſe ſæcula verbo Dei.* Hebr. 11:3. *Nam inviſibilia ipſius à creatione mundi rebus factis animadverſa conſpiciuntur.* Rom. 1:20. Quanquam magis occupetur in iis, quæ rationem vel ſuperant, vel laceſſere, ac altercari cum ea videntur: in quibus nobiliſſima fidei victoria eſt: *Qui contra ſpem ſub ſpe credidit —— ac minimè infirmus fide non conſideravit ſuum ipſius corpus jam emortuum* &c. Rom. 4:18, 19. Hoc, eſt eadem Dei veracitas, qua talis. Ita ut fides, licet natura ſua inevidens ſit, certiſſima tamen eſſe non deſinat, quia nititur principio ac teſte infallibili.

formale eſt idem teſtimonium divinum, qua tale eſt; nulla vero humana auctoritas.

XXII. Nulla ergo auctoritas humana fidei principium aut fundamentum eſſe poteſt. Nec aliæ Eccleſiæ hic partes ſunt, quam filiis ſuis Scripturarum campos aperire, mananteſque ibi rivos ac latices oſtendere, eoque veluti ad paſtum deducere. *Invenit Philippus Nathanaëlem, & dicit ei: quem ſcripſit Moſes & Prophetæ, invenimus, Jeſum filium Joſephi à Nazareth,* Joh. 1:46. *Venite,* videte *hominem, qui mihi dixit omnia quæ feci, nunquid is ſit Chriſtus.* c. 4:29. coll. ŷ. 42. & *mulieri dixerunt, non amplius propter tuam loquelam credimus, ipſi enim audivimus, & novimus, quod hic ſit verè Salvator mundi, Chriſtus.* Non autem de ejus ſolius ore oracula divina accipienda ſunt, nec ipſa in fidei dominam evehenda, aut Dei ſolio collocanda, nec piorum denique conſcientiis imponenda eſt. Quâ larvâ Pontificia ſedes diu orbi illuſit. Quod fidei imprimis grave eſt, quæ non aliud quam Dei magiſterium accipere docta, profanum iſtud in Eccleſia ſolium, impiumque ejus ſeſſorem non agnoſcit, ſed deſpuit ac execratur.

Hinc fidei divinæ ſubeſſe nequit falſum.

XXIII. Utque ſolius Dei vocem fides noſtra ſequitur, ita ductu ejus falli & aberrare, & pro divina veritate nubes & inania prenſare non poteſt. Hoc enim eſſet ſummam illam Chriſtiani hominis virtutem in errorem atque animi vitium commutare, ut ne virtus quidem foret, ſed error;

ror, Deumque ipſum falſum & mendacem, & promiſſa ejus caſſa & inania reddere. Unde fidei divinæ ſubeſſe falſum nulla ratione poteſt. Sed quodcunque Deus revelat, & quicquid ex eo ſequitur, id omne verum eſt: *Veritatem noviſtis, & quod omne mendacium ex veritate non eſt.* 1. Joh. 2:21.

ratione fiduciæ, objectum ejus perſonale eſt Deus in Chriſto;

XXIV. Altero ſenſu, in quantum fides animi amorem, & fiduciam, ac reclinationem in Deum per Chriſtum dicit, objectum ejus præcipuum eſt, non veritas vel axioma aliquod theologicum, ſed ipſe potius Deus in Chriſto conſideratus: *Creditis in Deum, etiam in me creditis.* Joh. 14: 1. *Per ipſum* Chriſtum *credimus in Deum, qui reſuſcitavit ipſum ex mortuis.* 1. Pet. 1:21. Non enim ſeparandi illi duo. Nec, *cum Socinianis*, diſtinguendum ejus objectum primarium, quod ſit Deus; & ſecundarium, quod ſit Chriſtus: cum fides objectum ſecundarium reſpuat, nec in alium quam in Deum ferri poſſit; qualis quoque Chriſtus eſt, Patri par & æqualis: *Judicium omne dedit* Pater *filio, ut omnes honorent filium, quemadmodum honorant Patrem*, Joh. 5:22, 23. Nec, *cum Remonſtrantibus*, Chriſti cognitio, ut non neceſſaria, à fide juſtificante ſub Vet. Teſt. excludenda: Cum *nemo veniat ad Patrem, niſi per Chriſtum*, Joh. 14:6. Et *per gratiam Jeſu Chriſti credamus nos ſervatum iri, quemadmodum & illi.* Act. 15:11.

reale, ſunt beneficia Chriſti.

XXV. Pertinent huc quoque beneficia Chriſti, ad quæ fides quoque ſpectat, quatenus fiducia eſt; quæ *objectum* ejus *reale* appellari poſſunt. Promiſſiones enim factas omnibus ad Chriſtum confugientibus fides ſibi applicat, atque ita miſericordiam Dei ſpecialem ſibi reddit: ſicuti Scripturæ illa pars, quæ pretioſa iſta promiſſa continet, *metonymice* objectum fidei vocari poteſt. *Reſipiſcite, & credite Euangelio.* Marc. 1:15.

XXVI. *Subjectum* fidei, eſt tum *commune*, tum *proprium*.

III. Subjectum, commune; homines peccatores,

XXVII. Illud ſunt 1. *homines viatores*, excluſis angelis ac beatis: *videmus enim adhuc per ſpeculum, in ænigmate, tunc vero faciem*, 1. Cor. 13:12. 2. *homines peccatores.* *Adamo* enim in primo ſtatu fides non competebat. Utcunque enim potentiam ad illam habebat, in actum tamen eam deducere nunquam potuiſſet. Pariterque *Chriſtus*, dum in terris ageret, quanquam omni Dei verbo, ac ſpeciatim promiſſioni de præmio ac mercede ſibi debita, aſſentiretur; fidem tamen, qualem nos habemus, iſtudque ex intimo miſeriæ ſenſu ad ſalutis arcem confugium non habuit. 3. iique ſolum ad ſalutem *electi*: *Secundum fidem electorum*, Tit. 1:1. *Vocati, & electi, & fideles.* Apoc. 17:14. 4. & propriè

 adulti,

Digitized by Google

adulti: *adulti*, prout *fides ex auditu* eſt. Rom. 10: 17. De *infantibus* enim cum Scriptura taceat, nec nos ætatis iſtius meminerimus, dicere ſupervacuum eſt. Quanquam Spiritu, fidei auctore, eos ſuo modo non carere certum ſit. *Alioqui liberi veſtri impuri eſſent, ſed ſancti ſunt.* 1. Cor. 7: 14. *Talium enim eſt regnum cœlorum.* Matth. 19: 14. *Et Spiritu S. implebitur, etiam à ventre matris ſuæ.* Luc. 1: 15. Nimis craſſe autem Lutherani fidem illorum adaugent, ex male intellecto loco Marc. 9: 42. *Si quis offendiculo fuerit uni parvulorum credentium in me* &c.

proprium; cor. XXVIII. Proprium autem ac intimum ſubjectum fidei eſt cor hominis: *Dixit Philippus, ſic credis ex toto corde* &c. Act. 8: 37. *Corde creditur ad juſtitiam.* Rom. 10: 10. Quæ vox, Scripturæ uſu, partem animæ principem, tum intellectum, tum voluntatem, ſignificat. Fides enim ſuo modo ad utrumque, aut potius ad ſolam voluntatem propriè pertinet. conf. quæ §. 5. dicta ſunt.

IV. *Cauſa efficiens.* XXIX. Cauſa efficiens fidei eſt Spiritus S. *Habentes eundem Spiritum fidei.* 2. Cor. 4: 13. adhibito verbi miniſterio.: *Euangelium potentia Dei eſt ad ſalutem omni credenti*, Rom. 1: 16. & primâ Eccleſiæ ætate, miraculorum ſubſidio, donec Chriſtiana fides in mundo coaleſceret; quæ tamen moraliter & inſtrumentaliter tantum ad fidem ingenerandam concurrunt. Præcipuus enim ejus auctor ipſe Deus eſt: qui non credendi ſolum potentiam, ſed ipſum actum largitur, ut jam in poteſtate hominis non ſit non credere: *Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille.* Joh. 6: 29. *Et quæ excellens magnitudo potentiæ ipſius in nos qui credimus* &c. Eph. 1: 19. *Ut impleat opus fidei, in potentia.* 2. Theſſ. 1: 11. Contra ac Pontificiorum Eccleſia in concilio Tridentino ſenſit.

V. *Adjuncta: unitas, neceſſitas,* XXX. *Adjuncta* fidei varia ſunt: 1. ejus *unitas*, utpote cum Deus quoque ſit unus, atque una ad ipſum via. Eph. 4: 5. Unde fidelium omnium idem in Deum amor, & fides *ἰσότιμος*, 2. Pet. 1: 1. 2. *neceſſitas*, non præcepti ſolum, ſed & medii. Cum abſque iſto animæ affectu fruſtra Deum adire, ac ſalutem ſperare liceat: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvabitur.* Marc. 16: 16. 3. *imperfectio: Videmus enim adhuc per ſpeculum in ænigmate, tunc verò facie ad faciem.* 1. Cor. 13: 12. Quæ *imperfectio.* ipſi non ſolum cum aliis virtutibus communis, ſed ſpeciali modo propria eſt; cum ſit animæ anhelantis, & necdum perfectam ſalutem poſſidentis, actus; ſemperque adhuc miſeriæ quendam ſenſum habeat; & Deum, quo nondum plenè fruitur, quærere, & abſentem ſuſpirare non deſinat.

& effecta. XXXI. Huc ſpectant quoque fidei *effecta*, quæ illi paſſim tribuuntur.

Digitized by Google

tur. Quod Chriſto nos uniat: *Ut habitet Chriſtus per fidem in cordibus veſtris*, Eph. 3: 17. Quod animum noſtrum, in tutiſſimam arcem perductum, æterna pace perfrui faciat; *Juſtificati igitur ex fide pacem habemus ad Deum.* Rom. 5: 1. Quod per eam libero jam aditu quotidie Deum accedere, atque ad eum loqui liceat: *In quo habemus fiduciam & acceſſum in confidentia, per fidem ipſius*: Eph. 3: 12. Quod æterna & inviſibilia ſperare ſueta, mundum ex alto deſpectet. *Quis eſt qui vincit mundum, niſi credens?* 1. Joh. 5: 5. Dumque ſanctis cogitationibus animum paſcit, carnis quoque tumultus & æſtus extinguere, & adverſus diabolum, ignita tela jaculantem, gradum componere, & pugnantem ſuperare par ſit: *Cui* (diabolo) *reſiſtite, firmi in fide*: 1. Pet. 5: 9. *Qui autem ſunt Chriſti, carnem crucifixerunt, cum paſſionibus & concupiſcentiis*, Gal. 5: 24. Denique, quod Chriſto ſalutis auctore nitens, ipſam tandem ſalutem ac æternam beatitudinem nobis conciliet: *Ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Joh. 3: 16. Quæ omnia huc tandem perveniunt, quod fidei ſit peccatorem juſtificare & ſanctificare. Quæ eſt illa purificatio cordis, ab odio Dei ac ſanctitatis ejus, & à peccati amore, quæ fidei tribuitur. Act. 15: 9.

XXXII. Conſideranda denique fidei diſſentanea, & diverſæ ejus ſpecies, ſaltem analogæ; quæ variæ ſunt. Ac talis imprimis eſt *fides*, quæ *hiſtorica* appellatur, qua divinis dogmatibus, ut hiſtoriæ alicui non multum ad nos pertinenti, adſtipulamur: quam Paulus Apoſtolus γνῶσιν & προφητείαν appellat, 1. Cor. 13: 2. *Multi de principibus credebant in ipſum, ſed propter Phariſæos non confitebantur.* Joh. 12: 42. *Et dæmones credunt, ſed horrent.* Jac. 2: 19. *VI. Diſſentanea. Fides hiſtorica,*

XXXIII. Cui ſi accedat veritatis iſtius quidam guſtus, & animi gaudium, inque Euangelio recipiendo ac publicè profitendo alacritas, iſta jam *fides temporaria* eſt: de qua Matth. 13: 20, 21. *Qui ſermonem audit, & ſtatim cum gaudio ipſum accipit, non vero habet radicem in ſe ipſo, ſed pro tempore eſt.* conf. Luc. 8: 13. Hebr. 6: 5, 6. *Qui ſemel fuerint illuminati, guſtaverintque donum illud cœleſte, & participes facti fuerint Spir. S. guſtaverintque bonum Dei verbum, ac virtutes futuri ſæculi: ſi prolabantur* &c. Quæ à fide juſtificante non duratione ſolum, ut Pontificii ac Remonſtrantes volunt, ſed interiore eſſentia ac natura differt; cum radicem non habeat, nec ſeria ac ſeverâ cogitatione in intimum cordis ſinum penetraverit, illumque impleverit; ſed levi ac non duraturo gaudio luxurians quendam veluti ſtipularum ignem excitaverit; *temporaria.*

Digitized by Google

taverit; qui corda noſtra repurgare non poteſt, ſed ad primam tempeſtatem cito rurſus deflagraturus, nec unquam maturos veræ fidei fructus producturus ſit.

& miraculorum. XXXIV. Pertinet huc quoque *fides miraculorum*, ubi, ex ſpeciali promiſſo, in Chriſti nomine miracula nos patraturos confidimus, de qua 1. Cor. 13: 2. *Si habeam fidem, adeo ut montes transferam* &c. Eſtque ea tum *paſſiva*, in eo qui miraculum effectum recipit; quanquam hæc non uſque neceſſaria eſt; tum *activa*, in eo qui illud peragit. Cum autem miraculorum gloria claruiſſe etiam eos conſtet, qui ſalutari fide carebant, fides illa à fide ſalvifica diſtingui debet: quin & ea minor eſt; atque *prava*, & *inſtar grani ſinapis* appellatur, Matth. 17: 20. *Amen dico, ſi habeatis fidem, ut granum ſinapis, dicetis huic monti, tranſgreditor hinc illuc, & nihil impoſſibile vobis erit.*

Infidelitas & ſuperſtitio, XXXV. Præter diverſas has fidei ſpecies, quarum omnium perfectiones fides ſalvifica comprehendit & ſupergreditur, magis directè ipſi opponitur hinc ἀπιςία ſeu *infidelitas*, inde *ſuperſtitio:* quæ nihil niſi degener Dei cultus eſt; non animæ ad Deum confugientis, ſed Deum judiciumque ejus horrentis, actus; non ex amore, ſed ex odio profectus; qua Deum ſibi trucem, & tanquam durum dominum effingit; quem nonnullo cultu propitiare, & ſævientem veluti oblatâ ſtipe placare nititur, ut habeat quod in judicio reſponſet, & non ſine jurgio ipſi imputet. Quale ſuperſtitionis ingenium deſcribitur in *ſervo* illo *malo*, & *ſegni*, qui talentum ſuum abſconderat: *Domine, noveram te hominem durum eſſe, qui metas ubi non ſeviſti, & inde cogas ubi non ſparſiſti*, Math. 25: 24.

diſceptatio, XXXVI. Pariterque fidei inimica eſt ille animi ambigentis & alternantis æſtus & diſceptatio, motuſque incompoſitus: qualis eſt hominum διψύχων, Jac. 1. qui nec Deo, nec concupiſcentiis ſuis conſtanter obediunt; inter utriuſque motus medii & incerti, & alterno aſſenſu varii, nunc huc, nunc illuc animum alternantes & dividentes. Quod à fidei conſtantia & ſimplicitate longe diverſum eſt. *Melior eſt pauper, ambulans in ſimplicitate ſua, quam* עקש דרכים *perverſus, utens duabus viis, qui dives eſt*. Prov. 28: 6.

& ὀλιγοπιςία. XXXVII. Eſt præter hæc ὀλιγοπιςία, ſeu puſilla fides, quæ non omnem promiſſionem, nec omnem gratiam amplectitur, nec ſatis forti aſſenſu in eam fertur; ita ut in graviori lucta de gradu cedere, ac non parum lædi eam ſæpenumero contingat: *Dixit ei Jeſus, puſille fide cur dubitaſti?* Matth. 14: 31. *Et ſtatim Pater pueri clamans cum lacrymis dixit,*

Digitized by Google

dixit, credo Domine, ſuccurre meæ incredulitati, id eſt, infirmæ meæ fidei. Marc. 9:24. Cui opponitur fortis ac robuſta fides, quæ nullas promiſſorum altitudines horrens, nullis repulſis fatigata, mundo vero major ac celſior, victricem ſeſe ac triumphantem cœlo infert, auditque ruentes ſub pedibus nimbos, & rauca tonitrua calcat: *Amen dico vobis, ne in Iſraële quidem tantam fidem inveni.* Matth. 8: 10.

Diſcrimen fidei V. & N. T.

XXXVIII. Generalem fidei conſiderationem excipit nunc paucis *fides Novi Teſt.* quæ non natura ſua ac eſſentia, ſed gradibus tantum à fide Veteris Teſt. diſcrepat. Siquidem *unus eſt Dominus, una fides.* Eph. 4: 5. *Atque unus eſt Deus, qui juſtificabit circumciſionem, quæ eſt ex fide, & præputium per fidem.* Rom. 3:30. Hæc autem præcipua diſcrimina ſunt. 1. Eſt in Novo Teſt. major myſteriorum cognitio, quæ cum veteri tempore maximam partem clauſa & velata eſſent, nunc, nudante Chriſto, cunctaſque umbras ſua luce perfundente, aperta cunctiſque expoſita ſunt: *Et illuminem omnes, quæ ſit communio myſterii, quod occultum fuit à ſæculis in Deo.* Eph. 3:9. *Ut retecta facie gloriam Domini nunc contemplari* liceat, 2. Cor. 3: 18. 2. Quo pertinet modus ille docendi in Vet. T. qui, præter primariam promiſſionem patribus factam, quæ omnis Catecheſeos fundamentum erat, ænigmatibus fere conſtabat, quorum *clavis* certis quibuſdam hominibus credita erat. Luc. 11: 52. nunc autem cum voces Dei palam extent, ac cunctis fidelibus eas audire datum ſit, majori in luce Deum videmus, & non timide ſalutem ſperamus, cujus rationem omnem explanatam & palam expoſitam videmus, & non jam hominibus, ſed ipſi Deo immediatè credimus. 3. Faciebat enim etiam illud non leve Veteris Novique temporis diſcrimen, quod tum quidem Eccleſiæ fides non adeo liquido ſolo Deo niteretur, ſed homines præterea interpretes & internuncios habebat: qualis ex. gr. Moſes erat, de quo Exod. 14: 31. *Et credebant in Jehovam, & in Moſem ſervum ejus.* coll. cap. 19: 9. & 1. Cor. 10: 2. *Et omnes in Moſem baptizati ſunt, in nube, & in mari.* Novi autem Teſtamenti fides ipſo Domino teſte gloriatur: *Nam multis vicibus multiſque modis olim Deus locutus patribus in prophetis, ultimis diebus hiſce locutus eſt nobis in filio.* Heb. 1: 1. *Baptizantes ipſos in nomine Patris, Filii & Spir. S.* Matth. 28: 19. Qui tres illi teſtes ſunt, qui ſunt in cœlo, & quorum opera in terris teſtantur. 1. Joh. 5: 7. 4. Sed major præſertim in Nov. Teſt. fiducia, & lætitia, & libertas, & gaudium, & gloriatio eſt. Cum enim Veteris Teſtamenti fideles, nondum parta ſalute, famem ſitimque perpe- tuo

ration: cognitionis, modi docendi, teſtium; libertatis & lætitiæ.

Digitized by Google

tuo tolerarent, & longo deſiderio cruciarentur, fides eorum potius ſpes & expectatio quædam erat, unde *προηλπικότες ante ſperantes in Chriſto* dicti Eph. 1:12. quam non ſine lucta & certamine exercere poterant, ad ſingula momenta pavitantes trementeſque, ex *Spiritu* illo *ſervitutis*, Rom 8: 15. ac *mortis metu*. Hebr. 2: 14, 15. Nunc autem in Novo Teſtam. mera eſt fides, Gal. 3:23,24. & de ſalute conſummatâ gaudium, & gratiarum actio, & gloriatio, & libertas, & cuncti denique filiorum affectus. Rom. 8: 15. Gal. 3: 14. Unde *conſummata* ea Eccleſia dicitur. Hebr. 11: 40. Et palam gaudere, *ſibique benedicere* jubetur, Eſai. 65: 16. Gal. 3: 8, 9. Eſai. 45: 25. Quæ eſt illa ad ſacrificium Chriſti *ὁμολογίᾳ*, Hebr. 3: 1. Quæ confeſſio & ipſa ſacrificium eſt. Hoſ. 14: 3. Hebr. 13: 15. Poſt ſacrificium enim Chriſti nihil aliud ſupereſt quam hæc ſacrificii ac mortis ejus perpetua commemoratio & celebratio. 1. Joh. 2: 1, 2. Atque ita fides Novi Teſt. verè gloriam Deo tribuit, atque *obſignatio* eſt, *quod Deus ſit verax*. Joh. 3: 33.

LOCUS TRIGESIMUS OCTAVUS

DE

Progreſſu beneficiorum Chriſti, in juſtificatione eique annexis beneficiis.

CAP. V.

De Juſtificatione.

Doctrinæ de JUSTIFICATIONE *gravitas & neceſſitas.*

I. AD *fidem* ſequitur *juſtificatio*, tanquam effectum ejus. Atque ita ad gravem hunc Chriſtianæ fidei articulum pervenimus, qui univerſæ religionis præcipuum caput & compendium eſt. Cum enim religio omnis in eo verſetur ut peccatorem Deo uniat, ſitque inſtar ſacri vinculi, quod Deum hominemque poſt longum divortium rurſus veluti colliget, & conjungat, ruptumque olim cœli commercium redintegret; certe in hoc capite ea vim ſuam exerere debet. Hîc enim vera unionis ac amicitiæ cum Deo

Digitized by Google

Deo tradenda ratio eſt: in quo ſi quis aberret, corruptæ religionis infamiam declinare non poteſt. Ut hic articulus cæterorum omnium regula ac norma ſit, ad quem illa exploranda ac judicanda ſunt, atque ex juſtificatione hominis procurandâ, an ſana an vero inſana fuerint, facile oſtenditur. Unde non aliam religionis noſtræ notam malumus, quam hoc de juſtificatione dogma (quod Reformatis Eccleſiis veluti proprium vindicare licet) in quo ſi digna Deo & juſtitia ejus, digna Chriſto & ſacrificio ejus, atque homini denique omnique ejus ſtatui apta & convenientia docuerimus; certe doctrinam hanc neque in reliquis articulis labare, & Deo non indecoram, hominumque ſaluti non incommodam judicare licet.

II. Eſt autem *juſtificationis* vox Eccleſiæ propria, quomodo & multa alia vocabula notare licet, è ſæculo in Eccleſiam adoptata: habetque ſemper in Scriptura uſum forenſem. Vide Exod. 23: 7. Deut. 25: 1. Prov. 17: 15. Jeſ. 5: 23. Matth. 12: 37. Luc. 18: 14. Act. 13: 39. & præcipuè Rom. 8: 33, 34. *Quis intentabit crimina adverſus electos Dei? Deus eſt, qui juſtificat. Quis eſt qui condemnet? Chriſtus eſt qui mortuus eſt, imo vero qui etiam ſuſcitatus eſt* &c. Notat autem juſtum aliquem habere, agnoſcere, declarare: ſive juſtus ipſe & ſanctus ſit, 1. Tim. 3: 16. *Deus juſtificatus eſt in Spiritu:* ſive peccator exiſtat. Quæ hujus loci ſignificatio eſt. Ac convenit talis juſtificatio vel ipſi judici, juſtum aliquem pronuncianti. Rom. 8: 33. *Quis intentabit crimina? —— Deus eſt qui juſtificat:* vel advocato, pro reo reſpondenti, & accuſationis tela amolienti; quo ſenſu Chriſto peculiariter attribuitur, Jeſ. 53: 11. *In cognitione ſui juſtificabit juſtus ſervus meus multos:* & denique impropriè valde ac metonymice hominibus qui alios juſtitiæ viam docent, tribuitur. *Et qui multos juſtos fecerunt, erunt ut ſtellæ.* Dan. 12: 3. *Juſtificationis vox,*

III. Atque hic in ipſo limine offendunt *Pontificii*, & vocabuli ſenſum corrumpunt, quod ipſos deinde in re ipſa non leviter aberrare fecit. Alexander enim Alenſis, juſtificationem liberi arbitrii rectitudinem eſſe dixit. Thomas non multo felicius eam eſſe motum ex morali & phyſico compoſitum; partimque peccatorum remiſſione, partim juſtitiæ infuſione conſtare ſtatuit. In Tridentino autem concilio loca apud Paulum de juſtificatione agentia effectivè tantum intelligi debere Soto contendit. Atque ita hodie Pontificii eam cum ſanctificatione propemodum confundunt. In quo vocis abuſu ſocios habent *Mennonitas*, qui ut juſtum ſanctumque, ita quoque juſtificationem & ſanctificationem pro eodem habent. *detorta à Pontificiis aliiſque:*

Digitized by Google

contra S. Scripturæ uſum IV. Quæ contra Scripturæ uſum ſunt, quæ non aliam hujus vocis ſignificationem quam moralem & relativam novit, & apertè juſtificationem à ſanctificatione diſtinguit, 1. Cor. 1:30. Illa autem velle conjungere vel confundere, eundemque motum moralem & phyſicum ſtatuere, eſt ſibi ipſi contradicere; & gradum ad relativam juſtificationem, imputatamque juſtitiam omnem abnegandam præbet. Quicquid autem de Latinæ vocis ſono ſit, iſtud leve nimis argumentum eſt, cum & alia ejus generis ſint, quæ tamen realem mutationem non inferunt, neque illud Græcis Hebræiſque vocabulis, quibus Spiritus S. uſus eſt, quiquam præſcribat.

Triplex juſtificationis diverſitas vel gradus. V. Juſtificatio ipſa, pro triplici hominis ſtatu, triplicem veluti vultum habet: dum alia eſt hominis *integri*, alia *peccatoris*, alia denique hominis *regeniti*, atque in iſtis ſanctitatis auſpiciis Deo rurſus placere incipientis; quibus gradibus ea à nobis conſiderari quoque meretur.

VI. In *ſtatu primo* juſtificatus homo fuiſſet ex legis primævæ obedientia; quæ in corde ipſius inſcripta cum lege morali eadem erat. Atque adeo legalis fuiſſet ibi juſtitia, dum homo ex operibus vitam ſperaviſſet, non quidem ex condigno, ſed ex liberali Dei pacto.

I. In ſtatu primo, per juſtitiam propriam. VII. Quanquam accuratè loquendo, ibi non tam proprii nominis juſtificatio, cum nulla ibi fuiſſet labes, quam obedientis hominis remuneratio, amoriſque ejus acceptio, & publica operum ejus commendatio ac laudatio locum habuiſſet; idque non tam ex ſtricta lege, quam ex Dei bonitate ac liberrimi amoris ejus ingenio. Agebat enim tum homo in ſtatu amicitiæ cum Deo; atque ad inſtar filii in paterna domo, ſi unicum de non guſtandâ arbore præceptum excipias, non alia quam amoris lege tenebatur; quam ubi impleviſſet, Deus amori iſti non reſpondere non poterat.

II. In ſtatu peccati. VIII. Sed per peccatum univerſus iſte ſtatus, & qualiſcunque illa juſtitia, ac juſtificatio deſiit; neque ex operibus ſalutem ſperare homo amplius poteſt. *Non juſtificatur apud te ullus vivens.* Pſal. 143:2. Sed in Chriſto ſolo eam quærere debet. Atque ita, pro alio hominis ſtatu, atque alia, quam nunc quærere debet, juſtitia, ſequitur quoque alia juſtificationis facies; juſtificatio videl. peccatoris, quæ ex ſola fide ſine operibus & lege peragitur, ob ſolum Chriſti meritum. In qua conſiderandum 1. Quæ ad eam juſtificationem requiratur juſtitia? ſive quænam ſit illius *materia* ac fundamentum. 2. Quomodo ejus participes evadamus? ſive quænam illius ſit *forma*. 3. Denique quomodo ea

cum

cum juſtitia operum nullâ ex parte conſiſtere queat?

Ubi juſtitiæ juſtificationis materia eſt juſtitia Chriſti imputata.

IX. *Juſtitia*, quæ in hac juſtificatione valet, non alia eſt, quam juſtitia Chriſti, nobis imputata. Quod facile patet. Cum enim duplex tantum detur juſtitia, vel noſtra vel aliena, ac juxta eam duplex juſtificationis ratio, Rom. 4: 4, 5. Scriptura 1. noſtram juſtitiam aperte removet, dum de homine peccatore ac reo ſeſe agere profitetur: ***Omnes enim peccarunt, & poſteriores ſunt gloriâ Dei***, Rom. 3: 23. qui ***credit in eum, qui juſtificat impium***. Rom. 4: 5. Et 2. alteram illam juſtitiam perpetuo urget & docet, ac Dei & Chriſti eam juſtitiam appellat, & gratiæ unicè attribuit: *Juſtitia, quæ ex Deo eſt, ad fidem*. Phil. 3: 9. *Feci propinquam juſtitiam meam, non elongabitur*. Eſai. 46: 13. *O Jehova juſtitia noſtra*. Jer. 23: 6. *Qui factus eſt nobis juſtitia a Deo*. 1 Cor. 1: 30. 3. Cumque ea noſtra niſi imputatione fieri non poſſit, neque alius ejus adipiſcendæ modus ſit, eam denique imputari nobis manifeſto dicit; voce λογίζεσθαι adhibitâ, quæ è mercatorum tabulis deſumta ab Apoſtolo frequenter in hac materia uſurpatur. Rom. 4. Atque eadem aliorum quoque locorum ſententia eſt, præſertim Rom. 5: 15. *Si enim unius lapſu multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei, & donatio in gratia, quæ eſt unius hominis Jeſu Chriſti, in multos abundavit*. & 2. Cor. 5: 21. *Fecit enim, ut qui non novit peccatum, pro nobis peccatum eſſet, ut nos efficeremur juſtitia Dei in eo*.

malè negata à Pontificiis.

X. Ut perverſe Pontificii juſtitiam hanc imputatam negent, &, per varios olim errores ac ſuperſtitiones afflictam, in Tridentina tandem Synodo anathemate ferierint; quaſi ea merum figmentum, & juſtitiæ ſimulachrum ac idolum eſſet. Iſte enim color adferebatur, atque ita multos ex Patribus iſtis Proteſtantium ſententiam cepiſſe conſtat, quaſi illi hominem, utcunque introrſum turpem ac maculoſum, externa iſta juſtitiæ veſte tantum obtectum, Deo ſatis placere docerent, nec ultra quidquam præterea requirerent. Cum tamen longe aliûs generis ſit hæc juſtitiæ Chriſti imputatio; nec quid ea rei ſit ignorari debuerit ab iis, qui Sanctorum merita, & indulgentiarum fumos, tam pretioſè vendere, atque in iſtis mercimoniis præcipuum Eccleſiæ ſuæ quæſtum exercere non deſinebant. Illâ tamen ſpecie, ac inſontis vocabuli odio, dumque præterea illi ſuo quæſtui aliiſque erroribus abundè faverent, ac internam juſtitiam & ſanctitatem nimis admirarentur, inque eâ adeo ſtuperent, ut vel pro Dei tribunali eam tueri tantum non auderent, ſenſim juſtitiam Chriſti elabi ſibi paſſi ſunt, eamque profitentes diris ſuis percu-

 lerunt,

lerunt, anathema dicentes illis, qui nos formaliter juſtificari juſtitia Chriſti ſtatuunt.

illorum ſophiſmata. XI. Sed & collectiones quaſdam ſcholaſticas audiamus, quibus Eccleſiam pretioſo hoc juſtitiæ Chriſti theſauro privare ſeſe poſſe putant. Nam & incongruam, & impoſſibilem, & nullam denique eam eſſe oſtendere ſatagunt. Ac primum quædam de qualitatibus internis ac inhærentibus cavillantur, ac cum iis juſtitiam hanc imputatam comparant. Quod alienum eſt. Non enim, *ut alterius doctrina eruditus, vel albedine albus nemo dici poteſt*, ita nec Chriſti juſtitia nos juſtos dici poſſe verum eſt. Nam non inhæſive nos juſtos juſtitiâ Chriſti prædicamus, quo allata exempla ſpectant; ſed imputativè ac relatione quadam. Atque ex eodem fonte eſt, quod, *ſi juſtitia Chriſti noſtra ſit, nos æque juſtos ac ipſe Chriſtus, & tantum non mundi Servatores fore* inferunt. Illud enim rurſus de inhærente juſtitia concludit. Nos autem, non Chriſti juſtitiam nobis inhærere, verum imputante Deo noſtram fieri, idque non pro univerſo valore ſuo, ſed quantum uniuſcujuſque noſtrum neceſſitas flagitat, docemus. Addunt: *Saltem dari in nobis juſtitiam ac ſanctitatem aliquam internam; atque adeo ab ea potius, quam ab extrinſeca Chriſti juſtitia juſtos nos vocari oportere: cum duabus in ſubjecto aliquo formis exiſtentibus, illud non à formâ adhærente, ſed inhærente denominari æquum ſit.* Verum hoc locum hic non habet; cum non ea nos intrinſeca ſanctitate polleamus, quæ coram Deo judice conſiſtat, ut ea gloriari noſque ipſos commendare multum liceat; de qua tamen juſtitia unicè quæritur. Quod denique talem juſtitiam revera nullam, ac merum idolum eſſe urgent, *cum ea ne quidem in Adamo extiterit, nec ab eo amiſſa, ac proinde à Chriſto neque reddita ſit:* id inde eſt: quod non aliam quam inhærentem juſtitiam perpetuo cogitant; hæc autem juſtitia nihil aliud eſt quam peccatorum remiſſio, quam in primo Adami ſtatu obtinuiſſe mirum non eſt; & præterea beatum illum ſtatum includit, quo Adamus, ſi perſeveraſſet, perveniſſet, nos autem ob labem ipſius caremus, & non niſi Chriſti merito rurſus poſſidemus. Quæ nulla ac imperceptibilia eſſe dici non poteſt. Sed non ſine blaſphemiâ tandem deſinunt, hominemque Chriſti merito juſtum cum Æthiope comparant, *qui, quod toga alba indutus incedat, eo albus dicatur.* Quæ ſæva ſunt, ac Chriſtianæ animæ fidem ac ſpem in Chriſtum irridentia. Quid enim, an pretioſus ille juſtitiæ Chriſti pannus nuditatem noſtram tegere, nec purpura iſta nos ornare quicquam poteſt? an piamenta ejus animæ noſtræ ſordes abluere non

Digitized by Google

non poſſunt? an ipſe ſanguis ejus jam vilis eſt? ac majori denique in pretio erunt laceræ noſtræ juſtitiæ veſtes, & conquiſitę undique Sanctorum laciniæ, & ſic Eccleſia ornata, & peregrino cultu adjuta ſponſo ſuo placere poterit? ſed quicquid hi Sophiſtæ audeant, obliquarum mentium iſtæ ſubtilitates ſunt, ac præſtigioſæ quædam ſutelæ, & infelices nodi, quibus ſe ipſos perdere, & maxima Euangelii parte fraudare amant; quibuſque veluti armis contra magnam iſtam veritatis lucem ſe tutari opus habent. Certe vel in mediis Papatus tenebris, cum pii adhuc in carcere iſto attinerentur, nondum omnes lucis iſtius radii extincti fuerunt, ſed vel difficillimis Eccleſiæ temporibus hinc inde emicuerunt. Ut ex Bernardo potiſſimmum patet, poſterioris ævi ſcriptore, quo nemo plenius, & ad ſolandas conſcientias aptius, de primario hoc religionis capite ſcripſit.

Quæ juſtitia imputata bimembris eſt.

XII. Juſtitia autem illa Chriſti nobis imputata bimembris quaſi eſt. 1. injuſtitiæ noſtræ per ſufficientis pœnæ λύτρον compenſatio. 2. univerſalis juſtitiæ legis præceptis debitis exſolutio; ſeu univerſalis & perfecta erga caritatis legem ad mortem uſque obedientia. Deut. 27:26. Rom. 6:23. Joh. 8:29. 17:4. Phil. 2:8. Prior cum in Chriſti paſſionibus ac morte maxime emicuerit, vulgò *paſſiva*; poſterior vero cum in vitæ actionibus præcipuè effulſerit, *activa* dici ſolet.

Ubi non divellenda juſtitia Chriſti activa à paſſiva.

XIII. Longius ergò abeunt, qui non ſolum obedientiam Chriſti activam & paſſivam quomodocunque diſtinguunt, & ſcrupuloſis quibuſdam tricis illâ vitæ hæreditatem quæſitam, hac autem mortis reatum extinctum docent; verum iſtas unius juſtitiæ veluti partes à ſe mutuo diſcerpunt, ac juſtitiam Chriſti tantum non violant ac lacerant. Dum eam omnem nobis adſcribi vetant, & activam obedientiam Chriſto ſoli relinquendam, nobis autem paſſiones ac ſanguinem ejus donatum tantum volunt: quam ſententiam inter noſtros magno olim ardore propugnavit Olevianus & Piſcator. De qua re nos ita ſtatuimus: 1. non ſine aliqua vocum diſcordiâ obedientiam Chriſti in activam ac paſſivam diſtingui: cum ea omnis activa ſit, nec alibi amor ac obedientia ejus magis emicuerit, quam mediis in paſſionibus; quæ ſine illo amoris certamine ac luctâ, atque animæ Dei gloriam quærentis laboribus non illud pretium habuiſſent. Nunc autem vel maximè probata eſt ejus obedientia, oſtenſuſque amoris ardor, quod *obediens fuerit ad mortem, mortem autem crucis*, Phil. 2:8. 2. male autem hæc eum in finem diſtinguuntur, ut ea ſeparent, alteramque obedientiæ partem nobis tribuendo, abrogent alte-

ram;

Digitized by Google

ram; atque activam obedientiam ipſi Chriſto vindicantes, nobis ſolum ejus ſanguinem, mortiſque pretium relinquant. Quæ inſincera ſunt: cum quicquid Chriſtus præſtitit, & quicquid vivens morienſque peregit, id omne ad juſtitiam requiſitum, nobiſque debitum fuerit; atque unicum δικαίωμα, unicamque tandem juſtitiam effecerit, quæ peccatori ad Deum adducendo opus erat: quæ non ſeparanda, aut aliquam partem abneganda, vel denique in hac vel illa obedientiæ parte collocanda, ſed tota agnoſcenda & prædicanda eſt, cum ex tota ea exurgat & abſolvatur. 3. Non ſolâ enim morte ac paſſionibus ejus ſalus noſtra procurari poterat. Præterquam enim, quod ne Chriſti quidem paſſiones, abſque illibatâ illâ vitæ ſanctitate, pretium ſuum habuiſſent, ejuſque potius pars quædam ac complementum, obedientiæque iſtius univerſæ veluti compendium fuerunt: ipſa etiam illa perpetua vitæ ſanctitas, & inoffenſus obedientiæ tenor, ad juſtitiam noſtram requirebatur, & ſuum in ea conſtituenda locum habuit. Cum enim non ſolum peccatorum remiſſio, ſed & vitæ hæreditas acquirenda nobis foret; neque legis, cujus juſtitia in agendo potiſſimum conſiſtit, quæque iſtam formulam habet, *qui fecerit ea homo, vivet in iis*, jus ac poſtulatum ignotum foret, illa omnis à ſponſore noſtro adimpleri debebat, ut nos juſti haberemur, atque ſuffragante ea beatitudinem adſequeremur. Quomodo & Scriptura Chriſtum nobis *factum* dicit *à Deo ſapientiam, juſtitiam, ſanctitatem & redemtionem*, 1. Cor. 1: 30. eumque *finem legis* nominat, *ad juſtitiam omni credenti*, Rom. 10: 4. atque *eum ſeſe legi ſubjeciſſe* tradit, *ut nos redimeret*, Gal. 4: 4. quæ vitæ obedientiam dicunt. Quomodo & obedientia ejus Adami inobedientiæ ab Apoſtolo opponitur; cujus utriuſque in mundo veluti regnum ac hæreditatem deſcribit. Rom. 5: 17, 18, 19.

XIV. Quod urgent, *Chriſtum pro ſe ipſo activam obedientiam debuiſſe, eoque nobis eam cedere non poſſe*, leve eſt. Cum rite rem æſtimanti verum non ſit, Chriſtum per ſeſe divinæ legis poſtulatis obnoxium fuiſſe, iſtumque obedientiæ curſum pro ſeſe debuiſſe, nec aliter beatitudine potiri potuiſſe, quam ſub lege domina & arbitra: de quo lib. 11. cap. xv. §. 9. actum. Cum ſine gloriæ detrimento in terras venire, atq; humanis exuviis ſe conveſtire, palamque iſto in corpore Deum fateri, rurſuſque ſine certamine, ac longo obedientiæ curſu, ad cœlum contendere potuiſſet. Hominum enim viatorum iſte ſub lege ſtatus ac ſervitus eſt; non Dei filii, in humano corpore hoſpitantis, terriſque tantum ſeſe oſtendentis. 2. Quod autem nunc viatoris perſonam aſſumſerit, id

amoris

Digitized by Google

amoris erga genus humanum, ac ineffabilis cujuſdam bonitatis fuit. Quod cum pro nobis omne præſtiterit, quicquid illo in ſtatu geſſit, noſtrum eſt. Adeoque non abſurdum videri debet, eum ſtrictiſſimam obedientiam iſto in ſtatu pro ſeſe debuiſſe (viator enim, & pro humanâ gente ſponſor erat) interimque eam omnem, pro nobis exhauſtam, nobis quoque in bonum ceſſiſſe: nam hoc ultro ad ſtatum illum conſequitur; nec aliter ſponſoris perſonam gerere poterat: *Emiſit Deus filium ſuum — factum legi ſubjectum, ut eos, qui legi erant ſubjecti redimeret.* Gal. 4: 4, 5.

XV. Quod ad cæteras ipſorum rationes attinet, illæ inanibus quibuſ- *Aliter ſentientium rationes.* dam cavillis nituntur, quale eſt, cum ita inſtituunt: *Unum idemque eſſe juſtificationem cum peccatorum remiſſione; & cui peccata remiſſa ſunt, eum hoc ipſo vitæ æternæ hæredem reddi; peccato quippe clauſam olim cœli regiam, eo ablato rurſus patere; remiſſionem autem peccatorum ſolo Chriſti ſanguine obtingere, nec ad id juſtitia ejus activa opus eſſe.* Quæ collectio non procedit, cum remiſſio peccatorum & juſtificatio, quanquam conjuncta, non tamen eadem ſint: & remiſſio peccatorum juſtificationis pars & gradus tantum ſit, præter quam præterea requiritur vitæ æternæ adjudicatio, ad quam perfecta legis obedientia opus eſt. Ut culpas noſtras Chriſti ſanguine elui non ſatis ſit, atque ita impedimentum, quod nos à cœli regiâ arcebat, tolli, niſi ejus præterea obedientia nos juſtos, & cœleſti hæreditate non indignos conſtituat.

XVI. Similis generis eſt & alia argutatio; *qui non injuſtus eſt, jam juſtum eſſe; ſublata enim privatione poni habitum, veluti ſublata morte vita, ac nigredine ablatâ albedo ponitur.* Quæ de habitu inhærente ac mutatione phyſica concludunt, & de ſanctificatione agunt; à qua ad mutationem moralem & relativam, atque ad juſtificationem, non recte tranſitus fit: in qua multum diverſa ſunt, reatum auferre, & jus ad vitam æternam dare; auferre mortem, & conferre vitam; quanquam diviſa nunquam ſint, ſed ſemper inter ſe conjuncta. Nec aptius concludit, quod de *lege* addunt, *eam aut obedientiam aut pœnam poſtulare; unde ſolâ Chriſti morte illi ſatisfactum*: cum revera utrumque à peccatore poſtulet; nec ad vitam æternam niſi obedienti ac juſto ſuffragium ſuum præſtet. Nec recte tandem *nos obedientiâ legis ſolvi putant, ſi Chriſtus pro nobis obedierit*: cum aliæ obedientiæ noſtræ maneant cauſæ; rectiuſque de morte ac afflictionibus piorum id contra adverſæ ſententiæ patronos retorquere liceret. Verum hæc quidem miſſa faciamus.

Digitized by Google

Juſtificationis forma, in imputatione juſtitiæ Chriſti.

XVII. Forma juſtificationis eſt univerſalis hujus bimembris juſtitiæ Chriſti imputatio. Rom. 4:11. 5:18,19. 1. Cor. 1:30. 2. Cor. 5:21. quæ dupliciter peragitur, cum à parte Dei, tum noſtra. Deus nempe dat, imputando illam nobis, ac ſi ipſi omnia feciſſemus; nos vero eam accipimus fide, per quam illius participes evadimus. *Ut remiſſionem peccatorum & ſortem inter ſanctificatos accipiant per fidem quæ eſt in me.* Act. 26:18.

cujus duæ ſunt partes.

XVIII. Conſiſtit autem illa juſtitiæ Chriſti imputatio in duabus partibus 1. in peccatorum remiſſione: 2. in vitæ æternæ adjudicatione. Non enim mera hic tantum venia locum habet.

1. Remiſſio peccatorum.

XIX. *Peccatorum remiſſio*, de qua Apoſtolus Rom. 4:6. ex Pſal. 32:1. duplici ſub ſimilitudine, cum tranſportationis peccatorum, tum eorundum obtectionis, Chriſti veluti paludamento ac veſte factæ, agit: *Beatus, cujus defectio* נשוי *ablata eſt; cujus peccatum* כסוי *tectum eſt*: præcipuè à ſatisfactione Chriſti dependet, ejuſque ſanguini paſſim adſcribitur: *Sanguis Jeſu Chriſti, filii ipſius, purgat nos ab omni peccato*: 1. Joh. 1:7. *Sed ſanguine pretioſo, ut agni inculpati & immaculati, Chriſti*, redemti eſtis. 1. Pet. 1:19. *Multo igitur magis, juſtificati nunc in ſanguine ipſius, ſalvabimur per ipſum ab ira.* Rom. 5:9.

2. Ius ad vitam æternam.

Jus autem ad vitam æternam ex Chriſti juſtitia & δικαιώματι naſcitur; quæ vitæ mortiſque obedientiam comprehendit, quæ omnis nobis donatur, ut ea ratione ipſi quoque vitâ non indigni habeamur. *Ut jus legis impleatur in nobis.* Rom. 8:4. *Ad adducendam juſtitiam æternam.* Dan. 9:24. *Sic enim decet nos implere omnem juſtitiam.* Matth. 3:15. Quanquam hæc ita non ſint divellenda, ut juſtum inter peccatorum remiſſionem & novæ juſtitiæ imputationem, inter ſatisfactionem Chriſti & meritum, denique inter obedientiam ejus activam & paſſivam diſcrimen ponendum ſit: conceptu enim ſolo illa ſeparantur, reipſa autem conjuncta ſemper & eadem ſunt.

Juſtitia illa imputata à nobis apprehenditur fide.

XX. Sequitur 2. examinandum, qua viâ juſtitiæ Chriſti participes evadamus. Quæ non alia eſt quam *fides*. Sicuti enim juſtificationis cauſa principalis eſt gratia Dei; meritoria, Chriſti redemtio; formalis, illius ἱλαστήριον *propitiatorium*; ita inſtrumentalis, eam apprehendens, unica eſt fides in ſanguine ejus. Rom. 3:24,25. Qua veluti manu Dei gratiam amplectimur, nobiſque ipſis applicamus. Quæ Veteris Eccleſiæ perpetua doctrina ad ipſa reformationis tempora duravit; quando ea nondum omni luce extinctâ, à duobus Belgii tum temporis luminibus, Rudolpho Agricola, & Weſſelo Gansfortio, defenſa legitur; à Luthero autem,

Digitized by Google

autem, in monaſterio, ex ſacerdotis ſenis ore hauſta, A. 1518. in Auguſtinianorum Cœnobio publicis theſibus expoſita, quanquam ringentibus plurimis, pulcherrimum ad magnum illud Reformationis opus auſpicium fecit.

XXI. Fides autem hic conſideranda eſt, non ut ipſa juſtitia noſtra; ſive ut *δικαίωμα meritum*, atque id quod juſtum facit, quodque vitæ petendæ cauſa eſt; vel ut illud, à parte noſtra, quod Deum quomodocunque moveat ad nos juſtos pronunciandos; vel ut nova fœderis conditio, à Deo ex placito electa, atque à nobis præſtanda, ex qua, antiquata veteri lege, ſalutem nunc ſperare liceat: illa enim aliena ſunt: ſed ut medium communionis cum Chriſto ac juſtitia ejus; ac ut inſtrumentum illud, quo donum juſtitiæ in Chriſto per Euangelium oblatum accipimus. Per illam enim, ut *ὁμολογίαν confeſſionem* & aſſenſum noſtrum, Chriſti promiſſiones accipimus, imò per illam, ut primam productionem Spiritus ipſius, illi inſerimur. 1. Cor. 12:13. Unde apprehenſive, inſtrumentaliter, objective & correlativè juſtificare in ſcholis dicitur. Qui loquendi modi aliud pro juſtitiæ cauſa manifeſtò offerunt, eoque fidem unicè dirigunt. *Ut inveniar in ipſo, non habens meam juſtitiam, eam ex lege; ſed eam, quæ eſt per fidem Chriſti, juſtitiam, quæ ex Deo eſt, ad fidem.* Phil. 3:9.

XXII. Qui & loci Rom. 4:5. ſenſus eſt, ubi *fides imputari* dicitur *in juſtitiam*. Quæ cum non alia fides ſit, quam animæ de ſe ipſa deſperantis, ac ad arcem ſalutis confugientis; atque *ejus, qui non operatur, ſed credit in eum, qui juſtificat impium;* ſatis patet, non dignitatem fidei hic ſpectari, ſed ejus, in quem illa recumbit: cum ipſa illa fides propriis manibus ſeſe omnibus operibus ſpoliet, atque ad alium, tanquam cauſam ſalutis, reſpectet. Quo modo credentes, & ad Chriſtum, tanquam unicam ſalutis rupem, ſeſe recipientes, Deus averſari non poteſt, ſed pro juſtis reputare debet; quod eſt iſtud, quod Apoſtolus dicit, *fidem imputari in juſtitiam.* Aliud autem eſt, juſtitia quæ imputatur; aliud, fides quæ juſtitiam illam accipit; quæque aliter imputari nobis non poteſt, vel ad juſtitiam ſervire, quam quatenus Chriſti juſtitiâ nititur, eamque apprehendit. Unde, ut fidei ratio in hoc negotio pateat, juſtificari ſæpe dicimur *fide*, *per fidem*, *ex fide*, nunquam vero *propter fidem*; iſta enim unius Chriſti meriti ac ſanguinis ratio eſt. Atque hoc ſenſu fidem nos juſtificare ut eſt fœderis gratiæ conditio, voce hac rectè intellecta, dici poteſt.

Unde fide juſtificari dicimur.

Digitized by Google

& quidem ſola fide.

XXIII. Atque hæc quoque ratio eſt, cur ſola fides juſtificare dicatur: non quod ſola inter virtutes ejus meriti ac dignitatis ſit, ut pro totâ atque unicâ fœderis conditione reputari debeat; ſed quod ſolius fidei ſit gratiam Dei accipere & amplecti, ut ſolius oculi eſt videre. Cum enim virtutes omnes hiſce duabus contineantur, fide & charitate, quæ omnem Chriſtianæ animæ affectum exhauriunt; hujus eſt, Deo ſeſe ac ſua dare & offerre, illius autem, Deum ſeſe nobis donantem viciſſim accipere & amplecti. Unde ſola quoque in accipienda Chriſti juſtitia locum habere poteſt. Cui & aliam rationem Apoſtolus adjungit; quod *per fidem gloriatio excluſa eſt*, quæ in ſalutis negotio ab homine prorſus abeſſe debet, Rom. 3:26,27,28. Cum enim aliis virtutibus, ac præcipuè charitate, gloriari homo poſſit, quod in iis dare aliquid & offerre Deo videatur; ſola fides excludit omnem gloriationem, omneque meritum, cum ipſius ſolum opus ſit accipere oblatam gratiam. Qui petit autem & accipit aliquid, ac aliunde beatur, ille certe gloriari non poteſt.

quæ opera excludit.

XXIV. Unde recte contra Pontificios aſſerimus, *ſolà* nos *fide* juſtificari. Quæ ipſa Scripturæ vox eſt. Sic enim Apoſtolus Rom. 3:28. *Colligimus igitur fide juſtificari hominem, ſine operibus legis.* & Gal. 2:16. *Scientes, non juſtificari hominem ex operibus legis, ſed per fidem Jeſu Chriſti.* Atque de fide miraculosâ ipſe Chriſtus, Marc. 5:36. *Non time, tantum crede.* Ubi tamen fides non opponi debet vel gratiæ Dei, vel Chriſti merito: illæ enim juſtificationis præcipuæ, ſed alterius generis, cauſæ ſunt. Opponenda autem eſt operibus ac virtutibus quibuſcunque aliis, quæ, utcunque cum fide ſemper conjunctæ, in juſtificatione tamen nullum pretium habent, nec cum fide ad illam peragendam conſpirant. Sed operum potius ac fidei hic pugna eſt, quomodo Apoſtolus ex adverſo ea inter ſe componit Rom. 3:28. Eph. 2:8, 9. *Gratiâ enim ſalvati eſtis, per fidem—non ex operibus, ne quis glorietur.* Itaque coexiſtere quidem eas cum fide concedimus (fidem enim operibus fœtam ſemper eſſe oportet) cooperari autem formaliter, ut ajunt, ad juſtificationem peccatoris, negamus.

imò & ſeipſam, ut opus.

XXV. Imo adeo operibus adverſatur hac in causâ fides, ut ſe ipſam quoque excludat, ſi ut opus conſideretur. Quanquam enim in ſe ſpectata opus ſit, non tamen in juſtificatione ad iſtum modum, ſed ut opus mere inſtrumentale conſideratur. Ut malè quidam eam ut opus præclarum, & electam à Deo in novo pacto conditionem, verumque δικαίωμα.

&

& juris noſtri ac ſalutis apud Deum cauſam, juſtificare dixerint: quod ſine veteris legis probro, ac gratiæ Chriſti ſpolio dici non poteſt. Juſtificat enim hac una tantum ratione, quod in Chriſtum ſuaviſſime recumbit, iſtique ſalutis ſuæ pignori incubat, quod adſpicere perpetuo ac tenerrimo affectu complecti non ceſſat. Unde fides, ne ut opus juſtificare putetur, *gratiæ* vocem, ac Chriſti *ſanguinem*, adjunctum plerunque habet, quam Scriptura ut propriam juſtitiæ cauſam oſtentat, quam fides amplecti tantum ac recipere debet.

XXVI. Ut vero amplius pateat, quâ ratione fides in hoc negotio verſetur, *actus ejus* in ſalute apprehendenda, ac juſtificatione abſolvenda, conſiderare par eſt: qui, juxta illa quæ cap. ſuperiori §. 9, 10, 11, 12, 14. dicta ſunt, tres concipi poſſunt, 1. actus *diſpoſitivus* vel præparatorius, eſt fidei aſſenſus, cum generalis, tum ſpecialis, quo remiſſionem peccatorum in Chriſto expoſitam eſſe omnibus credentibus, adeoque & ſibi ſi credat, peccator de longinquo veluti contemplatur. 2. actus *juſtificatorius formaliter*, quo Chriſtum cum amore recipiens, & tendens veluti manum, illum apprehendit cum omnibus ejus meritis, inque eum ſuaviter recumbit. Ille enim ſeſe reclinantis ac recumbentis animæ actus proprie juſtificat. Quod & fides eodem illo actu directo cognoſcere poteſt. Illum autem præcipuè excipit 3. actus *conſolatorius*, ſeu reflexus & *conſequens*, qui fidei corroboratæ fructus eſt; quo, intimo divinæ gratiæ ſenſu perfuſa, de adepta juſtificatione ac ſalute gloriatur. *Juſtificati igitur ex fide pacem habemus ad Deum.* Rom. 5: 1. *Fidei in juſtificatione varii actus.*

XXVII. Hic autem univerſæ juſtificationis *ordo & proceſſus* eſt 1. decrevit eam Deus nobis ab æterno. *Scriptura prævidens, Deum ex fide juſtificare gentes.* Gal. 3: 8. II. promiſit poſt mox lapſum. *Ponam inimicitiam inter te, & inter fœminam, & inter ſemen tuum, & ſemen ejus.* Gen. 3: 15. III. Impetravit eam Chriſtus morte & reſurrectione ſua. *Qui eſt qui condemnet? Chriſtus is eſt qui mortuus eſt.* Rom. 8: 34. *Qui reſuſcitatus eſt propter juſtificationem noſtri.* Rom. 4: 25. quem in finem Patri exhibuit in ſacrario cœleſti paſſiones & meritum ſuum, eo nomine nos immunes vindicando à merito condemnationis: in qua ſatisfactione præſtita acquievit Pater. undè ſecuta fuit à parte Dei reconciliatio noſtra, ſeu peccatorum remiſſio. Qui primus juſtificationis eſt actus extra nos factus. IV. Pronunciat ſententiam illam Deus mox ad fidem noſtram, quâ recumbimus in ipſum per Chriſtum. qui eſt actus ſecundus juſtificationis, in foro conſcientiæ, per quem Sp. S. nobis inti- *Juſtificationis totius proceſſus.*

 mat.

Digitized by Google

mat ea quæ facta ſunt à Patre & filio. Sentit autem eam ex illa Sp. S. intimatione fides, actu non ſolum directo, ſed & reflexo, deque gratia Dei accepta lætatur: & ſic nos ipſos juſtificamus, pronunciando nos immunes à merito condemnationis propter juſtitiam Chriſti nobis imputatam & fide apprehenſam, quæ non tam juſtificatio, quam peractæ juſtificationis perceptio & guſtus eſt. v. Confirmatur per bona opera, ut certiſſima Spiritus in nobis habitantis ſigna: unde iterum nos pronunciamus juſtos & immunes à merito condemnationis. Atque ex iis etiam alterius generis juſtificatio oritur; de qua deinceps. vi. Publice autem ea declarabitur ac conſummabitur in ultimo mundi actu, ad ſupremę illius ſententiæ pronunciationem. *Ex verbis enim tuis juſtificaberis.* Matth. 12:37. conf. c. 25:34.

Iuſtificatio activa & paſſiva. XXVIII. Atque huc referri poteſt vulgata diſtinctio juſtificationis in *activam* & *paſſivam*; quarum illa Dei eſt, hæc hominis. *Activa* peragitur, non ab æterno propriè (illud enim decretum juſtificandi dicit, quale Deus ante fidem noſtram, imo ante Chriſti adventum habuit. *Scriptura prævidens, Deum ex fide juſtificare gentes.* Gal. 3:8.) ſed in tempore, partim in cœlo, poſt abſolutas paſſiones Chriſti, quando Chriſtus advocatus noſter, cauſam noſtram agit, & Pater nos abolvit: *Angelus, advocatus unus ex mille —— & dicit, redime ipſum, ne deſcendat in foveam, inveni lytrum.* Job 33:23, 24. partim in conſcientia noſtra, ſimul ac credimus: eſtque ſententiæ abſolutionis veluti prolatio, &, ad fidem noſtram, pronunciatio. *Quos vocavit, hos & juſtificavit.* Rom. 8:29. *Quis intentabit crimina adverſus electos Dei? Deus eſt qui juſtificat.* com. 33. *Paſſiva* ſententiæ illius pronunciatæ ſenſum & guſtum, ac de accepta abſolutione gaudium dicit, ac præcipuè tertio iſto fidei actu, quem. §. xxvi. vidimus, obſignante Sp. ſancto, abſolvitur. *In quo etiam credentes obſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto.* Eph. 1:13.

XXIX. Quando ergo activa & paſſiva juſtificatio ſimul exiſtere dicitur, id non tam de animæ ſenſu, præcipuè autem de actu ejus reflexo ſeu ultimo, ſed de actu fidei ſecundo, ſeu formaliter juſtificatorio intelligendum eſt. Fidem enim natura juſtificationem præcedere neceſſe eſt; quæ ad eam potinus ſequitur, cum fruſtra in Chriſtum recumbere nemo poſſit. Aſt longo eam ſæpe intervallo demum ſubſequitur ille gratiæ divinæ ſenſus, & penetrabilis illa animæ dulcedo, ex juſtificatione orta.

Quæ unica. XXX. Ex quibus jam patet, juſtificationem unicam & æqualem eſſe

eſſe in omnibus fidelibus, ac ſemel factam manere immutabilem & irrevocabilem; cum ea nihil niſi Dei judicis ſententia ſit, ad Chriſti interceſſionem lata, quæ ſemel pronunciari tantum poteſt, atque inde in æternum valet. Aliter ac *Pontificii*, aliique docent: qui, cum juſtitiam noſtram in operibus noſtris ac qualitatibus inhærentibus quærant, variam eam & mutabilem, nec omnium fidelium æqualem ac parem facere coguntur. Qui & *Remonſtrantium* ex eodem fundamento error eſt; qui juſtificationem diſtinguunt in ſemiplenam, hujus vitæ; & plenam, qualem eam in morte demum faciunt. Quæ aliena ſunt, & occultam labem habent. Non enim illa noſtris actibus, ſed unico Dei actu peragitur, nec noſtro aliquo opere, ſed Chriſti ſolius merito nititur. Quare & unica, & perfecta, ac immutabilis omnium juſtificatio eſt. Quanquam ſenſum illius ſæpe obſcurari, nitoremque ejus infuſcari contingit: quo ſenſu ea iterari & corroborari quoque dicitur; ad exemplum quaſi remiſſionis à nobis fratribus iterato conceſſæ, de qua Matth. 18:21,22. *Dixit Petrus, Domine, quoties in me peccabit frater meus, & remittam ipſi? uſque ſepties? dixit ipſi Jeſus, non dico, uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties* &c. *eſt & immutabilis.*

XXXI. Atque ita, verâ juſtitiâ aſſertâ, veroque ejus adipiſcendæ modo tradito, nunc ex adverſo operum juſtitia, cui ex naturali præjudicio humanum genus tam impenſe ſtudet, removenda eſt. *Iuſtitia ex operibus,*

XXXII. Operariorum dux & princeps mox à lapſu introducitur *Cainus;* qui externis prærogativis ſeſe jactaſſe, atque frivolis quibuſdam modis Dei pacem quæſiiſſe videtur. Cui Apoſtolus ex adverſo *Abelem* opponit, ut juſtitiæ fidei typum, Hebr. 11:4. Atque idem duorum fratrum, *Iſmaelis* & *Iſaci;* ac poſt hos, *Eſaui* ac *Jacobi*, fatum fuit: quos, fratrum utrobique primogenitos, diverſam juſtitiæ ſectam tenuiſſe, ac ob externam quandam prærogativam, qua ſeſe ſupra fratres efferre poterant, operariis iſtis præluſiſſe, Apoſtolus Rom. 9. & Gal. 4. oſtendit. Atque eadem carnalis *Iſraelis* labes fuit; qui cum externo quoque decore ſupra alias gentes effulgerent, quarum primogenituram videbantur poſſidere, id in juſtitiæ cauſam arripuerunt. *Ignorantes enim juſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſubjecerunt ſe.* Rom. 10:3. Ab Iſraële deinceps in novam Chriſtianorum Eccleſiam hoc fermentum propagatum eſt, ſub cujus initia jam quidam ſinceritatem doctrinæ adulterare, & de fide ac operibus, deque Judaiſmo ac Chriſtianiſmo, collyram facere nitebantur: contra quos Paulus acriter invehitur in epiſt. *à quibus aſſerta olim & nunc?*

Digitized by Google

epiſt. ad Gal. Quanquam vicit tandem iſta tabes, ac alio ſchemate operum juſtitiam tandem invexit *Pelagius*, inſignis Eccleſiæ corruptor; ac poſt eum *Scholaſtici*. Imo hæc falſarum omnium religionum unica radix, hocque tetrum illud abſinthium, & infelix illa herba eſt, quæ nitidum Eccleſiæ campum corrupit ac perdidit. Et univerſa præcipuè *Papiſmi* moles non alio tibicine magis nititur. Ne de reliquis ſectis dicam.

generatim confutata & proſcripta.

XXXIII. Præſcribit autem contra operum juſtitiam conſideratio 1. tum *peccati*, quo omnis ejus ſpes decollavit; 2. tum *gratiæ* & Euangelii, quæ inanis redditur peregrina illa juſtitia admiſſâ; quæque præcipuè gloriationem peccatoris ferre non poteſt, quam vigentibus operibus excludere impoſſibile: *Non ex operibus, ne quis glorietur*, Eph. 2: 9. coll. Rom. 3: 27. 3. tum & *legis ipſius*, quæ, perfectiſſimam ſanctitatis formulam exhibens, qualemcunque iſtam peccatoris obedientiam pro juſtitia accipere non poteſt; nec laudare eam, ſed redarguere potius tenetur. *Nam non eſt homo, qui non peccat.* 1. Reg. 8: 46. *Omnes enim peccarunt, & poſteriores ſunt gloriâ Dei.* Rom. 3: 23. 4. Denique, ſi illam operum juſtitiam urgere libet, vel ea in irregenitis, vel in regenitis ſpectanda erit: illos quod attinet, cum fide careant, ſemper peccare, Rom. 14: 23. Hebr. 11: 6. hos vero, cum regeniti ſint, juſtificatos jam eſſe; adeoque opera non præcedere juſtificationem, vel producere eam, ſed illam ſequi, patet. Ut in Abrahami exemplo apparuit: *Credidit autem Abrahamus Deo, & imputatum eſt ei ad juſtitiam —— Non ſcriptum autem eſt propter eum ſolum, quod hoc imputatum fuerat ei: ſed etiam propter nos, quibus futurum eſt ut imputetur, iis nimirum qui credunt in eum* &c. Rom. 4: 3, 23, 24. Adeo ut opera in nullum cenſum venire hic poſſint. Quod quomodo peculiarius obſervandum ſit contra ſpeciales operum formas, ſub quibus eas obtrudunt adverſarii, inferius videbimus.

III. Juſtificatio juſti.

XXXIV. Supereſt tandem perluſtrandus *tertius* hominis ſtatus, ut de peccatore regenitus factus eſt; ac, pro illo ejus ſtatu, diverſa quædam juſtificationis ratio ac facies conſideranda eſt; *juſtificatio* nimirum, non peccatoris, ſed *juſti*, quæ non tantum fide, verum etiam per opera fit: quam Apoſtolus Rom. 8: 3. inſinuat, dum omne legis δικαίωμα in nobis impleri debere contendit; quod nondum ad plenum fit, quamdiu ea, in peccatorem corruptum dominatur &, ut δύναμις ἁμαρτίας, peccatum potius proritat & incitat: ut illum non ſolum Chriſti capitis juſtitiâ indui, ac veſte illa tegi, ſed propria quoque ſanctitate decorum, & legi

Digitized by Google

legi conformem eſſe, atque ea denique aſſentiente juſtum & inculpatum eſſe oporteat.

XXXV. Sicut enim duplex eſt hominis *accuſatio*, aut de reatu, aut de hypocriſi; & duplex *juſtitia*, una imputata, quæ priori accuſationi occurrit; altera inhærens, per quam de hypocriſi purgatur: ita duplex quoque eſt hominis *juſtificatio*, atque ita recte appellari poteſt; nihil enim attinet verbi ſuperſtitione laborare. Illa *prima* juſtificatio, hæc *ſecunda* dici poteſt: illa juſtitia Chriſti *imputatâ*, hæc *inhærente* hominis ſanctitate nititur: illa eſt *impii*, hæc *juſti*: illa conſiſtit in peccatorum *remiſſione*, hæc in juſtitiæ inhærentis, non quidem perfectæ, attamen ſinceræ, *agnitione*: illa *perfecta*, hæc *imperfecta* eſt: illa denique *fide* peragitur, hæc ex *operibus* fluit. Utraque autem gratiâ Chriſti nititur; cum opera regenitorum non à lege, ſed à gratia & Spiritu Chriſti proficiſcantur, atque inde quoque habeant, quod, imperfecta licet, tamen apud Deum laudem habeant. Atque hoc ſenſu intelligi rectiſſimè videntur, quæcunque de juſtificatione noſtri ex operibus gratiæ, fidei, vel Euangelii, deque eorum ad juſtificationem neceſſitate & concurſu, paſſim in Scripturis, præcipuè N. T. occurrunt. *quæ explicatur,*

XXXVI. Multum enim diſcrepat hæc juſtificatio à Pontificiorum ſenſu, qui etiam primam & ſecundam juſtificationem loquuntur; ſed quæ utraque ipſis inhærens eſt, gradibus & protectu ſolo differens; utraque noſtro merito nititur; utraque denique nos Deo gratos, & ad remiſſionem peccatorum aptos facit. Nobis vero utraque nititur Chriſti ſolius merito; & prior quidem in juſtitiâ Chriſti imputatâ conſiſtit, & remiſſionem peccatorum ſpectat; altera autem per Spiritum ejus in regeneratione noſtrâ peragitur, nec ad remiſſionem peccatorum reſpectum habet. Cumque ea inhærente juſtitia ac internâ ſanctitate hominem induat, ille ex juſtitiâ iſta, imperfectâ quidem, attamen ſincerâ, juſtus quoque appellatur, juxta illud 1. Joh. 3: 7. *Qui juſtitiam facit, juſtus eſt*. *& diſcrimen illius à Pontificiorum juſtificatione oſtenditur.*

XXXVII. Atque inſervit hæc diverſæ juſtitiæ ac juſtificationis conſideratio ad difficultates nonnullas, quæ ex Scripturis nectuntur, ſolvendas. Ac ſpectat huc *juſtitia cauſa*, quam appellant (licet rectius *juſtitia particularis* dicatur) ejuſdemque generis juſtificatio, cujus in Pſalmis, atque aliis Scripturis frequens mentio eſt. Sæpe enim ſancti ex cauſæ ſuæ fiducia ad eam provocaſſe leguntur. Unde & Dei de Jobo teſtimonium: *Non eſt ſimilis ei in terra, vir integer, rectus, timens Dei, & recedens à malo.* *huc pertinet juſtitia cauſa.*

Digitized by Google

malo. cap. 1:8. coll. 42:8. Deque Phineazi facto: *Surrexit Phineas, & judicium exercuit; & reputatum eſt ei ad juſtitiam, in ætatem & ætatem, uſque in ſæculum*. Pſal. 106:30,31. coll. Num. 25:12,13 Et Paulus de ſe ipſo: *Nullius mihi conſcius ſum, ſed per hoc non juſtificatus ſum*. 1. Cor. 4:4.

& hinc conciliatus Iacobus Apoſt. Paulo.

XXXVIII. Et non alia facilior videtur Jacobum cum Paulo conciliandi ratio. Diverſus enim utriuſque Apoſtoli ſcopus eſt. Nam Paulus data opera cauſas remiſſionis peccatorum inquirit: Jacobus iſtam quæſtionem ibi quidem non attingit, ſed de fidei ſinceritate agit, quam ex operibus oſtendi & monſtrari jubet: ille juſtitiam imputatam loquitur, hic ſanctitatem internam ac inhærentem prædicat; quæ utraque in fidelibus ſuas partes habet. Ille diſertis verbis de juſtificatione peccatoris, hic de juſtificatione juſti agit; & in exemplum Abrahamum adducit, cujus obedientiam in offerendo Iſaaco laudat; quam longo tempore, poſtquam ex fide juſtificatus eſſet, expletam conſtat, ut non juſtificationi, ſed fidei ejus probandæ, ac ſinceritati illius prædicandæ, eam adduci pateat, ẏs 21,23. Unde cum *fidem operibus* Abrahami *cooperatam*, atque *ex illis conſummatam* dicit ẏs 22. non juſtificationem ejus à peccato ſpectat, quam fide peractam teſtatur. ẏs 23. ſed fidem ejus non ignavam, qualis tum pſeudo-Chriſtianorum quorundam ratio erat, ſed fœcundam, & bonis operibus fœtam, fuiſſe docet. Ut Abrahamus de hypocriſi, atque inani iſto fidei ludibrio, quo plerique Chriſtiano nomini illudebant, purgatus ſatis foret; atque ita fides ejus ex operibus perfecta fuerit. Atque ad iſtum tandem modum concludit Apoſtolus: *Videtis igitur, quod ex operibus juſtificetur homo, & non ex fide tantum*. ẏs 24.

Diſcrimen juſtificationis ſub V. & N. T.

XXXIX. Atque hæc fuit peccatoris per omnia ſæcula juſtificatio. Diſcrimen vero illius ſub V. & N. T. eſt, quod juſtitia illorum perfecta, *τετελειωμένη conſummata* non fuit; quia nondum habuerunt jus gloriandi, quod nullum amplius à ſe chirographum exigi poſſet. Peccatum enim *erat in mundo*, Rom. 5:13 & ſic aliquid *operans iram*, Rom. 4:15, & *maledictio*, Gal. 3:10. introduci poterat. Patribus enim fides promiſſionis ad juſtitiam pariebat exſpectationem futuræ reconciliationis: Iſraëlitis autem ea exſpectatio & reatus nondum abolitus, occaſione transgreſſionis eorum, advexit magnum onus & ſarcinam præceptorum carnalium, quibus *chirographum* ab iis exigebatur. Col 2:14. Inde remiſſio peccatorum factorum, antequam Chriſtus proponeretur *ἱλαςήριον* per fidem in ſanguine ejus, vocatur *πάρεσις*, non *ἄφεσις*, *tranſmiſſio*,

Digitized by Google

miſſio, *diſſimulatio*, non *remiſſio*, Rom. 3: 25. Nunc vero *adducta juſtitia ſæculorum*, Dan. 9: 24. & *deleto peccato*, Zach. 3: 9. juſtificamur ſine expectatione reconciliationis, ulla querimonia, aut opere ſervili, aut commemoratione peccati, tanquam adhuc ſuperſtitis & nondum deleti, neque quicquam ampliùs à nobis exigitur faciendum propter peccatum & reatum, tanquam ad ejus expiationem. Quæ eſt illa remiſſio peccatorum promiſſa ſub N. T. Jer. 31: 31. *Nam condonabo peccata ipſorum, & peccatorum eorum non recordabor amplius.* Conf. Hebr. 8: 12. 10: 17. ſicut Eph. 1: 7. & Col. 1: 14. conjungitur *redemtio* & *remiſſio*, quam *habemus in Chriſto*. Unde ſub N. T. ita proponitur juſtificationis, & ſimul Euangelii ſumma, Act. 13: 38, 39. *Notum igitur ſit vobis, fratres, annunciari vobis remiſſionem peccatorum per iſtum* (Chriſtum) *& ab omnibus, quibus non potuiſtis per legem Moſis juſtificari, per hunc, credentem quemvis juſtificari.*

XL. Ita tradita & aſſertâ Eccleſiæ de juſtificatione doctrinâ, nunc ex adverſo ſpuriam illam juſtitiam, qua operarii omnes coram Dei tribunali miſerè adeo ſeſe jactant, variaſque ejus formas ac colores, contemplemur. Quæ labes cum per omnes extra Eccleſiam ſectas diſperſa ſit, & non uno vultu ſeſe prodat, nos in *Judæis*, *Pontificiis*, ac *Socinianis* eorumque aſſeclis, juſtitiariorum ſectæ principibus, eam præcipuè luſtrabimus. *Errores juſtitiæ fidei oppoſiti.*

XLI. Ac *Judæos* quidem in gravi hoc capite non mediocriter offendiſſe Apoſtolus teſtatur Rom. 9: 31, 32. *Iſrael autem proſequens legem juſtitiæ, ad legem juſtitiæ non pervenit. quamobrem? quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus.* Non quod ſeſe inſontes prorſus ac puros exiſtimarent, vel culpas ſuas facillimo pecudum ſanguine elui putarent: ſed quod ex ſacrificiis, reliquoque cultu partem juſtitiæ non exiguam facerent; & præter Dei gratiam, moralem præterea cæremonialemque legem ad eam conficiendam advocarent. Quæ divinæ gratiæ ac propriæ juſtitiæ miſcela, atque utriuſque corruptio erat, ac Deum denique ex placito peccatorem juſtificare faciebat. Quo nihil magis naturæ ac ſanctitati ejus adverſum: cum enim in præceptis Dei ceremonialibus nulla ſanctitatis ejus expreſſio, nec imago ejus ſita foret; ſed illa potius eſſent præcepta *non bona, in quibus non vivitur*, Ezech 20: 11, 12, 25, 27. nulla quidem dogmata ac placita juſtificare poſſe Apoſtolus recte urget Eph. 2: 15. *Legem præceptorum, in placitis conſiſtentem, ad nihilum redegit.* coll. Col. 2: 14. & Hebr. 7: 18. *Reſciſſio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem* *Judæorum.*

Digitized by Google

tem ejus & inutilitatem. Idemque de legis moralis operibus concludit, ex communi generis humani peccato, ac ſuperveniente ſalutis promiſſo in Chriſto; quæ doctrinæ capita, aſſertâ operum juſtitiâ, labare, in epiſt. ad Rom. & Gal. pluribus urget.

Pontificiorum; XLII. Nec Judaicum fermentum ſatis caverunt *Pontificii*, ſed inſincero iſto tumore maſſam quoque ſuam corrumpi paulatim ſiverunt; dumque legem cum Euangelio, propriam juſtitiam cum juſtitiâ Chriſti, atque opera cum fide commiſcuerunt, nec fidei nec operum juſtitiam retinuerunt.

XLIII. Fidei enim juſtificationem adeo ignorant, ut in concilio Tridentino, cum de Lutheri dogmate ageretur, *ſolâ nos fide juſtificari*; verborum iſtorum ſenſum plerique non caperent. Ipſi autem ſtatuerunt, *fide*, quo nomine generalem Chriſtianæ veritatis perſuaſionem intelligebant (quæ tamen ad peccati agnitionem, inferni metum, ſpem ſalutis, Dei dilectionem, novæ vitæ propoſitum &c. duceret) hominem *juſtificari diſpoſitivè* & *inchoativè*; quatenus nos aptos reddit ad juſtitiam internam, primumque ad rectum iſtum animi ſtatum, in quo Deo placere poſſumus, & per quem juſti ſumus, aditum dat. Hanc *præparationem* ſequi volunt ipſam juſtificationem, quam non niſi gradibus quibuſdam abſolvunt, pro ſanctitatis videlicet incremento, *primam* eam & *ſecundam* ſtatuentes. Ac *priorem* quidem per baptiſmum, ex mera Dei gratiâ, ſine operibus, contingere ajunt; & in peccatorum remiſſione, noviquejuſtitiæ habitus infuſione collocant; quem hominem ex malo bonum, & ex injuſto inhærenter juſtum reddere, ſaltem ſanctitatis & juſtitiæ initiis imbuere volunt. *Poſteriorem* autem hominem ex juſto juſtiorem, per charitatis profectum, reddere; jamque operum dignitate & merito Deo placentem, coram tribunali ejus ut juſtum abſolvere & juſtificare ferè docent. Atque hæc ipſis *juſtificatio operum eſt*.

qui refutantur. XLIV. Quæ multipliciter peccant. Nam 1. perverſo illo principio nituntur, quod jam ſæpius tetigimus, juſtificationem in qualitate inhærente conſiſtere. Unde in novo quodam animæ habitu eam collocant. Quod nec juxta legem, nec juxta Euangelium conſiſtit. Lex enim non ex habitu, ſed ex operibus juſtificat, ut in Adamo patuit. Euangelium autem ſolam Chriſti juſtitiam agnoſcit; & gratia illa Dei, quæ tam ſæpe ibi prædicatur, non habitum aliquem noſtrum, ſed gratuitum Dei in Chriſto amorem ſignificat. *Qui juſtificantur gratis, ejus gratia, per redemtionem factam, in Chriſto Jeſu*, Rom. 3: 24. conf. 5: 15. 2. Hinc varios

Digitized by Google

varios in juſtificatione actus, & gradus,& incrementa ſomniant, quin & decrementa, & nonnunquam interitum ejus admittunt; uti in aliis quoque qualitatibus uſu venit. Cum tamen ea unicus & irrevocabilis Dei judicis actus ſit, Chriſti ſponſoris merito innitens, & à noſtra parte ſola fide acceptus, ac veluti obſignatus. 3. Altum autem apud ipſos juſtitiæ Chriſti, atque imputationis ejus ſilentium Quo pacto omnem Chriſti ſponſionem corrumpunt; aut ad ſummum ejus δικαίωμα cum operibus noſtris conjungunt; quod impoſſibile cogitatu eſt. 4. Sicuti & prodigioſum in modum opera & fidem in hoc negotio conjungere & contemperare norunt: quæ tamen Apoſtolus non diſtinguit ſolum, ſed hac in causâ ſibi mutuo opponit, Rom. 11:6. Gal. 2:16. Eph. 2:8. Quod adeo verum eſt, ut cooperari in hoc negotio ne quidem poſſint; cum fides juſtitiam extra nos, opera autem aliquid in nobis pro juſtitiæ fundamento quærant: quæ directâ fronte adverſa ſunt, nec una conſiſtere poſſunt. 5. Fidem vero, quod hinc ſequi neceſſe eſt, alieno prorſus vultu oſtendunt; nec eam in Chriſti amplexibus hærentem, iſtique theſauro incubantem, atque ad unicam ſalutis arcem manus intendentem, oſtentant: ſed ut opus, alios quoſdam motus, peccati dolorem, inferni metum, novæ vitæ cupidinem &c. in nobis excitans; & tantum non meritorium; dum remiſſionem peccatorum, ſequentemque novum habitum vel promeretur, vel peragit. 6. Sed & operum tandem merita, & condignitatem, in juſtificatione ſecundâ, plerique eorum apertis buccis crepant. 7. Et, quod ultimum ipſorum dedecus eſt, non ea vera, & digna Deo, digna homine, opera ſunt, quibus favorem ejus aucupantur: ſed externæ plerumque diſciplinæ opera, monachatus, peregrinationes religioſæ, ſtata jejunia, ciliciorum durum tegmen, ſponte verbera, pervigilia, aliaque talia minutæ ac ludicræ pietatis opera; quæ, pro ſuperſtitionis ingenio, Deo imputare, iſtaque veluti ſtipe cœlum emercari nituntur.

XLV. Cum autem Apoſtoli auctoritate urgentur, qui in epiſt. ad Roman. tam aperte opera in hoc negotio proſcribit, idque non rationibus tantum, ſed & exemplis docet, inani interpretamento, legis ceremonialis opera, atque Judaicam juſtitiam reprobari; vel illa tantum, quæ fidem antecedunt opera, ut needum id dignitatis habentia, rejici ajunt. Cum expreſſe Apoſtolus Abrahamum & Davidem ut jam regenitos, atque ad iſtum modum eorum opera conſideret, Rom. 4:1, 2, 3, 6, 7, 8, 9. tum & imputari dicat juſtitiam abſque operibus ei, in cujus ſpiritu non habitat dolus, Rom. 4:6, 7, 8. Pſal. 32:1, 2. Atque in univerſum fri-

volum eſt, de eo quærere, an opera irregenitorum, ante fidem præſtita, quæ merè peccata ſunt, juſtificare poſſint. Quaſi ea videl. quæſtio foret, quam Apoſtolus tam anxiè trutinat: cum gloriam omnem humanam, omnemque gloriationem amovens, non niſi præſtantiſſima opera cogitare potuerit; quæ uno videl. iſto argumento hoc in negotio tollit & evertit. *Ubi igitur gloriatio? excluſa eſt. Per quam legem? operum? non: ſed per legem fidei.* Rom. 3:27.

Socinianorum; XLVI. Sed paulo aliter reſpondent *Sociniani*, eorumque ſequaces, atque alia ab Apoſtolo opera excludi, alia admitti ajunt. Cum enim legis juſtitiam perpetuo rejiciat, contra autem fidem in Chriſtum prædicet, à juſtificatione eum rejicere volunt illa opera, quæ naturâ vel lege duce fiunt, quæque ad legis amuſſim exacta vitam & mercedem poſtulent ex merito; atque ita quidem legis juſtitiam nullam eſſe. Cum autem iſto pacto peccatorem juſtificari impoſſibile ſit, atque ea ſit legis imbecillitas, ut hominem beare nequeat; ſuccurrere perditis rebus Chriſtianam religionem, quæ imperfectæ etiam obedientiæ, attamen ſinceræ, & ad Euangelicæ perfectionis, ſive præceptorum Chriſti, formulam exactæ, cœleſte præmium addicat, ſed ex merâ gratiâ: atque ita fide, h.e. juxta Chriſtianæ fidei, ſeu religionis formulam, ejuſque nova cum præcepta, tum promiſſa, nos juſtificari & ſalvari; ita ut ſub novo fœdere Deus multum de veteri rigore remiſerit, & *ἐπιεικείᾳ* quadam illud temperavit (revera enim hoc quoque operum fœdus eſt, ſed fractum nonnihil & mitigatum) ac imperfectæ licet obedientiæ, ex fide Chriſti, h.e. doctrinæ Chriſtianæ aſſenſu, præſtitæ præmium polliceatur.

qui itidem confutantur. XLVII. Quæ futelæ undique laborant, & *tum* Apoſtolo refragantur, *tum* ipſos Chriſtianæ fidei apices tangunt. Nam 1. apertè omnia opera excludit Paulus, additis magnis argumentis; reſtare alioquin homini de quo ſeſe admiretur, ac verticem protollat. Rom. 3:27. & 4:2. quin & Chriſtum ipſum fruſtra fore mortuum, ſi viâ aliâ ſalus parari potuit. Gal. 2:21. quæ omnem operum juſtitiam, qualiſcunque ea ſit, evertunt. 2. Cum autem humana gens peccato ſuccubuerit, nec perfecta juſtitia ſperari ullibi poſſit; non adeo nugatur Apoſtolus, ut de eâ ſolâ perpetuo agat. Quanquam operum juſtitiam hoc ipſo quoque damnet, quod ea ob peccatum nunc impoſſibilis ſit reddita. Sed eadem opera, alio colore, quæſitiſque temperamentis, reducta, multo magis in hac cauſa rejicit; &, cum contra Judæos agat, talia opera tangit, de quibus quæſtio incidere poterat, & quæ ab illis oſtentari poterant; quæ non

erant

Digitized by Google

erant opera omni numero perfecta, quæ illi nec habebant, nec venditabant; ſed opera qualiacunque, quæ iſti pro aliqua ſaltem juſtitiæ parte urgebant, quanquam ex gratia à Deo accipi ea debere concedebant. Quæ eadem operum juſtitia eſt, quam nunc Sociniani urgent, quamque Apoſtolus jam tum in Judæis profligavit. Utrorumque enim error eſt, Deum *ἐκ δόγματος ex placito* juſtificare, & opera noſtra qualitercunque præſtita accipere, atque ſanctitatem ſuam abnegare poſſe. 3. Amplius, ut pateat qualia opera excludat Apoſtolus, Abrahami opera commemorat, eaque à juſtitia rejicit, Rom. 4: 1. atque alibi & ſuum exemplum adducit, 1 Cor. 4: 4. Ut pateat, ipſum opera à regenitis ex fide præſtita, quanquam imperfecta, excludere. De quibus operibus ſola poterat eſſe quæſtio Sicut & Sociniani nunc eadem illa opera reducunt. De aliis enim operibus nulla animum ſubire poterat cogitatio. 4. Tum juſtitiam noſtram eſſe in Chriſto docet Apoſtolus, non verò in nobis, 2. Cor. 5: 21. & ipſum Chriſtum eſſe juſtitiam noſtram, adeoq; non opus fidei noſtræ, 1. Cor. 1: 30. & juſtificandus per fidem in ſe dicitur impius, Rom. 4: 5. & per juſtitiam Chriſti dicimur juſtificati, ut per materiam juſtificationis; ergo non eodem ſenſu per fidem, Rom. 5: 19. ſicut & eadem de cauſa nuſquam propter, ſed per fidem, & ex fide dicimur juſtificati, Rom. 3: 22. Hebr. 11: 7. Phil. 3: 9. 5. Abſurde porro & *ἀθεολόγως* juſtitiam legis & juſtitiam operum diſtinguunt, atque opera quædam concipiunt quæ non ſunt legis, ſed fidei & Euangelii. 6. Nec conſiſtit, quod legis opera, ſi vel darentur, utcunque perfecta, juſtificare nunc non poſſe; alia autem opera, quæ imperfecta ſunt, juſtificare in Euangelio contendunt. 7. In quo iſte præterea dolus eſt, quaſi fides nos à perfectâ legis obſervatione abſolvat, nec tantam ſanctitatem poſtulet. Cum tamen iidem, contrario errore, Chriſtum legiſlatorem Moſe perfectiorem, præceptaque ejus ſublimiora ac ſanctiora prædicent. Hic autem legis præcepta, ut nimis perfecta, nobiſque impoſſibilia, à juſtitia excludunt, ut imperfectioribus Euangelii præceptis, ad quæ videl. humana imbecillitas conniti poteſt, locum cedant. 8. Gravius eſt, quod duplex operum fœdus fabricant, unum rigidum, alterum *ἐπιεικείᾳ* temperatum; atque univerſum Euangelium in novum operum pactum commutant. Cum, ut una ac immutabilis Dei ſanctitas eſt, ita unicum tantum operum fœdus, ac lex, unicaque ſanctitatis illius formula & expreſſio ſit. Quam nec in Euangelio quidem ſolvi oportuit. Unde nec unquam abrogari potuit illa lex, ut novæ legi, aliique ex operibus *δικαιώματι* locum faceret.

Digitized by Google

faceret. 9. Utque legem ac ſanctitatem Dei iſto commento polluunt, ita minute nimis de *gratiâ* loquuntur, quam in ἐπιείκειαν, conniventiam, ac priſcæ ſeveritatis moderationem commutant. Cum gratia in Scripturis per miſericordiam Dei in Chriſto Jeſu oſtenſam, & favorem ejus omnimodum & merè gratuitum deſcribatur: quæ majus quiddam quam ἐπιείκεια quædam eſt. 10. Sed & ἐπιείκεια talis, qualem ex humanarum legum exemplo ſomniant, in divina lege locum non habet; nec illa divinæ ſanctitatis regula vel leviſſimam inclinationem patitur; ac nulla hic vel temperatio, vel diſpenſatio, vel exceptio, ſine labe ejus, cogitari poteſt. 11. Sicuti neque *acceptilatio*, ſeu imperfectæ obedientiæ pro perfecta acceptio, in Deo locum habet. Non enim Deus de jure ſuo remittere, non magis quam de ſanctitate ſua concedere quicquam poteſt.

Particulares illorum in hoc capite errores.

XLVIII. Verum alios præterea errores in hoc capite fovent *Sociniani*. Ut enim illud unicum religionis fundamentum & fulcrum eſt; quo eam univerſam conſpirare, inque eum veluti ſinum omnes ſuos latices corrivare videmus: ita, eo male poſito, etiam reliquas doctrinæ partes labare rivuloſque omnes inſinceros fluere neceſſe eſt. Cujus rei hæc præterea in ipſis ſpecimina ſunt. 1. Juſtificationem fieri ſine juſtitia, & in mera Dei miſericordiâ, & culparum remiſſione, ad reſipiſcentiam noſtram facta, conſiſtere. 2. Nec eam uno actu abſolvi vel irrevocabilem eſſe; ſed, pro vario hominis ſtatu mutabilem eſſe, & ſæpe mutari; ac peragi eam aliquando, aliquando everti, rurſuſque renovari; nec unquam eam plenam eſſe, niſi poſt obitum ſupremaque hominis fata, ubi ille à morte liberatus, peccatis omnibus ſolutus, in gloriam introducetur. 3. Quin & non omnium hominum eandem juſtificationem eſſe, ſed pro dogmate ac placito Dei judicis illam mutari.

XLIX. 4. Ac ſub *Veteri quidem Teſtamento* olim patres ſine Chriſto juſtificatos, peccataque eorum per ſacrificia quoquomodo expiata ac deleta eſſe: hoc enim à Judæis habent. Cui addunt aliud myſterium. Cum enim legis juſtitia etiam olim impoſſibilis foret, veteres tamen per opera, ſed alio quodam modo, juſtificatos eſſe aſſerunt; dum ob vitam ſanctè & innocenter actam Dei amore non indigni forent, quo ille eos præter ac contra legem, ex liberrima voluntate ac miſericordia tum dignatus eſt; uti in Abrahamo, aliiſque, factum volunt.

L. 5. Sub *Novo autem Teſtamento Chriſtum ad juſtificationem* concurrere, non ut auctorem vel cauſam meritoriam, per ſatisfactionem ac ſan-

Digitized by Google

ſanguinem ſuum,ſed ut præconem, miniſtrum, novæque legis,quæ certiſſima ad juſtitiam & amorem Dei dux ſit, latorem,ſtatuunt: non enim opus eſſe ſatisfactione vel juſtitia Chriſti, ejuſve imputatione,cum ea ex pura Dei miſericordiâ peragatur; quam nobis ſolum annunciari, Chriſtique pro veritate ejus ſpondentis ſanguine obſignari neceſſe ſit.

LI. 6. Utque Chriſti meritum ac juſtitiam tollunt, ita & *fidei* rationem immutant, quæ illis non eſt cauſa inſtrumentalis juſtificationis a parte noſtri, ſed opus merum & nova hominis obedientia, ex fide promiſſorum Chriſti, & certâ ſpe remunerationis, præceptis Euangelicis præſtita, ex quâ nunc juſtificemur. Quæ fides adeo non in Chriſtum eſt, ut Euangelio & Chriſto directâ fronte adverſetur. Credere enim, juſtificare Deum hominem adhuc poſſe ex facto, eſt tum ſanctitatem Dei & juſtitiam, tum mortis Chriſti neceſſitatem, & univerſum Euangelium abnegare. Nam ſi homo ex facto juſtificari poteſt,Chriſtus fruſtra mortuus eſt. Præterquam quod & inani fundamento nitatur; cum enim obedientia illa valde imperfecta ſit,nec de perſeverantia homo certus ſit, vix tenuem ſalutis ſpem habere poteſt, ſed damnationis potius metum & occultos terrores pati debet. Quibus iſta fides ipſum exolvere non poteſt; quæ huc tandem exit, ſi *bene crediderimus*, h. e. fecerimus, *haud dubiè vivemus; ſin ſecus, haud amplius erimus.* Egregiam vero fidem ac ſpem, quæ, ut ab unâ parte cœlum, ita ab altera parte infernum non-exiſtentiæ oſtentat; quæ eadem videl. illa ſalutaris fides ex æquo apprehendit, ac pari aſſenſu in utrumque fertur; ut ſub legis terrore factum fuiſſet: ut fidem hanc non male legalem, & qualis ſub lege quoque obtinere potuit, vocemus; non vero Euangelicam, quæ ſolo Chriſto ac ſalute ejus nititur, nec quicquam terroris habet.

LII. 7. Atque hæc *obedientia* præceptis Chriſti præſtita, ex fide promiſſorum ac doctrinæ ejus, iis vel maxime ad juſtificationem facit, & tantum non ejus cauſa eſt. Verum ulcera hæc nudaſſe ſatis eſt. Quantopere enim hæc juſtificationis ratio *ſanctitatem* ac juſtitiam Dei, & *veterum religionem* ac ſpem; & *Chriſti* gloriam ac officium, & *fidei* naturam corrumpat & evertat; rurſuſque *opera*, ſed falſo ſchemate, introducat; & denique *legis* pariter ac *Euangelii* juſtitiæ, omnique *Dei gloriæ*, quæ alterutrâ illâ ratione tantum parari, & humano generi monſtrari potuit, adverſa ſit, ultro patet, ac ſæpius alibi in hoc opere oſtendimus.

LIII. *Remonſtrantium* itidem placita ſunt: fidem non juſtificare, quatenus Chriſti juſtitiam apprehendit, ſed quatenus eſt opus & actus *Remonſtrantium.*

Digitized by Google

noſter, ac novæ obedientiæ principium; ex quâ, utcunque imperfectâ & impari, nec Deo prorſus dignâ, pro Dei tamen bonitate & gratiâ, in Euangelio promiſsâ, juſtificemur, ac ſalutem adipiſcamur. Quod ipſi dicunt, imputari fidem ad juſtitiam, ex Apoſtolo, Rom. 4: 3. cujus loci ſenſum ſupra dedimus. Ac conſequenter non niſi perſeverantibus, atque aliquem obedientiæ curſum perficientibus juſtificationem hanc peremtoriè tribuendam cenſent. Unde & in extremo vitæ actu pœnitentibus, nec idoneo tempore ſuperviventibus, intrepidè cœlum addicere omnes non audent; quanquam eos per extraordinariam Dei gratiam, quam tamen præſumere nimis facile non liceat, ſervari adhuc poſſe ſtatuant. Qui infelix juſtificationis illius ex fide, tanquam opere, fructus eſt; ut hominem in ſummo diſcrimine ad Chriſtum, tanquam ad ſalutis arcem, fidenter ire, eumque apprehendere, deque eventu benè ſperare vetet. Cum tamen Scriptura pœnitentibus, atque ad Chriſtum reſpicientibus, & vel in mediâ morte ad eum ſuſpirantibus, quæ vera fides eſt, ſalutis portum aperiat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, ego faciam vos requieſcere.* Matth. 11: 28. *Venientem ad me non ejiciam foras.* Joh. 6: 37. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.* Luc. 23: 43. Nec multum diverſâ facie *Anabaptiſtæ* quoque opera in hoc negotio jactant, & juſtificationem cum ſanctificatione, fidem cum operibus confundentes, à vera juſtitia ſemita aberrant. Quos errores jam ante, præſertim in Socino, qui reliquorum omnium compendium habet, extinximus.

Anabaptiſtarum.

CAP. VI.

De Adoptione & Libertate Chriſtiana.

Iuſtificationem conſequitur ADOPTIO.

I. JUſtificationis conſequens eſt *adoptio:* quæ ſublimis illa fidelium dignitas eſt, qua propter Chriſtum in familiam Dei accipiuntur, domuſque ejus partem faciunt, ac cœleſtis denique hereditatis participes evadunt. Quo titulo ac honore non mediocriter natura humana extollitur. *Quotquot autem acceperunt eum, dedit eis poteſtatem, ut filii Dei fierent,* Joh. 1: 12. *Quod ſi filii, etiam heredes* &c. Rom. 8: 17.

II. Eſt autem ea, ſententia Dei gratioſa, (filii enim adoptivi à naturali

turali differunt; & non natura, ſed gratiâ, ac per ſententiam quandam Dei, in tanti nominis dignitatem veniunt) juſtificatoriæ ſententiæ veluti appendix & coronis.

Cujus itidem cum juſtificatione eſt proceſſus.

III. Unde & eadem cum illâ momenta habet: vel ab æterno decreta in divina prædeſtinatione (*definivit nos ad adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum.* Eph. 1: 5.) vel in tempore, in Chriſto ſalutem peragente (*Emiſit Deus filium ſuum — ut adoptionem filiorum acciperemus.* Gal. 4: 4, 5.) vel denique in ipſis fidelibus, ſpectari poteſt; quibus per Spiritum ea intimatur, cum, à peccatis juſtificati, ſuaviſſimo filiorum affectu induuntur, Deumque, ut Patrem, compellare erudiuntur. *Quia vero eſtis filii, emiſit Deus Spiritum filii ſui in corda veſtra, clamantem Abba, Pater.* Gal. 4: 6.

collata nobis in Chriſto.

IV. In Chriſto autem ſolo quicquid iſtud gratiæ eſt poſſidemus; qui iſtum nobis titulum, partim ut redemtor paravit, partim, ut filius Dei primogenitus, nobiſque ex humana natura frater, confert & applicat; ac denique honoris iſtius obſes ac vinculum eſt. *Emiſit Deus filium ſuum —— ut adoptionem filiorum acciperemus.* Gal. 4: 5. *Decebat ipſum, multis filiis in gloriam introductis, principem ſalutis ipſorum per paſſiones conſummare. Quippe & qui ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex uno omnes. Propter quam cauſam non pudet fratres eos appellare.* Hebr. 2: 10, 11, 12. Ut alia ratione, quam olim Adamus, non minus Dei, cujus imaginem gerebat, quam terræ filius, nomine iſto gaudeamus; potioriſque illud gratiæ in nobis argumentum ſit. *Videte, quantum amorem nobis dedit Pater, ut filii Dei vocemur.* 1. Joh. 3: 1. *Sed acceſſiſtis — ad concionem primogenitorum.* Heb. 12: 23.

Arrhabo illius eſt Spiritus adoptionis,

V. Gratioſi iſtius nominis ſignaculum & arrhabo eſt Spiritus Sanctus, qui *Spiritus adoptionis* appellatur Rom 8. Gal. 4. quod interiori iſto commercio atque affatu animam noſtram permulceat, & cum fiducia Deum ut Patrem adire faciat. Ut eum jam appellemus אבא *Pater;* qua veluti ipſius naturæ voce ac ſono, Patrem olim quærebant, qui alienæ familiæ acceſſuri erant. Unde & Chriſtus illâ uſus apud Patrem ſuum legitur, Marc. 14: 36. Sicuti autem apud Iſraëlitas nemini, niſi libero, iſta compellatione אבא vel אמא uti fas erat; ita novæ Eccleſiæ libertatem inde recte concludit Apoſtolus: *Non enim accepiſtis Spiritum ſervitutis, rurſus ad metum; ſed accepiſtis Spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba, Pater!* Rom. 8: 15. *Ubi enim Spiritus Domini eſt, ibi libertas.* 2. Cor. 3: 17.

Ee 2 VI. Quod

ejuſque internum teſtimonium.

VI. Quod teſtimonium tamen non in ſingulari aliquo alloquio interno, ac peculiari veluti numinis reſponſo, & ad animam oraculo, ponendum; atque à fide, aliiſque Chriſtianæ animæ affectibus ſcrupuloſè nimis diſtinguendum eſt: quaſi, poſtquam credidimus, alio Spiritus actu, atque immediato ejus affatu, nobis inſinuetur: quomodo illum adoptionis Spiritum criminari adverſarii,& cum inani ac fallaci quadam Echo comparare ſolent. Simulac enim credimus, & eo ipſo quod credimus, obſignamur; hæcque ipſa Spiritus nota & character; & fides unicum ejus ſignaculum eſt. *In quo* Chriſto *etiam credentes obſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt arrhabo hæreditatis noſtræ.* Eph. 1:13,14. coll. 4:30. Sunt enim illæ *Spiritus primitiæ*, Rom. 8:23. quas porro filiorum affectus & indoles, reliquumque Chriſtianarum virtutum agmen comitatur; quæ cuncta ejus in nobis habitantis obſides & teſtimonia ſunt.

Diſcrimina adoptionis divinæ & humanæ.

VII. Ac patet jam diſcrimen inter adoptionem divinam & humanam. 1. inter homines enim perſona prorſus aliena adſciſcitur, ad augendos patrisfamilias penates, quæ nullo jure in familiam iſtam venit. Nos autem, accepto à Chriſto jure ac per juſtificationem iſti ſpei proximi, in Domum Dei accipimur, ac cœleſtis hæreditatis candidati evadimus. 2. Ibi neceſſitate quadam, ad patrum orbitatem ſolandam, & ne fortuna domus collabatur, adoptionis ſimulachrum inventum eſt. Hic ex ſumma bonitate, utque homines, extra domum Dei exules & vagi, ab erroribus ſuis colligantur, illi potiori quam antea jure vocantur, & divinæ familiæ inferuntur. 3. Ibi adoptio externam ſolum dignitatem dicit, non autem ipſum naturæ vultum ac affectus dare poteſt. Hic filiali præterea animo imbuimur, omneſque filiorum motus ac affectus haurimus, ac cœleſti vitæ initiamur. 4. Inter homines denique hæreditas, poſt mortem Patris jam vacua, adiri ſolet. Hic vero nulla ſucceſſio, ſed paternæ hæreditatis pleniſſima poſſeſſio in æternum obtinet.

& illius viciſſim ſub V. & N. T.

VIII. Diſcrimen etiam eſt inter *υἱοθεσίαν* ſub V. &. N.T. cum enim jus filiorum & Spiritus filiationis non detur, ut dignum eſt Deo Patre, niſi poſtquam Chriſtus glorificatus eſt, Joh. 7:39. hinc ſub V.T. hæres ad modum infantis pignoribus gratiæ, quæ habuerunt in terra, acceptis, ſub ſervitute & pædagogo erat, Gal. 4:5,6. Rom. 8:15. cum nobis datum ſit jus ac *poteſtas, ut filii Dei fiamus*, Joh. 1:12. hoc eſt, ut geramus nos apud Deum, quemadmodum par eſt ut *filii* ſe gerant apum Patrem, ſeu jus *clamandi Abba, Pater*, Joh. 1:12. Gal. 4:5,6. juxta promiſſio-

nem.

Digitized by Google

nem Jer. 3: 19. *Ecce dixeram: Quomodo ponam te inter filios?*

IX. Fructus adoptionis ſunt: 1. Libertas à peccati ac legis ſervitute; quæ Eccleſiæ perpetua fuit, tum ſub Vet. tum ſub Nov. Teſt. *Nunc vero liberi facti a peccato, mancipati autem Deo.* Rom. 6: 22. *Si igitur filius vos liberos fecerit, verè liberi eritis.* Joh. 8: 36. Quamvis major ejus gradus ſub Nov. Teſt. enituerit, ut mox videbimus. 2. Hæreditas fidelium, ac dominium in omnes creaturas, quæ nobis nunc permiſſæ ac puræ. *Omnia enim veſtra ſunt.* 1. Cor. 3: 21, 22. *Omnia pura puris.* Tit. 1: 15. *Adoptionis fructus.*

X. Minuunt autem eam Remonſtrantes, dum morte Chriſti certis hæredibus cœleſtem hæreditatem acquiſitam negant. Quo pacto filios, & hæredes, omnemque adoptionem ac hæreditatem tantum non tollunt. contra Gal 4: 4, 5, 6. *Emiſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, ut eos, qui legi erant ſubjecti, redimeret, ut adoptionem acciperemus. Quoniam autem eſtis filii, emiſit Deus Spiritum filii ſui in corda veſtra* &c. Rurſus, cum ea ponant, juxta quæ neminem in hac vita de adoptione ſua certum & ſecurum eſſe ſinunt, nullam iterum firmam adoptionem in hac vita ſtatuere debent. Illa enim tam firmum fidelium ſtatum dicit, ut de eo ſecuris eſſe liceat; cum nemo de eâ excidat, nec de familia Dei perire poſſit. Unde & tales *filii promiſſionis*, inſigni appellatione dicuntur. Quod adverſarii inani cavillo pervertunt, & non de certis promiſſionis hæredibus; ſed de ſectatoribus ac diſcipulis promiſſionis, per quam adoptio offertur, intelligunt: quaſi non Dei beneficium, ſed noſtrum officium exprimeretur. *quæ diminuitur à Remonſtrantibus.*

XI. Ut adoptio juſtificationis, ita adoptionis comes eſt *libertas*; quæ cum *eſſentialis*, tum *accidentalis* eſt. *Conſequens adoptionis eſt* LIBERTAS.

XII. *Eſſentialis* libertas, quæ à legis maledictione, ſeu condemnatione & peccati ſervitute eſt, in omni Eccleſiæ ſtatu locum habuit. Cui ſub Nov. Teſt. acceſſit major ejus gradus; quæ *accidentalis* libertas appellari poteſt: quo Eccleſia ab omni præcepto carnali, & legis, hominumque ejus cuſtodum, dominatu libera, ſoli nunc Deo ſerva eſt. *Lex Spiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberum me fecit a lege peccati & mortis.* Rom. 8: 2. *Peccatum enim vobis non dominabitur. Non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratiâ.* Rom. 6: 14. *Corrumpetur jugum propter oleum.* Eſai. 10: 27.

XIII. Quæ libertas in ambitu ſuo dicit 1. libertatem à maledictione & ſervitute chirographi. *Chriſtus nos emit, ut liberi eſſemus ab execratione legis.* Gal. 3: 13. *Delevit Chriſtus ſubſcriptionem manus adverſum nos ad placita, quæ erat contraria nobis.* Col. 2: 14. Hinc abdicata ſunt *quatenus illa peculiaris ſit Eccleſiæ N. T.?*

 ſacri-

ſacrificia Pſ. 40: 7. 50: 8. Mich. 6:6,7. juxta prædictionem Dan. 9: 27. Eſai. 66: 1, 3. Hinc liberi ſumus ab elementis mundi, Gal 4: 3. à jugo cerimoniarum, omnique carnali cultu. *Nunc igitur quid tentatis Deum, imponendi in collum diſcipulorum jugum?* Actor. 15: 10. 11. Hanc comitatur altera, quæ eſt in abrogatione principum prioris ſæculi; quos Chriſtus *a ſe depoſuit*, Col. 2: 15. quales erant, cum *angeli*, quibus non eſt *ſubjectus orbis habitabilis futurus*, Hebr. 2: 5. ut fideles non ſint ipſorum δοῦλοι *ſervi*, ſed hi horum meri *conſervi*, Apoc. 19: 10. 22: 9. Unde & Paulus audet *angelo ex cœlis anathema dicere*, ſi quid aliud doceat, Gal. 1: 8. tum ſeniores: qui nunc aboliti ſunt; cum quatenus erant vindices legis, illi populum ſubjicientes, *κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτοῖς, ut ipſis videbatur*, Hebr. 12: 10. unde *Dii* dicti, quorum abrogatio prædicta, Pſal. 82: 7. Zach. 11: 8. tum quatenus erant doctores neceſſarii, quibus tradita clavis cognitionis, Luc. 11: 52. cum nunc ſub N. T. audito Chriſto, nemo alio doctore indigeat. Jer. 31: 34. 1. Joh. 2: 27. ubi omnes erudiuntur à Deo. Eſai. 54: 13. prophetant & viſiones vident. Joël. 2: 28. conf. l. v. c. 11. §. x, xi.

XIV. Non autem libertas hæc infinitam licentiam dicit, vel ab omni divinarum humanarumque legum reverentiâ nos ſolvit; qui Libertinorum ac Anomorum furor eſt. Quorum profana opinio, corrumpendis moribus nata, omnis impietatis apicem immanitate ſua conſtituit. Gratia enim ſanctitati adverſa non eſt: &, qui Chriſtianus eſt, eo & ſanctus probuſque eſſe, & Deo & proximo ſuo multa debere non deſinit. *Exlegibus ut exlex. Non tamen exlex Deo, ſed ſublex Chriſto* &c. 1. Cor. 9: 21. *Servus vocatus es, ne ſit tibi cura.* 1. Cor. 7: 21. *Servi obedite per omnia dominis ſecundum carnem.* Col. 3: 22.

XV. Sicut neque ab altera parte Chriſtus nos, à veteris legis nexu liberatos, ad perfectiorem legem tranſtulit: quaſi ad alia pacta, aliaſque leges nunc ventum ſit; eaque nunc Eccleſiæ libertas vocanda ſit, quod Eccleſia dominum mutarit; &, Sociniano ſenſu, cum legem olim haberet dominam, nunc Chriſtum nacta ſit dominum, novum videlicet legiſlatorem & Deum. Quæ propudia ſæpe tetigimus.

ſpeciatim libertas qualis ſit

XVI. Speciatim autem conſideranda eſt Eccleſiæ libertas 1. Quoad *leges humanas*. 2. Cærimonias ac *ritus* ſacros. 3. Adiaphora, ſeu *indifferentia*.

1. Circa leges humanas,

XVII. 1. *Leges hominum* quod attinet, cum conſcientia ſolo Deo minor, eique uni obnoxia ſit, aliena certe in iſto Dei regno arbitria pati, & ho-

Digitized by Google

& hominem judicem ferre non poteſt. Unde humanæ leges de ſuo nihil in eam juris obtinent; nec quod illæ juſſerint, ſanctum, quod vetaverint, profanum hoc ipſo eſt: quaſi illis edicentibus ac arbitrantibus aliquid virtus vitiumve foret, iſtoque nexu conſcientia teneretur. Quanquam mediatè & indirectè conſcientia etiam legum humanarum moderamini ſubjecta ſit; ſed ex ſuperiori lege, quam Deus & natura juſſerunt. *Ideo neceſſe eſt ſubjici, non tantum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Rom. 13: 5.

Præcipuè Eccleſiaſticas.

XVIII. Quam imperandi auctoritatem cum ſoli magiſtratui in rebus humanis Deus conceſſerit, cœtuum Eccleſiaſticorum placita in rebus alioquin indifferentibus, non tam legum, quam admonitionum naturam habent, ſoliuſque ordinis ac decori cauſa, ne temere ſcandalum oboriatur, obſervanda ſunt. *Obedite ductoribus veſtris, & cedite.* Hebr. 13: 17. *Omnia decenter & ordine fiant.* 1. Cor. 14:40. Quod præſertim ſub Novo Teſt. locum habet: ubi, cum Eccleſia carnali amplius præcepto onerari non poſſit, nulla principum in Eccleſia poteſtas, nulli legiſlatorum throni, nullum humanum nomen, nulla denique ſervitus obtinet. *Nemo vos ſubjiciat volens, in humilitate, & cultu Angelorum —— ſi cum Chriſto mortui eſtis ab elementis mundi, quid, ut viventes in mundo, dogmata ſuſcipitis?* Col. 2: 18, 20. *Ne ſitis ſervi hominum.* 1. Cor. 7:23. Quamquam ordinem & regimen, ut in omni cœtu, ita in Eccleſia quoque locum habere par ſit; iiſque multum deferre oporteat, qui præcipua Eccleſiæ curâ funguntur, &, fratrum conſeſſum regentes, ſacræ iſtius navis veluti clavum tenent.

In quibus nulla eſt Papæ poteſtas.

XIX. Papæ autem thronum, legeſque Capitolinas, cunctamque ejus tyrannidem abominamur ac deſpuimus. Nec ei hoc ſenſu ullum in Eccleſiâ locum, multo minus principem concedimus; cum Eccleſiæ miniſter non ſit, ſed prædo ac tyrannus, & ſancti Chriſti thalami inſeſſor; in cujus vindictam Chriſtum Eccleſiæ Regem ac ſponſum expectamus. Ultimæ autem impietatis ſunt, quæ adulatorum ejus cohors jactat, ipſum regnantis in Eccleſia Chriſti vice fungi, ac ſupremum in terris myſtarcham eſſe; adeoque & leges ferre, quæ piorum conſcientias ſub peccato mortali obligent, ac religioſos cultus, ſanctoſque ritus ſancire poſſe, in quibus propriè cultus Dei ſitus ſit; atque alia talia, de quibus inferius agendum erit.

Nec tamen hæreſibus

XX. Nec remotâ ex Eccleſia poteſtate hac legiſlatoriâ, conſequitur publica hæreſium & religionum quarumcunque libertas & licentia; quam

[ce]danda licentia. quam Sociniani aliique tuentur. Aliud eſt enim ſecreta conſcientiæ pax, quæ lædenda non eſt: aliud, publicæ religionis ac cerimoniarum, quarum moderamen magiſtratui incumbit. Cujus eſt providere, ut verus Deus publice colatur, veræque de eo ſententiæ obtineant, nec niſi ſanctâ ac caſtâ diſciplinâ populus imbuatur: eodem modo uti patrifamilias in privatâ domo hoc curare convenit.

11. Ritus ſacros. XXI. Sequuntur *ritus ſacri*: qui in duplici diſcrimine ſunt, & vel à Chriſto, vel ab Eccleſia inſtituti ſunt: illi divinæ, hæ humanæ auctoritatis; illi neceſſario obſervandi, hi non temere repudiandi ſunt. Quamquam non aliam illi auctoritatem quam ordinis ac decori habeant; nec in iis per ſeſe cultus ac religio conſtituenda; vel efficacia quædam in ordine ad gratiæ effectus tribuenda ſit. *Videte, ne quis ſit, qui vos prædetur*, vel *captivos agat, per Philoſophiam, & vanam deceptionem, ſecundum traditionem hominum.* Col. 2: 8. *Irritum feciſtis Dei mandatum per traditionem veſtram.* Matth. 15: 6. Unde ab unâ parte ſuperſtitio, quæ leves illos cultus amat, iiſque mirifice delectatur, ac nimiam illis virtutem tribuit; ab alterâ, contemtus, & boni ſanctique ordinis everſio vitanda eſt.

Circa illos Pontificiorum error, XXII. Errant ergo *Pontificii*, qui non ſolum nimiâ eorum mole Eccleſiam obruerunt, ſed mirificam præterea vim iis tribuunt; docentes, Eccleſiam ritus poſſe inſtituere, qui revera cultum Dei conſtituant; quique ad gratiam accipiendam, & peccatorum veniam obtinendam, & ad effectus ſpirituales utiles, & ad opus humanâ vi majus producendum apti ſint (ut de exorciſmis ſuis prædicant) ac denique myſterii cauſa obſervari debeant, ut divini olim ritus, in Vet. Teſt. inſtituti; quæ illi humanis ſuis cultibus ac multiplici ſuperſtitionum choragio applicant.

& controverſia cum Lutheranis. XXIII. Eſt & de ritibus nonnulla cum *Lutheranis* controverſia; quas Lutherus in Eccleſiis ſuis, tanquam ad ſacrorum decus & dignitatem facientes, nimis imprudenter retinuit, iſtaque Romani ſcorti veluti ſpolia ac exuvias in iis ſpectari voluit. Quanquam nec ipſi ejus diſcipuli in omnibus conſentiant, ſed de Adiaphoris jam diu inter ſe pugnent. Nobis autem præcipua cum iis lis eſt de ritibus quibuſdam in Baptiſmo & S. Cœna adhiberi ſolitis; ut & de aliis nonnullis cerimoniis Eccleſiaſticis, confeſſione, abſolutione, genuflexione, & canticis Latinis, denique de templorum ornatu per imagines & concentus muſicos. Quæ tamen omnia nos non ejuſdem generis ac momenti habemus: nec in univerſum hanc quæſtionem tanti ducimus, ut Eccleſias, tam magnis fidei

dei capitibus conjunctas, quanquam in nonnullis adhuc partibus diſſentientes, in perpetuum diſtrahere debeant. Non tamen omnes eas cerimonias adiaphoras ſtatuimus.

XXIV. Quod denique *indifferentia* attinet, circa ea conſcientia nullo modo ligata eſt; utpote quæ liberrima ac rerum omnium domina ſit: *Scio, & perſuaſus ſum, in Domino Jeſu, nihil eſſe pollutum per ſe: niſi quod ei, qui quid pollutum cenſet, id pollutum eſt.* Rom. 14: 14. *Omnia mihi licent; at ego non redigar ſub ullius poteſtatem.* 1. Cor. 6: 12. *Omnia veſtra ſunt.* cap. 3: 22. Quanquam libertatem ipſam à libertatis uſu diſtingui, illumque prudenter regi ac temperari debere concedamus. Obtinet enim hic illud Apoſtoli, *Cavendum eſſe ab omni mali ſpecie*, 1. Theſſ. 5: 22. Quam regulam reſpectu infirmorum Apoſtolus tradit: quæ tamen non ex vulgi, ac hominum imprudentium ac obſtinatorum præjudicio, ſed ex ſapientum placitis, ac rei ipſius veritate explicanda eſt. *III. Indifferentia.*

XXV. Lex autem circa res indifferentes duplex eſt; tum fidei, tum charitatis. Illa noſmet ipſos, hæc proximos ſpectat. Per fidem enim de recto rerum uſu inſtrui ante omnia oportet, ne quidquam hæſitante conſcientia faciamus; quæ ſi nobis obmurmuret & obſtrepat, labem actionibus adſpergit. *Unuſquiſque in ſuo ſenſu certus ſit.* Rom. 14: 5. *Beatus, qui ſe ipſum non judicat, in eo quod probat.* ℣. 22. Fides contra libera ac ſancta nobis omnia facit. *Omnia pura puris.* Tit. 1: 15. *Omnis creatura Dei bona eſt — ſanctificatur enim per ſermonem Dei & interceſſionem.* 1. Tim. 4: 4, 5. Charitas autem non ſolum ſpectat quid liceat, verum etiam quid expediat: *Omnia mihi licent, ſed non omnia conducunt*: 1. Cor. 10: 23. ac præcipuè infirmorum ſenſu tangitur, quorum pietati adhuc teneræ & imbecillæ non facile obicem poni patitur. *Si propter cibum frater tuus contriſtatur, jam non ſecundum charitatem ambulas.* Rom. 14: 15. *Bonum non edere carnem — neque in quo frater tuus offendit, aut ſcandaliſatur, aut infirmatur.* ℣. 21. Quod tamen ad duros ſuperſtitioſoſque homines extendendum non eſt: *Et aſſumens Timotheum, circumcidit eum, propter Judæos, qui erant in locis illis.* Act. 16: 3. *Sed neque Titus coactus fuit circumcidi, propter ſubreptitios falſos fratres.* Gal. 2: 3, 4, 11. Quid autem leges, cum politicæ, tum Eccleſiaſticæ, in rerum mediarum uſu moderando valeant, ſupra viſum eſt. Quæ tamen, ceſſantibus cauſis ac circumſtantiis earum, ultro ceſſant, ac rerum uſum rurſus liberum reddunt; præſertim accedente majore neceſſitate. *ubi obtinet lex fidei & caritatis:*

Digitized by Google

que contemta naſcitur ſcandalum. XXVI. Inordinatum hujus libertatis uſum comitatur *ſcandalum* : quod eſt proprie, dictum factumve contra legem, quod aliis offendiculo eſt. De quo eleganter Tertull. de vel. virg. c. 3. *ſcandalum, niſi fallor, non bona rei, ſed mala res exemplum eſt, ædificans ad delictum. Bonæ res neminem ſcandalizant, niſi malam mentem.* Eſtque vel *datum*, vel *acceptum:* quæ in genere eorum, quæ verè mala ſunt, verſantur. Cui & tertium genus additur, quod *mixtum* vocatur, ſeu *infirmorum*. Qui intempeſtiva quorundam libertate turbantur, & in pietatis curſu ſufflaminantur, ac frigus quoddam patiuntur. Ubi ab utraque parte peccatur, & à dante, & ab accipiente: dum ille immodicè libertate utitur, & fratrem infirmum non reſpicit, aut propriâ ſcientiâ tumens etiam ſpernit; alter autem & ignorantiâ & charitatis defectu laborat, & ſuſpicionibus nimis indulget, ac leviculâ quadam re ſibi remoram injici patitur. Quod ſcandalum non fovendum, ſed prudenter tollendum, & tum Eccleſiæ paci, tum Chriſtianæ libertati ex æquo conſulendum eſt.

LOCUS TRIGESIMUS NONUS.

DE

Beneficiis Chriſti internis, ſanctificatione, aliiſque ei connexis.

CAPUT VII.

De Sanctificatione.

Juſtificationem ſequitur SANCTIFICATIO. I. CUm fideles, ſanguine Chriſti abluti, Spiritu ejus porro mundari, ac priſtinæ ſanctitatis luci ac nitori reſtitui debeant; hinc ad juſtificationem ſequitur *Sanctificatio*.

Hujus ab illa diſcrimen. II. Differt ea à juſtificatione; quod per illam à peccati reatu, per hanc ab ejus maculâ purgemur: ibi homo ſeſe objectivè; hic ſubjectivè habet: illa unico actu, unâque judicis ſententiâ; hæc gradibus ac momentis quibuſdam abſolvitur: illa denique in omnibus unimoda, hæc diverſa, atque in eodem homine vel perfectior, vel imperfectior

ctior eſt; & cum juſtificatio in hac vita perfecta ſit, illa non niſi ſupremo hominis fine, & ad extremum vitæ limitem perficitur.

III. Eſt autem *Sanctificandi* vox πολύσημος; & modo ſanctitatis ac gloriæ agnitionem; ut in prece dominicâ, *ſanctificetur nomen tuum*: modo rerum quarundam ad uſum ſacrum deſignationem; ut in decalogo, *recordare diei Sabbati, ut ſanctifices illum*: modo ipſam redemtionem, ut Exod. 31: 13. Hebr. 2: 11. 10: 10, 14. vel denique ſanctorum habituum inductionem ſignificat, quo ſenſu hic ſumitur. Quæ & *converſio, renovatio*, diverſiſque aliis modis appellatur. *Varia vocis ſignificationes.*

IV. Forma ejus conſiſtit in nativæ labis depulſione, & mentis, voluntatis, affectuum, actuum denique omnium emendatione ac ſanctitate. In toto enim homine illa ſedet. *Transformamini renovatione mentis veſtræ.* Rom. 12: 2. *Siſtite vos Deo, ut ex mortuis viventes, & membra veſtra arma juſtitiæ.* Rom. 6: 13. *Induiſtis novum hominem, qui innovatur ad cognitionem, juxta imaginem ejus, qui ipſum creavit.* Col. 3: 10. Ut perverſe Sociniani, qui naturæ corruptionem negant, eam in ſolâ actuum emendatione collocent. *Illius forma, in renovatione totius mentis,*

V. Præcipuè ergo in mente, & in voluntate, reliquorum actuum fonte, ſanctificatio locum habet. In voluntatem enim ea quoque immediatè pertingit. Quod perperam negavit doctiſſimus Camero, à ſolâ mentis luce reliquam porro animam illuſtrari & perfici, nec voluntatem ipſam immediate affici, ſed mentis lumini eam ſemper obſequi, dictitans. Quæ perperam ordinantur: cum iſte facultatum earum ordo ac nexus, aut illa denique intellectus in voluntatem poteſtas ac imperium non ſit, ut ad nudam facem, quam ille præfert, voluntas protinus ſequatur. Quo accedit, quod corruptio gravius aliquo modo in voluntate hæſerit, eamque altius infecerit, quam ipſam mentem; unde ad ſolam ejus lucem excitari, ſeque ipſam commovere non poteſt. Mentis enim colluſtrationem non ſufficere vel ex ipſis reprobis quotidie patet. Requiritur enim præterea in voluntate attentio; qua demum poſita, ſequitur ad claram intellectus perceptionem inclinatio voluntatis. Illa autem Dei donum eſt, ut apparet in Lydia purpuraria. Act. 16: 14. *& præcipuè voluntatis.*

VI. Cum autem ſanctificatio quidam quaſi motus ſit, duo ejus termini conſiderari poſſunt. Terminus à quo, eſt corruptio & labes peccati: *Purificemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus*, 2. Cor. 7: 1. Terminus ad quem eſt, divinæ imaginis ſanctitas & ſplendor; quæ peccatorum ſordibus infuſcata priſtino nitori reſtitui debet: *Induere novum* *Illius termini,*

 homi-

hominem, qui ſecundum Deum eſt creatus. Eph. 4: 24. Unde duæ ſequuntur ſanctificationis partes, averſio à malo, & converſio ad bonum: *Recede à malo, & fac bonum.* Pſal. 34: 15. *Deſiſtite male facere, diſcite bene facere.* Eſai. 1: 16, 17. Illa mortificatio veteris hominis, hæc vivificatio novi hominis; illa crucifixio quædam, hæc reſurrectio apud ſacros auctores appellatur. Illi adhæret *dolor ſecundum Deum.* 2. Cor. 7: 10. Huic, ſpes veniæ, cum gaudio ſpirituali, & oblectatione in lege divina: *Nam apud te eſt condonatio, ut timearis.* Pſal. 130: 4. *Beatus ille vir, cujus in lege Jehova voluptas eſt.* Pſal. 1: 2.

neceſſitas, VII. *Neceſſitas* ejus ex cunctis religionis partibus elucet. Nam & electio & redemtio; & Dei ſanctitas ac imago; ac Chriſti in nobis habitantis Spiritus; & fidei natura ac ratio; ipſa denique beatitudo æterna illam undique flagitant. *Sicut elegit nos ante fundationem mundi, ut eſſemus ſancti.* Eph. 1: 4. *Qui dedit ſemet ipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni adverſus legem delicto, & purificaret ſibi populum* &c. Tit. 2: 14. *Induere novum hominem, qui ſecundum Deum eſt creatus.* Eph. 4: 24. *Si quis Spiritum Chriſti non habet, is non eſt ipſius.* Rom. 8: 9. *Fide purificans corda ipſorum.* Act. 15: 9. *Perſequimini ſanctitatem illam, ſine qua nemo videbit Dominum.* Hebr. 12: 14.

cauſa. VIII. *Cauſa principalis*, ſive auctor ejus eſt Spir. S. male enim Socinus Spiritum non niſi ſanctificatis dari vult. *Niſi quis naſcatur ex aqua & Spiritu, non poteſt intrare in regnum Dei.* Joh. 3: 5. *Inſtrumentalis* eſt, verbum, cum legis, tum præcipuè Euangelii, accedente ſacramentorum uſu, & mediis quandoque extraordinariis. *Exemplaris* eſt, cum Deus ipſe: *Sancti ſitis, quia ego ſanctus ſum.* Lev. 19: 2. Matth. 5: 48. tum Chriſtus: *Diſcite a me, quod mitis ſum, & humilis corde.* Matth. 11: 29. *Imitatores mei eſte, ut & ego Chriſti.* 1. Cor. 11: 1. Qui morte & reſurrectione ſua, cum ſpiritualis noſtræ crucifixionis, tum novæ vitæ, quandam quaſi imaginem exhibuit: *Hoc ſcientes, veterem noſtrum hominem unà crucifixum eſſe, ut aboleatur corpus peccati.* Rom. 6: 6. *Si igitur cum Chriſto excitati eſtis, ea, quæ ſurſum ſunt, quærite.* Col. 3: 1, 2. Cauſa denique *adminiſtra*, noſque ad iſtam Chriſti imaginem refingens, eſt fides. *Una cum Chriſto crucifixus ſum. Vivo autem non amplius ego, ſed vivit in me Chriſtus. Et vitam, quam nunc vivo in carne, vivo per fidem illam filii Dei* &c. Gal. 2: 20.

& periodi. IX. Cum vero Spiritus S. per gradus eam peragat, duæ ſanctificationis

nis ſunt periodi; cum hujus vitæ, tum futuræ. Ibi obtinebit ætas Eccleſiæ virilis & perfecta, hic ejus infantia locum habet. *Donec perveniamus omnes ad virum perfectum, ad menſuram ſtaturæ, quod completur à Chriſto.* Eph. 4: 13. *Videmus enim adhuc per ſpeculum in ænigmate, tunc vero facie ad faciem.* 1. Cor. 13: 12. Quanquam etiam reſpectu hujus Eccleſiæ ætatis, pro vario piorum profectu, alii infantes & pueri in Chriſto, alii adulti dicantur. Ac Novi quidem Teſtamenti reſpectu infantilis fuit omnis Eccleſiæ ſub Vet. Teſt. ætas, pro parca cognitionis ac Spir. menſura. Qualis ſi quis ſit in Novi Teſt. luce, infans habeatur. *Omnis particeps lactis, imperitus eſt ſermonis juſtitiæ; infans enim eſt.* Hebr. 5: 13. Nunc autem illi infantes ac pueri dicuntur in Chriſto, qui prima tantum fidei elementa tenent, nec iſtum Euangelicæ perfectionis gradum obtinent, quem alii, & ſcientia, & virtutum habitu firmatiores, adepti ſunt. *Sapientiam loquimur in perfectis.* 1. Cor. 2: 6. *Non potui loqui vobis, ut ſpiritualibus, ſed ut carnalibus, ut infantibus in Chriſto.* 1. Cor. 3: 1.

Hinc duplex in ſanctificatis principium. Caro & Spiritus.

X. Cumque ita ſanctificatio per partes abſolvatur, & quotidiana incrementa habeat, duplex in ſanctificatis principium obſervare licet, *Carnem*, & *Spiritum*. *Caro concupiſcit adverſus Spiritum: Spiritus autem adverſus carnem.* Gal. 5: 17. Quæ inſtar duplicis hominis in Scripturâ conſiderantur: *Docti eſtis deponere vetuſtum hominem — & induere novum hominem.* Eph. 4: 21. *Caro* dicit naturam humanam, prout Dei Spiritu caret. Cum autem Spiritus ille, vel ut ſanctificans, vel ut vificans ac immortalitate donans, conſideretur; utroque modo caro illi in Scripturis opponitur, & vel humanam naturam nondum immortalitatis compotem, ut: *Caro & ſanguis non poſſunt hæreditare regnum Dei: ſeritur corpus animale, ſuſcitatur corpus ſpirituale.* 1. Cor. 15: 50, 44. vel eandem ſanctificatore Spiritu deſtitutam dicit. Qui hujus loci ſenſus eſt. Adeoque dicit illa nativam iſtam labem, malaſque cupidines, quæ hominem ab ipſo ortu occuparunt; nec inferiores ſolum animæ facultates, ſed totum hominem infecerunt & corruperunt; in corpore autem ac in carne ejus præcipuè dominantur, ac membra ejus tanquam arma ſua movent & uſurpant. Unde *peccatum habitans in carne*, & *lex peccati, quæ eſt in membris*, Rom. 7. paſſim appellatur. *Spiritus* vero notat formatorem novæ vitæ Spiritum S. ejuſque dona & motus, omnemque in novo homine potentiam: *Quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt.* Joh. 3: 6.

Digitized by Google

hominem, qui ſecundum Deum eſt creatus. Eph. 4: 24. Unde duæ ſequuntur ſanctificationis partes, averſio à malo, & converſio ad bonum: *Recede à malo, & fac bonum.* Pſal. 34: 15. *Diſiſtite male facere, diſcite bene facere.* Eſai. 1: 16, 17. Illa mortificatio veteris hominis, hæc vivificatio novi hominis; illa crucifixio quædam, hæc reſurrectio apud ſacros auctores appellatur. Illi adhæret *dolor ſecundum Deum.* 2. Cor. 7: 10. Huic, ſpes veniæ, cum gaudio ſpirituali, & oblectatione in lege divina: *Nam apud te eſt condonatio, ut timearis.* Pſal. 130: 4. *Beatus ille vir, cujus in lege Jehova voluptas eſt.* Pſal. 1: 2.

neceſſitas, VII. *Neceſſitas* ejus ex cunctis religionis partibus elucet. Nam & electio & redemtio; & Dei ſanctitas ac imago; ac Chriſti in nobis habitantis Spiritus; & fidei natura ac ratio; ipſa denique beatitudo æterna illam undique flagitant. *Sicut elegit nos ante fundationem mundi, ut eſſemus ſancti.* Eph. 1: 4. *Qui dedit ſemet ipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni adverſus legem delicto, & purificaret ſibi populum* &c. Tit. 2: 14. *Induere novum hominem, qui ſecundum Deum eſt creatus.* Eph. 4: 24. *Si quis Spiritum Chriſti non habet, is non eſt ipſius.* Rom. 8: 9. *Fide purificans corda ipſorum.* Act. 15: 9. *Perſequimini ſanctitatem illam, ſine qua nemo videbit Dominum.* Hebr. 12: 14.

cauſa. VIII. *Cauſa principalis*, ſive auctor ejus eſt Spir. S. male enim Socinus Spiritum non niſi ſanctificatis dari vult. *Niſi quis naſcatur ex aqua & Spiritu, non poteſt intrare in regnum Dei.* Joh. 3: 5. *Inſtrumentalis* eſt, verbum, cum legis, tum præcipuè Euangelii, accedente ſacramentorum uſu, & mediis quandoque extraordinariis. *Exemplaris* eſt, cum Deus ipſe: *Sancti ſitis, quia ego ſanctus ſum.* Lev. 19: 2. Matth. 5: 48. tum Chriſtus: *Diſcite à me, quod mitis ſum, & humilis corde.* Matth. 11: 29. *Imitatores mei eſte, ut & ego Chriſti.* 1. Cor. 11: 1. Qui morte & reſurrectione ſua, cum ſpiritualis noſtræ crucifixionis, tum novæ vitæ, quandam quaſi imaginem exhibuit: *Hoc ſcientes, veterem noſtrum hominem unà crucifixum eſſe, ut aboleatur corpus peccati.* Rom. 6: 6. *Si igitur cum Chriſto excitati eſtis, ea, quæ ſurſum ſunt, quærite.* Col. 3: 1, 2. Cauſa denique *adminiſtra*, noſque ad iſtam Chriſti imaginem refingens, eſt fides. *Una cum Chriſto crucifixus ſum. Vivo autem non amplius ego, ſed vivit in me Chriſtus. Et vitam, quam nunc vivo in carne, vivo per fidem illam filii Dei* &c. Gal. 2: 20.

& periodi. IX. Cum vero Spiritus S. per gradus eam peragat, duæ ſanctificationis

Digitized by Google

nis ſunt periodi; cum hujus vitæ, tum futuræ. Ibi obtinebit ætas Eccleſiæ virilis & perfecta, hic ejus infantia locum habet. *Donec perveniamus omnes ad virum perfectum, ad menſuram ſtaturæ, quod completur à Chriſto.* Eph. 4: 13. *Videmus enim adhuc per ſpeculum in ænigmate, tunc vero facie ad faciem.* 1. Cor. 13: 12. Quanquam etiam reſpectu hujus Eccleſiæ ætatis, pro vario piorum profectu, alii infantes & pueri in Chriſto, alii adulti dicantur. Ac Novi quidem Teſtamenti reſpectu infantilis fuit omnis Eccleſiæ ſub Vet. Teſt. ætas, pro parca cognitionis ac Spir. menſura. Qualis ſi quis ſit in Novi Teſt. luce, infans habeatur. *Omnis particeps lactis, imperitus eſt ſermonis juſtitiæ; infans enim eſt.* Hebr. 5: 13. Nunc autem illi infantes ac pueri dicuntur in Chriſto, qui prima tantum fidei elementa tenent, nec iſtum Euangelicæ perfectionis gradum obtinent, quem alii, & ſcientia, & virtutum habitu firmatiores, adepti ſunt. *Sapientiam loquimur in perfectis.* 1. Cor. 2: 6. *Non potui loqui vobis, ut ſpiritualibus, ſed ut carnalibus, ut infantibus in Chriſto.* 1. Cor. 3: 1.

X. Cumque ita ſanctificatio per partes abſolvatur, & quotidiana incrementa habeat, duplex in ſanctificatis principium obſervare licet, *Carnem*, & *Spiritum*. *Caro concupiſcit adverſus Spiritum: Spiritus autem adverſus carnem.* Gal. 5: 17. Quæ inſtar duplicis hominis in Scripturâ conſiderantur: *Docti eſtis deponere vetuſtum hominem — & induere novum hominem.* Eph. 4: 21. *Caro* dicit naturam humanam, prout Dei Spiritu caret. Cum autem Spiritus ille, vel ut ſanctificans, vel ut vivificans ac immortalitate donans, conſideretur; utroque modo caro illi in Scripturis opponitur, & vel humanam naturam nondum immortalitatis compotem, ut: *Caro & ſanguis non poſſunt hæreditare regnum Dei: ſeritur corpus animale, ſuſcitatur corpus ſpirituale.* 1. Cor. 15: 50, 44. vel eandem ſanctificatore Spiritu deſtitutam dicit. Qui hujus loci ſenſus eſt. Adeoque dicit illa nativam iſtam labem, malaſque cupidines, quæ hominem ab ipſo ortu occuparunt; nec inferiores ſolum animæ facultates, ſed totum hominem infecerunt & corruperunt; in corpore autem ac in carne ejus præcipuè dominantur, ac membra ejus tanquam arma ſua movent & uſurpant. Unde *peccatum habitans in carne*, & *lex peccati, quæ eſt in membris*, Rom. 7. paſſim appellatur. *Spiritus* vero notat formatorem novæ vitæ Spiritum S. ejuſque dona & motus, omnemque in novo homine potentiam: *Quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt.* Joh. 3: 6.

Hinc duplex in ſanctificatis principium.

Caro & Spiritus.

& inde in iis perpetua lucta. XI. Atque ex duplici hoc fonte perpetua in homine pugna ac lucta exoritur, inter duas illas partes, carnem ac Spiritum. In qua moderanda, ac carne debellanda, & cupidinum regno tollendo ſanctificatio ferè conſiſtit. Gal. 5: 17. Cujus illuſtre exemplum in Apoſtolo Paulo extat Rom. 7. qui licet *Deo liberatori gratias agat*, ℣s 25. antea tamen ut carnalis, & peccato traditus ac venditus ibidem deſcribitur; quod videl. ex naturæ ſuæ indole, & juxta eminentiſſimam legis ſanctitatem, talis fuiſſet; quamvis deinceps per regenerationem alius factus eſſet. *Lex Spiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberum me fecit a lege peccati & mortis.* Rom. 8: 2. *Qui autem ſunt Chriſti, carnem crucifixerunt cum paſſionibus & concupiſcentiis.* Gal. 5: 24. quod ſine perpetua lucta, inter iſtas peccati reliquias, fieri non poteſt.

quæ differt à lucta irregenitorum. XII. Differt autem multum regenitorum lucta ab inteſtino illo irregenitorum tumultu, & cupiditatum reliquæque in iis lucis certamine. Diverſa enim illa ſunt. 1. *Subjectis:* quæ hic ſunt Spiritus & caro, ibi vero diverſæ ac pugnantes cupiditates & affectus; vel ad ſummum ratio, utcunque illuſtrata, & ex adverſa affectuum cohors: unde talibus cor duplex adſcribitur. Pſal. 12: 3. 2. *Cauſis:* illud jurgium, illeque mentis æſtus ex ſervili affectu, & pœnæ metu; hæc autem lucta ex nova natura, & filiali Dei amore, exoritur. 3. *Objectis:* ibi in atrociora tantum peccata, hic in omnia, & leviora quoque, pugnatur. 4. *Eventu* denique: cum ibi peccata quidem reprimantur nonnihil, ſed quæ rupto tandem obice acrius exardeſcunt; hic autem Spiritus, carne potentior, tandem victor ſit, omnemque iſtum animæ tumultum componat & extinguat.

qualis proponitur Rom. 7. XIII. Qualem luctam irregeniti inter mentem & membra, inter conſcientiam & carnem hominis ſub lege conſtituti & gratia Euangelica deſtituti, Paulus figurate & in propria quaſi perſona proponere videtur Rom. 7. in quo ℣s 9. repræſentat ſtatum Judæorum, primo quidem quales fuerint χωρὶς νόμυ *ante legem* latam: dein vero ℣s 10. quales facti ſint ἐλθέσης τῆς ἐντολῆς, *poſtquam lex data* eſſet. quam perſonarum enallagen cum ibi auſpicatus eſſet, nullum eſt indicium, illum ab ea deſtitiſſe ℣s ſeqq. uſque ad ℣s 24. & 25. ubi demum de ſe ut regenito loqui incipit. Quod toto hoc capite agi, manifeſtum eſt, cum ex difficultate initio illius propoſita de irritatione peccati & productione mortis in iis qui ſub lege ſunt & gratia Euangelii carent; cui incongrue reſponderet exhibendo ſeipſum in ſtatu regenerationis, in qua non amplius ſub lege

Digitized by Google

lege eſt: tum ex collatione eorum quæ hîc de ſe ipſo dicit ℣s 14,23. quæ contradicunt iis quæ de regenitis Cap. 6: 18. & 8: 1,2. dicit, Confer & ea quæ hic ℣s 18, 19. de ſe prædicat, cum iis quæ dicit Phil. 2: 13. & 4: 13.

Hinc mixta ſunt omnia fidelium opera,

XIV. Cum verò in hac vitâ nondum prorſus carne liberemur, mixtæ ſunt omnes fidelium actiones, & vel rectiſſima eorum opera aliquam labem habent. Quanquam non ideo peccata ea dicenda ſunt, ut Lutherani argutantur, ſed peccato inquinata.

& ipſi graviter interdum peccant:

XV. Incidere etiam poſſunt fideles in graviſſima peccata, quorum fomitem ac fontem in ſeſe retinent. Quanquam enim Spiritu ductore nunquam deſtituantur; ille quidem ad ſalutem eos certo deducit, in viâ autem offendere & obhærere nonnunquam ſinit, rurſuſque ab erroribus reducit. Unde & contra conſcientiam delinquere eos ſæpe contingit, quatenus ejus monitus negligunt, ita ut eos damnet cor ſuum. A quo lapſu qui ſe integros ſervant, & veram fidem ac ſpem retinent, illi magnam παῤῥησίαν habent apud Deum, magnoſque conſcientiæ plauſus referunt. *Si nos condemnet cor noſtrum, major nempe eſt Deus corde noſtro, & novit omnia. Si cor noſtrum non condemnet nos, libertatem habemus ad Deum.* 1. Joh. 3: 20, 21.

non tamen voluntarie.

XVI. Non poſſunt tamen *voluntarie peccare*, h. e. veritatem viſam odiſſe, lucemque iſtam protervo pede conculcare, ac mero ejus odio peccare: *Voluntarie enim peccantibus nobis —— non amplius pro peccato relinquitur hoſtia.* Hebr. 10: 26. Neque manu elata, ac obfirmata mente peccant, aut regnum ac imperium iterum peccati patiuntur; ſed, quicquid peccant, ex ignorantia, vel humana infirmitate ac imbecillitate provenit. Quo ſenſu dicuntur *non facere peccatum, nec poſſe peccare, quia ſemem Dei in iis manet*, 1. Joh. 3: 9. Semper enim ſub Spiritus regimine manent, à quo peccatum non provenit. Nunquam enim ille Spiritus deſinit, ut ſæpius regenerari eos neceſſe ſit: *regeniti, non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili.* 1. Pet. 1: 23.

uſus hujus luctæ.

XVII. Voluit autem Deus luctam illam perpetuam eſſe, nec niſi in ultimo vitæ limite, ac in morte ipſa finiri; quando peccatum, quod hic per luctam minuitur, exuendo corpus peccati, deponemus: *Nam qui mortuus eſt, juſtificatus eſt à peccato.* Rom. 6: 7. *Quis me eripiet è corpore mortis?* c. 7: 24. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, à nunc: ne, dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis.* Apoc. 14: 13. idque varios ob fines: tum, uti inter vitæ hujus tædia, ac futuram beatitudinem, diſcrimen poneret: tum ut infirmitatum ſenſu humiles nos redderet,

ac

ac pudenti quadam pietate perfunderet; &, admotis ſtimulis, ad futuræ vitæ perfectionem anhelare juberet: itemque demonſtrandæ potentiæ ſuæ, quæ per tot lapſus, tamque ſalebroſâ viâ, tamen in cœlum nos introducit: denique ut erga proximum nos placidos facileſque redderet; cum deceat peccatis veniam poſcentem, reddere rurſus.

Inde perpetua ſanctificationis imperfectio. XVIII. Ita ut perpetua obtineat in hac vita ſanctificationis imperfectio: non quod perfectio ex ſeſe impoſſibilis ſit (eſt enim naturæ humanæ apprimè congrua, & conveniens, olimque præſtanda) ſed quod non tantam nunc Spiritus menſuram Deus largiatur, ut, omni labi purgandæ ſufficiat. Quanquam quod ſanctiores non ſimus, ejus rei non parva penes nos culpa reſideat, quod Spiritum iſtum non ſatis petimus, nec ſinum pandimus, omnemque ejus auram colligimus; nec venienti ac ferenti Spiritui obſequimur, neque motibus ejus uſque quaque obſecundamus, nec omni ſtudio eum fovemus & conſervamus: *Ne contriſtate Spir. S. Dei, quo obſignati eſtis ad diem redemtionis.* Eph. 4: 30. *Spiritum ne extinguite.* 1. Theſſ. 5: 19.

Contra Pelagii impeccantiam, XIX. Atque cadit hic Pelagianorum impeccantia, quæ juſtitiæ operum ſoboles eſt: quam & Scripturæ, & omnium ſanctorum exempla, & quotidiana denique experientia, refutant. *Quis dicet, ſincerum eſſe feci cor meum, purus ſum a peccato meo?* Prov. 20: 9. *Si dicamus, quod peccatum non habemus, noſmet ipſos decipimus.* 1. Joh. 1: 8. *Nam homo non eſt juſtus in terra, qui agat bonum, & non peccet.* Eccl. 7: 20. *Et extitimus, tanquam impurus, omnes nos, &, ut veſtis remotionum, omnes juſtitiæ noſtræ.* Eſai. 64: 6.

adoptatam ferè à Pontificiis, XX. Adoptarunt eam Pontificii, dum regenitos peccato mortali, omnique malo habitu, carere poſſe contendunt: ac, in Synodo Tridentina, juſtos in omni opere venialiter, nedum mortaliter peccare negant. Quam tamen ſententiam ſine manifeſta hypocriſi, & divinæ legis violatione, tueri non poſſunt. Ipſâ enim imperfectionis ſuæ conſcientiâ revicti, ut ſe perfectos jactitent, motus animi celeres, innatamque concupiſcentiam, pro peccatis non habere, multaque præterea peccata actualia, quibus carere hominem non poſſe vident, pro venialibus tantum culpis, quæ animæ integritatem non delibant, habere debent. Quæ alibi examinavimus. Hæc ſuperbia accuſatur Hoſ. 12: 9. *Dixit Ephraim, certe quidem ditatus ſum, inveni ſufficientiam mihi: omnes qui laſſantur in me, non invenient mihi pravitatem, quæ ſit peccatum.*

(quomodo XXI. Nec obſtat; quod Deus *τελειότητα perfectionem* à nobis requirat;

Digitized by Google

quirat; ac Chriſtus ſponſam ſuam integram & perfectam, in Salomonis Cantico, prædicet, & quod quidam in Scripturâ perhibeantur *Juſti*, Gen. 6:9. Luc. 1:6. *Qui in omnibus Dei præceptis ambulaverint*, 1. Reg. 15:5. Luc. 1:6. vel quod Paulus Inſpectorem velit eſſe *irreprehenſibilem*, 1. Tim. 3:2. *Seque ipſum valere omnia per Chriſtum* glorietur, Phil. 4:13. quomodo & Apoſtolus de omnibus fidelibus dicit, quod, *qui ex Deo natus eſt*, *non peccet*, *& nec poſſit peccare*. 1. Joh. 3:9. Unde *opera juſtorum Deo placere*, Act. 10:35. atque *in judicio ejus conſiſtere* dicuntur Pſal. 7:9. ut perfecta ea eſſe oporteat. Hæc enim eorum tela ac objectamenta ſunt. Ad quæ ordine paucis regerimus: 1. τελειότητα, quæ in Scripturis à nobis requiritur, ſæpe ſinceritatem & integritatem notare; cui cor duplex ac inſincerum opponitur. 2. Atque ita Chriſtus *integrum* caſtumque Eccleſiæ ſuæ amorem, nullo adultero affectu pollutum, in Cantico concelebrat. 3. Quæ etiam *juſtorum* illorum in Scripturâ ratio eſt; quorum integritas & virtutum ſtudium, non omnimoda perfectio laudatur. 4. Quæ *viæ* illæ Dei ſunt, in quibus ambulaſſe quidam leguntur; quanquam non ſine ceſpitatione. 5. Qua in via qui ſine querela coram hominibus vixit, ἀνεπίληπτος & *irreprehenſibilis* eſt; qualem Apoſtolus omnem Epiſcopum requirit: quod non angelicam perfectionem dicit, quæ in hac vitâ ſperari non poteſt; ſed vitam ad legem caſtigatam, ſceleriſque puram. 6. *Paulum* vero non peccaſſe, inverecundum foret ſtatuere. Quod autem concupiſcentiæ motibus id imputat, id oſtendit ab ejus reliquiis ipſum nondum liberum fuiſſe. Nemo enim niſi volens concupiſcit. 7. Quare non abſolutè, ſed pro ſubjectâ materiâ ſeſe *omnia valere* dixit. Conf. Marc. 9:23. *Omnia poſſibilia ſunt credenti*. Nec ſemper, nec in omnibus iſtud victricis animæ epinicium locum habet. 8. de omnibus fidelibus autem mox reſpondimus, quo ſenſu *non peccent* amplius, nec peccare poſſint. 9. Ac *placent quoque ipſorum opera* Deo, ſed ut Patri, non ut judici, cum eorum defectum non imputat in Chriſto. 10. Quod enim de *judicio Dei* addunt, iſtud non de ſtricto ejus judicio, ſed de judicio cum miſericordia conjuncto accipiendum eſt. Nec tam de juſtitia perſonæ, quam de cauſa ſua ibi agit Propheta, contra hoſtes. Aliter enim, ubi ipſe ad tribunal Dei accedit, judicium ejus potius deprecatur.

tamen τέλειος *perfecti hic dicamur?*

XXII. *Sociniani* autem ita perfectionem Chriſtiani hominis urgent, ut peccata ſua lugentes & deplorantes, quaſi infimi adhuc ordinis Chriſtianos, non ſine convitio indigitent. Quaſi non à peccato ſolum, ſed à ſenſu *Socinianis*?

 quo-

Digitized by Google

quoque ejus & dolore ſuos illos Chriſtianos abeſſe debere contendant: contra 1. Joh. 1: 8. *Si dicamus, quod peccatum non habemus, noſmet ipſos decipimus.*

Anabaptiſtis

XXIII. Ita & *Anabaptiſta*, & ipſi quoque Pelagianæ arboris ſurculus, non ſingulos ſolum Chriſtianos peccato carere, ſed & univerſum cœtum ſuum ab iſto piaculo purum eſſe poſſe volunt; nec peccatores tolerare norunt, ex Apoſtolorum præſcripto, 1. Cor. 3, 8, 11, 15. Gal. 1, 3, 5. Rom. 14. Apoc. 2, 3. capp. Cum ipſi, illi candidi videlicet ſæpè ac columbuli, vitiis fere intercutibus laborent, & externam ſæpè tantum perſonam gerant.

& Remonſtrantibus.

XXIV. Similiter *Remonſtrantes* multis in partibus ad perfectiſtas accedunt. Nam & opera fidelium immunda dici; vel eos quolibet in opere peccare non ferre videntur, ac perfectionis quoſdam gradus ſtatuunt; & incipientibus pietatem quidem ἀνυπόκριτον; confirmatioribus autem, ac pietatis habitum adeptis, perfectionem quandam ex æquo & bono adſcribunt, quam Euangelicam vocant; quæ tamen per peccata, in quæ quis crebro relabatur, everti rurſus poſſit. Quos quidem perfectionis gradus non prorſus rejicimus; ſed illam non tam à firmitudine habitus, quam à Dei gratia, & ſemine ejus in fidelibus manente, derivandam putamus. Nec recta perfectionis ex æquo & bono appellatio eſt, cum fideles non in ſeſe tales æſtimentur ac reputentur, ſed in Chriſto ſolo juſti ac perfecti habeantur: quæ ſola perfectio ac juſtitia Euangelica eſt.

Diſcrimen ſanctificationis ſub V. & N. T.

XXV. Nobis ergo in N. T. incumbit *pacem proſequi cum omnibus &* ILLAM *ſanctificationem, ſine qua nemo videbit Deum.* Hebr. 12: 14. Quæ nimirum eſt in ſanguine & Spiritu Chriſti, in circumciſione cordis; quæque opponitur purificationibus carnalibus Judæorum, ad nihil proficuis. Et hoc typicæ illius ſanctificationis ſub V. T. à vera, quæ ſub N. T. ſola obtinet, ſanctificatione diſcrimen eſt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De bonis Operibus, eorumque neceſſitate ac merito.

I. EX ſanctificatione tanquam fonte profluunt *bona opera*, ita in Scripturis appellata. *Ita ſplendeat lux veſtra coram hominibus, ut videant veſtra bona opera.* Matth. 5: 16. *Creati in Chriſto Jeſu, propter bona opera.* Eph. 2: 10. *Virtutis* enim nomen rarius occurrit. *Si qua virtus, & ſi qua laus, hæc animo verſate.* Phil. 4: 8. *Omni ſtudio collato ſuppeditate in fide veſtra virtutem.* 2. Pet. 1: 5. Quorum cum *naturam*, tum *neceſſitatem*, denique à quibuſdam introducta *merita* conſiderabimus. *Sanctificationis fructus ſunt* BONA OPERA.

II. Ratio formalis boni operis conſiſtit in conformitate illius cum Lege Dei: ſicuti *peccatum eſt defectio à lege.* 1. Joh. 3: 4. Ut perverſa ſit diſtinctio, inter opera juxta Euangelii normam, ac juxta legem, perfecta. Quaſi darentur *Euangelica* quædam *conſilia*, uti appellant, majoris cujuſdam ſanctitatis ac perfectionis: cum nihil perfectius ſit iſta legis formula, *diliges Deum tuum ex toto corde tuo:* nec quiſquam *lege juſtior, luce ſplendidior, canone rectior, præcepto officioſior* exiſtere poſſit. Nazianz. *quorum conſideratur natura,*

III. Manifeſtum autem eſt, opus ἔννομον etiam νομικῶς fieri oportere; ac ex principio bono, ex *puro corde, & conſcientia bona, & fide non fucata* procedere, 1. Tim. 1: 5. & in bonum denique finem, Dei vid. gloriam, tendere debere. *Omnia facite in gloriam Dei.* 1. Cor. 10: 31. In quibus defecerunt omnes gentilium virtutes.

IV. Principium quo eſt, cum Spiritus S. omnis boni in nobis auctor & dux, ac perpetuus Eccleſiæ rector: unde & *fructus Spiritus* dicuntur Gal. 5: 22. tum fides; quæ omnis boni in fidelibus initium ac inſtrumentum eſt: partim, quod per eam primum corda luſtrantur, ac amore Dei imbuuntur; partim, quod illa Chriſto nitens, ac jugiter inhærens, ex eo vires hauriat ad bene agendum, animamque ſanctis motibus induendam. Unde ea ſine bonorum operum comitatu eſſe non poteſt, atque ea artiſſimis nexibus ſibi devincta habet. *Fide purificatur cor.* Act. 15: 9. *cauſa efficiens,*

Digitized by Google

15: 9. *In Chriſto Jeſu—valet fides, per charitatem operans.* Gal. 5: 6. *Sine fide impoſſibile eſt Deo grata facere.* Hebr. 11: 6. *Qui manet in me, & ego in ipſo, hic fert fructum multum.* Joh. 15: 5.

ſubjectum efficiens. V. Principium quod, eſt homo regenitus. *Ita omnis arbor bona fructus bonos fert. Putrida autem arbor putridos fructus fert.* Matth. 7: 17. Irregenitorum enim opera, cum principio, norma ac fine bono deſtituantur, quantamcunque egregiam ſpeciem præferant, bona dici non poſſunt. Ut male Pontificii ea *bona de congruo* appellent. De quibus acriter à Theologis in concilio Tridentino diſceptatum. Cum Pontificiis ſentiunt quoque Sociniani, qui, cum non corda, ſed actus noſtros tantum corruptos velint, hominem irregenitum etiam bona opera edere poſſe affirmant.

Bonorum operum NECESSITAS: *quæ multiplex eſt.* VI. Sequitur 2. *bonorum operum neceſſitas;* 3. iiſque adſcriptum *meritum.* Ac primum de neceſſitate eorum.

VII. Ubi nonnihil diſtinguendum eſt. Vel enim ad *juſtificationem* illa referri poſſunt, vel ad *fidem*, vel ad *ſalutem.* Ad illam nullum cauſæ uſum habent; nec proinde hactenus ad actum illius neceſſaria ſunt. Fidei vero comites & fructus ſunt. Saluti vero non quidem promerendæ, ſed adeundæ inſerviunt, ejuſque ſunt adjuncta antecedentia; ut fidei adjuncta conſequentia.

VIII. Rurſus, cum alia ſit neceſſitas præcepti, alia medii: utraque illa bonis operibus convenit. Minute enim nimis loquuntur, qui ea tantum pro cauſa ſine qua non, habent: & hoc ſenſu cauſa moralis dici poſſent. Sunt autem media, non efficientiæ: ſed quatenus ſalutis via & ſemita ſunt, quæ certiſſimè ad cœlum ducat. *Ipſius ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu propter bona opera, quæ ante præparavit Deus, ut in iis ambularemus.* Eph. 2: 10. Ut male juſtitiarii omnes ſalutem in operibus ſuis ponant: *Non ex operibus, ne quis glorietur.* Eph. 2: 9. Quæ tamen & immunda, & imperfecta ſunt, nec omnes veræ juſtitiæ numeros coram Deo implent.

IX. Sunt ergo neceſſaria multis ex partibus. Nam & Dei gratia; & Chriſti redemtio ac meritum; & inhabitans in nobis Spiritus; & Chriſtianorum ſpes, ac electionis confirmandæ neceſſitas; & fides; & charitas, ac proximi ædificandi ſtudium; & ipſa ſalus noſtra; & ſuprema denique rerum omnium regula, Dei gloria, ea undique flagitant. Tit. 2: 11, 12. *Affulſit gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus, erudiens nos, ut —juſtè & pie vivamus in hoc ſeculo.* & ỳs 14. *Qui nos redemit, —ut purificaret ſibi populum in divitiis ſuis perpetuo habendum, æmulatorem bono-*

Digitized by Google

bonorum operum, Rom. 8: 9. *Vos autem non eſtis in carne, ſed in Spiritu: ſiquidem Spiritus Dei habitat in vobis.* 1. Joh. 3: 3. *Omnis, qui habet hanc ſpem in ſe ipſo, purificet ſe ipſum, ſicut ipſe purus eſt.* 2. Pet. 1: 10. *Studeatis firmam reddere vocationem & electionem veſtram.* Gal. 5: 6. *In Chriſto valet fides per charitatem operans.* Jac. 2. paſſim. 1. Pet. 3: 1. *Similiter uxores ſubjectæ ſint propriis viris, ut etiam, ſi quidam non obediant verbo, per uxorum converſationem ſine verbo lucrifiant.* Phil. 2: 12. *Cum timore & tremore veſtram ſalutem conficite.* 1. Cor. 10: 31. *Omnia ad gloriam Dei facite.* Ut male quidam ex Lutheranis propoſitionem illam formident, bona opera ad ſalutem eſſe neceſſaria (quin & noxia & periculoſa Nicolaus Amſdorfius ſuperiori ſæculo auſus fuit aſſerere) cum tamen multiplicem in iis neceſſitatem agnoſcant, æque ac nos; non quidem ad ſalutem promerendam, ſed ad illam adeundam & poſſidendam.

Quæque ita tuenda eſt contra adverſarios, ut tamen non indulgeatur vulgi circa illa præjudiciis.

X. Ita tamen recedendum, tum à Pontificiorum erroribus, qui ſeſe bonorum operum tantum non idololatras ſæpe reddunt; tum ab Antinomorum furoribus; ut interim non concedendum ſit vulgi præjudiciis, quæ etiam inter multos Reformatos tantum non obtinent, quibus, innato humanæ naturæ errore, ad operum juſtitiam identidem revolvuntur. Quale eſt: Chriſtianæ religionis præcipuam partem vitæ probitate, ac morum doctrinâ, abſolvi. Quod inſincerum eſt. Cum enim ſalus noſtra, non hominum, ſed Dei opus ſit; iſtud Dei circa humanam ſalutem opus rectè tradere, explicare, agnoſcere, & fide amplecti, veræ religionis fundamentum & ſummam conſtituit, eamque ab aliis ſectis & perverſis religionibus diſtinguit. Unde non doctrina operum, ſed fidei, ac gratiæ Chriſti, ſalutis fundamentum, & religionis noſtræ pars excellentior eſt; eoque & primum tradenda venit, ut doctrina morum ei tanquam baſi innitatur. Quæ & Scripturarum methodus eſt. *Sicut ſurrexit Chriſtus ex mortuis per gloriam patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Rom. 6: 4. Magna vero Eccleſiæ corruptio hinc orta eſt, quod Chriſtianiſmi ſubſtantia in bonis operibus collocata fuerit; ſenſimque Euangelium, & doctrina gratiæ iſto operum ſtudio abolita, inque novam legem ac Philoſophiam quandam commutata, tandemque propria juſtitia erecta fuit.

XI. Huc pertinent & alii ejus generis errores: bona opera, ac præcipuè charitatem, eſſe primariam Eccleſiæ notam, ac maximè viſibilem Chriſtianiſmi characterem: melius eſſe, habere pietatem quam fidem: ac ſatis fere dari in Eccleſia ſcientiæ, modo adſit pietatis ſtudium; & ni-

mium propemodum iſtâ in parte laborari, deſertis potioribus: nec enim magna quadam ſcientia ad ſalutem acquirendam opus eſſe: ſed ſufficere eam, quæ ſummam religionem præcipuaque ejus capita ſpectet: in ſanctitate autem, in virtute, in bonis operibus omnem cardinem verti, atque iſtis ſolis cœli portam patere. Unde & doctrinas morales pro concione tractatas, populi auribus magis placere videas, quam enucleatam myſteriorum fidei explanationem; ex naturali videl. præjudicio, cum operum ſtudium natura hominibus inſitum ſit, fidei autem dogmata, ut longè ſupra captum noſtrum poſita, rationi minus arrideant. Quæ quam perplexa ſint, & quantopere fidem Chriſti, publicamque ejus confeſſionem, ac Dei gloriam, quæ ea conſtat, lædant; & quam turpe charitatis ac fidei divortium introducant, cuilibet ad oculum patet. Nec vexare temerarias iſtas ſententias ultra attinet.

Eorum MERITUM.

XII. Succedit 3. bonorum operum *meritum*, de quo antequam dicamus, indagandum primum eſt, quæ virtutis menſura ſit, atque unde ejus pretium & magnitudo dependeat.

Unde petenda ſit virtutis menſura ac pretium?

XIII. Non autem illud, humano more, ex magnitudine commodi vel incommodi, quo Deus videl. afficitur, æſtimandum eſt. Deus enim ſupra iſtam rationem eſt. Nec obſequia noſtra ad beatitudinem ejus quicquam faciunt: cum ſeſe ſolo beatus, in eodem felicitatis veſtigio ſibi ſemper hæreat. *Nec manibus hominum colitur, alicujus rei egens, quum ipſe det omnibus vitam, & halitum, & omnia.* Act. 17:26. conf. Job. 22:2, 3.

In genere nempe à majori vel minori animi proclivitate:

XIV. Potior eorum ſententia eſt, qui à majori vel minori animi proclivitate & zelo, ac erga virtutes ſtudio, virtutum diſcrimen petunt. Adeo enim animi promtitudo & lubentia virtutem non minuit, ut eam augeat, ut in Chriſto & beatis patet. Atque hæc in cœlis maxima erit: unde maxima ac perfectiſſima ibi virtus ac obedientia locum habebunt. Meriti autem ratio cum aliunde peti debeat, in ſtatu iſto concipi nullo modo poteſt.

in ſpecie verò in viatore à ſollicitudine vitandi peccatum, & à lucta cum naturalibus

XV. Alius autem viatoris ſtatus eſt, in quo tanquam in ſtadio virtutis præmium acquiri poteſt: Cujus ratio ac diſcrimem cum à cura ac ſollicitudine vitandi peccatum, quo facile circumveniri poſſumus; tum à lucta illa ac labore, qui in iſto virtutum curſu exantlatur, petendum eſt: quod præmii ac mercedis ſperandæ unicum fundamentum eſt. Ac prout ille labor ac moleſtia (quæ in naturalium propenſionum, in ſeſe non malarum, abnegatione; inque dolore ac certamine illo conſiſtit)

atque

Digitized by Google

atque univerſa animi contentio vel major eſt, vel minor; ita diverſi virtutis gradus, diverſaque præmii ac mercedis magnitudo hinc menſurari poteſt. Quæ cum in *gloriæ ſtatu* deſint, & nec cura illa ac ſollicitudo, nec moleſtia, ac ſui abnegatio, ibi locum habeant; non quidem virtus, ſed virtutis præmium & merces, utpote quibus jam pii gaudent, ibi ulteriorem rationem habere non poteſt. *inclinationibus.*

XVI. Atque ex hac virtutum ratione ac menſura, patet quarundam virtutum magnitudo & pretium. Ut in inſigniori caſtitatis certamine, ac triumpho, quo ipſam naturam conſecrari Tertullianus dixit; in martyrum certaminibus; ac præſertim fide heroicâ, Abrahami, aliorumque, videre eſt. Cum in iis multæ naturales inclinationes ac affectus tanto cum labore ſuperandæ, & natura ipſa tantum non calcanda foret. *Sed ipſi in nobis decretum mortis habuimus, ne confideremus in nobis ipſis, ſed in Deo, qui ſuſcitat mortuos.* 2 Cor. 1: 9. *Qui contra ſpem ſecurè credidit, ſe factum eſſe patrem multarum gentium.* Rom. 4: 18. Sicuti contra virtutes, hoc labore ac abnegatione carentes, minores ſunt. Ac pertinent huc quædam opera per ſeſe magna & egregia, quæ tamen, quod illa moleſtiâ careant, non illum ad præmium acquirendum reſpectum habent. *Hinc pendet diſcrimen magnitudinis virtutum;*

XVII. Patetque ſimiliter ex adverſo *peccatorum* æſtimatio. Quæ vel graviora vel leviora ſunt, prout a naturalibus inclinationibus aut magis aut minus abeunt: & graviſſima ſunt illa peccata, quæ contra naturam dicuntur, quæque ipſi naturæ pudorem incutiunt. *ut & vitiorum.*

XVIII. Cumque ita jam pateat, quænam opera in meriti ac præmii rationem venire propriè poſſent, nunc de ipſo *merito* quærendum eſt.

XIX. Ac vocabulum primò quod attinet 1. illud *in Scripturis* nuſpiam reperimus: quamvis *mercedis ex debito* ibi mentio occurrat. Vox enim ἀξιοῦσθαι non hominum meritum ac dignitatem, ſed dignationem divinam dicit. Vide Luc. 20: 35. *Qui vero digni habiti ſunt, ut ſeculum illud & reſurrectionem ex mortuis conſequantur.* conf. 21: 36. Pariterque ἄξιος non de merito & compenſatione, ac quantitatis proportione, ſed de qualitatis convenientia, uſurpatur. *Ut dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis.* Eph. 4: 1. *Ferte igitur fructus dignos reſipiſcentiâ.* Matth. 3: 8. Phil. 1: 27. Col. 1: 10. 1. Theſſ. 2: 12. 2. apud *Patres* autem, ac veterem Latinorum Eccleſiam, idem fere quod τυγχάνειν, conſequi, & fructu non carere, ſonat. 3. Sequioribus autem ſæculis in perverſum ſenſum abiit, qui nunc quoque apud plurimos Pontificios obti- *Vocis merendi ſignificatio.*

Digitized by Google

obtinet; quaſi mercedem debitam, ſecundum juſtitiam commutativam, ex intrinſeca operis dignitate, diceret. Quale meritum Scriptura ignorat, quamvis bonis operibus mercedem, coronam, hæreditatem, præmium, & ſimilia attribuat.

Pontificiorum de merito ſententia. XX. Hæc autem Pontificiæ Eccleſiæ communior ſententia eſt: 1. Chriſtum ita pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe, ut juſtitiæ quidem initia, per baptiſmum, aliaque ſacramenta, ab ipſo adipiſcamur, idque ex opere operato. 2. verum reliquam ac perfectiorem juſtitiam in habitu animæ intrinſeco, juſto & ſancto, conſiſtere, ab ipſo quidem per ſacramentorum uſum primum hauſto; ſed qui juſtum demum conſtituat eum, qui juſta operatur. 3. Adeoque hominem, jam regeneratum, per bona opera, tum in bono perſeverantiam, tum vitam æternam promereri.

Illorum meritum XXI. Meritum autem iis præcipuè duplex eſt, de *congruo*, & *de condigno*. Cui & tertium quidam ſuperaddunt, quod meritum *ex pacto* vocant.

de congruo: XXII. *Meritum de congruo* appellant, cui de juſtitia quidem non debeatur merces, ſed tamen ex æquitate ac congruitate quadam: quod operibus irregenitorum, ante acceptam gratiam factis, adſcribunt. Pro quo in Tridentino concilio multum litigatum, ſicuti & multi inter Pontificios illud repudiant. Collocant autem illud, alii in promiſſione ex gratiâ divinâ; alii in aliquali operis dignitate, qua homo gratiâ juſtificationis non indignus fit.

de condigno: XXIII. *Meritum de condigno* rationem debiti ac juſtitiæ habet; inque æqualitate meriti ad præmium conſiſtit: atque iſtud juſtificatis multi eorum tribuunt, quos bonis ſuis operibus, & gratiæ augmentum, & vitam æternam, promereri ajunt. Quanquam in ratione ejus explicanda non ſatis concordes ſint. In eo vero conveniunt communiter, vitam æternam operum mercedem ſecundum juſtitiam eſſe, ac per ea propriè acquiri; ac Deum per illa revera nobis debitorem fieri.

Quæ refutantur. Et primò quidem meritum de congruo: XXIV. Quæ propius examinanda ſunt. Ac *meritum* quidem *de congruo* ex humanæ vitæ uſu, ac liberali illo hominum inter ſeſe commercio, originem trahere videtur; apud quos alia officiorum, alia juſtitiæ regula eſt; & multa vel gratitudo, vel humanitas, vel charitas à nobis exigit, ad quæ ſtricta lege, & mero jure non obligamur. Parum enim eſt intra legum tabulas, atque ad menſuram, juſtum eſſe. Quæ, ſive æquitas, ſive decentia, nec à Deo removenda eſt. Atque ultro fatemur illum, pro bonitate ac gratia ſua, non poſſe vel minimos hominum cultus dedi-

gnari,

gnari, aut averſari, vel denique non remunerari. Non quod hominibus, ſed ſibi hoc debeat; nec, quid hominibus debeatur, ſed quid ſeſe deceat ſpectet.

XXV. In eo autem errant Pontificii: 1. quod qualemcunque illam remunerationem incongruè nimis meritum appellant. 2. atque illud operibus ante gratiam factis tribuunt. 3. quin et, Pelagio præeunte, gratiam iſto merito præveniri docent. 4. Atque ita non ſolum hominem irregenitum, Dei inimicum, in peccatis mortuum, quales omnes ante gratiam ſumus, aliquid boni, quodque Deo non indignum ſit, præſtare poſſe putant. 5. Sed & Deum reddunt προσωπολήπτην, qui opera aliqua externa, ſine timore ſui facta, in quibuſdam ſpectet, iiſque veluti moveatur ac ducatur.

XXVI. Objectant dictum Euangelii, *habenti dabitur*, Matth. 13:12. & Apoſtoli, *talibus hoſtiis promeretur Deus*, Hebr. 13:16. tum & exempla, *obſtetricum*, Exod. 1:20, 21. *Jehu*, 2. Reg. 10:30. *Cornelii*, Act. 10:2. in quibus meriti hujus veſtigia deprehendere ſeſe putant. Ad quæ reſp. 1. Sententiam Chriſti non de operibus, ante gratiam factis, vel de recto naturalium uſu: ſed de regenitis, deque gratiæ primordiis, agere. 2. Qui & Apoſtoli, ad Hebræos, ſenſus eſt. Nec promerendi verbum ibi occurrit, ſed placendi, per Chriſtum videl. εὐαρεστεῖται 3. Sicut & Cornelius vir ſanctus ac regenitus erat, & Meſſiæ regnum ſperans; quanquam Jeſum Nazarenum adhuc ignoraret. Nec ullum ibi meriti veſtigium. 4. Uti nec in obſtetricum exemplo. Phraſis enim *idcirco* non propriè meritum, ſed quodcunque genus conſequentiæ notat. Præterquam quod & illæ regenitæ perhibeantur, cum Deum timuiſſe dicantur. Sicuti & alia ipſis merces tribuitur, quam converſionis & gratiæ primæ, quam huic merito adverſarii deputant. 5. Sicuti neque Jehu illa merces aſſignatur, ſed aliud quid, nimirum regnum ad quartam nepotum progeniem propagandum. Quod tamen nullo merito conſecutus eſt, ſed qualicunque Dei gratia ac remuneratione, pro operâ præſtitâ.

XXVII. *Meritum* autem *de condigno* multo magis humanæ obedientiæ adſcribere nefas eſt; ſicut & Scholaſtici antiquiores agnoverunt, quod tale meritum in meram creaturam non cadat. Ut ex veri meriti conditionibus apparet. Opus enim meritorium 1. debet eſſe *noſtrum*. 2. *indebitum*, 3. quin & *commodum* non exiguum conferre ei, apud quem meremur, 4. ut illum nobis conſtituere poſſit *debitorem*, ſive ex juſtitia, ſive ex gratitudine. 5. debet præterea præmio eſſe *proportionatum*, &

tum illud de condigno:

ἀντίῤῥοπον. 6. adeoque, & partibus, & gradibus, & perſeverantia denique, *perfectum*. Quæ cuncta & operibus noſtris deſunt, & Deo indigna ſunt. Nam nec *noſtra* ea ſunt, cum à Deo, & vires, & virium uſum, habeamus. *Deus eſt qui operatur in nobis, & velle, & operari*, Phil. 2: 13. 1. Cor. 4: 7. *Nec indebita. Sic & vos, cum feceritis omnia, quæ edicta ſunt vobis, dicite, ſervi inutiles ſumus; nam quod debuimus facere, fecimus*. Luc. 17: 10. Nec talia, ut Deo *prodeſſe* queamus, vel ille promeritis noſtris capi poſſit. *Nunquid Deo utilis eſt homo? nunquid voluptas eſt omnipotenti, quum juſtus fueris? & an lucrum, cum integras eſſe feceris vias tuas?* Job. 22: 2, 3. magis vero indignum eſt, eum creaturæ ſuæ de jure *debitorem* fieri. Denique nec opera noſtra cunctis numeris *perfecta*, aut denique magnæ iſti mercedi *reſpondentia* ſunt. *Reputo enim, non eſſe dignas paſſiones temporis, quod nunc eſt, ad gloriam, quæ futurum eſt ut revelетur in nos*. Rom. 8: 18.

XXVIII. Accedunt & aliæ rationes. Quod merita talia *Chriſti merito* non parum derogarent: quod homini non parvam *gloriationis* materiam coram Deo darent; quod Scriptura tantopere abominatur. *Ubi igitur gloriatio? excluſa eſt. Per quam legem? operum? non. Sed per legem fidei*. Rom. 3: 27. Quod denique Scriptura; omiſſo meriti vocabulo, longe *aliis loquendi modis* utatur; & mortem quidem peccati demerito, viam æternam autem divinæ gratiæ & miſericordiæ adſcribat; excluſis etiam operibus. *Stipendia peccati mors, gratioſa autem largitio Dei vita æterna, in Chriſto Jeſu Domino noſtro*. Rom. 6: 23. *Non ex operibus in juſtitia, quæ feceramus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvavit nos*. Tit. 3: 5. *Nam non freti juſtitiis noſtris nos effundimus ſupplicationes noſtras coram te, ſed freti miſericordiâ tuâ magnâ*. Dan. 9: 18. Unde ſine pretio & labore eam acquiri, & mero hæredum jure poſſideri, addit. *Venite, emite, ſine argento, & ſine pretio, vinum & lac*. Eſai. 55: 1. *Si autem filii, & hæredes ſumus. Hæredes vero Dei, cohæredes vero Chriſti*. Rom. 8: 17. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum vobis paratum à jacto mundi fundamento*. Matth. 25: 34.

XXIX. In ſolo autem Chriſto θεανθρώπῳ meritum de condigno locum habuit; cum ille perſonæ dignitate, & obedientiæ perfectione, gloriam illam quam accepit eminentiſſimam promeritus & conſecutus fuerit. Ut alibi oſtendimus.

denique aliud ex pacto. XXX. Nec felicius quidam ex Pontificiis, hac parte depulſi, *meritum ex pacto*, ſive ex promiſſione, ſubſtituere laborant. Quod in ſtatu quidem

dem innocentiæ, ex primævæ legis formula, locum aliquem inveniſſet; nunc autem, poſt peccatum, una cum legis regno abolitum eſt. Et revera illud ſub Euangelio ac gratia urgere, foret gratiæ fœdus in novum fœdus operum commutare: & legem ipſam corrumpere, quæ non niſi perfectæ obedientiæ mercedem promittit; & invitâ eâ ac adverſante, & potius condemnante, tamen juſtificari velle.

XXXI. Cadit etiam Bellarminiana meriti explicatio, qui ab una parte gratiam & pactum Dei, ab altera ipſius operis dignitatem, conjunxit, & inter ſeſe miſcuit. Quæ non ſolum in partibus laborant, ſed & conjungi ſimul ac miſceri nequeunt.

XXXII. Ut nullum detur meritum. Nec *de congruo*, quod Deo hypocriſin & *προσωποληψίαν* affingeret: nec *de condigno*, quod in meram creaturam non cadit: nec denique *ex pacto*, utpote quod ſolius fœderis operum eſt, nec cum Euangelio ac Chriſti merito conſiſtere poteſt.

XXXIII. Urgere tamen illi merita ſua non deſinunt; & voculas quaſdam ac modos loquendi Scripturæ excerpunt & pro cauſa ſuâ identidem repetunt. Uti enim Scripturam particulis cauſalibus, *enim*, *ideo*, & ſimilibus, Matth. 25: 21. ac unicuique *ſecundum opera* retributionem polliceri, Rom. 2: 6. & juſtis, ac cœli candidatis, *dignitatem* adſcribere non vereri, 2. Theſſ. 1: 11. Apoc. 3: 4. & vitam æternam appellare *mercedem*. Matth. 5: 12. & 10: 42. ac præmium *ex juſtitia reddendum*. 2. Tim. 4: 8. 2. Theſſ. 1: 6. denique bona opera noſtra *ſalutem operari* addunt, ex Phil. 2: 12. 2. Cor. 4: 17. & 7: 10. Jac. 1: 25. *Pontificiorum objecta menta.*

XXXIV. Nos ad ſingula reſpondemus. 1. Particulas iſtas, non cauſales, ſed rationales, ſæpe eſſe, & quamcunque conſequentiæ rationem dicere. Conf. 1. Tim. 1: 13. 1. Joh. 2: 12, 13. Ac loco citato aliam potius ſalutis cauſam adferri, benedictionem videl. Patris, & æternam ejus electionem. *Adeſte benedicti Patris mei, poſſidete regnum paratum vobis à jacto mundi fundamento.* Matth. 25: 34. 2. Aliud autem eſt, *ſecundum opera*; aliud, ſecundum merita, vel *propter opera*. Notat enim illud *ſecundum*, pro operum ratione diſparem eventum & mercedem; & in malis quidem operibus demeritum proprie dictum, in bonis autem præmii & laboris convenientiam dicit; & de qualitate, non vero de vera proportione & æqualitate intelligendum eſt. Eadem enim epiſtola Apoſtolus c. 8: 18. *Reor enim minime pares eſſe præſentis temporis perpeſſiones gloriæ in nobis revelandæ.* 3. Qualis convenientia, & qualiſcunque

 pari-

parilitas, etiam nomine ἄξιος & ἀξιοῦσθαι in Scripturis denotatur. *Ferte igitur fructum καρπὸν ἄξιον τῆς μετανοίας convenientem reſipiſcentiæ.* Matth. 3: 8. coll. Act. 26: 20. Cum autem fideles ipſi dicuntur ἄξιοι, illa dignitas, uti juſtitia eorum, non inhærens, ſed imputata; non in nobis, ſed in Chriſto; non ex operibus, ſed ex gratia eſt. conf. Act. 5: 41. *Gaudentes, quod digni habiti eſſent, qui pro nomine Jeſu contumeliâ afficerentur.* & Phil. 1: 20. 4. Unde *merces* quoque eorum non ex debito, ſed ex gratia eſt, diſtinguente Apoſtolo Rom. 4: 4. *Atque ei, qui operatur, merces non imputatur ex gratia, ſed eſt ex debito.* Non enim merces ſemper meritum, ac debitum propriè dictum, infert. vide Gen. 30: 18. *Et dixit Lea, Deus reddidit mercedem meam, poſtquam dedi ancillam meam viro meo. Ideoque vocavit nomen ejus Jiſſacarem.* Pſal. 127: 3. 5. Nec ex *juſtitia* commutativa ea perſolvitur, ſed ex promiſſione & gratiâ; quam præſtare, ac in promiſſis conſtantem eſſe, juſtitiæ Dei intereſt. Quanquam Paulus 2. Tim. 4: 8. *coronam juſtitiæ* non aliam quam coronam Chriſti intelligat, ejus meritis partam, nobiſque donatam: & 2. Theſſ. 1: 6. *Siquidem juſtum eſt apud Deum, viciſſim reddere iis, qui affligunt vos, afflictionem: vobis vero, qui affligimini, relaxationem* &c. de vindicatione fidelium è manu improborum agat, quæ ultimo die peragetur; quod ſummæ juſtitiæ eſt. 6. Denique κατεργάζεσθαι Phil. 2: 12. non cauſæ meritoriæ, ſed inſtrumentalis, conſervantis ac foventis, efficaciam dicit. Salutem enim operari recte dicimur, cum faciamus ea quæ cum ſalute connexa ſunt, Hebr. 6: 9. quanquam omne operis decus ac vis à ſolo Deo pendeat: *Deus enim eſt, qui operatur in nobis, & velle, & operari.* ṽs 13. Quod autem Apoſtolus 2. Cor. 4: 17. dicit: *Illico enim præteriens levitas afflictionis noſtræ, excellenter excellentis gloriæ pondus æternum conficit nobis;* cum ejuſdem Apoſtoli loco Rom. 8: 18. comparandum eſt. *Reor enim minime pares eſſe præſentis temporis perpeſſiones gloriæ in nobis revelandæ:* ac ex ejuſdem epiſtolæ cap. 5: 3. *Gloriamur de afflictionibus, ſcientes quod afflictio tolerantiam efficiat:* & cap. 8: 28. *Novimus autem iis, qui diligunt Deum, omnia ſimul adjumento eſſe ad bonum;* explicandum eſt. Quod enim ad ſalutem quomodocunque facit, eamque promovet, eam operari dicitur. Tandem Jac. 1: 25. beatitudo ex operibus deſcribitur, non tanquam cauſis efficientibus, ſed ex ſignis adjunctis & concomitantibus: juxta Eph. 2: 10. *Nam ipſius ſumus opus, conditi in Jeſu Chriſto ad bona opera, quæ præparavit Deus ut in iis ambulemus.*

XXXV. At-

Digitized by Google

XXXV. Atque ita, profligato quocunque operum merito, iis,ut juſtitiæ cauſis, inniti & confidere, quin & gloriari, quæ Pontificiæ ſententiæ arrogantia eſt, nos non poſſe ſatis patet. *Et inveniar in ipſo, non habens meam juſtitiam, eam ex lege; ſed eam, quæ eſt per fidem Jeſu Chriſti; juſtitiam, quæ ex Deo eſt, ad fidem.* Phil. 3:9. *Ubi ergo gloriatio eſt? excluſa eſt. Per quam legem? operum? non. Sed per legem fidei.* Rom. 3:27. Nec proſunt Bellarmini præſtigiæ; aliud eſſe, fiduciam ex meritis naſci; aliud, eam in illis ponere: ac licere eam in meritis collocare, modo ſuperbia caveatur &c. Quæ nec ipſi auctori ſatisfecerunt. Unde, pudendæ aſſertionis temeritatem peroſus, tutiſſimum eſſe concludit, in ſola Dei miſericordia fiduciam ponere. Quo exitu longam illam de meritis diſputationem, tanquam gemmâ quadam, obſignavit. Quam nos de luto iſto tollere ac oſtentare, non parum intereſt. Ut veritatis vocem ac vim, vel ex invito pectore erumpentem, agnoſcamus. Adeo aliter ſeſe animus habet, dum controverſiarum æſtu incaleſcit, & quotidiana lite in adverſarios invehitur; aliter, dum veluti ad thronum Dei accedens, atque ad ejus tribunal iſtam diſputationem peragens, tandem arma omnia projicere, & argumenta, quibus ante confiſus erat, odiſſe incipit; ſeque in ſupplicis ritum componens, miſericordiâ potius Dei tegere, quam prolixa illa, quam contra adverſarios explicuit, ratiuncularum acie confidere mavult. Non enim egra Deum perinde hæc argumenta valent, nec ad lucem iſtam vana ac perſonata colorem ſuum ſervare poſſunt: ſed immotum ac conſtans eſſe oportet, quod eo judice ſubſiſtet. *An merito confidere liceat?*

XXXVI. Quæritur tandem an cœleſtis mercedis intuitu operari liceat? Cujus ſententiæ negativam non recte Antigono Sadducæorum Magiſtro adſcribunt. Verius enim eſt, quanquam Deus ſolo præmii intuitu colendus non ſit, tamen illius reſpectu ac intuitu quoque licere recta facere, ac iſta præſertim ſpe in adverſis tolerandis ſeſe ſolari. Præcipuè cum ipſum illud præmium à Deo diverſum non ſit: cum non alio quam Deo beata eſſe anima deſideret. Ut, qui ad præmium reſpicit, eo à Deo ſe avertere, vel eum ob ſtipem colere dici non debeat. Quid enim? an Deus non eſt ſummum bonum? nonne talis haberi vult, ac talem ſeſe creaturis offert? & an ad eum ex vitæ miſeriis ſuſpirare non licet? nonne Apoſtolus ipſum μισθαποδότην appellat, idque gloriæ ipſi adſcribit? *Credere enim oportet eum, qui accedit ad Deum, quod ſit, & quærentibus ſe remunerator fiat.* Hebr. 11:6. *Ut validam inhortationem* *An illius intuitu operari?*

tionem haberemus accipiendi illam expoſitam ſpem. Hebr. 6: 18. Et quid alioquin de ſpe ſive expectatione foret, quæ vel præcipua & cardinalis Chriſtianorum virtus eſt, ac una ex triga illa Apoſtolica? Sicut & ipſe fides definitur ἐλπιζομένων ὑπόστασις, Hebr. 11: 1. Ut Moſis, ac Chriſti ipſius exempla taceam; qui non alio fine adverſa tulit, quam ut iſta viâ in cœlum iret, ipſa ſua cruce conſecrandus, ac regno ſuo inaugurandus, ἀντὶ τῆς προκειμένης χαρᾶς. Hebr. 12: 2. Quo Apoſtolus etiam nos vocat. 1. Cor. 15: 58. *Eſtote abundantes in opere Domini ſemper, quum ſciatis laborem veſtrum non eſſe inanem in Domino.* Pauli enim Moſiſque ecſtaſes, ac amoris deliquia, Exod. 32: 32. Rom. 9: 3. cum ſingularis exempli fuerint, nec denique perpetua in ipſis, ſed ad inſtar raptus & exceſſus cujuſdam fuerint, regulam facere non poſſunt.

CAPUT IX.

De Reſipiſcentia.

Sanctificationem perficit RESIPISCENTIA. *Illius varia nomina:*

I. SAnctificationem & bona opera, cum imperfecta ſint, excipit reſipiſcentia; qua ex lapſibus quotidie reſurgimus. Sumitur enim ea vel latius, pro tota hominis converſione, & prima regeneratione; vel ſtrictius, pro iteratâ ac quotidie renovata converſione à gravioribus lapſibus: pro qua ſanctitatis parte eam nunc accipimus. Hebr. נחום dicitur; item שוב & שובה, quod ἐπιστρέφειν & ἐπιστροφὴν ad Deum notat: Græcè μετάνοια & μεταμέλεια; quorum illud emendationis conſilium, hoc mentis angores & ſupplicia, ob admiſſum peccatum, exprimit: Quanquam promiſcuè hæ voces interdum uſurpentur. vide Hebr. 12: 17. Matth. 21: 29. Latinus interpres *pœnitentiæ* voce uſus eſt, qua animi tædium & pudorem expreſſit: quæ Pontificiis errandi vel cauſam, vel prætextum præbuit, dum pœnitentiam in externis caſtigationibus ac pœnis potiſſimum ponunt.

res ipſa. 1. actus:

II. Rem quod attinet, conſiſtit ea partim in animi dolore, ex peccati ſenſu; partim in ſerio emendationis propoſito.

quorum prior eſt triſtitia

III. Primus ejus actus eſt perculſæ ac vulneratæ animæ *dolor*, & peccatorum ſenſus, & horror, ac odium.

IV. *Duplicis* autem *doloris* meminit Scriptura, *doloris mundi*, & *doloris*

Digitized by Google

loris ſecundum Deum. Nam quæ ſecundum Deum eſt triſtitia, ea reſipiſcentiam efficit ad ſalutem, cujus nunquam pœniteat: at mundi triſtitia mortem efficit. 2. Cor. 7:10. *Ille*, ſive de re aliqua terrena eſt, ſive ob peccata & ſcelera, animum torquet, & quotidianis diris agitat; ſed abſque vera in Deum fide, & ſancto peccatorum odio; adeo ut ſit horror merus, & animi implacidi anxietas, & æſtus, & deſperatio, & pœnæ formido, ac denique ſanctitatis Dei odium & fuga. Qualis dolendi ſævities ac amentia in Caino, Juda, aliiſque impiis apparet. *Dolor* autem *ſecundum Deum* alio ex fonte manat; non ex odio, ſed ex amore Dei ac ſanctitatis ejus; nec ultra modum atrox ac ſæviens, ad quodvis momentum ſtupet, omnemque numinis cogitationem exhorret, ſed offenſam potius ejus veretur; ac mollibus lacrymis culpam abluit; & pudenti denique quadam pietate miſtus, peccare in poſterum timet, ſolo Dei ac virtutis amore. Qualis in Sanctis apparuit. Pſal. 51:19. Jer. 31:18, 19. Joël. 2: 12, 13. Act. 2:37, 38. *ſecundum Deum:*

V. Sumit autem hic dolor initium à fide. Cum enim cum amore Dei conjunctus ſit, atque ex illo oriatur; ille autem abſque fide in Chriſtum eſſe nequeat; (quæ primum Dei, ut peccatorem amantis, adſpectum & ſenſum dicit; & primum veri amoris affectum nobis inſinuat) abſque fide illum exiſtere impoſſibile eſt. Atque hæc fides in Scriptura innuitur vocabulo *Timoris Jehovæ*, qui dicit, *initium ſapientiæ*, imo *ſumma ſapientia*, & *ſapientia eſt*. Prov. 9:10. 1:7. Pſal. 111:10. Job. 28:28. *exorta e fide:*

VI. Ut jam quæſtioni illi reſponderi poſſit: *quomodo fides ad pœnitentiam ſeſe habeat?* Differt enim 1. fides à pœnitentia ſtrictè dicta. Illa enim in Chriſtum proprie, hæc ad Deum fertur, ejuſque voluntati ſeſe conformat: tum reſipiſcentia ſtrictius accepta triſtitiam duntaxat de malo commiſſo dicit; latius autem ſumta, pro tota hominis ad Deum converſione, fidem tanquam partem includit. 2. Ac hujus reſipiſcentiæ partes quod attinet; quoad dolorem & peccatorum ſenſum, ea fide quoque prior eſt: præcipuè quod ad animi ſenſum. Vix enim peccatorum remiſſionem nobis perſuademus, quorum vulnera & aculeos nondum ſenſimus. Quo modo reſipiſcentiam fidei præmitti videmus, Marc. 1:15. *Reſipiſcite, & credite Euangelio.* conf. Act. 20:21. Quoad reliquam vero vitæ emendationem illa fide poſterior eſt. 3. Ut vero triſtitia illa ſancta ſit & Deo grata, oportet reſipiſcentiam præcedat fides; utpote quæ vitæ ſpiritualis initium, ac ſanctæ converſionis primum gradum dicit, cum *quæ pœnitentia latius ſumta pars eſt.*

ſine

Digitized by Google

ſine ea nihil boni in homine exiſtere poſſit. Atque hoc gradu illa ſe invicem conſequuntur; ut prima ſit fides, quam ſequitur triſtitia ſecundum Deum; ac denique vitæ emendatio, & novæ ſanctitatis ſtudium.

alter ejus actus eſt vitæ emendatio.

VII. Alter ergo reſipiſcentiæ actus, eſt vitæ emendatio, vel ejus ſaltem verum propoſitum. *In Chriſto Jeſu —— valet nova creatio*, Gal. 6: 15. *Ut, ſicut ſurrexit Chriſtus ex mortuis, per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*, Rom 6: 4. Quam comitatur animus lætus, & exultans in viis Dei, ut peccatorum ſenſum comitabatur animi anxietas & triſtitia. *Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem.* Rom. 7: 22. *Beatus vir, cujus in lege Dei voluptas eſt.* Pſal. 1: 1, 2.

VIII. Quæ reſipiſcentiæ pars non ita à priori divellenda eſt, quaſi tempore diverſa foret. Cum hæ duæ reſipiſcentiæ partes ejuſdem actionis ac mutationis diverſi ſint termini: quorum primus eſt, veteris hominis mortificatio; alter, novi vivificatio. Quanquam nec vetus homo mortificari ſine adventu novi queat: ſicuti mors non niſi inſinuato ſpiritu ac vita, nec tenebræ ſine lucis radiis fugari & tolli poſſunt. Eſt autem novæ vitæ primus gradus, veterem labem expurgare & tollere.

quomodo ea pœnitentiæ pars & fructus ſit?

IX. Dilutius eſt, quod quidam vitæ emendationem pœnitentiæ partem eſſe negant, quod ejus fructus ſit. *Ferte igitur fructus dignos reſipiſcentiæ.* Matth. 3: 8. Pendet enim hoc à ſtrictiori vel latiori pœnitentiæ acceptione: quæ ſi de animi dolore tantum ſumatur, emendatio vitæ ejus fructus eſt; ſi verò univerſa comprehendatur, pars illius eſt, cum ſine ea perfecta ac completa eſſe non poſſit.

11. ſubjectum: commune,

X. *Subjectum* pœnitentiæ eſt, vel *commune*, vel *proprium*. Ad illud pertinent 1. *omnes fideles*, in peccata relabentes; contra Novatianos & Catharos, qui nimio olim rigore lapſos, ad limina Eccleſiæ redeuntes, ac pacem ejus expoſcentes, excludebant. 2. & *beata* quoque *virgo*. Non autem *Chriſtus*; qui, non privativè, ſed negativè, non-pœnitens fuit. 3. *Reproborum* vero fucata, ut fides, ita & pœnitentia eſt. Quæ, ſervili indole, non offenſas, ſed flagra exhorrens, nec univerſam animam perpurgans, & ad graviora tantum peccata perculſa, & origine, & modo, & objectis, à vera pœnitentia diſſidet. 4. *Infantibus* denique, etſi non omnes motus Spiritus abrogandi ſint, ſanctamque eis indolem ipſo ætatis initio inſinuari ſæpe contingat, non tamen illi pœnitentiæ actus, quos jam deſcripſimus, conveniunt. *Qui non dignoſcunt dextram ſuam à ſiniſtra ſua.* Jon. 4: 11.

proprium.

XI. *Proprium* autem pœnitentiæ ſubjectum eſt, non voluntas ſola; quam-

Digitized by Google

quamvis illa præcipua ejus ſedes ſit; ſed & intellectus, & memoria, & affectus, ipſaque corporis noſtri membra; quæ omnia ad priſtinam puritatem per pœnitentiam reſtitui debent.

XII. *Objectum* ejus ſunt peccata omnia: unde *μετάνοια ἀπὸ νεκρῶν ἔργων reſipiſcentia ab operibus mortuis* dicitur, Hebr. 6: 1. ex quibus reſurgere jubemur; tum levioribus, cum quibus quotidianum nobis certamen eſt; tum præſertim gravioribus, quæ altius conſcientiam vulnerant. Excluditur autem ab hoc cenſu peccatum in Spiritum S., quod ejus generis eſt, ut impœnitentiam, & obdurati animi obſtinationem pro perpetuo comite habeat. Tam atrox enim illud eſt, ut nullum bonum motum in animo relinquat. Nec qui ultimo iſto peccandi gradu ſtetit, ullum ad meliorem mentem regreſſum ſibi relinquit. Unde non dolor, ſed deſperatio, & divinæ vindictæ expectatio, & diriſſima mentis ſupplicia, ac furiæ illud conſequuntur. *Voluntarie peccantibus — non amplius pro peccato relinquitur hoſtia, terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis ardor.* Hebr. 10: 26, 27. Conf. 1. Joh. 5: 16. Extra iſtum caſum autem ab omni peccato per veram pœnitentiam regreſſus datur; eſtque ea ſecunda poſt naufragium tabula; quam temere, ac non ſine divinæ gratiæ labe nonnullis eripiunt *Sociniani*, & *Remonſtrantium* quidam; dum ſeris peccatoribus, in vitæ exitu ad Deum ſe convertentibus, noxarum veniam ac Dei pacem aſſerere verentur. *Improbus, cum convertetur ab omnibus peccatis ſuis — vivendo vivet, non morietur.* Ezech 18: 21. *III. objectum.*

XIII. Patet hinc reſipiſcentiæ *neceſſitas;* quæ in adultis abſoluta eſt, non præcepti ſolum, ſed medii, cum ſine ea culpæ noſtræ elui non poſſint. *Reſipiſcite igitur, & convertite vos, ut deleantur peccata veſtra.* Act. 3: 19. *IV. neceſſitas;*

XIV. Ut à *Libertinorum* furoribus Eccleſia longiſſime divertat: qui, ut boni malique diſcrimen confundunt, & ad infirmas hominum opiniones relegant, ita non aliis reſipiſcentiam opus eſſe dictitant, quam qui imbecillæ mentis errore ita opinentur, quibus tum propriæ ſtultitiæ ſupplicium luendum ſit. In altero autem gradu ſtant *Pontificii*, qui reſipiſcentiam non ſolum neceſſariam, ſed & meritoriam ac ſatisfactoriam ſtatuunt: cum ipſa potius peccati non imputati fructus, & indicium, ac perpetuus comes ſit. *Propterea ſunt remiſſa peccata ipſius, quæ multa erant, quia dilexit multum*, Luc. 7: 47. Sicuti & perverſe *Sociniani* remiſſionem peccatorum pœnitentiæ effectum propriè dictum vocant; cum potius *non meritoria.*

Digitized by Google

ex illa vera pœnitentia profluat. *Qui mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in eo?* Rom. 6: 2. neque illi peccatorum remiſſio tribuatur, niſi quatenus fide eam apprehendit.

XV. Utque ea remiſſionis peccatorum non cauſa meritoria, ſed comes & neceſſarium conſequens eſt; ita nec ad *juſtificationem* ſeſe meritorie habet. Ut male de contritione Pontificii docent. Sed prout variè accipitur, ita varium ad eam reſpectum habet. Pœnitentia enim, quatenus legalis eſt, primoſque animi terrores dicit, juſtificationem antecedit. Quatenus Euangelica eſt, & fidem involvit, cum eâ ſimul exiſtit. Quatenus vero à fide diſtinguitur, & reliquam vitæ emendationem comprehendit, ut fidei, ita etiam juſtificationis conſequens eſt.

Peremtoria eſt quoad peccata ſemel per eam deleta. XVI. Peccata autem, per fidem & reſipiſcentiam ſemel deleta, nunquam reviviſcunt; nec formaliter, per eadem peccata; nec virtualiter, per ingratitudinem, quæ reliquorum omnium compendium & complementum eſt. Quod tamen gratiæ Dei eſt. Ac de actuali reatu intelligi debet. *Nulla igitur condemnatio iis, qui in Chriſto Jeſu ſunt.* Rom. 8: 1. *Sine pœnitentia ſunt dona gratiæ, & vocatio Dei.* c. 11: 29. Aliter enim de intrinſeco peccatorum merito, ac de legis rigore ſtatuendum foret. *Omnes juſtitiæ, quas fecerat, non venient in mentem, in prævaricatione, qua prævaricatus fuerit; & in peccato ſuo, quod peccaverit, in eo morietur.* Ezech. 18: 24. Sicuti & male iidem Pontificii, ex quorum de meritis errore opiniones tales oriuntur, ab altera parte quoque meritorum, quæ per ſupervenientia peccata extincta erant, per renovationem reſipiſcentiæ reviviſcentiam ſomniant. Quæ aliorum apud ipſos errorum propagines ſunt.

v. cauſæ. XVII. *Auctor* reſipiſcentiæ eſt Deus. *Ergo etiam gentibus dedit Deus reſipiſcentiam ad vitam.* Act. 11: 18. 2. Tim. 2: 25. Quod non de prima ſolum converſione, ſed & de ſecunda ac quotidiana ejus renovatione, intelligendum eſt. *Omnem palmitem, qui fructum fert, purgat, ut uberiorem fructum ferat.* Joh. 15: 2. In quam rem varia media, cum ordinaria, ut verbum, non Euangelii ſolum, ſed & legis, & ſacramenta, tum extraordinaria, pro ſapientia ſua adhibere novit.

vi. Pœnitentiæ externa ſigna. XVIII. Pœnitentiæ externa ſigna, ſimulque ejus excitandæ ac fovendæ media, ſunt actus externi, quibus noſtram coram Deo humiliationem peccatique horrorem, præcipuè in luctu vel caſtigationibus, teſtamur: qualia apud veteres erant pulvis, cilicia, ploratus, preces, jejunia, eleemoſynæ. Ita inſternebant cinerem, 2. Sam. 13: 19. Eſth. 4: 1. Jer. 6: 26.

Digitized by Google

26. Dan. 9: 3. vel eum ſubſternebant, Eſth. 4: 3. Eſai. 58: 5. Jon. 3: 6. adeoque in pulvere ſedebant. Ut vero illa quæ ex hiſce aut Orientalibus peculiaria erant, aut alio commodius referri poſſunt, mittamus, aliquid duntaxat de jejunio & eleemoſynis, quæ pœnitentiæ ſub omni œconomia ſunt comites, dicemus.

XIX. Jejunium hic non aliud intelligamus quam religioſum; quod in abſtinentia à cibo, cæteriſque vitæ condimentis ac ſolatiis, ad carnis petulantiam edomandam, ac preces acuendas, ad tempus ſuſcepta, conſiſtit. *Ne fraudate alter alterum, niſi ex conſenſu ad tempus, ut vacetis jejunio & orationi.* 1. Cor. 7: 5. *Sanctificate jejunium, edicite cœtum cum ceſſatione.* Joël. 1: 14. *1. Jejunium*

XX. Eſtque illud vel publica auctoritate, tum Magiſtratus, tum Eccleſiæ, ac publicis de cauſis, inſtitutum: *Et annunciarunt Jehoſaphato, dicendo, venit contra te turba magna — & indixit jejunium ſuper totum Judam.* 2. Chron. 20: 2, 3. Jon. 3: 8, 9. 1. Reg. 21: 9. vel privata pietate ſumtum. 1. Cor. 7: 5. Matth. 9: 14.

XXI. Religioſum vero dicitur, non quaſi religionis pars foret, ac cultus Dei in eo verteretur, quod genium fraudamus, ac carnem noſtram ad eſuritionem damnamus; quaſi immitem trucemque Deum coleremus, qui iſtum in modum placari debeat: ſed quod ejus medium ac inſtrumentum ſit, & ad cultum Dei promovendum faciat; dum gulam compeſcimus, & carnem, ſubtracto pabulo languentem, Dei jugum pati docemus, animumque humilem jam magis & magis defæcatum, ac corporeis nebulis liberum, ad divina magis aptum reddimus. *Sed ſubjicio corpus meum, & in ſervitutem redigo.* 1. Cor 9: 27. Quo etam tenuior victus ad longum tempus ſumtus, & menſæ ſanctimonia, pertinet. *Cibum gratum non comedi, & caro atque vinum non intravit in os meum, & non unxi me, donec implerentur tres ſeptimanæ juſtæ.* Dan. 10: 3. 1. Tim. 5: 23. Ut culpandi ſint jejunatores hypocritæ, qui ad ſcenam & faſtum jejunia uſurpant, reſipiſcentia omnique interiore ſanctitate carentia. *Quando autem jejunatis, ne ſitis, ut hypocritæ, tetrici.* Matth. 6: 16. *Quæ ſunt — in vexatione corporis, in expletionem carnis.* Col. 2: 23. *An tale erit jejunium, quod eligam? dies, quo debilitet homo animam ſuam? an curvare inſtar junci caput ſuum, & ſaccum & cinerem ſubſternere? an, inquam, hoc vocabis jejunium, & diem acceptationis Domino?* Eſa. 58: 3-7. Joël. 2: 12, 13. *religioſum.*

XXII. Multo minus illud meritorium eſt, aut divinæ juſtitiæ ſatis-

Digitized by Google

factorum; quaſi duritie iſta noxæ noſtræ expiarentur, Deuſque nobis conciliaretur. Quod non ſolum Dei juſtitiæ & ſanctitati (cum in tali cultu Dei ſanctificatio ſita non ſit) ſed jejuniorum quoque rationi repugnat; quæ publicam indignitatis noſtræ profeſſionem, omniſque meriti abnegationem continent, & nos divina potius ira juſtiſque pœnis dignos eſſe teſtantur.

Illius modus: in quo peccant Pontificii.

XXIII. Peccant præterea Pontificiorum jejunia quoad modum; quod ea in ſuperſtitioſo ciborum delectu, & carnium præcipuè abſtinentia, collocant, de cætero vix quicquam de culinæ apparatu mutantes. Ut lautitiæ, omniſque dapum varietas, & luxuria, cum iis jejuniis conſiſtere queat. Quæ hypocritâ ſuperſtitione plena, ac Chriſtianæ libertati adverſa ſunt. Ignorat enim Euangelium ciborum diſcrimina, nec Judaicorum rituum corruptelam patitur. Atque extant diſerta in hanc rem teſtimonia: *Non quod ingreditur in os, polluit hominem* Matth. 15: 11. *Edentes & bibentes quæ ab ipſis appoſita fuerunt.* Luc. 10: 7. *Edite quicquid in macello venditur.* 1. Cor. 10: 25. *Novi & perſuaſum habeo per Dominum Jeſum, nihil eſſe impurum per ſe, ſed ei, qui reputat aliquid eſſe impurum, id ei impurum eſſe.* Rom. 14: 14. *Quod Deus purificavit, tu ne polluito.* Act. 10: 15. *Ne tangas, ne guſtes, neque contrectes, quæ omnia ſunt ad corruptionem, uſu, ſecundum mandata & doctrinas hominum.* Col. 2: 21, 22. &c. ubi Apoſtolus omnes ſuperſtitionis iſtius fibras rimatur & exſcindit, ſicut & dæmonium impoſturæ iſtas doctrinas adſcribit, 1. Tim. 4: 1, 2, 3. Idemque longo tempore veteris Eccleſiæ ſenſus fuit. Quod ab aliis oſtenſum eſt. Non enim veteres Chriſtianos, ſed Judæos, Pythagoræ ſectam, ac veteres quoſdam hæreticos, Pontificii hac in re auctores ſequuntur.

quorum objectiones confutantur,

XXIV. Nec valida ſunt quæ pro ſuperſtitione ſua firmanda adferunt. *Præcepta* enim quæ adducunt, de arbore ex Paradiſo non deguſtanda; de Naziræorum inſtituto; & quæ Apoſtoli primæ Eccleſiæ de ſanguine & ſuffocato præſcripſerunt, ad jejunia revera nihil pertinent: cum nec Adamus, ab arbuſcula illa abſtinens; nec Naziræus, ad vitem non accedens; nec primi olim Chriſtiani, ſanguinis eſum caventes, jejunaſſe dicendi ſint. Præterquam quod illa omnia ex divina inſtitutione auctoritatem habuerunt, quæ in Eccleſiæ placitis, ſuperſtitioſiſque inſtitutis non reperitur. Nec magis ipſos juvant *exempla*, Eliæ, 1. Reg. 19: 4. Johannis Baptiſtæ, Matth. 3: 4. Timothei, 1. Tim. 5: 23. quæ ad ſobrietatem, & gulæ lubricitatem moderandam, non autem ad vanam cibo-

Digitized by Google

ciborum religionem pertinent. Nec denique *ratiuncula* ipſorum concludit, quod ad ſobrietatis diſciplinam hoc inſtitutum faciat; carneſque ideo potiſſimum vetet Eccleſia, quod copioſo ſpirituum appulſu carnem tumere ac laſcivire faciant. Quid enim balnea, vina, pretioſique piſces, & aromata, omniſque iſta coquina; quam tamen toto jejunii tempore Eccleſia illa filiis ſuis indulget? Præterquam quod temperantia per ſuperſtitionem non docenda ſit; nec tam ciborum delectus, quam crebra eorum abſtinentia eo faciat.

XXV. Ejuſdem ingenii eſt, quod jejunia uno de die convivio circumſcribunt; & in prandiorum vel cœnarum abſtinentia collocant; quæ tamen vel pridiana ingluvie, vel largioribus prandii epulis, compenſare facile norunt; interpoſitis etiam ſtomacho fulciendo collationibus. Quæ non pietas, ſed veri jejunii ludibrium eſt; quod in eſuritione, ac omni cibi abſtinentia Scriptura collocat. *Quadraginta diebus tentatus a diabolo fuit; & nihil edit iſtis diebus.* Luc. 4:2. Jon. 3:7. *reliquique abuſus perſtringuntur.*

XXVI. Denique peccant, quod certa jejunandi tempora deſcribant, ut dies veneris, Sabbati; quadrageſimæ jejunium; quatuor anni quæ vocant tempora; tum quoque adventus, rogationum, ac vigiliarum in præcipuis feſtis tempora. Sicut ex adverſo diebus Dominicis, ac Feſtis, & toto inter Paſcha ac Pentecoſten ſpatio jejunare prohibent: reliquo anni tempore cujuſque arbitrio, ac privatæ pietati permiſſo. De quo nos ſic cenſemus. Judæis quidem ſollemne jejunium quotannis indictum fuiſſe Levit. 16:29. *Menſe ſeptimo, decimo menſis, debilitabitis animas veſtras, & nullum opus facietis*, coll. Act. 27:9. Quod peculiarem rationem habebat; quum peccatum nondum ablatum teſtari, deque eo publice lugere fideles cogeret. *In ipſis commemoratio peccatorum anniverſaria eſt.* Hebr. 10:3. Unde tale jejunium nunc non obtinet. Omniaque illa vetera jejunia, aliquid priſci rigoris habentia (nam & alia Judæi ad publicas calamitates deflendas addiderant) ſub Novi Teſt. lætitia in *hilaritatem*, & *gaudium*, & *tempora bona* commutanda Propheta cecinit, Zach. 8:19. Sed habent nihilominus & Chriſtiani ſua jejunandi tempora: *Venient autem dies, quando ablatus ab ipſis erit ſponſus, & tunc jejunabunt.* Matth. 9:15. coll. Marc. 2:20. *Quarto ab hinc die, uſque ad hanc horam eram jejunans.* Act. 10:30. Sed abſque dierum ac temporum ſuperſtitione; cum Chriſtiana Eccleſia iſta religione nunc exſoluta ſit. *Ne quis igitur vos judicet in cibo aut in potu, aut in parte feſti, aut novilunii, aut ſabbatorum.* Col. 2:16. Nec Chriſtus certos

jejuniorum dies præſcripſerit. Unde non ſtatos certoſque, ſed hos illoſve, pro publica neceſſitate, aut ſingulorum pietate, aſſumtos dies Eccleſia celebrat. Ea enim jejunii natura eſt, ut non niſi triſtia tempora flagitet: unde ſtata ea eſſe non poſſunt, ne forte rebus lætis ac bonis intercedant, ac præpoſtero ordine media inter gaudia jejunare nos cogant. Primus vero apud Chriſtianos jejuniorum leges ac tempora deſcripſit Montanus hæreticus, liberamque hactenus Chriſtianorum pietatem vinculis quibuſdam adſtrinxit.

II. Eleemoſyna. XXVII. Jejunium ſanctificatur *eleemoſyna: ſed τὰ ἐνόντα pro copia*, aut *ea quæ penes vos ſunt, date eleemoſynam, & ecce omnia vobis pura erunt*. Luc. 11:41. Quæ charitatis quidam fructus eſt, ad proximum, in anguſtiis conſtitutum, ſive pecunia, ſive alia qua ope ſublevandum. * Hebræi צדקה appellant, quod juſtitiæ fructus ſit. Quo nonnulli verba Danielis trahunt, cap. 4:27. *Peccata tua per juſtitiam* (LXX *ἐν ἐλεημοσύναις*) *avelle.*

Illius modus & ratio, XXVIII. Præceptum hoc æque neceſſarium eſt, ac de charitate præſtanda. Quanquam modus ejus ſpeciatim definitus non ſit; uti nec in precibus, jejuniis, aliiſque ſacris exercitiis, contigit. Sufficit enim ad hanc rem ipſum charitatis ingenium, quæ, pro noſtra copia, aliorumque egeſtate, facile modum definire, & rite juſteque explicare ſeſe novit. Ut male Pontificii eleemoſynam abundantem non præcepti, ſed conſilii, faciant; cum quodcunque prudentia capiat conſilium, à charitate ejuſque præcepto præcipuè dirigendum ſit, quæ vel incommodo noſtro eleemoſynas dare aliquando jubet. *Hæc autem ex penuria ſua omnia quæ habebat injecit, omnem victum ſuum*. Marc. 12:44. *Nam pro viribus (teſtor) etiam ſupra vires voluntarii fuerunt*. 2. Cor. 8:2, 3.

XXIX. Danda autem eleemoſyna ex iis, quæ poſſidemus, ac pro facultate uniuſcujuſque. *Si enim promtus animus adſit, pro eo quod quis habet, gratus eſt; non pro eo, quod non habet*. 2. Cor. 8:12. *Ne deneges bonum ab eo, cujus id eſt, cum fuerit in poteſtate manus tuæ facere*. Prov 3:27. Meretriciam enim ſtipem, turpemque omnem quæſtum abominatur Dominus, nec in eleemoſynam venire ſinit. *Non feres quæſtum meretricium & pretium canis ad domum Jehovæ*. Deut. 23:19. Sed & ſupra vires aliquando largiri, ac in maxima Eccleſiæ difficultate relinquere omnia, & abnegare, inque fratrum & Eccleſiæ neceſſitates expendere, jubemur. Cujus generis erat illa extraordinaria primorum Chriſtianorum caritas: *Et nullus aliquid eorum, quæ ipſi erant, dicebat pro-*

Digitized by Google

proprium eſſe, ſed erant omnia ipſis communia. Act. 4:32. Quæ tamen non mera bonorum communio erat, ut quidam ſomniant, cum non omne dominium excluderet. *Nonne manens tibi manebat & venditum in tua poteſtate erat?* Act. 5:4. Nam adeo rerum proprietas peccatum non eſt, ut ſine ea eleemoſynis locus non ſit; & panem proprium non edere vel ἀταξίας, vel extremæ miſeriæ habeatur. *Neque gratis panem edimus, —ſed cum ærumna & labore nocte dieque operantes, ne cui veſtrum oneri eſſemus— Audimus enim aliquos ambulare inter vos inordinate, non operantes, ſed inania agentes.* 2. Theſſ. 3:8, 11. Quin vel magnis divitiis incubare Chriſtiano homini non prohibitum eſt, modo illæ benè partæ ſint, & benè collocentur, nec in luxuriæ, aut injuſtitiæ aut carnalis fiduciæ pabulum degenerent. Jac. 5: 1--6. Peculiare autem ac extraordinarium præceptum erat, quod diviti illi juveni datum legimus Matth. 19:21, 22. *Si vis perfectus eſſe, abi vende quæ tibi ſuppetunt, & da pauperibus: habebis theſaurum in cœlo: & adeſdum, ſequere me;* ad infirmum avarumque ejus animum pungendum.

XXX. Ad eleemoſynam etiam pertinet mutuum, egenti gratis datum. *Volentem mutuari a te, ne averſeris.* Matth. 5:42. *Mutuum date, nihil inde ſperantes.* Luc. 6:35. Quod diſtinguendum eſt à mutuo, ob annuam mercedem ſeu uſuram proximo præſtito. Ubi contractus quidam eſt. Hic juſtitia, ibi miſericordia locum habet. Nec male Scholaſtici orationem pro peccante, correptionem fraternam, diſciplinam emendantem, aliaque id genus, ad eleemoſynam referunt. *variæ ſpecies,*

XXXI. Requiſitum eleemoſynæ neceſſarium eſt, lubentia, promtitudo, hilaritas, ac cordis quædam ſimplicitas, prudentiæ tamen ac diſcretioni miſta. Cum non profundendæ, ſed diſtribuendæ ſint eleemoſynæ, nec ſpargere eas, ſed partiri, juſteque diſtribuere deceat, ſervato perſonarum ordine & gradibus. Abeſſe autem debet omnis oſtentatio & hypocriſis, quæ præſtantiſſimo huic operi peregrinum quendam fucum adſpergit, quo omnis ejus gratia perit. Quam erogandi modeſtiam ac ſimplicitatem Judæi monuerunt verbo illo, *ſiniſtram ignorare debere quid dextra peragit*; vide Matth. 6: 1, 3. *Attendite, ne eleemoſynam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab illis* &c. Rom. 12: 8, 9. *Qui miſeretur, in hilaritate. Dilectio ſine ſimulatione.* 2. Cor. 9:7. *Hilarem datorem diligit Deus.* Gal. 6: 10. *Operemur bonum adverſus omnes, maximè vero adverſus domeſticos fidei.* *requiſita.*

XXXII. Ampla eleemoſynæ merces promittitur, ſed ea omnia ex *merces.* gratiâ

gratia & miſericordia. *Beati miſericordes, quia ipſis miſericordia tribuetur.* Matth. 5:7. conf. 25: 35. *Dei miſericordiam Dominus Oneſiphori domui, quia ſæpe me recreavit.* 2. Tim. 1: 16. Cum nihil de noſtro erogemus, ſed de iis quæ Deus nobis prior dedit. Ut male Pontificii, poſt Judæos, in iis juſtitiæ ſuæ partem collocent, & eleemoſynarum merita jactent: quo nomine tamen plerunque pias, quas vocant, ac religioſas erogationes, ſumtuſque, vel viventium, vel morientium ſupremis arbitriis, ad inſanas eorum ſubſtructiones factos, aliaſque ejus generis profuſiones intelligunt; quo hominum iſtorum otium paſcatur, atque illi de piorum agapis delicientur ac laſciviant.

Dan. 4: 27.

XXXIII. Quod vero ex Daniele adducunt, c. 4:27. *Redime peccata tua juſtitia*, id eſt, eleemoſynis: id in fonte aliter eſt, ubi legitur *abrumpe peccata tua* פְּרֻק h. e. deſiſte ab illis. conf. Exod. 32: 2, 3. Et ſi vel redimendi ſenſus admittatur, ad animum regis movendum facit, quem ſpes erat, matura pœnitentia, & qualicunque illa vitæ emendatione, judicia Dei averruncaturum; ut in Ninevitis patuit. Ac ſimiliter Chriſtus Luc. 11:41. *Imo ea quæ penes vos ſunt date in eleemoſynam, & omnia munda erunt vobis:* non proprium earum meritum adſtruit, ſed rapinas ac injuſta ſpolia inſigni quadam converſione ac charitate compenſare ſuadet; quibus rerum quæ circa nos ſunt munditiem acquiri docet.

Sectariorum circa reſipiſcentiam errores. 1. Pontificiorum: de pœnitentia pœnali;

XXXIV. Explicata veritate, componendi nunc cum ea veniunt ſectariorum errores. Ac *Pontificii* quidem præcipue illam corruperunt; &, vocabuli errore abducti, eam magnam partem 1. in *pœnis ac caſtigationibus externis*, à pœnitentiario impoſitis, conſtituerunt: ſicuti & formalem ejus rationem pœnalem ſtatuunt. Qui error originem traxit ex veteris Eccleſiæ diſciplinâ, ac pœnitentia publicâ, quæ ſevera admodum fuit, & certis gradibus diſtincta erat. Cujus imaginem qualemcunque Pontificii retinentes, externam illam pœnitentiam cum interna confuderunt.

quæ tamen virtus ſit;

XXXV. 11. Mirum autem valde eſt, eos ex illa nihilominus *virtutem* facere. Virtutis enim ratio in externa illa pœna conſiſtere non poteſt. Ac ſi internum dolorem ſpectes, & emendationis propoſitum, non tam ſpecialis aliqua virtus, quam commune virtutis ſtudium ea appellari debet.

imò ſacramentum

XXXVI. 111. Sed & *Sacramentum* ex ea faciunt, cujus partes, tum pœnitentis, tum pœnitentiarii, actibus abſolvunt. De quo operæ pretium

Digitized by Google

tium eſt Tridentini Concilii definitiones audire, cum eę communiſſimas adverſariorum ſententias contineant, quæ alioquin de hoc ſacro valde intricatæ ſunt. Ajunt igitur 1. ut naſcentibus, ſive renaſcentibus, Chriſtianis baptiſmi ſacramentum inſtitutum eſt; iiſque jam ad ſacram militiam initiandis confirmatio ſubſervit; ac in longo illo curſu ſalutaris epuli fultura per intervalla porrigitur: ita, ne ullibi Eccleſiæ, fideliſſimæ matris, cura deficiat, lapſantibus Chriſtianis, atque in hoc certamine nonnunquam ſuccumbentibus, alio quoque ſacramento ſubveniri debere; adeoque ad peccata, poſt baptiſmum commiſſa, expianda, pœnitentiæ, veluti ſecundæ poſt naufragium tabulæ, auxilium dari. 2. Sacramentum autem illud à Chriſto inſtitutum vaticinantur; cum Apoſtolis, ante diſceſſum, poteſtatem peccata remittendi & retinendi dedit. 3. Partes ejus enumerant, contritionem, ſacramentalem confeſſionem, ſacerdotalem abſolutionem, & ſatisfactionem denique per opera pœnalia, pro pœna temporali. 4. Materiam actibus pœnitentis comprehendunt, contritione, confeſſione, & ſatisfactione: formam conſtituunt in verbis ſacerdotalibus, *ego abſolvo te.* 5. Miniſtrum autem ejus non ſolo miniſterio, quo remiſſionem peccatorum peccatori annunciet; ſed, judiciali in ſolio reſidentem, poteſtate ac judicaturâ fungi ajunt. 6. Rem ſignificatam denique ac effectum ſacramenti reconciliationem cum Deo ponunt.

ſimul: quod examinatur.

XXXVII. Ad quæ annotamus: 1. non poſſe intelligi, quomodo illud, quod virtutem ipſi appellant, & ſaltem virtutis ſtudium dicit, ſimul ſacramentum ſit; cum iſta toto genere differant. 2. Atque in Veteri Teſt. ac ſub initia novi, pœnitentiam eandem viguiſſe; non tamen, vel fatentibus adverſariis, ſacramentum fuiſſe. 3. Neque ſacramentum tale à Chriſto ullibi inſtitutum eſſe. Verba enim Chriſti Matth. 16: 19. *Quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in cœlo: & quicquid ſolveris in terra, erit ſolutum in cœlo.* & Joh. 20: 23. *Si quorum remiſeritis peccata, remiſſa ſunt eis; &, ſi quorum retinueritis, retenta ſunt*: non judicandi auctoritatem, ſed miniſterium reconciliationis Apoſtolis tribuunt, & ſacræ diſciplinæ uſum commendant; pro diſcrimine videl. peccantium. 4. Imo, cum Chriſtus non ſolum pœnitentium peccata remitti, ſed & impœnitentium delicta retineri jubeat; ſi hic ſacramentum inſtituatur, magna pars hujus ſacramenti etiam erga impœnitentes exercebitur. Nec jam ſola verba, *ego abſolvo te,* ad ſacramenti formam ſufficient; ſed & ſimilia addenda erunt circa impœnitentes, *ego ligo te.* 5. Nullum vero

Digitized by Google

ſacramenti hujus oſtendunt ſignum & ſymbolum externum; abſque quo ſacramenti ratio non conſtat. 6. Uti nec recte materiam ſacramenti in tribus illis pœnitentis actibus conſiſtere faciunt. Nam & contritionem in iis numerant, cum materia omnis ſacramenti externa debeat eſſe. Et ſatisfactionem poſt abſolutionem ſacerdotis rejiciunt; quod quid aliud eſt, quam materiam poſt formam ſequi, idque longo ſæpenumero intervallo? 7. Nec denique *abſolutio* forma ejus dici poteſt, cum, concedentibus adverſariis, peccatorum remiſſio a vere contrito & humiliato, abſque ea, acquiri poſſit. *Improbus cum convertetur ab omnibus peccatis ſuis — vivendo vivet, non morietur.* Ezech. 18:21.

Tres illius actus: XXXVIII. IV. Actus pœnitentiæ, ut vidimus, tres numerant; contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem. Quanquam autem duo priores ex illis, ſi recte peragantur, in hoc negotio locum habere poſſint: ſatisfactio tamen merum eſt figmentum, infandæ ſuperbię plenum, & Chriſti redemtioni adverſum. Præterquam quod hi actus omnes, prout in Papatu obtinent, atque in Jeſuitarum præſertim morali Theologia explicantur, in Judæ pœnitentia aſſignari poſſint. *Tunc Judas — pœnitentia ductus, reddidit triginta aureos — dicens, peccavi — & diſcedens ſtrangulavit ſeſe.* Matth. 27:3,4,5.

Contritio, XXXIX. V. In ſpecie, *contritio* ipſorum imperfecta, ſeu attritio potius, pœnitentiæ veræ pars non eſt, cum nihil aliud ſit, quam dolor & triſtitia ſecundum mundum, abſque vera Dei caritate & fide; non euangelica, ſed legalis ad ſummum; quæ quomodo omnem peccandi voluntatem excludere, & vitam emendandi propoſitum continere poſſit, videre non poſſumus; cum illud charitatis tantum & fidei ſit: prout autem perfecta eſt, & caritatem comitem habet, pœnitentiæ pars eſt; nihil autem facit ad fictitium hoc ſacramentum. Atque utcunque contritionem & attritionem diſtinguere ament; quorum illa charitatem habeat comitem, hæc vero nihil ſit niſi averſatio juſtitiæ Dei, & horror gehennæ, atque omiſſio peccati propter illud; tamen in diſcrimine iſto aſſignando non conveniunt. Ac Jeſuitæ palam attritionem in ſacramento pœnitentiæ ſufficere, & cum abſolutione ſacerdotis juſtificare docent.

Confeſſio, XL. VI. *Confeſſionem* peccati quod attinet, de ea nos ſic cenſemus: 1. probam & neceſſariam eam eſſe confeſſionem, quæ coram Deo fit. *Tibi ſoli peccavi, & malum in oculis tuis feci,* Pſal. 51:6. *Si confitemur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata.* 1. Joh. 1:9. conf. Prov. 28: 13. Quæ tamen cum corde potiſſimum fiat, à contritio-

tio-

tione parum differt, nec diſtinctam ab ea pœnitentiæ partem conſtituere debet. Quanquam & verbis, & ſupplici geſtu, & non ſine lacrymis ac jejunio, ut vidimus, eam quandoque peragi par ſit. 2. Admittimus etiam ac urgemus, oborto graviori ſcandalo, confeſſionem Eccleſiaſticam coram cœtu; quo Deus honoretur, & Eccleſiæ de offenſa ſatisfiat, ac peccator Eccleſiaſticam pacem rite obtineat. *Qui peccant, coram omnibus redargue, ut & reliqui timorem habeant.* 1. Tim. 5: 20. Quo pertinebant quatuor illi pœnitentiæ publicæ, apud veteres, gradus, *πρόσκλαυσις, ἀκρόασις, ὑπόπτωσις, σύστασις*; quos excipiebat tandem *μέθεξις*. Ex qua diſciplina veterum pœnitentia illa ſacramentalis enata & corrupta eſt. 3. Laudamus quoq; confeſſionem privatam reciprocam, in mutuis offenſis fidelium, juxta Jac. 5: 16. *Confitemini alii aliis lapſus, & precamini alii pro aliis, ut ſanemini.* Quo modo illata injuria reſarciri, ruptumque charitatis vinculum reconcinnari, & conſcientię quies procurari optime poteſt. 4. Cui addi poteſt & alia confeſſionis privatæ ſpecies, ſed ea libera, ac uniuſcujuſque arbitrio permiſſa; qua quis, in graviore conſcientiæ lucta, coram paſtore vel alio ſapiente viro, ejus vulnera denudat, & medicinam ac conſolationem ex verbo Dei quærit. 5. Urgent autem Pontificii præter hæc omnia confeſſionem quoque auricularem, quam omnibus Chriſtianis imponunt, ad minimum ſemel in anno coram ſacerdote peragendam, idque de omnibus peccatis mortalibus, ac præcipuis eorum circumſtantiis; quam à Chriſto inſtitutam, & de jure neceſſariam, affirmant. Canoniſtis rectius eam juris humani agnoſcentibus, utpote gradibus quibuſdam, primum in cœnobiis, tum dehinc publicè in Eccleſia, primum quidem libere ac pro ſingulorum arbitrio, tandem autem neceſſario, uſurpatam, & ab Innocentio tertio, in concilio Lateranenſi, A. 1215. Eccleſiaſtica lege ſtabilitam.

XLI. In qua nos culpamus: 1. neceſſitatem ac tyrannidem conſcientiis impoſitam; quas remiſſionis peccatorum ſolatio privant, niſi omnes ejus ſinus mortali homini nudaverint. Quaſi, qui vera delictorum pœnitentia ducitur, ac ad Dei ſolius thronum ſe abjicit, ſine hominum ſuffragio ac judiciali quadam ſententia veniæ compos fieri non poſſit. Hoc enim hac agendi ratione tuentur. 2. Unde & nimiam ac ſacrilegam hominum poteſtatem in hoc negotio damnamus. Nam ſacerdotem pro tribunali ſedentem faciunt, &, non miniſtri, ſed judicis inſtar peccatores abſolventem, blaſphemâ formulâ, *ego abſolvo te* &c. Non aliis enim, vel minoribus verbis, uti fas eſt, ut ſacrum judicium peragi agnoſcamus.

Digitized by Google

Unde & certo hominum genere, in Chriſtiana Eccleſia, iſtam poteſtatem peculiari quodam charactere tributam ſomniant. 3. Adaugent autem fidelium jugum, quod peccata omnia ad numerum revocare, & fugientes cogitationum notas colligere & reconcinnare, totiuſque anni, quin univerſæ nonnunquam vitæ, labem unicâ horulâ excutere neceſſe ſit. Quod, cum factu impoſſibile ſit, ingentem animo carnificinam adferre debet. *Aberrationes quis intelligat? ab occultis abſolve me.* Pſal. 19: 13. *Lamoſum eſt cor præ omni re, & incurabiliter ægrum. Quis cognoſcet illud?* Jer. 17: 9. qualis peccatorum commemoratio, præcipuè ſub N. T. poſt peractum ſacrificium Chriſti, fieri, ſi vel poſſet, non debet. 4. Ut de ſacerdote prætercam; qui, cum magnam confitentium turbam brevi ſpatio ſæpe expiandam habeat, quomodo tot annorum peccata brevi adeo auditu excipere & librare, juſtaſque pœnitentibus pœnas imponere poteſt? 5. Omitto tandem & alia arcani hujus colloquii flagitia; infanda ſcelerum molimina, furtivas libidines, privatorum domuum ſecreta temerata, proditionum denique ſcholam, & ſumma regnorum momenta in religioſo iſto ſeceſſu librata & conculcata. Ut confeſſio iſta nullo prætextu in Eccleſia ſervanda ſit, quod *Lutherani* faciunt; quamquam eam, non ex divino jure, ſed ex Eccleſiaſticâ inſtitutione, derivent. Nullâ enim Scripturæ auctoritate, vel exemplo, quidquid hunc in finem producant, nititur, vel doctioribus adverſariorum adſentientibus.

& Satisfactio.

XLII. VII. Tertiam Pontificiæ pœnitentiæ partem quod ſpectat, illa eſt *ſatisfactio.* De qua ita ſentiunt. 1. culpam peccatorum à Deo gratis remitti; nec humanæ ſatisfactioni in ea locum eſſe. 2. Remitti quoque à Deo pœnam æternam, eamque in temporalem commutari. 3. Quæ à peccatore ipſo exſolvenda ſit, tum vitæ hujus ſuppliciis, tum poſt illam pœnis purgatoriis. 4. Atque huc jejunia, preces, eleemoſynas, aliaque opera ſatisfactoria valere. 5. Sunt autem illa, opera bona, ſed laborioſa; in tribus illis generibus poſſimum conſiſtentia. 6. Eſtque ipſis ſatisfactio, præſtatio operis æquivalentis, alias indebiti, ad puniendum peccatum. Cujus valorem variè examinant; ac Bellarminus, cumque eo alii, in expiatione pœnæ temporalis, ex condigno, poſuit. 7. Diſtinguunt autem inter ſatisfactiones plenas, & ſemiplenas; quæ poſteriores à Chriſti merito ſuppleri tandem debent. 8. Atque hic diſquirere etiam amant, an ſatisfactio Chriſti & noſtra duæ ſint ſatisfactiones; an una? 9. Denique non proprias ſolum ſatisfactiones, ſed & alienas admittunt:

Digitized by Google

mittunt: tum privatas, prout meritorum aliquod commercium inter pios fingunt; quod in confraternitatibus ipſorum obtinet: tum publicas; quo venales Antiſtitum indulgentiæ pertinent. Quæ propius examinanda ſunt.

XLIII. Ac 1. quidem in genere improbandæ omnes hominum ſatisfactiones. Cum 1. inane fundamentum ſit, remitti culpam, & non remitti pœnam: & rurſus remitti pœnam æternam, non autem temporalem. Cum una peccatorum pœna mors ſit, cujus gradus nullus expiata culpa reſtare proprie poteſt. 2. Ac omnis illa expiatio pleniſſime peracta eſt à Chriſto; cujus, *ut agni inculpati* ac incontaminati, *pretioſo ſanguine* redemti ſumus. 1. Pet. 1:18. Quem vilem nimis habent, qui alium præterea ſanguinem, aliaſque ſatisfactiones quærunt: cum ille ſolus à Deo *in propitiatorium propoſitus ſit, per fidem in ſanguinem ipſius.* Rom. 3:25. 3. Nec aliter Chriſtus nunc peccata remittit, quam olim, cum in terris degeret; quando eum ſine pœnis illis expiatoriis peccatores in gratiam recepiſſe videmus: *Bono ſis animo, fili mi, remiſſa ſunt tibi peccata tua.* Matth. 9:2. coll. Luc. 7:48. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.* Luc. 23: 43. 4. Quæcunque autem afflictiones & certamina piis adhuc reſtant, illa vel probandis iis, vel caſtigandis, carniſque laſciviæ edomandæ, vel denique Deo glorificando, ac quodam amoris martyrio honorando; nulla autem ad juſtitiæ ejus ſatisfaciendum inſerviunt: atque omnes denique cum morte finiuntur, quæ ultima laborum meta & linea eſt. Quod vel de ipſis veterum afflictionibus, quæ alioquin præterea iræ ſpeciem habebant, ac peccati notam ferebant, verum fuit. *Qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti.* Hebr. 2: 15. Cum nunc omnis accuſatio, condemnatio, maledictio & ira, quibus obnoxii erant ſub V. T. fideles, ablatæ ſint.

XLIV. Fruſtra autem Chriſti gloriam tueri ſeſe poſſe putant, dum ex ejus ſatisfactione iſtam operibus noſtris dignitatem venire dicunt: atque hoc majori ipſi gloriæ eſſe: quin & iſtum in modum ſanguinem ejus, omneque mortis pretium nobis applicari. Quemcunque enim colorem adhibeant, noſtram ſatisfactionem cum Chriſti redemtione, hominumque ſanguinem & cruciatus cum Servatoris ſanguine miſcere non poſſunt, niſi multum de Chriſti ſatisfactione imminuant, iſtoque ſpolio hominem exornent. Mira autem applicatio beneficii, quam per pœnam & cruciatum fieri volunt! vera autem, ac Chriſto homineque digna applicatio fit per Euangelii ſermonem, per ſacramenta, per

Digitized by Google

Spiritus gratiam; quæ illi propriarum ſatisfactionum inquinamentis multum corruperunt.

XLV. Mirabile vero, quod Apoſtolis pœnarum imponendarum poteſtatem datam concludant, illis verbis, *quicquid ligaveris in terra* &c. quaſi, *ligare*, ſit certum pœnarum canonem ſingulis definire; quod ſacerdotes ipſorum non niſi in abſolutione faciunt. Atque ita iidem ſimul ligabuntur & abſolventur. Quæ mirifica explicatio eſt. Nec tandem in veteri Eccleſia plus præſidii habent, in qua pœnas canonicas, ſed Eccleſiæ, non Deo, præſtandas, obtinuiſſe fatemur. Ut ſatisfacere ibi nihil aliud fuerit, quam Eccleſiæ pœnitentiam ſuam approbare, eique de ſcandalo ſatisfacere.

Indulgentiæ. XLVI. VIII. Sed paulo preſſius agendum eſt de eorum *indulgentiis*, omnique iſto mercimonio, quo ne nunc quidem, in tanta Euangelii luce, abſtinent; meris fucis ac mendaciis Chriſtianum populum paſcentes, ac cœlum, Deumque ipſum, iſti ſuo commercio ac quæſtui obnoxium facientes; quo uberiores prædas agant, ditibuſque iſtis ſpoliis regnum ſuum fundent: quas fraudes tamen ſacrorum involucris tegere, & vulgi oculis ſubducere ſeſe poſſe putant.

Illarum ortus & progreſſus. XLVII. *Ortus* earum recens eſt, nec ante annum 1100 aut 1095 publicus eorum uſus conſtat. Cum enim in veteri Eccleſia, ſub rigida illorum temporum diſciplina, ſæpe pœnarum canonicarum venias ac remiſſiones dari contingeret: atque, vel ingruente nova tempeſtate, quæ fideles omnes intra Eccleſiæ caſtra colligi juberet, vel in ultimo vitæ limite, vel denique ad martyrum deprecationem, lapſis nonnunquam, ante peractum pœnitentiæ tempus, Eccleſiaſticæ pacis poſtliminium concederetur: tranſlatum id deinde ad pœnas divinas, & à foro Eccleſiæ ad Dei judicium immanis tranſitus factus fuit. Primuſque pœnarum iſtarum remiſſiones vel relaxationes promulgavit Urbanus ſecundus, iis, qui, ultra mare, ad bellum ſacrum proficiſcerentur, peccatorum expiatione promiſſa. Quo exemplo & aliis de cauſis iſtæ veniæ ſubinde à Pontificibus conceſſæ; ſive ad Reges Romanæ Eccleſiæ minus obſequentes opprimendos, iſtoque auctoramento, ſeu ſubjectos, ſeu alios quoſcunque in eos armandos; ſive ad pecunias conficiendas, noviſque prædis exhauſtum ærarium rurſus ditandum. Quod tanta tandem rapacitate factum eſt, ut ſuperiori ſæculo, anno decimo ſeptimo, prima reformandæ Eccleſiæ occaſio & neceſſitas hinc enata ſit: Zuinglio Lutheroque venales iſtos indulgentiarum fumos, & Pontificias bullas, ad Euangelii lucem

Digitized by Google

cem explorantibus; iſtoque auſpicio & reliqua pſeudo-Eccleſiæ illius ulcera, obſcœnaſque partes, nudantibus & univerſo orbi oſtendentibus. Aſſerere nihilominus auſi ſunt Patres Tridentini, poteſtatem tales venias largiendi à Chriſto Eccleſiæ conceſſam; & antiquiſſimis temporibus ab illa uſurpatam; adeoque & nunc in ea agnoſci debere: quod ſub Anathematis pœna ſanciverunt.

XLVIII. *Naturam* earum definiunt, quod ſint remiſſiones pœnarum poſt ſacramentum pœnitentiæ ſuperſtitum, & à peccatore luendarum. Quas pœnas, non humanas, vel Eccleſiaſticas (ut olim) ſed divinas eſſe volunt; quatenus earum rei ſumus in foro pœnitentiario. Quod valde perplexum eſt, quomodo pœna à ſacerdote impoſita divina dici; vel, ſi divina ſit, ab homine temperari vel remitti poſſit. *definitio,*

XLIX. *Materiam* illarum conſtituunt inexhauſtum Eccleſiæ fontem, ac theſaurum; qui ſuperfluis Chriſti, ac Sanctorum meritis, conſtat. Nam vel unicam ſanguinis Chriſti guttam mille mundis redimendis ſufficere dixit Clemens VI. *materia*

L. Hujus autem theſauri *adminiſtrationem* Pontifici concedunt, & ſub eo legato ejus; partimque etiam Archiepiſcopis, ac Epiſcopis, in ſua diœceſi: non autem aliis, qui infra iſtum gradum ſunt. Et ſub rationabili cauſa diſtribui debere ajunt; quo honeſto verbo avaritiam ſuam tegunt. Auro enim & argento viliſſimæ iſtæ merces proſtant, quibus, loco pretioſi agni ſanguinis, nunc fidelium animas videl. redimunt. In recipiente autem ſimpliciter requirunt, ut in ſtatu gratiæ ſit; qui cum ipſis valde incertus ſit, hinc omnis quoque indulgentiarum fructus pariter incertus eſt. *& adminiſtratio;*

LI. Varia autem *menſura* illas diſtribuunt. Aliæ enim perpetuæ ſunt, quæ certo quodam anni tempore recurrunt; aliæ temporales, quæ ſemel duntaxat ſingulari quadam occaſione erogantur. Sunt quædam plenariæ; quas in plenas, pleniores, & pleniſſimas, diſtinguunt; quibus Jubilæorum ſuorum auſpicia conſecrare ſolent: quædam partiales; quæ vel ſecundum certas peccatorum partes aut ſpecies, vel certa tempora, ſive dies, quo quadragenæ ipſorum pertinent, ſive annos, vel annorum denique millia, erogantur; quem calculum perſequi nunc non lubet. *ejuſque varia menſura.*

LII. Nectunt autem & ipſi varias quæſtiones, & difficultates. An damnatis in inferno ulla ex parte proſint? An laborantibus in purgatorio?

Digitized by Google

rio? Et an purgatorium Romani Pontificis indulgentia evacuari aliquando poſſit? Ad quæ reſpondere non æque in promtu habent. Quæ nos prætermittimus, atque Pontificiis iſtis bullis,& veniæ codicillis,hæc in genere opponimus.

Horum omnium confutatio. LIII. 1. Falſum eſſe fundamentum,condonata culpa nondum pœnæ omni ſatisfactum; ſed pro pœna temporali fideli adhuc luendum. 2. Laborat & altera hypotheſis: in Chriſti ſatisfactione eſſe quid ſuperfluum, multumque de ſanguine ejus ſuperabundare; quod, ne pereat, in Eccleſiæ theſaurum veniat, & à Pontifice errogetur. Manifeſtum enim eſt, pretium redemtionis noſtræ infinitum eſſe debuiſſe; quod in partes dividi, atque ex eo aliquid tanquam ſuperfluum abſcindi non poteſt. Unde Scriptura communiter ſanguini Chriſti redemtionem noſtram tribuit; qui univerſus vel unico peccato expiando profundendus erat. Cum non aliter juſtitia ac ſanctitas Dei oſtendi potuerit. Et mirum cum ſanguinis Chriſti pretium adeo extollant, non æque illum pro pœna temporali, ac æterna, pro nobis valere. 3. Gravior error eſt, quod ſanguinem Sanctorum ſanguini Chriſti admiſcent; quem tamen noxis hominum expiandis non ſufficientem ſolum, ſed & ſuperabundantem modo prædicarunt. Ac mirum eſt, niſi & pecudum ſanguine, & ſacrificiorum apparatu, iſtum Sanctorum ſanguinem ſignificatum dicant; quod tamen veteris Eccleſiæ fides ignoravit. 4. Et qua fronte ſub Novo Teſtam. remiſſiones ſemiplenas & partiales introducunt? quo uberior ipſis quæſtus ſit; quaſi nondum plena foret redemtio, atque adhuc ulla peccatorum accuſatio, poſt fuſum Chriſti ſanguinem, locum habere poſſet, nec *ſanguis Jeſu Chriſti nos redimeret ab omni peccato.* 1. Joh. 1:7. 5. Ut de annorum centuriis & chiliadibus, quo venias ſuas extendere ſolent, ſileam. Quæ manifeſto produnt, haſce indulgentias non niſi corruptelas veteris Eccleſiæ inſtituti eſſe; ubi iſtæ Canonicarum pœnarum menſuræ pro delicti gravitate ac modo erant. Quod inſulsè ad pœnas Deo debitas transferunt. Quaſi pœnæ iſtæ Canonicæ rationem ſatisfactionum apud Deum haberent; vel à tot annorum pœnis coram Deo liberaretur, qui pro illis apud homines ſatisfeciſſet.

Objecta in contrarium. LIV. Aliena autem ſunt,quæ ex Scripturis pro nugis hiſce adferunt. Ubi enim Apoſtolus ſeſe *reliquias afflictionum Chriſti, pro corpore ipſius, Eccleſia, in carne ſua, explere aſſerit*, Col. 1:24. ſuam iſtam afflictionum,

pro

pro Chriſto ferendarum, partem intelligit; quæ omnis in Eccleſiæ bonum cederet; quam non prædicatione ſolum, ſed & exemplo, quin & ſanguine ſuo, cunctiſque diris ac inſuavibus patiendis ædificare deberet. Nihil vero ad Chriſti merita minuenda, quæ ſanctorum nimirum ſupplemento opus habent, hæc faciunt. Similiter, ubi inceſtuoſo, ne nimio luctu contabeſceret, Eccleſiæ pacem à Corinthiis tribui vult, 2. Cor. 2. non illud pœnarum coram Deo moderamen, ſed peccatoris, qui Eccleſiæ de ſcandalo ſatisfecerat, in gratiam receptionem, ſignificat. Denique, cum fideles omnes, ut aliorum onera ferant, monet, Gal. 6: 2. non de indulgentiis dandis, vel de mutuo meritorum commercio, aut de operibus communicandis; ſed de proximi defectibus tolerandis & corrigendis agit; quo pacto impleri legem Chriſti dicit; quod in merita, vel indulgentias non cadit; quæ voluntaria, ac ſupra legem, ſunt.

LV. Multum etiam *Judæi* reſipiſcentiæ imputant, ac præcipuam peccati expiationem ei tribuunt: ſed naturam ejus plerunque corrumpunt, & in externis fere caſtigationibus eam conſtituunt. Levia peccata confeſſione, gravia caſtigationibus, ac mortis denique ſupplicio, expiari ſtatuentes. Quæ à legis ſenſu aliena ſunt. Juxta quam olim reſipiſcentia in vera contritione, confeſſione, & peccatorum per ſacrificia expiatione, conſiſtebat: quæ in expiatione annua videre eſt: additis, in gravioribus noxis, etiam pœnis externis, præcipuè flagellatione & morte. Quæ Judæi nunc confundunt. *II. Judæorum.*

LVI. Errant & *Sociniani;* cum pœnitentiam, non legis, ſed Euangelii præceptum eſſe ajunt. Quaſi ſub Vet. Teſt. & promiſſione, nullus pœnitentiæ ac veniæ locus, nec ulla ſalutis ſpes ſuperfuerit. Sed & omnibus, vere pœnitentibus, veniam patere negant; ac in extrema vitæ linea reſipiſcentibus cœlum addicere verentur. Quod ex corrupto illo de juſtitia noſtra dogmate eſt; quaſi illa in factis conſiſtat; quæ ubi oſtendi non poſſunt, nulla tum ſalutis ſpes ſuperſit. Cum non opera noſtra, ſed Chriſtus noſtra juſtitia ſit, qui nunquam peccatorem pœnitentem, ab amplexu ſuo arcet, & vel extremo tantum halitu teſtatam pœnitentiam accipit: cum omnis vera pœnitentia ad vitam ſit, nec ulla fruſtra eſſe poſſit. *Ergo etiam gentibus Deus dedit reſipiſcentiam ad vitam.* Act. 11: 18. *Improbus cum convertetur ab omnibus peccatis ſuis — vivendo vivet, non morietur.* Ezech. 18:21. *Beati eſurientes & ſitientes juſtitiam; quia ipſi ſaturabuntur.* Matth. 5: 6. *Nam idcirco etiam mortuis Euangelizatum eſt, ut damnarentur quidem ſecundum homines, carne; vivant* *III. Socinianorum.*

autem ſecundum Deum, Spiritu. 1. Pet. 4:6. *Dixitque Jeſu, Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Tum dixit ei Jeſus, Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.* Luc. 23:42, 43.

IV. *Remonſtrantes.* LVII. Aberrant denique & *Remonſtrantes*: qui, ut hominem de ſtatu gratiæ ſæpe relabi ajunt, ita eundem per liberum arbitrium, gratiamque ſufficientem, ſeſe ſemper reſtituere poſſe docent. Quod contra Apoſtolum eſt. *Impoſſibile enim eſt, eos, qui ſemel illuminati ſunt, — & ceciderint; rurſus renovare ad reſipiſcentiam.* Hebr. 6:4, 5, 6. *Voluntarie enim peccantibus nobis poſt acceptam cognitionem veritatis, non amplius pro peccato relinquitur hoſtia.* Hebr. 10:26.

LOCUS QUADRAGESIMUS DE Conſummatione beneficiorum Chriſti.

CAPUT X.

De Glorificatione hujus vitæ: ubi de Perſeverantia ſanctorum, & certitudine ſalutis.

Conſummatio beneficiorum Chriſti eſt in GLORIFICATIONE. I. SEquitur, poſt ſanctificationem, diverſaſque ejus partes, tandem ultimo loco *Glorificatio*: quæ hominis à miſeria, omnique peccati pœna, liberationem, æternamque ejus felicitatem ac beatitudinem dicit. Quæ, reſpectu termini à quo, *redemtio*; reſpectu termini ad quem, *beatificatio*, *vita æterna*, *gloria*, *regnum Domini, & Chriſti, & hæreditas immortalis*, aliiſque nominibus, in Scriptura appellatur. *Qui factus nobis eſt — redemtio.* 1. Cor. 1:30. *Qui eſt arrhabo hæreditatis noſtræ, ad obtinendam redemtionem, ad laudem gloriæ ipſius.* Eph. 1:14. *Qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali, in cœleſtibus, in Chriſto.* Eph. 1:3. *Qui credit in filium, habet vitam æternam.* Joh. 3:36. *Qui regeneravit nos — ad hæreditatem incorruptibilem, & non contaminatam, & non marceſcentem.* 1. Pet. 1:4. *Sic enim copioſe ſuppeditabitur vobis introitus in æternum*

Digitized by Google

num regnum Domini noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti. 2. Petr. 1:11.

II. Eſt autem illa duplex; vel *inchoata*, hujus vitæ; vel *perfecta*, futuræ.

quæ inchoata, ſive hujus vitæ, inter alia bona,

III. Ad hanc vitam pertinent, ſenſus amoris Dei in Chriſto. *Charitas Dei effuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum S.* Rom. 5: 5. ſpes gloriæ certa & ſecura. *In qua, gratia, ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ Dei.* Rom. 5: 2. perſeverantia & ſalutis certitudo. *Nulla res poteſt nos ſeparare a dilectione Dei, quæ eſt in Jeſu Chriſto, Domino noſtro.* Rom. 8: 38, 39. atque hinc enaſcens conſolatio, pax, gaudium ineffabile. *In quem credentes, exultatis gaudio ineffabili & glorioſo.* 1. Petr. 1: 8. *Gaudete potius, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.* Luc. 10: 20. ſpiritualium denique donorum copia & abundantia. *Ut conſolationem accipiant eorum corda, ipſis charitate compactis, & omni opulentia plene certiorata intelligentiæ, ad cognitionem myſterii Dei ac Patris Chriſti.* Col. 2: 2. Et quotidiana benevolentiæ divinæ experientia, ac guſtus. Quas gloriæ primitias, plenæque meſſis ſpem ac obſidem, fideles jam poſſident. *Sed & ipſi gemimus, qui primitias Spiritus habemus.* Rom. 8: 23. Nos de *perſeverantia* ſanctorum & ſalutis *certitudine*; quas pleræque extra Eccleſiam ſectæ hodie calumniantur & carpunt, ſpeciatim agemus.

dicit. 1. PERSEVERANTIAM *ſanctorum: de qua controvertitur præcipuè cum Pontificiis & Remonſtrantibus.*

IV. Ut Pontificios omittam, qui Concilio Trid. Seſſ. 6. Can. 13. hanc Sanctorum ſpem proſcripſerunt: præcipua de hoc articulo cum *Remonſtrantibus* nobis lis eſt. Qui, utcunque artic. 5. de fidelium perſeverantia ambigere ſolum, & tantum de modo ejus plenius erudiri velle videbantur; tamen cum fundamentum ejus præcipuum in homine ponerent; quem perſeveraturum, modo ad certamen perpetuo paratus ſit, Dei auxilium imploret, & ipſe officio non deſit, confitebantur; neceſſario incertam eam eſſe, hominemque, utcunque ad gubernante Spiritu, prolabi tamen, & propria ſocordia deficere poſſe, dicere cogebantur. Et certe hic articulus neceſſario ex prioribus ſequebatur; quod & ipſi deinceps viderunt adverſarii. In medio tamen relinquebant, an non circa quoſdam fideles perſeverantia indefectibilis, ex ſpeciali gratia, locum haberet.

V. Quærebatur etiam de perſeverantiæ principio & fundamento. Quod illi præcipue in homine, bonorumq; habituum firmitudine ponebant; nec recte donum Dei dici ferebant. Cum Scriptura illam ad fidem, & ſemen Dei in regenitis manens potius referat. *Omnis, qui natus eſt ex*

Illius controverſiæ ſtatus.

Deo,

Deo, peccatum non facit. Nam ſemen ejus in eo manet. Et non poteſt peccare, quia ex Deo natus eſt. 1. Joh. 3: 9. Ut duplex ejus principium ſit: partim externum, perpetua Dei cuſtodia; partim internum, vitæ ſpiritualis natura, atque immortale ſemen, fidelium cordibus inditum.

VI. Erroris hujus conſectarium erat: quod, ut gratiam amitti poſſe, ita ex graviſſimis lapſibus, & quolibetcunque peccato, ad gratiam reditum patere aſſererent; libero arbitrio ad utrumque æque valido. Quod cum Apoſtolo adverſaretur; qui voluntarie peccantibus, atque mala lubidine, à gratia prolabentibus, omnem ſalutis aditum denegabat, Hebr. 10: 26. coll. 6: 4. illi, non de impoſſibilitate renovationis, ſed de difficultate illud intelligebant.

VII. Erat vero quæſtio de perſeverantia omnino duplex: 1. an detur fidelium apoſtaſia totalis? 2. an etiam finalis? prius Auguſtinus interdum admittere videtur; ut & hodie Lutherani; qui tamen finalem negant. Nos vero & totalem finalem apoſtaſiam negamus.

VIII. Ubi præmittendum: 1. per Sanctos nos intelligere, non externum fidelium cœtum & Eccleſiam; cujus apoſtaſiam, tum in Vet. tum in Nov. T. contra Judæos & Pontificios extra dubium ponimus; ſed perſonas ſingulares. 2. eoſque non quocunque modo Spiritus S. participes: ſed vere ſanctos, per Chriſtum redemtos, & ad Deum converſos. 3. Quos, non quidem labi, & peccatorum blanditiis abduci, quin & graviter lapſare poſſe, negamus; ſed in totum prolabi, omnemque Spiritus fomitem extinguere, & à divina gratia prorſus exulare poſſe, pernegamus.

IX. Quæ Novi Fœderis præ primigenio operum fœdere prærogativa eſt; quod tantam gratiæ vim atque copiam habeat comitem, ut fideles non ſolum perſeverare poſſint, ut olim; ſed per eam quoque certo perſeveraturi ſint. Quod nihil aliud eſt, quam τὴν ἀρχὴν τῆς ὑποςάσεως μέχρι τέλους βεβαίαν κατασχεῖν *initium fiduciæ uſque ad finem firmum retinere.* Hebr. 3: 14. Quæ eſt ipſa perſeverantiæ deſcriptio. Hæc vero, licet ſub omni Fœderis gratiæ œconomia obtinuerit, nunc tamen maxime ſub Novo Teſt. locum habet; ubi novum obtinet fœdus, quod ἄμεμπτον eſt; ut non ſit defector populus, qualis ſub Vet. Teſt. fuerat. Jer. 31: 31--33. Hebr. 8: 7--10.

Perſeverantiæ ſanctorum fundamenta.

X. Fundamenta ac argumenta hujus perſeverantiæ ſunt ſequentia: 1. Conſilii Dei immutabilitas: ex quo Apoſtolus per gradus ad ipſum tandem gloriæ culmen aſcendit. Rom. 8: 29, 30. *Quos prænovit, etiam*

præ-

Digitized by Google

prædefinivit —— *Quos prædefinivit, eos etiam vocavit: & quos vocavit, eos etiam juſtificavit: quos autem juſtificavit, eos etiam glorificavit.* 2. Fœderis gratiæ, ac pacti divini certitudo. Quo Chriſto certum ſemen, & certa hæreditas promiſſa eſt. *Videbit ſemen, quod prolongabit dies.* Eſai. 53: 10 *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet.* Joh. 6: 37. *Qua in re abundantius Deus volens demonſtrare hæredibus promiſſionis immutabilitatem conſilii ſui, interceſſit juramento.* Hebr. 6: 17. quo etiam pertinet Dei fidelitas. 1. Cor. 1: 8, 9. 3. Redemtionis, per Chriſtum peractæ, valor ac pretium: quod, ut æternum eſt, ita æternam & immutabilem ſalutem fidelibus ſpondet. *Amans ſuos, qui erant in mundo, in finem amavit eos.* Joh. 13: 1. *Et ipſe eſt Salvator corporis.* Eph. 5: 23. quo facit etiam fundamentum cui ſuperſtructi ſunt, Matth. 16: 18. 4. Chriſti interceſſio, & perpetua hæreditatis poſtulatio. Quæ preces irritæ eſſe non poſſunt. *Ego oravi pro te, ne deficiat fides tua.* Luc. 22: 32. *Qui etiam pro nobis intercedit.* Rom. 8: 34. *Non rogo, ut tollas eos ex mundo; ſed ut ſerves eos à malo.* Joh. 17: 15. *Pater, gratias tibi ago, quod audiviſti me. Ego vero ſciebam quod ſemper me audias.* Joh. 11: 41, 42. 5. Dei cuſtodia; tum Patris: *Qui cuſtodimur potentia Dei, per fidem, ad ſalutem.* 1. Petr. 1: 5. tum Filii: *Et non peribunt oves meæ in ſæculum, & non rapiet quis eas ex manu mea.* Joh. 10: 28. tum etiam Spiritus ſancti: *Spiritus meus, qui eſt ſuper te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, & ab ore ſeminis tui.* Eſai. 59: 21. cujus unctionem & obſignationem Scriptura ſæpe prædicat: *Unctio, quam accepiſtis ab ipſo, manet in vobis* 1. Joh. 2: 27. *In quo credentes obſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto.* Eph. 1: 13. coll. 4: 30. *Qui obſignavit nos, & dedit arrhabonem Spiritus in cordibus noſtris.* 2. Cor. 1: 22. 6. Ad quam cuſtodiam divinitatis externam accedit & internum novæ vitæ principium, & perennis gratiæ fons; quem exareſcere impoſſibile eſt. *Fons aquæ, ſalientis in vitam æternam.* Joh. 4: 14. Nec de fonte illo guſtarunt unquam, ſed contentim prætererierunt, qui Jer. 2: 13. reliquiſſe dicuntur fontem aquæ vivæ. Ac facit huc quoque immortale illud *ſemen*, quod, cœleſti manu cordibus inſitum, otioſum manere, vel computreſcere non poteſt. *Quiſquis natus eſt ex Deo; peccato non dat operam: quoniam ſemen ipſius in eo manet: nec poteſt peccare, eo quod ex Deo natus eſt.* 1. Joh. 3: 9. Ubi inſulſe excipiunt, regenitum deficere non poſſe, quandiu ſemen illud in ipſo manet. Ac ſi dicant, non poſſe illum peccare, quandiu non peccat. Quod tenue val-

de eſt, & æque in irregenitos competit. Unde etiam regeniti ſe ipſos cuſtodiunt. *Novimus, quod omnis natus ex Deo non peccat. Sed qui natus eſt ex Deo, ſervat ſeipſum, & malus non lædit*, vel *tangit ipſum*. 1. Joh. 5: 18. 7. Quibus omnibus addebant orthodoxi, & ipſos fideles quotidianis precibus perſeverantiam à Deo poſcere. *Ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo.* Matth. 6: 13. Ut conſtet, Deum eam dare & poſſe, & ſolere, ne luſoriæ illæ preces æſtimentur. Unde omnimoda fidelium patet perſeverantia, atque impoſſibile eſt, eos quacunque tentatione prorſus ſuperari, vel in totum deficere poſſe. *Ut ſeducerent, ſi poſſibile eſſet, etiam electos.* Matth. 24: 24. Electos ergo, cum divina manu ſuſtententur, vel maximis certaminibus exercitos, excidere impoſſibile eſt; cum pulchriores longe reſurgant ac eniteſcant. *Oportet enim etiam hæreſes inter vos eſſe, ut probi manifeſti fiant in vobis.* 1. Cor. 11: 19.

XI. Supereſt, ut ad præcipuas quaſdam difficultates & objectiones adverſariorum breviter reſpondeamus. Ac primum quidem *exemplis* nihil proficiunt: cum ſi qui à fide defecerunt, vel hoc ſolo argumento nunquam veri fideles fuiſſe deprehendantur. *A nobis exierunt, ſed non erant ex nobis.* 1. Joh. 2: 19. *Qui enim habet, dabitur ipſi. Qui autem non habet, etiam quod habet, tolletur ab ipſo.* Matth. 13: 12. conf. Luc. 8: 18. Neque 1. Tim. 1: 19. verba περὶ τὴν πίστιν ἐναυάγησαν, reddenda, *fidei naufragium fecerunt*, quaſi fidem habuiſſent & perdidiſſent; ſed *circa fidem naufragium fecerunt*: quia nempe ad eam non pervenerunt.

Adverſariorum objectiones ſolvuntur.

XII. Adducunt 2. loca quædam, ubi mentio fit *deletionis è libro vitæ*, Exod. 32: 32. Pſal. 69: 29. Apoc. 22: 19. Ubi notandum, duplicem Dei librum, duplicemque in eo inſcriptionem, dari. Eſt enim liber Eccleſiæ in terris. Eſt & electorum catalogus in cœlis. Et vel cœleſti manu, ac Deo auctore: vel ab hominibus, ſtulta perſuaſione, tum de ſe ipſis, tum de aliis, capta, in libro iſto quidam ſcribuntur. *Et hic ſcribet manum ſuam Jehovæ, & de nomine Iſraëlis ſe nominabit.* Eſai 44: 5. Ac de ſupernis quidem divinæ mentis tabulis ac commentariis nullus eraditur, neque illæ lituram admittunt. Nec Moſis zelus, ultra modum exuperans, & à Deo ipſo caſtigatus ỳs 33. aliud quam inſignem ejus charitatem, & divinæ gloriæ ſtudium teſtabatur. Si qui autem in Eccleſia vel ab hominibus adſcripti ſunt, vel mentito nomine in membranas iſtas irrepſere, illos fidem rumpere, & Eccleſiæ ſemitam relinquere poſſe concedimus: de quibus agitur Apoc. 22: 19. Quin & integræ Eccleſiæ à Deo abdicari; atque, ob perfidiam, ſueto hactenus populi Dei nomine,

ne, atque omni denique vitæ ſpe privari poſſunt. Quæ illa deletio eſt ex viventium libro, quam Chriſtus Pſal. 69. Judæis obſtinatis & incredulis interminatur.

XIII. Addunt 3. Apoſtoli locum ad Hebr. 6: 4, 5, 6. ubi quoſdam, ſuperne illuſtratos, ac cœleſtium participes, & non levi gratiæ guſtu imbutos &c. recidere tamen poſſe innuit. Quem tamen locum de irregenitis agere ex Apoſtoli ſcopo patet; qui ignavis ac infructuoſis Chriſtianis hoc Dei judicium ob oculos ponit. vide ỳs 8, 9. Nec obſtant præclara illa encomia, quod illuminati, ac Spir. S. participes ſint; & de bono Dei verbo, ac futuri ſæculi deliciis guſtaverint &c. cum qualiſcunque ille divinarum rerum guſtus & ſenſus etiam in irregenitos cadat; quos aliquali lumine irradiari, & brevi guſtu cœleſtia delibare, ubi Chriſtum & peccatorum remiſſionem audiunt; & Spiritus ſancti in donis extraordinariis partipes eſſe; & futuri ſæculi virtutes, id eſt, Novi Teſtamenti ſtatum & gaudia, magnamque Dei potentiam, in publica mundi converſione, quodam veluti mentis viſu antecapere non impoſſibile eſt. Quos ubi, poſt ruinam, excitari, ac *denuo renovari* poſſe, Apoſtolus negat. ỳs 6. non id primam eorum renovationem ſupponit: cum, inter alia quæ hic regeri poſſunt, dici queat, vocem πάλιν hic redundare. Ut alibi. vide Gal. 4: 9. πῶς ἐπιστρέφετε πάλιν, *quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa?*

XIV. Quod porro, *quarto* loco, ex Propheta, Ezech. 18: 26, de juſto, à juſtitia ſua ſeſe avertente, ſubjungunt, non melius concludit. Non enim de vere juſtis & regeneratis ibi agitur, ſed de eo, qui juſtitias aliquas, h. e. recte dicta & facta, ob quæ laudabatur, fecerat, quique juſtitiis ſuis confidit; & Judæorum, propria juſtitia nitentium, tumor & hypocriſis tangitur; quamque vana ac fragilis ea ſit, oſtenditur. Prætterquam quod locutio univerſa conditionalis ſit; deque pœnis præcipue temporalibus agat; quæ etiam in vere regenitos cadere poſſunt. Ita tamen, ut qualiſcunque eorum declinatio vel caſtigatio apoſtaſiam non arguat.

XV. Tandem quæſtionem hanc de Sanctorum perſeverantia quidam mere hiſtoricam vocant; atque eo rem deducunt, ut quærendum ſolum ſuperſit, an apoſtaſiæ Sanctorum revera exempla dentur, an ſecus? ipſum alioquin viatoris ſtatum non extra cadendi periculum eſſe. Nos autem, quanquam de viatore in ſe conſiderato non abnuimus; cum tamen Deum cuſtodem ac ducem habet, ſtatum ejus firmum ac indeclinabi-

nabilem eſſe ex Scripturis adſerimus. Cumque ille fideles de manu ſua veluti penſiles teneat, non hiſtoriæ vel experientiæ, ſed indubitatæ certitudinis eorum perſeverantia habenda eſt.

Doctrina hæc non ἀργὸς λόγος.

XVI. 6. Quod denique *ἀργὸν* hunc eſſe *λόγον*, & carni adblandiri, putant; cum homini, de certaminis exitu ſecuro, non magnopere de palma ſit laborandum: id contra eſt; cum multa alia ad pugnandum incitamenta habeat, &, quicquid de pugnæ exitu ſit, non ſine ſudore & pulvere victoriam acquiri ſciat. Ad quem ferendum nihil equidem validius eſt illa ſpe & certitudine victoriæ: uti militem, qui alacri ſpe palmam jam præcerpſit, promtius imperatorem ſuum ſequi videmus. Eſt ergo hæc doctrina potius fons veræ pietatis, ſollicitudinis, & gratitudinis: cum media ad perſeverandum ei non opponantur, ſed amice cum ea ſocientur; ac præterea eventus certitudo novum perſeveranti ſtimulum adjiciat. *Cum timore & tremore veſtram ſalutem conficite. Deus enim eſt qui operatur in vobis & velle & operari propter beneplacitum.* Phil. 2: 12, 13. Cum contraria doctrina mater ſit, aut deſperationis, ſi quis propriæ imbecillitatis conſcientiam habet; aut ſecuritatis, ubi omne ſalutis arbitrium in poteſtate ſua quotidie eſſe cernit.

II. binc fluentem CERTITUDINEM *ſalutis.*

XVII. Certitudinem perſeverantiæ conſequitur *certitudo ſalutis;* cum hæc ſine illa non detur, quoniam nemo niſi perſeverans ſalvatur. Ut male quidam illa divellant, & ſalutis quidem certitudinem defendant, perſeverantiæ autem negent. Quod eſt certitudinem ſubjectivam aſſerere velle ſine certitudine objectiva, ut vulgo, licet non ſatis recte, loquuntur; proprie enim omnis certitudo ſubjectiva eſt, cum ſit attributum mentis ejuſque aſſenſus. Videndum autem 1. qualis hæc ſalutis certitudo ſit, 2. quæ ejus ſint fundamenta. 3. Ac denique adverſariorum objectamentis eſt reſpondendum.

Qualis illa ſit?

XVII. Certitudinem quod attinet, illa duplex eſt, alia quæ nititur evidenti rei perceptione vel demonſtratione: quæ *metaphyſica* vulgo appellatur: alia vero quæ petitur ex teſtimonio divino; quæ *fidei* dicitur. Eſtque utraque illa rurſus vel de *rebus extra nos exiſtentibus:* quas nimirum vel *intuitu*, ubi termini ſunt evidentiſſimi; vel *ſcientia*, ubi demonſtratione opus eſt: vel *fide*, ex revelatione, cognoſcimus: vel de *actionibus mentis noſtræ*, quæ *experimentalis*, ſive conſcientiæ, eſt, nec longis argumentis opus habet.

XIX. Ac ſalutis certitudinem quod attinet, habent eam fideles, partim *fidei*; qua ex Scriptura credunt, quemcunque, qui Chriſto ad ſalutem

con-

Digitized by Google

confidit, remiſſionem peccatorum habiturum; partim *experimentalem*, ex proprio animi ſenſu & conſcientia, ac impreſſo Spiritus arrhabone & charactere, quem intrinſece fidelis deprehendit. Ut ſicut primum ſubnixi divina auctoritate, per fidem credimus revelationi, ita deinceps per actum fiduciæ illam obſignamus: unde maxima tum certitudo in animum exundat. Quæ ex experimentali & fidei *miſta* dici poteſt. Eſt autem omnis illa certitudo, ubi quis rite ſe exploraverit, *formalis*; nec falſum recipere poteſt.

XX. Fundamenta hujus certitudinis ſunt: 1. Salutis noſtræ apud Deum *firmitas* & immutabilitas, ex fœdere ejus ac *æterno gratiæ conſilio*. Hanc enim decreti divini firmitatem, quæ vulgo certitudo objectiva dicitur, certitudini noſtræ præſtrui oportet. *Quos prænovit — hos etiam glorificavit. — Perſuaſum habeo, quod non futurum ſit, quod — nos poſſit ſeparare à dilectione Dei.* Rom. 8:29, 30, 38, 39. 2. *Fœderis gratiæ*, promiſſionumque ejus natura ac ſtipulatio, quæ eam animi fiduciam requirunt. *Noli metuere.* Gen. 15: 1. 3. *Fidei* natura, quæ aſſenſus ſui certa eſt. *Qui credit in filium Dei, habet teſtimonium in ſe ipſo.* 1. Joh. 5: 10. conf. 2. Tim. 1: 12. Unde *nos ipſos explorare* jubemur, *an in fide ſimus.* 2. Cor 13: 5. *Illius fundamenta.*

XXI. Ac pertinet huc Spir. S. *obſignatio*, *unctio*, *arrhabo*, *ſigillum*, *character*, *teſtimonium*, *primitiæ.* 2. Cor. 1: 21, 22. Eph. 1: 13, 14. 1. Cor. 2: 12. Rom. 8: 23. Quæ omnia, tam magnifice ſonantia, inane nomen & nuda verba ſunt, niſi fidelibus iſtam ſalutis certitudinem & ſenſum præbeant. Hæc vero omnia, vario licet reſpectu, fidei conveniunt. Peragitur enim hæc Spiritus obſignatio, operationibus ejus in anima, atque ipſa potiſſimum fide; quam dum nobis inſinuat, & vivam eam ac audentem facit, iſto pignore nos ſalutis certos reddit, atque illam à Deo reſtipulari jubet. *Novi, cui crediderim; & perſuaſus ſum, quod potens ſit, depoſitum meum conſervare in illam diem.* 2. Tim. 1: 12. Atque adeo idem eſt Spiritus, ac noſtrum teſtimonium, nempe fides, noſtraque ſuper eam reflexio; quæ etiam reſpectu plenitudinis deinceps nobis conferendæ arrhabonis ac primitiarum nomine venit.

XXII. 4. *Spei* natura. Quæ *viva* appellatur; atque hominem *gloriari* facit. 1. Pet. 1: 3. Rom. 5: 2. Qualis ſpes cum à Deo mandata, nec ipſi indecora ſit, vana & fallax eſſe non poteſt. Niſi potiſſimam Chriſtianarum virtutum in vanum mentis ludibrium & ſomnium commutemus. *Cupimus unumquemque veſtrum idem præſtare ſtudium, ad*

Digitized by Google

plenitudinem ſpei, uſque ad finem. Heb. 6: 11. *Eſt autem fides eorum, quæ ſperantur, pollicitatio, aut repræſentatio,* cap. 11: 1. 5. *Amoris erga Deum* natura, qui ſine mutui amoris ſenſu & certitudine eſſe non poteſt. 6. Quo ſpectat & *unio noſtra*, ac *communio* cum Deo, quæ in Scripturis ſæpe adeo prædicatur; ſanctuſque iſte cum Deo *conſenſus*, & *commercium*, & divinæ *gratiæ ſenſus*, omniſque animæ affectus; quæ regni Dei in hominibus præcipuæ partes ſunt: quæ, ſi ſalutis ac favoris Dei certitudo abſint, vana ſunt & inania; nec verus Dei amor, aut amicitia, aut communio ulla cum Deo locum habere poteſt. Atque ex his omnibus oritur tandem illa *παῤῥησία*, & *πληροφορία*, & *καύχησις*, & *ἐπεπώθησις*, quæque alia lætæ ac exultanti conſcientiæ Scriptura tribuit. Eph. 3:12. Hebr. 10:22. Qualis in Abrahamo deſcribitur, Rom. 4:20, 21. in Paulo, 2. Tim. 4:7, 8. aliiſque. Quæ certitudo major eſt ſub N. T. præ illa ſub Veteri, cum fides noſtra ſit adſtipulatio erga Pontificem conſummatum, adeoque liberata ſit ab omnibus illis timoribus & terroribus, quibus fideles ſub V. T. obnoxii erant.

Certitudini huic obluctantur 1. Pontificii.

XXIII. Obſiſtunt huic certitudini, in qua tamen ipſe Chriſtianæ vitæ nucleus ſitus eſt, *Pontificii* præſertim; & in Concilio Trid. poſt longas Theologorum lites, tandem ambiguis verbis eam condemnarunt & proſcripſerunt. Bellarminus autem certitudinem moralem & conjecturalem, quæ non merito Chriſti, ſed caritate & bonis operibus nitatur, aſſeruit. Ac ſimiliter Walenburgii inter fidem & fiduciam diſtinguunt. Illam ſola Dei auctoritate niti, & dubitationem omnem excludere; hanc, partim divina promiſſione, partim noſtra diſpoſitione niti, ac poſteriore reſpectu non omni formidine carere volunt. Quam diſtinctionem licet nos non rejiciamus (conf. §. XIX.) inanis tamen eſt iſta fidei & fiduciæ, non tam diſtinctio, quam ſeparatio; cum vera fides ſeipſam explorare poſſit, adeoque fiduciam habeat comitem. Nec recta eſt certitudinis conjecturalis appellatio; cum certitudo nulla ſit, ſi falſum ei ſubeſſe poſſit. Falſum etiam, illam vel operibus, vel dipoſitionibus noſtris uti cauſis inniti. Salutis enim noſtræ cauſæ in cælo, (atque inde ejus firmitas & immutabilitas) media vero & ſigna in terra ſunt, fides videl. & opera noſtra. Nos autem, quanquam certitudinem illam animi noſtri diſpoſitione, ſigniſque externis, ex parte noſtra niti non refragamur; non tamen ideo illam formidinem concipere, ac identidem labaſcere, neceſſe eſt. Cum fidei ſuæ propriorumque actuum anima ſibi intime conſcia, ac inde de donorum ſpiritualium perſeverantia ſecura eſſe queat.

XXIV. Ad-

Digitized by Google

XXIV. Adferunt autem pro dubitatione ſua: nullibi in Scriptura ſingularibus hominibus de peccatorum remiſſione ſpem factam: ſed & contra, dubiam eam ſæpe relinqui: *Si forte remittetur tibi cogitatio cordis tui.* Act. 8: 22. *Ne quo modo ipſe rejectaneus fiam.* 1. Cor. 9: 27. *Et amorem & odium non internoſcit homo.* Eccl. 9: 1. Et *timorem tremoremque* piis injungi Phil. 2: 12. cum omnis hæc certitudo ſecuritatis ac licentiæ mater & nutrix ſit. Ad quæ ordine reſpondemus: 1. in Scripturâ in univerſum credentibus ſalutem promitti, nec ultra neceſſe eſſe: particularem autem fidei ac ſalutis certitudinem & applicationem ex ſua cuique conſcientia hauriendam. 2. Act. 8: 22. non de remiſſionis certitudine, ſed de ipſa peccatorum remiſſione agitur: quæ, ob perverſum Simonis cor, valde dubia erat. 3. Nec Paulo certitudo defuit, quam alibi ſummam in ipſo videmus. Nec μήπως dubitantis, ſed caventis & attendentis eſt; ne, dum corpori nimis credit, ad Apoſtolatus miniſterium minus utilis, & ſacræ militiæ deſertor habeatur. Non enim de æterna reprobatione hic ſermo eſt. 4. Eccleſiaſtes autem, cum bonis maliſque omnia ex æquo accidant, ex externo fortunæ vultu Dei vultum agnoſci non poſſe ait. Unde non cum fortuna, ſed cum Deo ſentiendum, & bonæ menti ac conſcientiæ ſtudendum eſſe. Cum ex interno animæ ſtatu Dei amor facile deprehendi poſſit. Quod de odio nec ipſi Pontificii negant. Quin potiùs dum *hominem nec amorem, nec odium internoſcere* dicit Eccleſiaſtes, ſimpliciter hoc tantum vult, illum quid amet ac proſequatur, vel quid odio habeat vel fugiat, neſcire. 5. Timor autem ac tremor, qui mandatur, non animum de ſumma ſalute fluctuantem ac incertum, & nimia formidine humilem ac vilem, dicit; ſed veram humilitatem, ac indefeſſum ſalutis ſtudium & ſollicitudinem continet. Quæ animi lætitiæ ac certitudini adeo non adverſa ſunt, ut ei corroborandæ faciant. *Servite Jehovæ in timore, & gaudete in tremore.* Pſal. 2: 11. *Cum timore & tremore veſtram ſalutem conficite.* Phil. 2: 12. 6. Non etiam facit hæc certitudo ſuperbos, aut inertes & ſecuros. Quid enim ſuperbiat, qui ſeſe de Deo omnia ſperare profitetur? & quomodo non omne ſtudium adhibeat, qui illam precibus acquiri, bonorum operum exercitio foveri, & non ſine ſollicitudine vivam ac lætam conſervari novit. *Et erit fides temporis tui poſſeſſio ſalutis, ſapientiæ ſcientiæ; cujus* אוצר *theſaurus*, vel *arca*, in qua hæc omnia ſervantur, *eſt timor Dei.* Eſai. 33: 6. Imo adeo illa certitudo bona opera non tollit, ut ſine ea ne quidem conſiſtere illa poſſint; ac nulla cum Deo communio,

Illorum objectamenta.

nulla familiaritas, ſanctuſve cum ipſo conſenſus exerceri poſſit ab illo, qui de Dei gratia ac amore perpetuo diffidere debet, nec nullum ejus ſenſum habere poteſt. Ut non ſine Chriſtianæ vitæ detrimento abnegari illa poſſit.

II. Remonſtrantes.

XXV. *Remonſtrantes* ad ſummum, ad præſens, de ſalutis ſtatu ſecurum eſſe Chriſtianum jubent: cum futura omnia incerta, &, pro humanæ voluntatis, ad levia momenta mutabilis, arbitrio, pariter incerta ſint.

III. Anabaptiſtæ.

XXVI. Tandem & *Anabaptiſtæ*, cum Euangelium in legem commutent, & operum juſtitiam urgeant, ſalutis certitudinem ne peccatori quidem reſipiſcenti permittunt; niſi reſipiſcentiæ ſuæ ſupervivat, & bona opera edat. Quæ fundamenta jam diu ſubruimus. Quantum autem a vera fidei regula illa exerrent, ex his aliiſque fructibus facile patet.

CAPUT XI.

De Morte, & ſtatu hominis poſt eam.

Lucta fidelibus ſuperſtes, præter peccatum, conſiſtit

I. CUm hominis conſummatio ac æterna beatitudo, non detur niſi in futura vita; atque ante omnia mortis regnum cum comitatu ac ſatellitio ſuo, inter quæ eſt peccatum, & lucta miſeriaque omnis, utpote quæ ſunt effecta fœderis operum provenientia à peccato, aboleri debeat; de eo nunc videndum; & de morte, ac reliqua miſeriarum cohorte, ſtatuendum. Cui, ſuo deinceps loco, ſubjungenda erunt hominis noviſſima, cum fine ſæculi, ac exitu civitatis Dei.

I. IN AFFLICTIONIBUS: quarum varius eſt uſus;

II. *Afflictiones*, ac humanæ vitæ miſeriæ, cum quibus perpetua nobis, ad mortem uſque, lucta eſt (de altera enim lucta cum peccato ad Sanctificationem vidimus) per ſeſe amaræ ſunt peccati reliquiæ; ex quo aculeum ac ſtimulum habent, & naturæ graves ac pudendæ evaſerunt. Piis vero, per Dei gratiam, non in peccatorum pœnam, neque iſto cum horrore, ac legis aculeo, ſed alias ob cauſas, inferuntur. *Ubi tua, o mors, victoria? ubi tuus, o ſepulchrum, aculeus? Aculeus vero mortis eſt peccatum. Vis autem peccati, Lex.* 1. Cor. 15: 56, 57. Ac 1. ad παιδείαν, & carnis diſciplinam, quæ ſeveritate iſta domanda eſt, ne à juſta regula abeat.

Digitized by Google

abeat. *Quem enim diligit Dominus, caſtigat. — Hic autem cohibet ad utilitatem; ut participes fiamus ſanctitatis ejus.* Hebr. 12:6, 10. 2. ad δοκιμὴν & fidei experimentum; quæ iſto igne explorari debet. *Sed & gloriamur in afflictionibus; ſcientes, quod afflictio patientiam operetur: patientia vero probationem.* Rom. 5:3. 3. Ad majorem Dei gloriam, cui iſta fidei conſtantia, & intrepida ſpei confeſſione, ac amoris denique martyrio & ſacrificio, non mediocriter placemus. *Gaudentes profecti ſunt a concilio, quod digni habiti eſſent, qui pro nomine Jeſu contumeliâ afficerentur.* Act. 5:41. 4. Tandem ut iſto in campo virtutes ſuas, quæ ſine certamine ac adverſario marcent, explicare fideles poſſint; & tum ipſi fortem in patiendo animum oſtendere; tum aliorum adverſis indoleſcere, &, qua licet, levare ea ac mulcere queant. *Partim quidem dum & cum conviciis & cum afflictionibus in theatrum eſtis producti; partim vero dum ſocii facti eſtis eorum, qui ſic agitantur.* Hebr. 10:33, 34. Atque ab altera parte impii, dum in pios furunt, indolem ſuam produnt, & cunctantia alioquin fata impellunt ac maturant. *Quod ipſis quidem eſt argumentum perditionis, vobis autem ſalutis. Et hoc a Deo. Quia vobis donatum eſt, pro Chriſto, non tantum credere in ipſum, ſed etiam pro ipſo pati.* Phil. 1: 28, 29. Nullum autem in iis meritum ſitum eſt. Cum, ſi quid bonæ frugis ex noſtris afflictionibus redundat, id omne à Chriſti morte ac merito profluat: cujus ſacrificio noſtrum ſanguinem, veluti libamen, affundimus, non peccatis expiandis, ſed Deo laudando ac celebrando. *Ego enim jam libor, & tempus diſceſſus mei inſtat.* 2. Tim. 4:6.

III. Prænunciatæ ſunt hæ afflictiones præcipuè ſub Novo T. *Omnes,* *præcipuè*
volentes pie vivere in Jeſu Chriſto, perſecutionem experientur. 2. Tim. 3: *in N. T.*
12. *Quia propter te occidimur omni die, reputamur ut oves mactationis.* Pſal. 44: 22. coll. Rom. 8: 36 Quo tempore illæ non pudendæ, ut olim; ſed glorioſæ evaſerunt. In Veteri enim Teſt. cum Cananææ finibus concluſa Eccleſia terreſtri pignori incubaret; & longa pacis tempora, ac tranquilla vita hæreditatis illius partem facerent; omnis afflictio, præſertim ſi fideles morte immatura, ante legitimum tempus, pignoris illius uſu deprivaret; vel à facie hoſtium fugere, & ob hoſtilem impetum terra iſta exulare cogeret; (cum ſpeciem divinæ iræ præferret, & perfidiæ, ac violati Dei fœderis notam gereret) fidei imprimis gravis, & non leve ejus tentamentum erat; ex quo non ſine lucta & certamine ſeſe erigere, liberaleſque ac filiis Dei dignos ſpiritus ſumere poterant. Ut in Davide, Hiskia, aliiſque patuit. Quod afflictionum probrum Daniel etiam

Digitized by Google

exaggerat, cap. 9:7. *Tua, Domine, eſt juſtitia, & nobis convenit pudor faciei; ut in hoc die — in omnibus terris, quo pepuliſti eos propter prævaricationem ipſorum.* Nunc autem illa rerum facies mutata eſt, ſub Novo Teſt. ubi nulli pignori Eccleſia ſervit, & nullum in afflictionibus probrum, nullum denique in morte malum eſt; poſtquam Chriſtus ſuo exemplo & merito afflictiones omnes & mortem ipſam conſecravit; ut nihil probroſi in iis amplius ſuperſit, ſed fidei potius noſtræ gloriari in iis liceat. *Gloriamur in afflictionibus.* Rom. 5:3.

II. in MORTE, *quæ omnis luctæ finis.*

IV. Terminus afflictionum, omniſque illius certaminis eſt *Mors*: quæ cum à peccato primum ortum duxerit, nunc per Dei gratiam, peccati quoque, quod ſine illa immortale foret, mors ac remedium factum eſt. *Propter peccatum* enim, deponendum, *morimur.* Rom. 8:10. atque iſto demum fine vetuſtus homo aboletur & extinguitur, qui non niſi cum corporis exuviis deponi poterat. Col. 2:11.

Cujus horror ſub N.T. ceſſat.

V Atque ita non ſolum afflictionum, ſed & mortis horror nunc ceſſat; qui olim ſub Veteris Teſt. ſtatu, cum longæva vita fidelibus promiſſa foret, nec Chriſtus morte ſua terrorem iſtum aboleviſſet, diu adeo, ex hac quoque inter alias, cauſa, obtinuerat: *Et liberos redderet quotquot metu mortis per omnem vitam damnates erant ſervitutis.* Hebr. 2:15. Unde neque ſub Novo Teſt. fideles longam vitam petere videmus, ut olim ſub Vet. T. ſed contrario voto, calcatis mundi nebulis, dum cælum & aſtra, & ætherium mirantur limen Olympi, miſſionem ſæpe flagitare. *Nunc dimittas ſervum, Domine, ſecundum verbum tuum, in pace.* Luc. 2:29. *Cupiditatem habeo ad diſcedendum, & ut ſim cum Chriſto.* Phil. 1:23. Sicuti nec in Novo Teſt. fidelium ætas, in terris exacta, quantum ad univerſum vitæ alicujus calculum, annotata ullibi reperitur; quaſi ea tanti non ſit: cum in Vet. Teſtam. commentariis illud ſæpius occurrere videamus.

Illam excipit, quoad corpus, ſepultura; ſine ſuperſtitione peragenda:

VI. Corporis exuviæ, poſt mortem, rite condendæ ac componendæ ſunt, in beatæ reſurrectionis ſpem. Nec probanda Pontificiorum ſuperſtitio, in cereis, hymnis, ac univerſo funebri ſacro. Quæ ut apud veteres victoriæ ac triumphi erant inſignia; ita à Romana Eccleſia, perverſo ritu, propitiandis animabus, & à pœnis liberandis, uſurpantur.

VII. Atque ejuſdem indolis eſt cœmeteriorum conſecratio, mortuoſque in templis humandi mos. Qui ab Oratoriis, olim ad martyrum ſepulchra extructis, originem trahens, tandem in ſuperſtitionem vertit, & ab idololatria denique contaminatus eſt: dum, regum principumque

Digitized by Google

pumque exemplo, primo nobiliores, deinde reliqua Chriſtianorum plebs, dedicato prope aram loco, apud Sanctorum pulverem & oſſa, quieſcere, iſtoque pignore ipſorum patrocinio gaudere, etiam poſt fata, deſiderarunt.

VIII. Perverſe quoque iidem mortuos ſepelire meritorium habent: iſtique rei, in Eccleſia ſua, hominum ordinem inſtituerunt; quales fere in veteri Eccleſia parabolani erant, qui ægris miniſtrabant. Quos ſi in opere iſto, peſtilente contage tactos, extingui contingat, etiam martyribus accenſeri debere diſputant. Cum in hiſce nullum meritum; martyrium autem non niſi metaphoricum ſit. Quæ & veterum mens eſt.

IX. Poſt mortem incipit *Glorificatio:* primo quoad animam; tum, recompoſitis partibus, quoad univerſum hominem. Videnda autem 1. animæ poſt mortem exiſtentia: 2. ſtatus.

quoad animam, GLORIFICATIO.

X. Superſtitem poſt fata animam eſſe, ſuperiori tomo ex intima ejus natura probavimus. Cum enim illa à corpore longe diverſa ſit, nec quicquam cum ejus natura commercii habeat, utpote ſola cogitatione conſtans, nulla equidem cauſa eſt, cur cum corpore extinguatur. Cum ſine ea exiſtere & cogitare poſſit. Error enim populi eſt, à rationali anima corpus proprie animari, & deficiente ea extingui illud ac collabi: cum alia ſit vita corporis, alia animæ, atque ab ea toto genere diverſa. Hæc enim ſola cogitatione, illa ſanguinis ac ſpirituum meatu abſolvitur. Quo turbato, corpus, ad animæ miniſteria ineptum redditum, ab inhabitante ſpiritu deſeritur.

Anima poſt mortem aſſeritur 1. *Extantia:*

XI. An vero Deus, poſt corporis compagem ſolutam, etiam animam annihilare ſoleat; quanquam id in poteſtate ipſius ſitum Philoſophia noverit; tamen ex immutabilitate ac ſapientia Dei, qua nihil, quod condere dignatus eſt, annihilavit unquam, id non fieri, non improbabiliter colligit.

XII. Certo autem docet hoc Scriptura, quæ ſola voluntatem Dei, omnemque rerum poſt hanc vitam ſtatum & ſeriem explicat; in quo maxima ſapientiæ ac regiminis Dei ratio vertitur. Vide Eccl. 12: 7. *Et redeat pulvis ad terram, ut fuerat; & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit eum.* Matth. 10:28. *Animam non poſſunt occidere.* Luc. 16: 22. *Factum autem eſt, ut mortuus ſit pauper, & portatus ſit in ſinum Abrahami.* Matth. 22: 32. *Ego ſum Deus Abrahami, & Deus Iſaaci, & Deus Jacobi. Deus non eſt Deus mortuorum, ſed viventium.* Luc. 23: 43. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.* 2. Cor. 5: 8.

Sed

Digitized by Google

Sed gratum eſt nobis, potius abeſſe è corpore, & adeſſe apud Dominum. Phil. 1:23. *Deſiderio tendens ad dimiſſionem, & ut cum Chriſto ſim.* Apoc. 6: 9, 10. *Vidi ſub altari animas eorum, qui mactati fuerant propter verbum Dei — clamabant autem voce magna, dicentes, uſque quo Domine, qui ſanctus es & verax, non judicas, neque vindicas ſanguinem noſtrum?* &c. &. 14: 13. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, a nunc: etiam, dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis, & opera eorum ſequuntur eos.*

XIII. Quod autem alibi *mortui non eſſe*, & *Deum non amplius laudare* &c. Pſal. 6: 6. 30: 10. dicuntur; non ſimpliciter accipiendum eſt, ſed de laudibus, quæ Deo in Eccleſia, & in terra viventium dicuntur, intelligitur. Alioqui enim cœlitum choros, ac concinentium hymnos Scriptura quoque celebrat. Apoc. 4: 10. coll. 5: 9, 11.

negata olim à Sadducæis; XIV. Hanc animæ immortalitatem negarunt olim *Sadducæi;* qui dixerunt, *non eſſe reſurrectionem, nec Angelum, nec Spiritum.* Act. 23: 8. Angelos enim pro Dei veluti potentiis, ac divinæ auræ effluviis habebant; ac ſimilia fere de ſpiritibus à morte ſuperſtitibus philoſophati fuiſſe videntur.

hodieque à Socinianis. XV. Ejuſdem ſententiæ ſcelere tenentur hodie Sociniani. Quorum hæc theologemata ſunt: 1. animam, ex Dei creatione, natura ſua immortalem non eſſe. Unde & Dei in eâ imaginem, & vitæ æternæ promiſſionem, ex lege primæva, aperte negant. 2. Adeoque in morte eam redire ad Deum; inſtar auræ de cœlo derivatæ, quæ ad fontem ſuum relabatur. Quomodo videl. & alia Dei dona, ad Deum auctorem redeunt. 3. Atque illam in eo ſubſiſtere, & ſuperſtitem eſſe nugantur; quia nimirum ab eo reproduci poſſit. Quomodo res omnes ante creationem, ab æterno in Deo extiterunt. 4. Vitam autem æternam, quam, ex Chriſti diſciplina, piis promittunt, in eo conſiſtere faciunt; non quod anima ſemper vivat; ſed quod in rerum fine reproducenda ſit, ac fideles ſibi ipſis redonandi, noviſque corporibus induendi, ſint. 5. Sicuti infernum impiorum in eo conſtituunt, quod illi è ſtatu iſto, in quem poſt mortem omnes recidunt, nunquam liberandi ac reſuſcitandi ſint. Atque huc tandem iſta Theologia pervenit, cujus tot monſtra paſſim tetigimus; quæ huc tandem exeunt, ut vero ac unico religionis fine, beata animæ immortalitate, hominem tandem ſpolient; quam videl. largiri ſeſe, ex doctrinæ ſuæ genio, non poſſe hoc ipſo ſatis confitentur. Quas autem nebulas locis Scripturæ pro animarum immortalitate allatis aſpergunt, nunc mittimus.

XVI. Ac-

XVI. Aſſerta animarum poſt mortem exiſtentia, ſequitur conſide-
randus earum *ſtatus* & *locus*.

XVII. Ac *ſtatum* quidem earum mox a funere beatum eſſe, ex Scri- *II. Sta-*
pturis liquet. Illæ enim vitæ calamitates mortali vita finiunt, nec ultra *tus: qui*
earum regnum extendunt. *Illico enim præteriens levitas afflictionis no-* *beatus eſt.*
ſtræ — æternum pondus gloriæ operatur. 2. Cor. 4: 17. *Qua in re ex-*
ſultatis, ad exiguum tempus nunc (ſi oportet) in variis tentationibus
triſtitia affecti. 1. Petr. 1:6. *En juſtum, in terra hac rependitur ei; quan-*
to magis improbo & peccatori. Prov. 11:31. *Nam tempus eſt, ut incipiat*
judicium a domo Dei. Quod ſi primum incipit a nobis, quis erit finis eo-
rum, qui non aſſentiuntur Euangelio Dei? 1. Pet. 4: 17. Ac mortem,
quæ æternitatis veluti veſtibulum ac janua eſt, in lucrum fidelibus de-
putant. *Mihi enim vivere Chriſtus, & mori lucrum.* Phil. 1:21. Qui,
peracto veluti certamine, *beati, mox* ab abitu, cœleſti voce pronuncian-
tur. Apoc. 14: 13. Quod omnium fidelium eſt, 1. Cor. 15: 18. 1. Theſſ.
4: 16. Utpote quibus parta jam laborum quies, *operibus ipſos aſſectanti-*
bus, & in cœlum uſque comitantibus. Nec leve eſt, quod Deus, etiam
poſt fata, fidelium Deus ac Pater appellari velit. Matth. 22: 32. Quod
ſine eorum felicitate intelligi non poteſt. *Atqui potiorem expetunt, hoc*
eſt cæleſtem civitatem: *quapropter Deum non pudet eorum, & cognomi-*
nari Deus eorum; paraverat enim iis urbem. Hebr. 11: 16. Unde &
apud Deum eſſe dicuntur. Phil. 1:23. Et quanquam mortalis corporis
exuvias, vilemque iſtum pulverem, ponant; non tamen nudari eos,
ſed potiore paludamento, ac cœleſti veluti tabernaculo, ſuperindui
idem Apoſtolus affirmat 2. Cor. 5:2.

XVIII. Repugnat hiſce animarum dormitio, & ſomnus, à veteribus *Cui re-*
Arabibus profectus, & ab *Anabaptiſtis* hodie adoptatus; qui animas, uſ- *pugnat*
que ad ſupremi judicii diem, quieſcere, h. e. perpetua nocte teneri aſſe- ψυχο-
runt. Quod fidelium ſpem, atque media in morte fiduciam, non levi- παννυ-
ter concutit; &, juſtis injuſtiſque eandem in ſortem redactis, manifeſtis χία.
Scripturis; atque ipſi denique rationi atque animæ naturæ adverſatur.
Illa enim, cum in cogitatione conſiſtat, ſopore veluti ligata quieſcere,
omnique ſui ſenſu ac conſcientia deſtitui non poteſt. Licet fateamur,
non illam omnes cogitandi modos, quos hic in corpore habuit per ſenſa-
tionem, imaginationem, paſſiones memoriamque corporeas, in illo ſta-
tu retinere. Anabaptiſtis accedunt *Sociniani*, ubi nonnunquam animas
à funere ſupereſſe fateri volunt. *Remonſtrantes* autem quæſtionem de

anima ſeparata propemodum Philoſophicam habent,nec quicquam certi, aut quod neceſſario definiatur, ſeſe habere profitentur.

XIX. Quando vero Scriptura Sanctorum dormitiones narrat;mortemque ipſam non injucunda ſomni imagine pingit; id ad piorum quietem, poſt vitæ hujus labores & certamina, figurandam pertinet. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, amodo. Næ, dicit Spiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis*, Apoc. 14:13. Nec tam animarum, quam corporum iſte ſomnus eſt, quæ in conditoriis ſuis compoſita ,in novi ſæculi aurora, beatam reſurrectionem expectant. *Seminatur corpus animale, ſuſcitatur corpus ſpirituale.* 1. Cor. 15:44. Myſticum autem eſt, quod de animabus ſub altari quieſcentibus divina Apocalypſis c 6. habet; & animarum παννυχίαν adeo non adſtruit, ut eam potius evertat. Atque alienum etiam eſt, quod ex Paulo urgent; qui, poſtquam Sanctorum catalogum texuiſſet,eos omnes promiſſione non adepta,ſed eminus longinquo viſu delibata,obdormiiſſe narrat Hebr. 11.Agit enim Apoſtolus de veteribus Patribus, nec non de laboribus, & jugo illo, quod *tota vita* Hebr. 2:15. tolerandum ipſis erat. Mors enim, ut rerum aliarum, ita & ſervitutis illius terminus ac finis erat: poſt quam Apoſtolus proximo capite ℣s 23. eos *conſummatos* vocat. *Acceſſiſtis — ad ſpiritus juſtorum conſummatorum*. Res enim promiſſa, non cœleſtis poſt mortem gloria; ſed Chriſti in carnem adventus erat. Denique Eccleſiaſtes, non ſuam, ſed profani hominis ſententiam, aut ab externis duntaxat caſibus deſumtam opinionem, conf. ℣s 21. profert; quando cap. 3: 19. ait: *Nam ut eſt contingens filiis hominis, ita & eſt contingens pecudi; & idem contingit illis — ſpiritus unus eſt utriſque.*

An animæ ſeparatæ perſonæ dicendæ ſint?

XX. Non magni nomenti quæſtio eſt, an animæ ſeparatæ perſonæ dici mereantur? Scriptura certe ab appellatione iſta non adeo abhorret, dum de fidelibus, poſt obitum eorum, tanquam perſonis, loquitur Matth. 22:32. *Ego ſum Deus Abrahami, Iſaaci* &c. Sunt enim ſubſtantiæ ſingulares,rationales,ab aliis omnibus ſubſtantiis diverſæ,ac ſeſe ipſis ſufficientes, & completæ. Non minus quam Angeli. Quod enim ad corpora rurſus induenda aptitudinem ſervant, id de perfectione earum nihil delibat.

III. Receptacula: quæ duo ſunt,

XXI. Poſt mortem autem duo tantum animarum receptacula Scriptura commemorat, cœlum & infernum.. *Lata eſt via, quæ ducit ad interitum — & ſtricta eſt via, quæ ducit ad vitam.* Matth. 7:13. conf. Matth. 25:34.41. Luc. 16:22,23. Marc. 16:16. Joh. 3:36. Cum autem locus

locus ſpiritibus non conveniat, niſi reſpectu operationum ad extra; dum ſine iis ſunt, aut eſſe ſupponuntur, non tam locus, quam ſtatus animarum, iſtis vocabulis tunc intelligi debet. Ut inepti ſint, qui locum & ſtatum animarum non ſolum diſtinguunt, verum etiam divellunt; & piis, ſub Vet. T. ſtatum quidem beatum, non autem locum in cœlo beatorum attribuunt. Quæ manifeſtæ Scripturæ adverſantur: *Spiritus redit ad Deum, qui dedit eum.* Eccl. 12: 7. *Dico autem vobis, multos ab Oriente & Occidente venturos, & accubituros cum Abrahamo, & Iſaaco, & Jacobo, in regno cœlorum: filios vero regni ejectum iri in tenebras illas exteras* &c. Matth. 8: 11. *Et portatus ipſe eſt ab Angelis in ſinum Abrahami.* Luc. 16: 22. *In domo Patris mei μοναὶ πολλαὶ manſiones multæ ſunt* Joh. 14: 2. Ubi μονὴ paſſive locum jam occupatum & habitatum, cœleſteſque manſiones denotat. conf. ẏs 23.

Paradiſus,

XXII. Cœlum beatorum, qui & *ſinus Abrahæ*, & *Paradiſus*, & *tertium cœlum*, in Scripturis appellatur, Luc. 16: 22. & 23: 43. 2. Cor. 12: 2. eſt locus proprie dictus, extra mundi adſpectabilis limitem. Fruſtra enim Lutherani inter cœlum Dei & cœlum beatorum diſtinguunt: quorum illud ubique eſſe ajunt, hoc autem an certo loco collocandum ſit, inter ſe diſceptant. An vero ſpatium illud viſibiles hoſce cœlos perpetuo ambitu incingat? an vero ex parte tantum? an in infinitum protendatur? an vero ulteriorem ab alio corpore patiatur terminum? nobis non conſtat: cum mundi terminos ignoremus.

XXIII. Atque in hoc cœlum animæ piorum ſtatim poſt mortem concedunt. Qui tamen motus, ut & locus ipſe, ſpiritibus non niſi improprie, & reſpectu operationis ad extra, convenit. Ut nulla difficultas ſit in longo iſto ſpatio emetiendo, inque animarum & Angelorum tranſitu, ac jugi illo inter cœlum terramque commeatu, quem nobis hic imaginamur. Ac perverſe Grotius moram aliquam, in iſto ad cœlum itinere, purgandis defæcandiſque animabus, excogitavit. Contra Luc. 23: 43. *Hodie mecum eris in Paradiſo.*

& infernus.

XXIV. Impiorum vero animas, mox à morte, inferno carcere Scriptura includit, æternis pœnis cruciandas. *Et in inferno attollens oculos* — Luc. 16: 23. *Etiam iis ſpiritibus, qui in carcere ſunt, prædicavit.* 1. Pet. 3: 19.

Quid factum cum animabus bis mor-

XXV. Alia tamen animarrum ratio videtur eſſe, quas, ad ſuperas auras revocatas, mortale ævum rurſus exegiſſe legimus. Quas interim, dum è corporibus exiiſſent, in loco quodam diſpenſationis degiſſe credibile

tuorum? dibile eſt: hoc eſt, eodem in ſtatu, quo in corporibus erant, nec felicio- ri, nec infeliciori; niſi quod extra corpus agerent, ſive operarentur.

De ſtatu defunctorum non temere judicandum. XXVI. Non facile autem de defunctorum ſtatu judicandum eſt. Eſt enim univerſus ille ſtatus ſilentum; nec præſentis mundi eſt, ultra ſæculum ſuum ſapere, ac in futuri ævi caliginem introſpicere velle. Quo modo Scripturam quoque parce adeo de illo loqui videmus. Nam, utcunque Luc. 16. Lazari, in ſinu Abrahæ quieſcentis, nomen exprimat; epulonis tamen, quem flammis cruciari narrat, nomen ſilentio transmittit. Et Act. 1:25. ubi Judæ exitum deſcribit, non tamen apertis verbis quo conceſſerit narrat; ſed verborum involucris magis cogitandum, quam legendum ejus finem tradit. Ut in iſto Scripturæ ſilentio, ac futurorum propemodum veneratione, noſtrum non ſit, in arcana illa mittere puſillum noſtrum ingenium; atque, ultra quam fas eſt, ſcrutari quod caliginoſa nocte premit Deus.

Errores circa ſtatum mortuorum I. Judæorum. XXVII. Errant circa mortuorum ſtatum: 1. *Judæi*, quorum aliqui animas una cum corpore extingui docuerunt. Quæ Sadducæorum impietas erat. Hodierni vero Judæi, qui animarum immortalitatem tenent, multa tamen de earum ſtatu poſt mortem fabulantur. Quidam enim toto anno, quamdiu nondum perpurgatæ ſunt, vagari eas circa ſepulchra ſua, & cineres ſuos circumvolare ferunt. Ali earum *μετεμψύχωσιν* & in nova corpora tranſmigrationem credunt.

II. Græcorum. XXVIII. 2 *Græci*, qui animas, uſque ad diem judicii, cœlo exulare faciunt, & ad ſpecus quoſdam ſubterraneos, & Lethæa flumina ablegant. Quæ & veterum quorundam opinatio fuit: priorum enim ſæculorum patres, animas demortuorum, niſi forte martyrum animabus exceptis, quibuſdam locis velut *φυλακῇ carceri* includebant, ubi de conſummatione certæ, beatam reſurrectionem cum gaudio exſpectent. Similis quoque fere hodierna Socinianorum & Anabaptiſtarum ſententia eſt, ſi molliſſime eam explices.

III. Pontificiorum, eorumque I. Purgatorium: XXIX. 3. Sed & *Pontificii* etiam mundos quoſdam ſubterraneos excogitarunt; & non ſolum limbos campoſque, pro veteris Eccleſiæ patribus, ac infantibus ſacro fonte nondum tinctis; ſed præcipue ignem quendam purgatorium fabulis ſuis extruxerunt; qui, non niſi ſero in Eccleſiam receptus, etiam hodie à Græcis ignoratur & rejicitur.

cujus deſcribitur origo & progreſſus, XXX. Primus ignis purgantis meminit *Origenes*, qui ex Platone illum hauſerat. Quanquam ille longe diverſus erat à Pontificio igne. Sequentes eum Patres varie errorem iſtum auxerunt; &, incertis opinationibus,

Digitized by Google

nibus, non tam ignem illum Pontificiorum, quam alium, in mundi fine accendendum, docuerunt; quem mundo hominibuſque purgandis deſtinabant. Dubitat tamen de univerſa re *Auguſtinus*, eamque ulteriori Eccleſiæ diſquiſitioni permittit. Neque plus reperire licet apud ejus diſcipulos; uſque ad *Gregorii Magni* tempora, celebris in Eccleſia ſuperſtitionum auctoris & patroni; qui, circa annum 600, iſta animarum ſupplicia, pro levioribus noxis expiandis, apertius docuit, falſis quibuſdam viſionibus & narrationibus deluſus. Quibus minuendis vivorum deinceps ſuffragia & ſacrificia quæſita. Ac feſtum pro animabus, in carcere illo laborantibus, A. C. 1010 inſtituit Johannes decimus octavus, ad pacem Dei pro illis expoſcendam. Promoverunt deinde errorem illum Scholaſticorum diſputationes. Donec anno 1439 in Concilio Florentino publice res judicata, & purgatoriæ flammæ Eccleſiæ diplomate ſancitæ ſunt. Quod in Tridentino Concilio rurſus confirmatum: ac præſertim preces pro mortuis, cæteraque Eccleſiæ pro filiis ſuis in purgatorio laborantibus, ſolatia, ac fabuloſum iſtud vivorum cum mortuis commercium, in quo Eccleſiaſticorum lucrum vertebatur, intentiore cura commendata. Quæ dogmatis hujus origo & progreſſus prudentiores ex adverſariis illud non Scripturæ, ſed traditionibus, acceptum ferre coëgit; quanquam aliis repugnantibus, ac cum Bellarmino pro fidei dogmate illud habentibus.

XXXI. Ita autem illum deſcribunt; ut infernalem carcerem eſſe dicant, in quo animæ, è corporibus excedentes, venialium culparum noxas, pœnaſque quaſdam temporales, quibus adhuc obſtrictæ erant, luant; donec defæcatæ, ac ad amuſſim candidæ, cœli limen calcare queant. Locum ejus infra terram collocant, ad inferni limitem; qui tamen cum prato illo floreo & virenti, in vicinia poſito, in quem animas illas ſubinde emittunt, non convenit. Solis vero fidelibus eum deſtinant, quos flammis prope avernalibus cruciari & purgari ferunt: ita tamen, ut ſalutis certitudinem, & impeccantiam, & perfectum Dei amorem retineant. *reliquaque ejus. ratio.*

XXXII. Tota autem illa fabula, partim Scripturis, partim rationibus inde petitis adverſatur; ac denique falſis quibuſdam hypotheſibus innititur. *Quæ omnia refelluntur,*

XXXIII. Primum enim Veteris T. Scripturæ ignem illum prorſus ignorant. Cumque ſæpe adeo mortuorum funera, & apparatum funereum, omnemque illam lugendi diſciplinam, præſcribant; nullam tamen *1. Scripturis.*

Digitized by Google

ignis ſubterranei mentionem faciunt; ſed contra, mortuos ad Patres ſuos colligi, in funebri lectulo veluti quieſcere, quin & ſtatum eorum beatum eſſe prædicant. *Ecce ego colligam te ad Patres tuos.* 2. Reg. 22:20. *Moriatur anima mea morte rectorum; & ſit poſtremum meum, ut illius.* Num. 23: 10. *Ingrediuntur in pacem, requieſcunt in cubilibus ſuis.* Eſai. 57: 2. nec ſervitus piorum ſub V. T. duravit ultra hanc vitam, Hebr. 2: 15. Merum enim commentum eſt, quod Patriarchæ olim oſſa ſua in Cananæam non alio fine deportari juſſerunt; quam ut defunctorum cineres ſacrificiorum ſanguine luſtrarentur, maneſque eorum iſto piamento placarentur.

XXXIV. Pariter in Novo Teſt. purgatorio repugnant loca ſequentia: *Amen dico vobis: qui ſermonem meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet. Sed tranſivit à morte in vitam.* Joh. 5: 24. *Factum autem eſt ut moreretur mendicus, & adſportaretur ab Angelis in ſinum Abrahami.* Luc. 16: 22. *Dico autem vobis, multos ab Oriente & Occidente venturos, & accubituros cum Abrahamo, & Iſaaco, & Jacobo, in regno cœlorum.* Matth. 8: 11. *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Luc. 23: 43. *Præſtitutum tempus meæ dimiſſionis inſtat. Certamen illud præclarum decertavi, curſum peregi, fidem ſervavi. Quod reliquum eſt, repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* 2. Tim. 4: 6, 7, 8. *Deſiderio tendens ad dimiſſionem, & ut cum Chriſto ſim.* Phil. 1: 23. *Scimus enim nos, ſi terreſtris hujus domus noſtra tabernaculum diſſolutum fuerit, ædificium ex Deo habituros, domicilium non manu factum, æternum in cœlis. In hoc etenim ſuſpiramus, expetentes domicilio noſtro, quod è cœlo eſt, ſuperindui.* 2. Cor. 5: 1, 2. *Si Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt, propter peccatum: Spiritus autem vita eſt propter juſtitiam.* Rom. 8: 10. *Beati à nunc mortui, qui in Domino moriuntur: ut requieſcant à laboribus ſuis: & opera eorum ſequuntur eos.* Apoc. 14: 13. *Statutum eſt hominibus, ut ſemel moriantur. Poſtea vero judicium.* Hebr. 9: 27. *Omnes enim nos manifeſtos fieri oportet coram tribunali Chriſti, ut unuſquiſque reportet quæ in corpore fecerit.* 2. Cor. 5: 10. *Unica enim oblatione conſummavit in perpetuum eos, qui ſanctificantur.* Hebr. 10: 14. *Nulla igitur nunc iis eſt condemnatio, qui ſunt in Chriſto Jeſu.* Rom. 8: 1. *Quis intentabit crimina adverſus electos Dei? Deus is eſt qui juſtificat. Quis eſt qui condemnet? Chriſtus is eſt qui mortuus eſt* &c. ỷs 33, 34.

II. rationibus. XXXV. Obſtant & rationes à miſericordia & juſtitia Dei deductæ. Qua-

Digitized by Google

Quarum illa non fert tam diros fidelium cruciatus, ignemque inferis ipſis parem: hæc autem eos multo magis repudiat, cum, ſatisfactione à Chriſto præſtita pleniſſima, ſatisfactione per homines non opus ſit; multo minus illa, quæ in operoſis quibuſdam nugis, ac rebus frivolis, conſiſtit; & per quam ne ſapienti quidem in terris judici ſatisfieret.

XXXVI. Tandem, ut veritatum, ita & errorum quidam nexus eſt, ac teterrimum conjugium; ac figmentum hoc ſine aliorum errorum ſubſidio ſubſiſtere non poteſt. Nititur enim 1. diſcrimine peccatorum venialium & mortalium. 2. diſtinctione inter reatum culpæ & pœnæ. 3. Satiſfactionibus Chriſti ſemiplenis, & peccata ante baptiſmum potiſſimum expiantibus. 4. Satisfactionibus denique meritiſque noſtris, ad ignis iſtius cruciatus levandos utilibus. Ut nefaria miſſarum ſacra, propitiandis defunctorum manibus valitura; & immenſim Pontificum auctoritatem; & ſacerdotum avaritiam, ac lucra, & rapinas; dum morientium metus ſcrutantur, ultimoſque eorum gemitus obſervant, & in quæſtum ſuum convertunt, prætercam. Satis enim iſtæ mendaciorum ac fraudum pateſcunt inſidiæ, & Caci domus atra, abjurat æque rapinæ.

III. falſis, quibus nititur, hypotheſibus:

XXXVII. Videnda nunc paucis pſeudo-Eccleſiæ illius argumenta, quibus purgatorii flammas, ſacerdotum ſuorum culinis adeo neceſſarias, tutari ſolent. Ac 1. congerunt diverſa loca, ubi *ignis* in Scriptura mentio fit, qualia ſunt Pſal. 66: 12. Eſai. 4: 4. & 9: 18. Mich. 7: 8. Quæ certe male ad ignem purgatorium referuntur; cum ad præſentem vitam pleraque ſpectent, & vel Dei caſtigationes, vel Spiritus ejus vim ac efficaciam, igneam & penetrabilem, denotent. 2. *Ignis* autem *conflatoris*, Mal 3: 3. Chriſti officium, in exploranda Scribarum ſcoria, veraque doctrina expurganda & defæcanda, notat. Quo munere præſertim Matth. 5, 6. & 7 functus legitur. 3. Pariterque *ignis probationis*, de quo 1. Cor. 3: 12. *Cujuſque opus quale ſit, ignis probabit*; non proprie dictus ignis eſt, non magis quam *lignum, fœnum, ſtipula*, ibi memorata; ſed figuratus: quod vocabulum *tanquam* innuit. Nec de animabus purgandis, ſed de doctrina doctoribuſque explorandis ibi agitur. Quod cum veluti igne quodam peragendum ſit, ille quidem latiſſime accipiendus eſt; non quidem pro igne purgatorio (per illum enim illa purgatio non peragitur) ſed pro omni eo quod ignis vim in Scriptura habet. 4. Non melius *lacus, in quo non erat aqua*, Zach. 9: 11. huc pertinet. Quem de carcere Babylonico alii; alii rectius de veteris Eccleſiæ ſiti & anguſtiis expli-

Sublatis adverſariorum objectiunculis.

Digitized by Google

explicant. 5. *Carcer, in quo ultimus quadrans perſolvendus eſt*, Matth. 5:25. vel de præſenti vita intelligitur, mentio enim eorum eſt, *qui adhuc in via ſunt;* vel de inferno; nullo autem modo de purgatorio. 6 Neque illud ex phraſi loquendi, *non remittetur ipſi, neque in hoc ſæculo, neque in futuro*, Matth. 12:32. exſculpi poteſt. Non enim, quod in hoc ſæculo remiſſum non eſt, in altero remitti poſſe, ibi innuitur; ut Pontificii concludere debent: ſed contra peccatum, tam atrox, quod in hoc ſæculo remiſſum non eſt, neque in fururo remittendum eſſe docetur. Senſus autem phraſis ſimpliciter eſt, *non remittetur in æternum*. Marc. 3:29. Luc. 12:10.

XXXVIII. 7. Quod ad locum obſcuriſſimum 1. Cor. 15:29. attinet: *Quid facient, qui baptizantur*, vel lavantur, *propter mortuos?* cum multas veterum ac recentiorum interpretationes admittat; quas hic referre nihil attinet; illæ tamen omnes fere in eo conveniunt, quod per *mortuos* ſimpliciter ac promiſcue ii, qui mortui ſunt, & mortuorum ſtatus, intelliguntur. Sicuti de reſurrectione ac reditu à morte eo loci Apoſtolus agit. Solis autem Pontificiis, ex erroris ſui præjudicio, mortui, in purgatorio cruciati, in mentem venerunt: qui tamen quomodo lotionibus ac baptiſmis noſtris juvari poſſint, intelligi non poteſt. Quod ad reliquum interpretum diſſenſum pertinet, ille circa lotionem potiſſimum eſt: quam alii vulgarem, circa mortuo. uſitatam, in reſurrectionis ſpem: alii ſacram, per baptiſmatis undam; quæ reſurrectionis à morte publica univerſæ Eccleſiæ teſſera & obſignatio eſt: alii clinicorum, ita dictorum, baptiſmum: alii denique cæremonialem, in Veteri Teſtam. ob contactum mortuorum, Num. 19:11. conf. Syr. 34:27. rectius intelligunt; qua is, qui tactu cadaveris impurus redditus, atque iſto tempore in ſtatu mortuorum collocatus fuerat, poſtquam juxta legem ablutus erat, iterum in Eccleſiæ cœtum, & ſtatum veluti viventium, admittebatur; quæ non levis futuræ olim è mortuorum ſtatu reſurrectionis figuratio erat. illa autem omnia huc non pertinent. Nec ultra locum hunc ſcrutari attinet. Ex cujus tenebris, & tot interpretamentorum fumo purgatoriis ignem & flammas educere velle, inſanum eſt.

XXXIX. 8. Addunt, hominem, uſque ad extremum vitæ terminum, peccati reliquias ſecum trahere: cum autem *nihil inquinatum in civitatem cœleſtem introiturum* ſit, Apoc. 21:27. illum, antequam cœlo recipiatur, luſtrari primum oportere. Quaſi non una cum morte veteris hominis exuviæ ponantur: aut peccati regnum etiam ultra vitæ hujus limi-

Digitized by Google

limitem producendum ſit. *Qui mortuus eſt, juſtificatus eſt à peccato* Rom. 6: 7. *Qui ingreſſus eſt in requiem ejus, etiam ipſe requievit ab operibus ſuis, quemadmodum à ſuis Deus.* Hebr. 4: 10. 9. Vix ſerium autem eſt, quod ſub terra quoque homines quærunt, qui Chriſto regnanti genua flectant, juxta illud Phil. 2: 10. *In nomine Jeſu omne genu ſe flectat — eorum qui ſub terra ſunt:* quos non alibi quam in purgatorio deprehendi putant. Non aliud enim ibi dicitur, quam Chriſtum viventium ac mortuorum dominum & judicem eſſe, juxta alium ejuſdem Apoſtoli locum: *In hoc enim Chriſtus & mortuus eſt, & reſurrexit, & revixit, ut mortuorum & vivorum dominus ſit — omnes enim ſtabimus ad tribunal Chriſti.* Rom. 14: 9, 10, 11.

XL. 10. Ad veteris Eccleſiæ auctoritatem jam reſpondimus, primum Origenem talis ignis meminiſſe; qui tamen à Pontificiorum igne valde diverſus ſit. Concilia autem nulla illum agnoverunt, niſi nupera, Florentinum & Tridentinum. Quanquam ſuperſtitionem circa mortuos, cultumque omnem funereum antiquum fuiſſe non negamus. 11. Rectius vero Philoſophorum, Poëtarum, ac veteris Gentiliſmi aſſenſum jactant. Quem illis facile concedimus, atque Theologiam iſtam Platonicam ultro largimur, dummodo nobis Hieroſolymam Athenis anteferre, & magis porticum Salomonis, quam Stoicorum calcare liceat. 12. Tandem & mortuorum apparitiones, animarumque reſponſa adducunt. Quas nos falſas, meraſque fraudes ac fabulas eſſe non dubitamus. Sicuti in Eccleſiis reformatis illos manium occurſus, & ejulatus, exileſque voces, ignoramus. Quin & ipſa Romana Eccleſia multa ejus generis rejecit. 13. Denique quod utilem iſtum purgatorii terrorem putant, ad mentes hominum ſollicitas habendas, ne nimia ſocordia prolabantur: id nec pium, nec uſquequaque verum eſt. Non enim horror iſte veram pietatem operatur, ſed animum potius perplexum, & nimia formidine humilem abjectumque reddit. Quanquam alii parabili adeo ac promercali venia facile ſubterranei illius foci horrorem exuunt, & inexorabile fatum ſubjiciunt pedibus, ſtrepitumque Acherontis avari. Rectius Apoſtolus: *Scientes igitur terrorem Domini, homines ad fidem adducimus, Deo autem manifeſti ſumus.* 2. Cor. 5: 11.

XLI. Ut error errorem trahit, ita cum purgatorio cohærent, *pro mortuis vivorum ſuffragia & preces;* & quæcunque manibus eorum placandis adhibentur. Quæ ſollicite adeo in Concilio Tridentino commendantur. *11. Preces pro mortuis.*

Illarum origo ac progreſſus.

XLII. Non diffitemur autem, morem iſtum antiquiſſimis temporibus in Eccleſia obtinuiſſe. Ac, hauſta ex Ethnicorum parentalibus ſuperſtitione, privatas primo, pro ſingulorum pietate; mox publicas pro defunctis preces fuſas; tandemque cum ſacramentorum adminiſtratione ſollemnes eas recitationes in eccleſia conjunctas fuiſſe. Differebant autem illæ ab hodierno Pontificiorum Eccleſiæ uſu, tum objecto, tum ſcopo ac fine. Orabant enim veteres pro omnibus, qui defuncti erant, pro piis impiiſque ex æquo. Ac pro his quidem, humano affectu, ut pœna eorum nonnihil levaretur. Pro illis autem, tum ut refrigerio ac quiete fruerentur, cum perſæpe dubitarent, an ante ſupremi judicii diem Dei viſione gauderent: tum ut regni Chriſti in terris, quod mille annorum futurum permulti credebant, & reſurrectionis illius inter primos participes fierent: tum ut miſericordiam in die ultimo conſequerentur, ultimique incendii flammas (quod ipſorum purgatorium erat) mitiores experirentur: vel denique, ubi de beato defunctorum ſtatu non dubitabant, vel ſolius affectus teſtandi cauſa ad tumulos eorum orabant. Ac ſæpe etiam emortualia hæc ſacra; & ad mortuorum memorias conventus, ac publicæ nominum illorum ex tabulis diptychis ad Domini menſam recitationes, nil niſi mortuorum elogia, & hymni, & gratiarum actiones erant: quibus defunctis de peractis vitæ laboribus gratulabantur; Deoque de ſervis iſtis ſuis, ac precioſa eorum morte, gratias agebant; & animæ immortalitatem, ac futuræ reſurrectionis fidem, teſtabantur; ac viventibus denique eorum exempla ob oculos ponebant, ut eos ad idem virtutum certamen incitarent. Ut ex qualibuſcunque iſtis precibus purgatorii fides in veteri Eccleſia probari non poſſit. Nam alias ob cauſas olim oratum eſt. Et Græca Eccleſia etiam hodie pro mortuis orat; & purgatorium tamen ignorat.

reliquaque ratio:

XLIII. Suffragiorum autem pro mortuis nomine hæc tria nunc intelligunt Pontificii, 1. miſſæ ſacrificium, 2. orationes, 3. opera pœnalia & ſatisfactoria, eleemoſynas, jejunia &c. Quibus indulgentias ſuperaddunt. Dubitant autem, an per modum ſuffragii, an vero poteſtate clavium, per abſolutionem illæ diſpenſetur. Sed vana ac fallacia hæc omnia.

quæ confutantur;

XLIV. 1. Si enim indulgentiarum, à Pontifice conceſſarum, ea vis, tum reliquo ſuffragiorum genere ne quidem opus erit, cum theſaurus earum infinitus ſit. Et quid rei eſt, cur eas non concedat pleniſſimas, omnemque iſtum carcerem animabus captivis liberet? Sed ad

quæ-

Digitized by Google

quæſtum eas unice comparatas eſſe, vel cœcus videat: nam & promercales ſunt; nec pauperibus facile datur; & ubi ſingularibus de cauſis eroganturs, nunquam ſimpliciter dantur; & tot laqueis ac difficultatibus impeditæ ſunt, ut facile conſtet Pontifices ex iſto ſuo theſauro non niſi fumos dare. 2. Opera, quæ vocant, pœnalia & ſatisfactoria ne vivis quidem, qui ea præſtant, in meritum cedunt: hoc enim Chriſti ſatisfactioni repugnat: multo minus mortuis. Quibus quomodo hominum vivorum ſatisfactiones proſint, cum Chriſti meritum non profuerit; & quomodo nova illis poſt obitum merita comparari poſſint; intelligi non poteſt; & multi ex Scholaſticis quoque negant. 3. de miſſæ ſacrificio poſtea agetur. Quanquam, ſi iſtud valeat; atque illud nihil aliud quam ſacrificii Chriſti applicatio ſit, tot certe miſſarum demurmurationibus opus non erit. Nam, ſacrificio hoc vel ſemel oblato, ab omnibus pœnis liberari animam neceſſe eſt. 4. Orationes denique noſtræ quomodo mortuis proſint, quibus liberandis ne Chriſti quidem ſanguis & interceſſio valere poſſunt? Nam iis ipſis, qui igne illo torquentur, ad ultimum quadrantem perſolvendum ajunt. Et quid iis fiet, quibus vivorum ſuffragia forte deſunt? an illi propterea diutius in illo carcere detinebuntur, quod largioribus eleemoſynis Eccleſiæ preces redimere nequiverunt? Sed orant etiam Pontificiorum ritualia pro iis, qui dormiunt in ſomno pacis; qui certe in purgatorio non ſunt. Sicuti & pro Catechumenis, & infantibus, mox à baptiſmo mortuis, orant, quos tamen cœlo protinus adſcribunt. Quin & pro damnatis in inferno, qui ſunt in profundo lacu, preces fundunt. Ut ex precibus eorum pro mortuis purgatorium tamen concludi non poſſit. Denique nulla Scripturæ auctoritate, vel exemplo hæ preces nituntur.

XLV. Unicum occurrit Chriſti, pro mortuo deprecantis, exemplum; non ad animæ levamen, ſed ad corporis reſuſcitationem. Joh. 11:21, 22. Quod factum, cum miraculoſum ſit, ad imitationem rapi non poteſt. Cætera autem, quæ adverſarii adferunt in hac controverſia, valde levia ſunt. Non enim veterum luctus, ac planctus, leſſiuſque funebres, tales preces ac ſuffragia fuerunt, quæ animas eorum levarent 1. Sam. 31: 13. 2. Sam. 1: 12. Nec Judæ Maccabæi factum, de quo 2. Macc. 12:42 divinam auctoritatem habet; aut præſenti negotio applicari poteſt. Quis enim illum purgatorium credidiſſe opinetur? Mortui autem illi erant in peccato mortali; quod Pontificiorum hypotheſibus adverſatur. Quod ne vivis, iſto peccato contaminatis,

& in contrarium allata ſolvuntur.

 tis,

Digitized by Google

tis, noceret; utque in eo mortui expiarentur, ſi forte, & beata olim reſurrectione potirentur, Deum ſibi exorandum ac placandum duxit Judas; aut ita ſaltem mentem ejus interpretatur ſcriptor iſte, ut ſollicita nimis pietate modum exceſſerit: hoc autem Eccleſiæ legem non facit. Cum quodcunque hoc potius contra divinam legem ſit, quæ preces & ſacrificia pro mortuis ignorat. Recentiorum autem Judæorum exemplum, pro parentibus mortuis Deum rogantium, longe minus ſequendum eſt. Quis enim gentis iſtius fabulas, & audaciſſimas nugas, de mortuorum ſtatu ignorat? Sed & Novi Teſtamenti auctoritatem urgent; ac præſertim dicto Chriſti Luc. 16: 9. nituntur: *Facite vobis amicos ex mammona injuſto*, vel inſtabili, *ut, quando defeceritis, accipiant vos in æterna tabernacula*: h. e. qui pro vobis, in purgatorii igne laborantibus, Deum exorent. Quæ valde aliena ſunt. Cum ſenſus ſimpliciter ſit, eleemoſynas, ut præcipuos fidei fructus, mercede ſua in altera vita non carere. Et ſi, per amicos, fideles, noſtris eleemoſynis adjuti, intelligendi ſunt; illi, non vivi, ut Pontificiis placet, ſed mortui potius, intelligi debent; qui improprie eos, à quibus benigniter olim habiti ſunt, in cœleſtia templa recipiunt. Vide ſimiles loquendi modos, Eſai. 14: 9. Ezech. 32: 22, 23. Tandem, ad veteris Eccleſiæ exempla ſupra reſpondimus: & morem illum, quanquam antiquiſſimum, tamen Apoſtolicis temporibus poſteriorem, abſque Dei mandato, ex ἐθελοθρησκείᾳ, ac ſupervacua animi erga mortuos religione, ortum vidimus. Prout nullibi ſuperſtitio luxuriari magis ſolet, quam circa mortuos; quarum memoriam amamus, omnique ratione colimus; & quorum ſtatus obſcurus, ac ultra præſentis ſæculi captum eſt. Nunquam etiam ab illis de purgatorio, cogitatum oſtendimus.

III. Preces ad mortuos. XLVI. Mira autem converſione ex hoc errore contrarius etiam error natus eſt: ut cum primitus pro ſanctis demortuis ſuffragia fierent, dein mutato errore, illorum ſuffragia pro nobis captata ſint, atque hoc nomine ipſi invocati, etiamnumque à multis invocentur. Quod ut Origenis & Cypriani ætate, ſive circa A. C. 250. particularis interceſſionis nomine primitus in Eccleſiam invehi cœpit; ita ſequenti demum ſæculo, circa A. C. 370. mortuorum invocatio illi ſuperaddita eſt, præeuntibus publice illis populo, quibus cura ejus inſtituendi commiſſa erat: donec, licet inter varias contradictiones, gliſcente ſuperſtitione, ſeptimo & octavo ſæculo preces ad ſanctos, præcipue autem Beatam Virginem, inſigniter promotæ ſunt; ſequentiumque ſæculorum ſcriptoribus, præſer-

tim

Digitized by Google

tim Scholaſticis, omnem operam huc conferentibus, obtinuit tandem ſuperſtitio & idololatria; quæ ſuperiori quoque ſæculo à Tridentino Concilio roborata eſt. Quæ quum divinum honorem præcipue lædat, primumque Decalogi præceptum impetat, alio loco examinanda & confutanda erit. Sufficit hoc loco monere, præſtare qualibuſcunque illis circa mortuos officiis abſtinere, & non nimis affectui indulgere; iſtudque precum ac officiorum commercium, omnemque Sanctorum communionem, juxta Scripturam, non cum fato functis, ſed cum viventibus exercere; cum mortui partem inter viventes non amplius habeant, & alterius Eccleſiæ cives facti ſint.

Digitized by Google

LIBER VII.

De Verbo & Sacramentis N. T.

LOCUS QUADRAGESIMUS PRIMUS

DE

Revelatione & Verbo ſub Oeconomia N. FOEDERIS.

CAPUT I.

De Verbo Dei ſub N. T. hominumque circa illud laboribus.

PoſtChriſtum ejuſque beneficia, ſequitur ipſius revelatio, & VERBUM ſub N. F.

I. POſtquam pleraſque doctrinæ Chriſtianæ partes pertractavimus, Chriſtumque cum beneficiis ſuis nudavimus; ſequuntur nunc tantorum beneficiorum obſides *Sacramenta*; quæ Chriſti beneficiorumque ejus fidem, verbo Euangelii in nobis genitam, una cum verbo obſignant roborantque, & ſimul præcipuam cultus N. T. partem conficiunt. Quemadmodum enim in omni Oeconomiæ fœderis divini parte, hactenus tres Theologiæ partes nobis occurrerunt, nimirum divina præcepta, promiſſa, & denique ritus; quorum illa obedientiæ, iſta fidei, hi vero cultus externi norma ſunt: ita etiam in hac ultima divinæ Oeconomiæ ſub N. T. parte eædem nobis ſe exhibent. Præcepta enim vitæ omnia ab Euangelio adoptata, & humanis ſcoriis ſordibuſque defæcata, perfectiſſima plenitudine & latitudine, à Servatore nobis propoſita, ſuperius vidimus. Fidei vero, omnibus figuris ænigmatiſque evolutæ, canonem exhibuit nobis in ſuaviſſimis ſuis promiſſis Euangelium. Succedat ergo nunc ultimo loco rituum cerimoniarumque ſacrarum minime operoſus apparatus, in verbi, quod ſub N. T. nobis revelatum eſt,

Digitized by Google

eſt, prædicatione, ſacramentorumque illi additorum adminiſtratione: quæ, una cum precum ſpiritualium ſimpliciſſimis ritibus, N. T. externum cultum abſolvunt.

II. Adulta igitur œconomia Moſaica, Deus ſupremam manum revelationi ſui jam impoſiturus, illi operi perficiundo filium ſuum unigenitum, ab æterno deſtinatum, ab initio autem promiſſum, in temporis plenitudine miſit. Hebr. 1: 1, 2. Gal. 4: 4. Unde ἀπόστολος καὶ ἀρχιερεὺς ὁμολογίας ἡμῶν dicitur, Hebr. 3: 1. & ἀρχηγὸς καὶ τελειοτὴς τῆς πίστεως, c. 12: 2. Inde hæc revelatio Dei, ut ultima, ita & perfectiſſima fuit. Ut *nobis curioſitate opus non ſit poſt J. Chriſtum, nec inquiſitione poſt Euangelium: cum credimus, nihil deſideramus ultra credere: hoc enim prius credimus, non eſſe quod ultra credere debemus*; ut recte & eleganter Tertull. præſcript. adverſ. hæreſ. *ut ultimum, ita perfectiſſimum:*

III. Revelationis hujus Chriſtus Dominus, qui ejus cognitionem habebat perfectiſſimam, utpote *filius unigenitus, qui in ſinu Patris fuerat, quique eum ediſſeruit*, Joh. 1: 8. ipſe in diebus carnis ſuæ præco fuit: eamque partim viva voce, partim per Spiritum, quem dono à Patre poſt aſcenſionem accepit, cum diſcipulis ſuis, qui doctrinam ejus in omnes gentes propagaturi eſſent, in uſum totius Eccleſiæ, communicavit: qui non ſolum viva voce, ſed & verbo ſcripto, in libris N. T. illam nobis exhibuerunt; prophetica etiam, ut ſub vetere œconomia quoque factum erat, in partes veniente. Unde *fundamento Apoſtolorum & Prophetarum inædificati* dicimur, Eph. 2:20. quos Novi Teſtamenti, ut Apoſtolos, ita Prophetas eſſe, apparet ex c. 3: 5. & 4: 11. Prohetiam nempe in N. T. copioſam fore, prædixit Joël. c. 2: 28. Apoſtolos in prophetia excelluiſſe notum eſt: & ſomnia ac viſiones ſecundum literam etiam non defuiſſe, hiſtoria Apoſtolica docet, & ſanctiſſima Johannis Apocalypſis. Prophetæ etiam, qui demonſtrant veritam Euangelii ex Scripturis, ſemper & in perpetuum Eccleſiæ dantur. Et cum clavem cognitionis à nullo homine aut cathedra nunc repetant filii Dei, cum lex Dei in omnium ore & cogitatione collocata ſit, Jer. 31: 33. ut nunc *omnes Dei diſcipuli* ſint, Eſai. 54: 13. inde certe omnes qui credunt Euangelio, illudque cum prophetiis comparant, prophetant. Præterquam quod, cum in Euangelio & prophetiis antecedentibus contineantur quoque promiſſiones de rebus futuris, & de amplificatione regni Chriſti, & denunciationes etiam judiciorum Dei, & præmonitiones de futuris ſcandalis; qui eas prophetias intelligunt, credunt & inculcant, etiam hoc modo prophetant. *& cum ea PROPHETIA N. T.*

LIBER VII.

De Verbo & Sacramentis N. T.

LOCUS QUADRAGESIMUS PRIMUS

DE

Revelatione & Verbo ſub Oeconomia N. FOEDERIS.

CAPUT I.

De Verbo Dei ſub N. T. hominumque circa illud laboribus.

Poſt Chriſtum ejuſque beneficia, ſequitur ipſius revelatio, & VERBUM *ſub N. F.*

I. POſtquam pleraſque doctrinæ Chriſtianæ partes pertractavimus, Chriſtumque cum beneficiis ſuis nudavimus; ſequuntur nunc tantorum beneficiorum obſides *Sacramenta;* quæ Chriſti beneficiorumque ejus fidem, verbo Euangelii in nobis genitam, una cum verbo obſignant roborantque, & ſimul præcipuam cultus N. T. partem conficiunt. Quemadmodum enim in omni Oeconomiæ fœderis divini parte, hactenus tres Theologiæ partes nobis occurrerunt, nimirum divina præcepta, promiſſa, & denique ritus; quorum illa obedientiæ, iſta fidei, hi vero cultus externi norma ſunt: ita etiam in hac ultima divinæ Oeconomiæ ſub N. T. parte eædem nobis ſe exhibent. Præcepta enim vitæ omnia ab Euangelio adoptata, & humanis ſcoriis ſordibuſque defæcata, perfectiſſima plenitudine & latitudine, à Servatore nobis propoſita, ſuperius vidimus. Fidei vero, omnibus figuris ænigmatiſque evolutæ, canonem exhibuit nobis in ſuaviſſimis ſuis promiſſis Euangelium. Succedat ergo nunc ultimo loco rituum cerimoniarumque ſacrarum minime operoſus apparatus, in verbi, quod ſub N. T. nobis revelatum eſt,

Digitized by Google

eſt, prædicatione, ſacramentorumque illi additorum adminiſtratione: quæ, una cum precum ſpiritualium ſimpliciſſimis ritibus, N. T. externum cultum abſolvunt.

II. Adulta igitur œconomia Moſaica, Deus ſupremam manum revelationi ſui jam impoſiturus, illi operi perficiundo filium ſuum unigenitum, ab æterno deſtinatum, ab initio autem promiſſum, in temporis plenitudine miſit. Hebr. 1: 1, 2. Gal. 4: 4. Unde ἀπόςολος καὶ ἀρχιερεὺς ὁμολογίας ἡμῶν dicitur, Hebr. 3: 1. & ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς τῆς πίςεως, c. 12: 2. Inde hæc revelatio Dei, ut ultima, ita & perfectiſſima fuit. Ut *nobis curioſitate opus non ſit poſt J. Chriſtum, nec inquiſitione poſt Euangelium: cum credimus, nihil deſideramus ultra credere: hoc enim prius credimus, non eſſe quod ultra credere debemus*; ut recte & eleganter Tertull. præſcript. adverſ. hæreſ. *ut ultimum, ita perfectiſſimum:*

III. Revelationis hujus Chriſtus Dominus, qui ejus cognitionem habebat perfectiſſimam, utpote *filius unigenitus, qui in ſinu Patris fuerat, quique eum ediſſeruit*, Joh. 1: 8. ipſe in diebus carnis ſuæ præco fuit: eamque partim viva voce, partim per Spiritum, quem dono à Patre poſt aſcenſionem accepit, cum diſcipulis ſuis, qui doctrinam ejus in omnes gentes propagaturi eſſent, in uſum totius Eccleſiæ, communicavit: qui non ſolum viva voce, ſed & verbo ſcripto, in libris N. T. illam nobis exhibuerunt; prophetica etiam, ut ſub vetere œconomia quoque factum erat, in partes veniente. Unde *fundamento Apoſtolorum & Prophetarum inædificati* dicimur, Eph. 2:20. quos Novi Teſtamenti, ut Apoſtolos, ita Prophetas eſſe, apparet ex c. 3:5. & 4:11. Prohetiam nempe in N. T. copioſam fore, prædixit Joël. c. 2:28. Apoſtolos in prophetia excelluiſſe notum eſt: & ſomnia ac viſiones ſecundum literam etiam non defuiſſe, hiſtoria Apoſtolica docet, & ſanctiſſima Johannis Apocalypſis. Prophetæ etiam, qui demonſtrant veritam Euangelii ex Scripturis, ſemper & in perpetuum Eccleſiæ dantur. Et cum clavem cognitionis à nullo homine aut cathedra nunc repetant filii Dei, cum lex Dei in omnium ore & cogitatione collocata ſit, Jer. 31: 33. ut nunc *omnes Dei diſcipuli* ſint, Eſai. 54:13. inde certe omnes qui credunt Euangelio, illudque cum prophetiis comparant, prophetant. Præterquam quod, cum in Euangelio & prophetiis antecedentibus contineantur quoque promiſſiones de rebus futuris, & de amplificatione regni Chriſti, & denunciationes etiam judiciorum Dei, & præmonitiones de futuris ſcandalis; qui eas prophetias intelligunt, credunt & inculcant, etiam hoc modo prophetant. *& cum ea* PROPHETIA *N. F.*

Digitized by Google

tant. Quibus omnibus modis major & abundantior eſt prophetia in N. T. quam unquam fuit in V. T. modo non negligatur & contemnatur. Unde etiam *viſionem* (quæ ante Chriſti adventum *adhuc erat ad tempus definitum*, Hab. 2:3.) *& Prophetam Chriſtus obſignare* dicitur, Dan. 9:24.

Ex quibus completus eſt librorum ſacrorum canon: circa quem recenſentur Judæorum Chriſtianorumque ſub N. T. labores.

IV. Ex hiſce ergo Veteris Novique Teſtamenti libris Verbi ac revelationis omnis completus tandem & confectus eſt canon: quem cum operi huic, tanquam illius fundamentum & principium, præſtruxerimus, hoc tantum relictum nobis videtur, ut varios circa illum Judæorum Chriſtianorumque labores, qui quidem in N. T. tempora inciderunt, compendio hic ediſſeramus. Et utrorumque quidem labores vel in ipſo verbo ſcripto hactenus tradito conſervando ornandoque; vel ex adverſo in illo per humanum verbum ſpuriave ſcripta corrumpendo occupati fuerunt.

Quo pertinet. 1. MASORA. *quæ deſcribitur.*

V. Labores Judæorum verbo ſcripto conſervando ornandoque impenſi, Maſoræ nomine vulgo veniunt. Maſora nimirum, quaſi traditio & genus diſciplinæ, a מָסַר tradidit, nihil aliud eſt, quam Doctrina Judæorum critica, circa rectam lectionem S. Sripturæ; quique eam tractant, vocantur Maſorethæ, qui memorabili diligentia conſiderarunt omnes S. Scripturæ litteras, earumque diverſas formas, & ſitum, & numerum in ſingulis libris; tum etiam vocales, ubi aliqua a communi punctorum regula deflectit; & accentus; & vocabula integra, ad eorum defectus, ſitum, ſignificationes attendentes; denique & verſus in ſingulis Scripturæ libris, & in ſingulis Pentateuchi ſectionibus, ad calculum vocarunt, & medium quemque librorum verſum annotarunt.

VI. Obſervarunt quoque XVIII. voces, quæ תִּקּוּן סוֹפְרִים *correctio ſcribarum* vocantur; quas quia verebantur ne depravarentur, ordinarunt ut legerentur ſicut ſcriptæ ſunt, quamvis textus cohærentia aliud requirere videretur: & alias V. voces, quæ vocantur עִטּוּר סוֹפְרִים *ablatio ſcribarum*, ex quibus Vau, iis adſcriptum, auferri volunt: tandem etiam circa notationem variarum lectionem Keri & Ketibh, quæ ad mille ferme recenſentur, eorum diligentia & ſtudium occupatum fuit.

Illius origo.

VII. Originem variarum iſtarum lectionum, & ſtudii Maſorethici quod attinet, antiquiores quædam ex illis videntur, quam ut omnes Tiberienſibus, ineptiores autem aliæ, quam ut Eſræ tribui poſſint. Non errant ergo fortaſſe qui ab Eſræ temporibus earum primordia deducunt: ſequentibus vero ſæculis, uſque ad ætatem Tiberienſium, circa annum

Digitized by Google

annum Chriſti 500. ſtudii ejus conſummatio adſcribenda eſt. Ita ut nullus Maſorethanum conſeſſus vel Synogoga unquam fuerit, verum Doctores quidam variis ſæculis & locis ſtudio huic incubuerint.

Quæ Punctorum, ſeu vocalium origo ſit:

VIII. Characterum ſeu literarum permutationem, Eſræ à multis adſcriptam, adeoque ad hanc œconomiam non pertinentem, breviter attigimus lib. IV. cap. XXXVII. §. VIII. *Punctorum* ſeu vocalium originem quod attinet (de qua obiter quoque aliquid ibi diximus) variæ ſunt de illa ſententiæ; cum alii ea *antiqua*, alii *nova* eſſe velint. Ita ad Maſorethas auctores ea refert Elias Levita, ſuperioris ſæculi Rabbinus, & ante eum Aben Ezra; quibus Chriſtiani multi aſtipulantur, qui punctorum novitatem defendunt; quamvis vario ſenſu: dum alii ea ſimul uno tempore à Tiberienſibus addita; alii iſtud ſtudium multis etiam ſæculis deinceps continuatum cenſent; alii rurſus divino ſuggeſtu; alii humano ingenio ea adſcripta volunt.

IX. De quibus licet in utramque partem probabiliter diſſeratur, hoc tamen ſtatui poſſe videtur. 1. Linguæ Hebrææ vocales & puncta nunquam defuiſſe. 2. an autem nudo ſono, an vero notis & figuris eas ſemper diſtinxerint, incertum eſſe. 3. Et punctis antiqua exemplaria caruiſſe plane probabile eſt, cum iis careant litteræ Samaritanæ, quibus multa exemplaria deſcripta fuiſſe nemo negat, & iis quoque careant Tragumim, & libri vetuſtiores Arabici, & Syriaci, & hodierna quoque Rabbinorum ſcripta. 4. linguæ notitiam & conſuetudinem legendi feciſſe, ut puncta vix videantur fuiſſe neceſſaria: niſi forte pauciſſimis in locis, privato ſcribarum, aut etiam puerorum uſui. Unde ſicut ante diſperſionem non magna illorum fuit neceſſitas, ita neque ante illam inventa & recepta fuiſſe liquet. Nihil ergo abſurdi erit, ſi ſequentibus ſæculis, cum in Palæſtina adhuc hærerent Judæorum Scholæ, ante plenariam diſperſionem, illa textui ſacro addita ponamus. Saltem non adeo antiqua ſunt, ſed poſteriorum temporum inventa: quod variis argumentis oſtendi poſſet. 5. divina promiſſione nos niti poſſe. Deus enim voluit legem conſervari in ore Judæorum, uſque ad ultimos dies. Cui fini jam inſerviunt puncta, in diſperſione. Quando autem addi cœperunt, etiam agnita ſunt, ut teſtes uſitatæ lectionis. Quod ad fidei firmitatem ſufficit.

ut & Verſuum; Fœderis V.

X. Diviſionem commatum, ſeu *Verſuum* in V. T. quod atinet, eam Elias Levita Maſorethis Tiberienſibus adſcribit; ſtatuens, juxta Rabbinorum dictum, totam legem fuiſſe olim quaſi unum verſum: alii, vel ab Eſra & viris Synagogæ magnæ, vel ab ipſis librorum auctoribus eam

deducunt. Verius tamen longe putamus, verſuum diſtinctionem, non à Moſe aut librorum ſacrorum auctoribus, ſed à Maſorethis itidem eſſe.

& Novi:

XI. Verſus autem N. Fœderis præcedenti ſæculo additi dicuntur; cum omnes codices ante excuſi verſuum diſtinctione careant. Et vulgo quidem R. Stephano hoc adſcribitur.

nec non Capitum:

XII. Diſtinctionem *Capitum* autem quod ſpectat, illa nec ab ipſis auctoribus, nec ab Eſra eſt, ſed recentioris longe originis, quæ quinque ſæcula non excedit: ſive illa diſtinctio incerti auctoris ſit, ſive *Stephano Langhtono*, Epiſcopo Cantuarienſi, qui ſæculo XIII. floruit, ſive *Hugoni Cardinali* attribuenda. Quod Chriſtianorum inſtitutum deinceps ipſi quoque Judæi approbarunt & adoptarunt. Specialiores pentateuchi in varias lectiones diviſiones Judæis relinquimus.

denique diſtinctionum & accentuum.

XIII. Notis etiam *diſtinctionum* & *accentuum* caruerunt veteres, nec in eorum libris eæ inveniuntur, ſed quicquid earum hodie iis ineſt, id omne eſt à recentioribus additum. Quod & ipſum præſertim in Scriptura N. T. locum habet. Non enim ab Euangeliſtis & Apoſtolis notæ hæ additæ, ſed longo poſt tempore, cum eæ jam repertæ eſſent, etiam ſacris libris à Chriſtianis adjectæ ſunt. Hinc varia adhibetur in quibuſdam locis interpunctio; unde etiam magna ſenſus fluit varietas.

II. Scripturæ ſub N.F. verſiones: tum Veteris Fœderis;

XIV. Sed & laudabilis Judæorum pariter & Chriſtianorum opera deſudavit, in communicandis ſacratiſſimis verbi divini myſteriis cum alterius linguæ vel dialecti populis, per codicis ſancti in illas verſiones.

XV. Quem in finem præcipuas tum V. tum N. T. verſiones perluſtrabimus. Et V. quidem Teſt. verſiones præcipuæ duplices ſunt: factæ nimirum in gratiam Judæorum diſperſorum, cum inter Chaldæos, tum inter Græcos; unde natæ ſunt verſiones duæ, cum Chaldaica, tum Græca.

Chaldaica,

XVI. *Chaldaica* verſio *Targumim*, ſeu paraphraſis Chaldaica appellatur; quæ duæ præcipue fuerunt; una Rabbi *Jonathanis*, filii Uzielis, diſcipuli Hilleſis, qui 30 annis ante Chriſtum floruiſſe à pleriſque creditur, & Prophetas, cum anteriores, tum poſteriores convertiſſe; altera *Onkeloſi*, ſive Aquilæ, proſelyti, qui legem vertit, anno, juxta pleroſque, poſt Chriſtum circiter 90. Licet utrumque hunc paraphraſtem longe recentiorem eſſe juſta non deſit ſuſpicio. Liber etiam Job Targum ſuum tempore Gamalielis ſenioris habuit. Quæ autem præterea extant Targumim in Pentateuchum, aut Hagiographa, minoris longe auctoritatis ſunt.

Samaritana,

XVII. Extat etiam *Samaritana* ſolius Pentateuchi verſio, quæ textum ſæpe feliciter reddit, antiquitate autem ſua veneranda eſt; quippe quæ ante Chriſtum nata creditur.

XVIII. Ex-

XVIII. Extat quoque Vet. Teſt. verſio *Syriaca*; verum ea non a Judæis (qui illa lingua in ſacris parum delectabantur) ſed à Chriſtianis compoſita; eaque duplex; una ex verſione Græca τῶν LXX, ſed qua Syri non utuntur; altera ex ipſo textu Hebræo expreſſa, incerti auctoris & temporis, perantiqua tamen & fidelis, idoque non contemnenda. *Syriaca*.

XIX. Facta quoque eſt V. T. verſio *Arabica*, antiqua, in multis accurata & fida, licet non tam Græcum, quam Syrum interpretem ſequatur. *Arabica*.

XX. Verſiones in gratiam Judæorum Ἑλληνιστῶν factæ variæ numerantur: omnium autem prima & auguſtiſſima habetur illa, quæ LXX interpretibus tribuitur: de qua, cum ſub veteri œconomia facta ſit, ſupra lib. IV. cap. XXXVII. §. XII. & ſeqq. vidimus. *Græcæ*; LXX *Seniorum*.

XXI. Secunda verſio Græca fuit *Aquilæ* Pontici, ex Gentili Chriſtiani, & ex Chriſtiano Judæi facti; qui vixiſſe creditur ſub Imperatore Adriano, anno Chriſti 137. *Aquilæ*,

XXII. Tertia eſt *Theodotionis*, Marcionitæ, tandemque Judæi, facta ſub Commodo Imperatore, anno Chriſti 184. quæ tamen paulo antiquior eſt. *Theodotionis*,

XXIII. Quarta eſt *Symmachi*, Samaritæ vel Ebionitæ, facta ſub Imperatore Severo, anno Chriſti 193. Atque hæ tres verſiones apud Græcos, poſt verſionem τῶν LXX, magis communes & vulgatæ fuerunt. *Symmachi*,

XXIV. Quinta *incerti* fuit auctoris, inventa ſub Caracalla, in dolio, in urbe Jericho, anno Chriſti 220. *Jerichuntina*,

XXV. Similiter & ſexta, *incerti* auctoris, in dolio inventa fuit Nicopoli, apud Actium Promontorium, ſub Alexandro Mammææ, anno Chriſti 230. *Nicopolitana*,

XXVI. Succeſſit his *Origines*, qui quatuor primas verſiones, modo narratas, in unum volumen diſpoſuit, & columnis diſtinxit; quæ erant ipſius τέτραπλα: quibus addidit deniceps duas alias columnas, continentes textum Hebræum, Hebræo & Græco charactere deſcriptum, atque hæc erant ejus ἕξαπλα: denique, adjectis duabus illis anonymis verſionibus, dedit ὀκταπλᾶ. *Origenis*,

XXVII. Octava verſio erat *Luciani*, Presbyteri Antiocheni, & Martyris, circa annum 311. *Luciani*,

XXVIII. Nona fuit *Heſychii*, Ægyptiis & Alexandrinis uſitata. Quæ omnes verſiones (excepta ea, quæ LXX dicitur) magna ex parte perierunt. *Heſychii*.

Digitized by Google

Latinæ; XXIX. Ex Græcis verſionibus hiſce factæ ſunt deinceps verſiones *Latinæ*, pene innumeræ, omnes ex verſione LXX. expreſſæ. Omnium autem antiquiſſima & præſtantiſſima fuit, quæ *Itala*, *vetus*, & *vulgata* dicebatur, auctoris incerti. *Itala vetus,*

Hieronymi, XXX. Excipit hanc verſio *Hieronymi*, duplex 1. Vet. Teſt. è Græco τῶν LXX in Latinum verſio. 2. Utriuſque Teſt. ex Hebræo & Græco, non tam nova verſio, quam Latinæ veteris emendatio. Qui ejus labor Latinæ Eccleſiæ primo ingratus, deinceps vero probatus fuit. Ita ut duæ tum eſſent verſiones Latinæ celeberrimæ, Itala Vetus, & Nova Hieronymiana. Cum vero ex duplici hac verſione in Eccleſia rixæ orirentur, aliis hanc, aliis illam probantibus, ex utraque illa una facta eſt, & illa eſt *Vulgata* hodierna, quæ in Eccleſia Romana obtinet; quamvis ea lapſu temporis nunc ita immutata, variiſque locis corrupta appareat, ut Hieronymi appellari amplius non poſſit; quod & doctiores ex adverſariis confitentur, & manifeſtis quoque argumentis doceri poſſet. *Vulgata:*

quæ male authentica pronunciata eſt à Concilio Trid. XXXI. Verum, cujuſcunque laudabilis hæc verſio auctoris ſit, ac dici debeat, majoris momenti eſt, quod Romana Eccleſia in Trid. Concilio verſionem hanc authenticam pronunciare non erubuerit, ac palam edicere, *ne quis eam quovis prætextu rejicere audeat, vel præſumat.*

XXXII. Super cujus decreti mente laboratur ab ipſis Pontificiis: unde quidam eam abſolute & ſimpliciter authenticam declarant, nullo in apice mutandam; alii ſolum eatenus, quod nullum in fide & moribus errorem contineat.

XXXIII. Verum innumeris abſurdis laborat hic Canon. Nam 1. incerta redditur Theologia & fides omnis, cum ante hoc decretum nullum verbum Dei authenticum fuiſſe ſequatur. 2. Cum poſt conditum hunc canonem vulgata verſio auctoritate concilii emendata demum prodierit, quomodo concilium eam jam iſto tempore authenticam pronunciare potuit? 3. Nec ipſæ illæ, quæ ſecutæ ſunt, editiones inter ſe conveniunt. Quam enim Sixtus V. adſcitis undique viris doctiſſimis, verſionem correxerat, & ſub anathemate recipi juſſerat, emendavit poſt Gregorium XIV. rurſus Clemens VIII. & plane aliam fecit, eamque & bullis ſuis communivit. Ut inter hæc Pontificum diſſidia incerta Papiſtarum fides fluctuari neceſſe habeat.

XXXIV. 4. Præpoſtere etiam authenticam fecerunt editionem Latinam, cum jam diu Latina Eccleſia deſierit; atque etiam aliis per orbem Eccleſiis conſultum oportuiſſet. 5. Quomodo autem authentica

ea

Digitized by Google

ea eſſe poteſt, cum originalis non ſit? quod enim authenticum in ſe non eſt, nulla humana auctoritate authenticum fieri poteſt. 6. Et quomodo hoc intelligendum, *quod nullo prætextu eam verſionem rejici* velint? an ne quidem originalis textus prætextu, ſi ei repugnare deprehendatur? an vero reſpectu aliarum verſionum hoc tantum intelligunt? verum hoc verſionem iſtam authenticam facere non poteſt; cum ita ſaltem textui originali ſubjicienda ſit.

XXXV. Falſo autem prætexunt, neceſſarium eſſe in Eccleſia verſionem aliquam pronunciari authenticam, cum non omnibus Hebræos vel Græcos codices adire contingat. Illa enim ἐξοχὴ ſolis Scripturis θεοπνεύςοις debetur: & ſacrilegum eſt, verſionem aliquam in iſtud auctoritatis culmen evehere, ut nullo prætextu eam rejicere liceat. Unde & ex ipſis adverſariis primarii non veriti ſunt, poſt conditum hoc decretum, innumera in iſta verſione vitia notare; quod Iſidorus Clarius & Lucas Brugenſis fecere; vel novas verſiones adornare; aut ab aliis adornatas auctoritate ſua approbare.

XXXVI. Præter hanc vulgatam variæ aliæ latinæ verſiones editæ ſunt, quarum prima eſt inter Pontificios *Santis Pagnini*, Lucenſis, edita A. C. 1528. auſpiciis Leonis X. quæ præcipuis Doctoribus Pontificiis probata fuit. *Santis Pagnini,*

XXXVII. 2. Eam *Benedictus Arias Montanus*, Hiſpalenſis, una cum aliis Theologis Hiſpanis, ad id delegatis, in Biblia, quæ vocantur interlinearia, tranſtulit, & ubi opus, licet non nimis feliciter, correxit, rejecto ad marginem Pagnini textu. *Ariæ Montani,*

XXXVIII. 3. Poſt hos *Iſidorus Clarius*, Brixianus, anno 1542. aliam verſionem edidit, ad Hebraicam & Græcam veritatem. *Iſidori Clarii,*

XXXIX. Inter Reformatos 1. *Sebaſtianus Munſterus*, tribus ante Pagninum annis, verſionem Bibliorum edidit, nimirum A. C. 1525. quam deinceps iterato emendavit. *Seb. Munſteri,*

XL. 2. A. C. 1535. *Johannes Oecolampadius* totum ferme V. Teſt. interpretatus eſt. *Ioh. Oecolampadii,*

XLI. 3. Secuta ſunt Biblia *Leonis Judæ*, ab ipſo inchoata, a Biblian- dro, Pellicano, & Cholino abſoluta, A. C. 1544. quæ, Tiguri cum eſſent edita, Tigurina dicta ſunt. Hanc verſionem biennio poſt Robertus Stephanus, non nominato ejus auctore, ad vulgatam adjecit, una cum notis Franciſci Vatabli; unde Biblia *Vatabli*, quamvis non recte, dicta ſunt. *Tigurina,*

 XLII. 4. A.

Digitized by Google

Seb. Caſtellionis. XLII. 4. A.C. 1550. *Sebaſtianus Caſtellio*, Baſileæ Biblia publicavit, ſermone latino, terſo & florido. Unde quorundam laudem, plurium autem convitia retulit. Eadem & gallice paucis poſt annis tranſtulit.

Luc. Oſiandri, XLIII. 5. Poſt hos Lucas *Oſiander*, Theologus Tubingenſis, verſionem Vulgatam exhibuit, eamque varie ſupplevit ac correxit, ſua, vel potius Lutheri Germanica verſione addita.

Im. Tremellii & Fr. Iunii, XLIV. 6. Succeſſit *Tremellii & Junii* verſio, anno 1574, magno Eccleſiarum Reformatarum applauſu excepta, deinde autem aliquoties recuſa, & à Junio, quod factum quidam nollent, anno 1587. recognita & alicubi immutata.

Ioh. Piſcatoris, XLV. 7. Secuta ſunt, inter alia, *Piſcatoris* Biblia, quæ, Junianam verſionem in pleriſque ſequuntur, in plurimis tamen corrigunt, magis accurata & Hebraicæ veritati conſentanea, cum ſcholiis luculentis.

Biblia Polyglotta. XLVI. 8. Ad magnificentiam autem & uſum ſimul prodierunt *Biblia Complutenſia*, *Regia Plantiniana & Pariſienſia*, Polyglotta; quibus non cedunt, ſed præferenda potius ſunt nupera *Londinenſia*.

tum Novi Fœderis; Syriaca, XLVII. Novi T. verſiones præcipuæ quatuor ſunt. 1. eſt *Syriaca*, omnium antiquiſſima, è Græco textu expreſſa, incerto auctore & tempore; niſi quod ad Hadriani tempora quidam eam referant.

Latina; *Eraſmi*, XLVIII. 2. N.T. verſio Latina eſt *Eraſmi*, Leoni X. Pontif. inſcripta & probata; opus præclarum.

Bezæ, XLIX. 3. Eſt *Bezæ*, qui multis locis Eraſmum caſtigavit: ſicut eum rurſus alii; inter quos excellit *Ludovicus de Dieu*.

Ar. Montani. L. 4. *Benedicti Ariæ Montani*, de verbo ad verbum facta, indeque multis probata. Atque hiſce accenſeri quoque poſſunt aliæ verſiones N.T. una cum Veteris tranſlatione, ſuperius memoratæ, factæ

Vernaculæ; LI. Vernaculæ Scripturæ verſiones plures omni ævo fuerunt, etiam inter veteres, pro vario populorum captu & ingenio. Plurimæ autem præterito & noſtro ſæculo, in linguis maxime Europæis, prodierunt: *Gallica*, ſpeciatim *Gallica*, ſeu Genevenſis; quod à Paſtoribus Genevenſibus elaborata ſit, circa A.C. 1560. doctrinæ, judicii ac fidei laudem merita: qualis etiam eſt, quam deinceps *Joh. Diodatus*, cum doctiſſimis notis *Italica*, edidit, cum *Gallicam*, tum *Italicam*: *Anglicana*, quæ auſpiciis ſereniſ- *Anglicana*, ſimi. Regis Jacobi, conſilio & labore præcipue Epiſcoporum concinnata *Belgica.* eſt, A.C. 1611. eruditionis, acuminis & judicii non vulgaris; & *Belgica* quidem duplex: una vetus, maximam partem ex Germanica Lutheri verſione traducta, à variis tamen ſecundum varias verſiones interpolata;

Digitized by Google

polata: cujus errores innumeros detexit D. Amama: inde, poſt fruſtraneos Marnixii, Arnoldi Cornelii, & Helmichii labores, nova verſio; auctoritate Celſiſſimorum Belgii Fœderati Ordinum, & decreto Synodi Dordracenæ, a xv. viris, A. C. 1637, cum notis edita eſt, poſtquam ab aliis Theologis reviſa & approbata fuerat. Quæ eruditionis, fidelitatis & elegantiæ nomine cum præcipuis conferri poteſt. Ejus tamen notas maxime improbarunt Remonſtrantes, utpote ſibi minime congruas: alii vero nimium verborum adſcititiorum & uncinulis incluſorum, in ipſa verſione, copiam, in notis vero prolixitatem, notarunt.

LII. Sed & inter Pontificios quoque, paucos ante annos, Michael de Marolles, Abbas, N. T. in Gallicum tranſtulit: atque alius Pſalmos Davidicos, non ſine laude cantus vernaculi, in eandem linguam convertit. Quemadmodum etam A. C. 1665. Doctor Sorbonicus, ex eorum numero, qui Janſſeniſtæ vulgo audiunt, N. Fœdus ſecundum editionem Vulgatam, ex ipſo fonte accurate emendatam, in idem idioma traſtulit. Sigulari ſane inter Pontificios exemplo.

Michaelis de Marolles

& Doctoris Sorbonici.

LIII. Et hæc quidem Verbo ſcripto conſervando propagandoque hactenus operabatur diligentia. Sicut vero nunquam circa divina occupatum eſt humanum ingenium, quin ſimul ſuo magiſterio ſapiat & de ſuo aliquid revelatis addere conetur, & ex ſuo fumo lucemdare; ita corrupta jam adeo Eccleſia Judaica, nihil melius ab illa circa verbum divinum expectari poterat. Vidimus jam ſupra lib. IV. c. XXX. §. II. & c. XXXV §. X. XI. quo pacto a fundamentis Theologiæ Moſaicæ gens illa deficere cœperit. Quæ defectio poſt exceſſum Prophetarum majora incrementa fecit.

III. Corruptelæ verbo Dei adſutæ, a Judæis;

LIV. Poſtquam enim ſacer Prophetarum chorus terras reliquiſſet, ſenſim à lege Patrum diſceſſum, & humanis commentis ac traditionibus religionis caſtitas contaminata fuit: præcipuo ejus rei auctore Hillele, Babylonio, CXL. circiter annis ante ſecundum templi excidium.

per illorum traditiones

LV. Atque exinde, ut Judæi tum in ſectas ſcindi cœperant, & nova facile placebant, duplex obtinuit Hieroſolymis doctrina; una Scripturæ, altera traditionum: cui docendæ in ſingulis Synagogis; duo attributa erant auditoria. Defecit autem paulatim Scripturæ ſtudium, ac prævaluerunt Traditiones. Quod factum anno poſt urbis excidium quinquageſimo. Deinde enim quæ hactenus *traditionum ſeniorum* prætextu venerant, *legis oralis* nomine venerunt. Tunc enim præter legem ſcriptam Judæi aliam à Moſe legem, in monte Sinai acceptam commenti ſunt; quæ, cum ſublimioris ſapientiæ foret, ore excepta, eodem modo pro-

& legem oralem;

Digitized by Google

propagari debuerit ; unde תורה שבעל פה appellant , uti ſcriptam תורה שבעל כתב. Quam Moſes, ante exceſſum, Joſuæ; hic LXX Senioribus; hi Prophetis; illi autem viris Synagogæ M. tradiderint. Donec tandem conſcripta, & in Talmud, tanquam pandectas, relata eſt. Labente enim tempore, ne per Judæorum exilia, crebraſque fugas, tam pretioſum depoſitum periret, Rabbi Jehuda Princeps, ſeu Sanctus, qui ſub Antoninis floruit, anno poſt templum exciſum CXX in unum volumen traditiones illas congeſſit; quod *Miſna*, vel *Sepher Miſnajoth* ſeu Deuteroſeon volumen appellatur.

quæ deinceps in Talmud relata eſt.

LVI. Hiſce ſucceſſerunt Doctores, qui in explicatione Miſnajoth, diſputationibuſque circa illas, verſabantur; ex quibus altera Talmudis pars, *Gemara* dicta, coaluit; quæ pro auctorum & ſcholarum diſcrimine rurſus duplex eſt, *Hieroſolymitana* & *Babylonica*.

Legis illius partes;

LVII. Lex autem hæc ipſorum oralis hiſce tribus conſtat. 1. difficiliorum legis ſenſuum explanatione; quam Moſes ex ore Dei acceperit. 2. novorum quorundam præceptorum, inſtar ſepimenti, ad legem additione. 3. denique Logica quadam myſtica, quam ipſi Cabbalam nuncupant; cujus ope occultos legis ſenſus rimantur.

earumque confutatio.

LVIII. Nos quod attinet, etſi Moſem circa legis ſenſum cunctumque ejus myſterium, multa præ reliquis à Deo didiciſſe non diffiteamur, quæ ore quoque tradiderit: atque apud Judæos Catecheſin, & παράδοσιν doctrinæ Prophetarum & Seniorum obtinere debuiſſe; & multa, quæ ritus cærimoniaſque ſpectarent, vix aliter quam per traditiones intelligi potuiſſe concedamus: quin & ſeniores ipſos populo jugum & præcepta, diſciplinæ imponere potuiſſe, ultro fateamur. Hoc tamen negamus: 1. Iſta legem aliam ac diverſam facere. Cum omnes illæ expoſitiones, omniſque Patrum Catecheſis, ad legem Moſis referenda & examinanda fuerint. 2. Moſem, præter legem ſcriptam, non ſolum omnes ejus expoſitiones & ſenſus; ſed & fabuloſam illam Cabbalam, ſeu myſticorum ſenſuum clavem infallibilem; ac præterea occulta quædam mandata, aliamque præterea legem oralem accepiſſe. 3. Ac denique illa omnia incorrupta ad Judæos perveniſſe; libroſque ipſorum Talmudicos expoſitiones traditioneſque illas veterum, & veram Cabbalam, & univerſa denique legis oralis præcepta pleniſſime continere.

tumquoad interpretationem oralem le-

LIX. *Legem* enim *oralem* quod attinet, nulla vel minima ejus in Scripturis mentio aut indicium occurrit. Moſes contra, quæ a Deo acceperat, ſcribere omnia juſſus eſt, & revera ſcripſit. *Edixit Jehova Moſi, ſcribe*

Digitized by Google

ſcribe tibi verba hæc; quia ſecundum ea pango tecum fœdus. Exod. 34: *gis ſcripta,*
27. *Moſes, quum enarraviſſet populo verba Jehovæ, — ſcripſit Moſes*
omnia verba Jehovæ. c. 24: 3, 4. Unde uſitata formula: *Sicut ſcriptum in lege Moſis.* Semperque ad legem ſcriptam ablegamur. Vide Deut. 10: 12. 13. & 28: 1, 58. & 29: 9, 19. & 30: 20. & 32: 45, 46. Illaque perfecta eſſe perhibetur, ut nec addi nec demi ei quicquam poſſit, Deut. 4: 1, 2. & 12: 32. Pſal. 19: 8.

LX. Quod excipiunt, legem obſcuram, ſenſuſque ejus dubios perſæpe eſſe, præcipue in abſtruſis ac minutiſſimis cærimoniarum partibus; id multo magis in traditionibus ipſorum locum habet, quæ non dubiæ ſolum, & incertæ, ſed ſibi mutuo ſæpe contrariæ ſunt. Nec illud aliam legem, ſed legis tantummodo expoſitionem, ac declarationem requireret. Lex autem ipſa, in doctrinæ ac fœderis Dei ſumma, clara eſt.

LXI. Atque hinc & cætera cadunt. De ſeniorum præceptis lib. I. c. IX. §. XXVIII. & lib. IV. c. XXIV. §. IV. vidimus. *Cabbalam* autem quod ſpectat: etſi myſticum diverſarum rerum, quæ in Scripturis occurrunt, intellectum, & myſtica quædam legis interpretamenta concedamus (quæ tamen non vocum proprie interpretationes, aliuſve eorum ſenſus; ſed rerum vocibus contentarum ad altiora quædam denotanda relationes ſunt) eaque non promiſcue & vulgo cunctis patuiſſe, ſed viris θεοπνεύςοις, & præſertim Apoſtolis ac Euangeliſtis, ſacro inſtinctu revelata; cæteris autem accurato Scripturarum ſcrutinio, ac præſertim Euangelii rerumque ipſarum luce, oſtenſa, non refragemur: longe tamen hæc differunt à nugaci Judæorum Cabbala, deliriſque illis ac putidis interpretamentis, quæ ex literulis quibuſdam, earumque compoſitione ac reſolutione varia, venantur, & tanquam myſteria venditant. Quæ, ut ut laborioſa ac difficilis, tamen perſæpe inepta, vana, quin turpis & impia, magorumque ſecretis affinis eſt. Cum nihil non iſta clave recludi, & tam falſa quam vera inde exſculpi poſſint. Ut indignum ſit, futilis iſtus artis originem conſecrare, & ad Deum auctorem referre velle, quin & divinæ legis partem ſtatuere.

tum quoad interpretationem illius myſticam,

LXII. Denique & *Talmudis* jam ratio patet. 1. Nulla enim datur lex oralis, ut diximus. Unde nec in Talmude ea continetur. 2. Quæ autem Deuteroſeon ac Traditionum, ibi contentarum, ſit certitudo, quamque incorruptæ eæ permanſerint, vel ex eo colligi poteſt, quod brevi temporis interſtitio ipſam legem ſcriptam prope deperditam legamus, 2. Reg. 22: 8. & 2. Chron. 34: 15. Unde mirandum valde, non ſimile

tum denique quoad utriuſque relationem in Talmud.

traditionum fatum fuiſſe, verum illas, per tot ſæculorum ſeriem, non ſcripto ſaltem, ſed ore conſervatas, & incorrupte traditas fuiſſe. 3. Non autem divinas leges proprie, ſed magiſtrorum controverſias & diſputationes ac reſolutiones liber ille continet; ut ab humano ingenio profectum conſtet. 4. Quibus fabuloſa multa & impia, ſibique invicem, ac divinis legibus contraria, accedunt. Ut non ſine blaſphemia Deo imputari poſſint. Licet alia multa utiliora, & ad intelligentiam Sacri Codicis apprime facientia in Talmude quoque contineri libenter fateamur, eoque nomine Chriſtianorum manibus illud excuti nollemus.

Judæorum hic imitatores Pontificii.

LXIII. Atque hæc traditionum ac humanarum inſtitutionum in Eccleſia origo; quas inter Chriſtianos etiam venditare poſtea cœpere Pontificii, qui eas pro maximo religionis ſuæ munimento habent. Utque olim Judæi Synedrium errare non poſſe, & פרוש ac explicationem legis, quam dabant, propter ipſorum nomen ac auctoritatem, recipiendam eſſe ſtatuebant; ſimilem in modum nunc illi inſtituunt, & Eccleſiam, ejuſque juſſa, crepant. Atque etiam in cauſæ ſuæ præſidium Judaicæ Eccleſiæ exemplum & Cathedram Moſis, Matth. 23:2. adferunt. Quæ & alibi excuſſa ſunt.

Alia verbi corruptio per Pſeudepigrapha Apoſtolica & Sybillina.

LXIV. Præterea etiam Pſeudepigraphis ſpuriiſque ſcriptis, Apoſtolis viriſque Apoſtolicis falſo ſuppoſitis, illuſum eſt Eccleſiæ Chriſtianæ primitivæ. Quorum catalogum hic non exhibebimus, cum ille commodius in hiſtoria Eccleſiaſtica recenſeatur. Nullus autem liber errorum feracior fuit, magiſque fidem Chriſtianam corrupit, quam ille, qui Sibyllarum nomen fert, continens Sibyllina carmina, ab otioſis hominibus conficta, & circa ultima Imp. Hadriani tempora. Ex quibus veteres religionem Chriſtianam ſæpe adſtruunt, & crebra teſtimonia contra gentiles adducunt.

LXV. Verum libri hi ſuppoſititii ſunt: nam, licet una iſtarum vatum ſe in arca Noe fuiſſe memoret, & de Moſe vaticinetur, adque adeo ſeſe eo, qui omnium conſenſu primus ſcriptor fuit, antiquiorem ferat; tamen ea oracula poſt Chriſtum nata eſſe patet, cum mentionem faciant rerum atque opinionum poſtea demum ortarum: & imprimis tam clare religionis Chriſtianæ myſteria evolvant, præſertim in acroſticho, ut nullus Prophetarum eo aſſurgat; quod diaboli vatibus a Deo conceſſum fuiſſe nemo dixerit: & vocabulis utantur partim ineptis, partim ex S. Scriptura manifeſte deſumtis; & adeo accurate perpetuum atque inoffenſum rei geſtæ ordinem perſpicua oratione proſequantur: qui modus ſcribendi

di à furioſis illis fœminis, quales illæ fuiſſe ſupponuntur, vel maxime abfuit.

CAPUT II.

De Symbolis & Confeſſionibus.

I. POſt verbum divinum, aliquam etiam in Eccleſia N. F. auctoritatem nacta ſunt ſcripta Eccleſiaſtica; inter quæ eminent *Symbola* & *Confeſſiones*, *Catecheſes*, & *Liturgiæ*. *Confeſſiones Eccleſiaſticæ in Eccleſia N. T.*

II. Palmam inter omnia Symbola obtinet illud, quod Apoſtolicum dicitur; incerta nominis iſtius ratione. Veterum quidam ſic appellatum putaverunt, quia ab Apoſtolis ipſis compoſitum ſit: verum nullum ejus rei inter Acta Apoſtolica indicium occurrit: atque alias potius fidei Synopſes & formulas Apoſtoli Eccleſiis tradiderunt. 2. Tim. 1: 13. Hebr. 6: 1, 2. Neque etiam phraſes illæ, Eccleſia Catholica, deſcendit ad inferos &c. Apoſtolorum ætatem ſapiunt: unde quoque nulla apud antiquos Eccleſiæ ſcriptores ſymboli hujus mentio. *ſpeciatim ſymbolum Apoſtolicum:*

III. Apoſtolicum ergo potius dicendum eſt, quia ex Apoſtolorum ſcriptis hauſtum, ſumma Chriſtianæ fidei capita continet. Videtur autem paraphraſin quandam & explicationem continere formulæ in baptiſmo adhibitæ, & per ſingula ejus capita ire, confeſſionem veluti edens fidei noſtræ de Patre, & Filio, & Sp. S. Unde & ea, veluti à ſingulis Chriſtianis uſurpanda, in ſingulari numero effertur, *credo* &c.

IV. Originem tempuſque ejus aſſignare non adeo in proclivi eſt. Sunt, qui à Synodo Nicæna illud compoſitum volunt. Sed, cum illa Synodus proprium condiderit ſymbolum, verbis ſententiiſque ab hoc Apoſtolico multum diſcrepans, probabilius eſt, ſi non certum, conditum eſſe ſymbolum Apoſtolicum ab Epiſcopo & clero Romano: ab illa autem Eccleſia ad alias Occidentis Eccleſias derivatum eſt; Orientis Eccleſiis interim alia ſymbola uſurpantibus. Non ſimul & ſemel autem ea forma, qua nunc extat, compoſitum eſt; ſed paulatim variorum articulorum, adverſus exorientes hæreſes, adjectione auctum, & in hanc tandem formam redactum. *illius origo*

V. Principales autem & primogenii articuli fuerunt illi de S. S. Trinitate, & de perſona, officio & ſtatu Chriſti. Reliqui diverſis occaſionibus con- *& augmentum,*

Digitized by Google

contra hæreticos adjecti ſunt. Speciatim illa verba, *deſcendit ad inferos*, ex Aquilejenſi ſymbolo adoptata videntur; cum in veteribus, tum Romanæ, tum aliarum Eccleſiarum ſymbolis non occurrant. Quin & antiquiſſima ſymbola in articulo de Sp. S. deſierunt.

aliorumque ſymbolorum acceſſus.

VI. Deinde etiam alia ſymbola contra particulares hæreticos huic adjecta fuerunt, in IV. Conciliis generalibus, Niceno, Conſtantinopolitano, Epheſino, Chalcedonenſi: quo etiam refertur ſymbolum Athanaſio, quamvis falſo, tributum.

Quæ illius ſymboli ſit auctoritas

VII. Auctoritas igitur hujus ſymboli, quantum ad verba & formam, humana tantum eſt, quamvis ſententiæ illius ſint authenticæ. Et male Pontificii ex traditione Canonicam ejus auctoritatem probant, cum nulla, ut alias viſum, talis traditio ſit.

& uſus:

VIII. Eſt tamen illud religionis Chriſtianæ ſymbolum tale, ut hæretici reipſa & in vero ſenſu, illud recipere nequeant. Unde Antitrinitarii omnes hoc ſymbolo refutantur, ut & omnes illi qui myſterium incarnationis & redemtionis noſtræ negant. Pariterque Pontificii, quamvis hoc ſymbolum oſtentent, in præcipuis tamen ſuis erroribus per illud ipſum refutantur: ſicut in Papatu ejus auxilio multi Papiſmum evitarunt & ſalvi facti ſunt olim, atque etiamnum fiunt.

ut & confeſſionum particularium formularumque publicarum.

IX. Sunt autem Symbola confeſſiones Eccleſiæ univerſales: *Confeſſiones* vero Eccleſiarum particulares ſunt declaratio conſenſus & profectus piorum in agnitione veritatis, obligantes non per ſe, ſed vi demonſtrationis ad conſcientiam. *Quotquot itaque perfecti ſumus, hoc ſentiamus.* Phil. 3: 15. *Ut obſervetis eos, qui diſſenſiones & ſcandala præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt.* Rom. 16: 17. Tit. 3: 10, 11. Quo etiam referendæ *Catecheſes*, & *Liturgiæ*.

CAPUT III.

De Fundamento & articulis fundamentalibus.

Ex doctrina hactenus tradita diſcitur religionis FUNDAMENTUM

I. Cum Scriptura V. & N. Fœderis, & ſpeciatim ſub N. F. doctrina Jeſu Chriſti, quam hactenus expoſuimus, contineat religionis fundamentum; de hoc etiam nunc agendum.

II. Fundamentum vel *incomplexe* ſumitur, eſtque unicum, nimirum Jeſus

Digitized by Google

Jeſus Chriſtus. *Fundamentum aliud nemo poteſt ſtatuere præter id quod poſitum eſt*, quod *eſt Jeſus* Chriſtus. 1. Cor. 3: 11. 1 Petr. 2: 4. Eſai. 28: 16. & 45: 22. Ut ita *fundamentum idem* ſit, qui & *lapis angularis* eſt, Eph. 2: 20. unde & *ædificati in Petra* dicimur, Matth. 16: 18. vel *complexe*, & tum notat veritatem fundamentalem, ſine cujus notitia & confeſſione nemo dici poteſt Deo & verbo ejus credere. *Ut peritus artifex, fundamentum poſui* &c. 1. Cor. 3: 10. Eph. 2: 20.

veritaſque fundamentalis.

III. Quænam autem hæc veritas fundamentalis ſit, ex notis ac proprietatibus ejus optime agnoſcitur. Hæ autem ſequentes ſunt.

Illius notæ ac characteres; neceſſitas,

IV. 1. Veritas fundamentalis eſt iſtud verbum gratiæ, quod peccatori ad ſalutem omnino *neceſſarium* eſt, Rom. 1: 16. quod rite creditum in ſtatu gratiæ peccatorum collocat; & quod corruptum ac adulteratum fidem omnem plane tollit: quodque proinde explicite & diſtincte teneri ac credi debet, cum in eo ſit ipſa adſtipulatio fœderis gratiæ; quæ ſine expreſſo aſſenſu fieri nequit.

latitudo

V. 2. Veritas etiam hæc eſt axioma *latiſſime* patens; atque adeo credi debet non ſolum ut veritas, ſed præcipue ut *fundamentum* aliarum fidei veritatum, & ut *norma* falſitatis ac mendacii. *Vos unctionem habetis a ſancto illo, & noſtis omnia* &c. 1. Joh. 2: 20, 21, 22. &c. Unde & in multa alia membra ac capita diduci poteſt, qui ſimiliter articuli fundamentales appellantur.

& claritas.

VI. 3. Atque hæc veritas *clare* & *diſtincte* in Scriptura revelata eſt; & *frequenter* in ea occurrit, variiſque phraſibus exprimitur & repetitur; quin & multis *typis* ac figuris olim adumbrata fuit; ita tamen ut hæc veritas unica ſemper fuerit & immutabilis.

VII. Hiſce notis quidam hanc etiam accenſent, quod veritas *fundamentalis non cadat in controverſiam.* Hoc autem refutatur experientia, cum & olim & hodie de pluribus veritatibus fundamentalibus diſputetur.

Quænam illa ſit? ſpeciatim in N. T.

VIII. Veritas ergo illa fundamentalis, cui omnes hæ notæ conveniunt, nulla eſt alia, niſi illa quæ complectitur unicum fundamentum ſalutis, nimirum Jeſum Chriſtum, filium Dei. Speciatim autem illius in carne manifeſtatio, paſſio & conſummatio, cum neceſſariis appendicibus, veritatem fundamentalem N. Fœd. conſtituunt. *Hæc eſt vita æterno, ut te cognoſcant illum ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Joh. 17: 3. *Et ſine dubio magnum eſt pietatis myſterium: Deus eſt manifeſtatus in carne* &c. 1. Tim. 3: 16.

Digitized by Google

IX. Ita veritatem hanc proponit Scriptura, in qua & Chriſtus, & axioma Chriſto ſalutem attribuens, pariter fundamentum fidei appellantur. 1. Cor. 3: 11, 12. 16:22. Col. 2:2, 3. 1. Joh. 2:20, 21. Act. 4: 11, 12. Ita & Apoſtoli in communionem Eccleſiæ accipiebant eos, qui confitebantur Jeſum Chriſtum, Filium Dei, Act. 2:37, 38. & 8:37. & 10:43. Atque idem fuit primitivæ Eccleſiæ, poſt Apoſtolorum tempora, ſenſus; quæ veritatem hanc in ſymbolo Apoſtolico ſummatim expoſuit. Similiterque Eccleſiæ Euangelicæ idem fundamentum agnoſcunt, quamvis diverſis modis illud explicent, & vel paucioribus, vel pluribus articulis ſummam ejus comprehendant.

X. Eſtque hoc fundamentum *unicum* tam in Vet. quam in N. T & *immutabile* ac perpetuum: neque enim aliud verbum nunc expectandum habemus, cum ipſum corpus & figurarum omnium veritatem poſſideamus. *Quæ ſunt umbra rerum futurarum, at corpus eſt Chriſti.* Col. 2: 17. *Umbram enim habens lex futurorum bonorum* &c. Hebr. 10: 1.

XI. Pluribus autem modis fundamentum hoc efferri, & in plures articulos ac membra diſpeſci poteſt; ita tamen ut omnia in hac veritate ad unitatem ſemper redeant.

An numerus articulorum fundamentalium determinari poſſit? quod,

XII. Gravis autem hic movetur quæſtio de numero articulorum fundamentalium, quorum expreſſam cognitionem & profeſſionem Deus poſtulat: hoc enim religionis noſtræ ad Papiſmum Apoſtatæ perpetuo à nobis flagitant, ut articulos iſtos neceſſarios enumeremus. Ad quod notandum.

ut eſt non neceſſarium,

XIII. 1. Quæſtionem hanc eſſe *novam & non-neceſſariam*, cum Scriptura nunquam hunc numerum definiverit, qui nec a nobis definiendus eſt, ſed generalibus ſolum axiomatis ſalutem & beatitudinem deſcribat. vide Pſal. 15. & alia loca.

ita & temerarium,

XIV. 2. Deinde & *temerarium* foret, ac modeſtiæ Chriſtianæ contrarium, determinare velle *quantitatem minimam* neceſſariorum, quorum cognitionem Deus ſubſternere poſſet ſuæ operationi, qua fidem ſalvificam infundit & ſalutem confert; cum hoc nullibi revelaverit: adeoque nefas eſſet liberrimam & abſolutam Dei poteſtatem in ſalvando homine velle circumſcribere. Matth. 11:26. & 20:15. *An non licet mihi quod volo facere in meis rebus? An oculus tuus malus eſt quia ego bonus ſum?*

imo vix poſſibile.

XV. 3. Verum etiam determinatio hæc propemodum *impoſſibilis*

eſt:

eſt: cum enim fides diverſis Dei actionibus in homine produci poſſit, neque ille ſimili in omnibus modo operetur; quis earum numerum inire, vel Deum ad illum adſtringere poterit? Et manifeſtum quoque eſt hominum ac temporum diſcrimen. Alia enim in V.T. alia in N. cognitionis menſura fuit; alia ſecundis ac florentibus, alia adverſis Eccleſiæ temporibus; & pro vario fidelium ſtatu, vel læto, vel triſti ac tentationibus infeſto, & pro varia eorum indole ac ingenio, vel plura vel pauciora ab illis requiruntur; quo facit ſimilitudo ſeminis Matth. 13. cujus non eadem eſt ratio reſpectu omnis terræ.

XVI. Non incumbit ergo Theologis neceſſitas articulos omnes fundamentales præciſe enarrandi, etſi ipſi diſtinguant inter articulos creditu neceſſarios, & non-neceſſarios. Veritates enim fundamentales ſingulæ ex notis antea traditis diſcerni poſſunt, quamvis determinatus eorum numerus definiri non poſſit.

Ut non omnes veritates fundamentales enarrare opus ſit; imo nec poſſibile.

XVII. Neque etiam abſurdum eſt, dicere poſſe, aliquem in fundamento errare, ut Pontificii; alios vero fundamentum tenere, quod de Lutheranis dicimus; etſi conſtitutum non habeamus quot vel qui articuli præciſe fundamentales ſint. Convenientia enim illa vel diſcrepantia ex eo facile conſtat, ſi quis fundamentum ſalutis, & fœderis Dei inviolatum retineat, neque alia illud evertentia ſuperaddat, vel contra. Atque ad illud dijudicandum ſufficit, ſcire in ſpecie hanc vel illam veritatem fundamentalem eſſe; non autem opus eſt, quot numero fundamentales articuli ſint, præciſe cognitum habere.

Quantitas earum minima & maxima.

XVIII. Neceſſariorum ergo ad ſalutem *quantitatem minimam* præciſe determinare non eſt opus: at *quantitatem* eorum *maximam*, quæ in eo conſiſtit, ut non plura ſint abſolute neceſſaria, determinare poſſumus; conſtituendo nimirum eam, in cognitione communium iſtarum Eccleſiæ formularum: Symboli Apoſtolici, Decalogi, Orationis Dominicæ, & Inſtitutionis Baptiſmi ac S. Cœnæ. Ultra quæ plura ad ſalutem abſolute neceſſaria non ſunt. Atque ita etiam Scriptura, dum integrum fœdus Dei, ſive id quod Deus in fœdere gratiæ a nobis ſtipulatur, ad hæc duo revocat, fiduciam nimirum in Chriſtum Servatorem, & ſtudium Deo obediendi, quaſi digito nobis ea, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, commonſtrare cenſenda eſt. *Nam in Chriſto Jeſu neque circumciſio quid valet, neque præputium, ſed fides per charitatem operans.* Gal. 5: 6. *Hoc eſt ejus præceptum, ut credamus nomini filii ejus Jeſu Chriſti, & diligamus alii alios, ſicut præcepit nobis.* 1. Joh. 3: 23.

XIX. Non

Digitized by Google

XIX. Non temere ergo damnandi & æterno exitio adjudicandi ſunt, qui forte unum vel alterum ſymboli articulum ignorant, vel hoc aut illo in capite non ſufficienter ſunt inſtructi. Nos enim arcana judiciorum divinorum penetrare non poſſumus, & neſcimus quæ intellectus imbecillitas, vel alius invincibilis & nobis incognitus defectus, talibus obſtet. Aliud autem eſt, ſi quis ſumma illa religionis capita, vel alia etiam dogmata revelata, malitioſe & præfracte cognoſcere negligat: ille enim non ſolum quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt non tenet, ſed potius viam ſalutis negligit, Deoque ſe ſubjicere detrectat.

Quid faciendum circa reliqua.

XX. Quod vero attinet ad illa, quæ, præter hæc ad ſalutem neceſſaria, in religione porro traduntur; ſimplex Chriſtianus, ſi poſt omnem adhibitam diligentiam de iis judicare non poſſit, judicium ſuum ſuſpendet, cavebitque ne aliquam ſententiam, de qua ultro citroque diſputatur, ſibi ex verbo Dei non ſatis clare perſpectam, fide ſuſcipiat: ſic enim in errores non delabetur, ſed ſimpliciter in fidei ſuæ ſimplicitate, h. e. in primis fidei fundamentis, permanebit. Eam vero Eccleſiam merito habebit ſuſpectam, quæ cum non clariſſime iſtorum, quæ addit, veritatem ex verbo Dei oſtendere poſſit, aſſenſum tamen imperare velit. Et ſi ea hoc non obſtante tyrannidem in conſcientiam & corpus exerceat, ſufficientem eam deſerendi cauſam habebit.

Eademque eſt ratio errorum fundamentalium.

XXI. Sicut autem ita nec neceſſarium, nec poſſibile eſt, determinare veritates fundamentales; ita ex oppoſito idem ſtatuendum eſt de *erroribus fundamentalibus*. Illos enim particulatim ſcire non opus eſt; cum quiſque eorum ad damnationem ſufficiat: unde & Scriptura non tam ad numerum, quam ad qualitatem eorum attendit. *Qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſervabitur, qui vero non crediderit, condemnabitur.* Marc. 16: 16. *Qui aſpernatur me, nec recipit verba mea, habet qui condemnet ipſum.* Joh. 12: 48. *An ignoratis, injuſtos non eſſe Dei hæreditatem poſſeſſuros? Ne errate, neque ſcortatores, neque idololatræ* &c. 1 Cor. 6: 9, 10.

XXII. Varii etiam errorum ſunt gradus, juxta quos eorum eſt diſcrimen: alii errores levius ſunt concepti, alii altiores agunt radices: alius eſt error theoreticus, alius practicus: ille iterum vel concluſio tantum eſt, vel etiam principium, ex quo alii inſuper errores deducuntur: rurſus error vel ſeparatim tenetur, vel cum aliis mixtus, & in ordinem veluti redactus. *Etenim vos concinnatores mendacii, medici nihili omnes eſtis.* Job. 13: 4.

XXIII. Si-

Digitized by Google

XXIII. Similiter quoque diſcrimen eſt reſpectu errantium; quorum alii profunditates Satanæ ignorant; alii contra quibuſvis artibus fraudem tegere & tueri conantur: aliud etiam eſt, diſerte errorem profiteri; aliud eſt, illud ſtatuere, ex quo per conſequentiam error ſequitur, quem tamen non videas: aliud errorem premere, aliud eum propagare; aliud ita errare, ut errori nulla ex parte eatur obviam, aliud, ſimul tenere aliam veritatem, per quam erroris periculum & venenum inhibeatur. Quæ omnia cum magnam in erroribus pariant diverſitatem, clarum eſt, non poſſe errores omnes fundamentales ad certum numerum revocari. Illud in genere ſtatui poteſt, errorem fundamentalem eſſe, qui fundamentale dogma evertit.

XXIV In defectu autem hic peccant 1. *Sociniani*, qui fundamentalia nulla niſi expreſſis verbis in Scripturis contenta, eaque non niſi practica, admittunt, non tam ex Euangelio quam ex lege deſumta, quæ ad duo capita revocant, *fiduciam* & *obedientiam*; quamvis cæteroquin circa particularem eorum numerum inter ſeſe diſcrepent. *Ut hic peccent in defectu. I. Sociniani.*

XXV. 2. Ita & *Remonſtrantes* fundamentalia ſtatuunt pauciſſima, quæ tribus hiſce capitibus abſolvunt, *fide divinarum promiſſionum*, *obedientia divinorum præceptorum*, *& debita Scripturis reverentia*: eorumque, inter alia, hoc ſtatuunt κριτήριον, ut apud Chriſtianos omnes in confeſſo ſint, adeoque nec controverſa ſint, neque etiam controverti poſſint; quia tam clara ſunt, ac ſol meridie, cum vel totidem verbis in Scriptura extent, vel manifeſtiſſimis conſequentiis, quæ omnium occulis ſe oſtendant, ex ea eliciantur. Hinc omnes fere Chriſtianorum cœtus in fundamentalibus iſtis inter ſe convenire ſtatuunt, atque adeo eos inter ſe debere coaleſcere contendunt; qui ipſorum ſcopus, & circa hæc omnia πρῶτον ψεῦδος eſt. *II. Remonſtrantes.*

XXVI. In exceſſu peccant 1. *Veteres*, qui fundamentalius ſæpe accenſebant leviora, & in iis diſſentientes ut hæreticos traducebant. 2. *Novatiani*, *Donatiſtæ*, qui, nullo in fundamentalibus diſſenſu, temere in ſchiſmata ſecedebant. 3. hodieque *Pontificii*, fundamentale fere ſtatuentes quicquid definiverit Eccleſia Romana: unde fœnum ſuum & ſtipulas in fundamentalium dogmatum cenſum reponunt, eorumque numerum plus æquo multiplicant: quamvis iterum ab alia parte fide ſua implicita eum obſcurent atque confundant. *In exceſſu I. veteres.* *II. hodieque Pontificii.*

XXVII. Atque ex hac fundamentalium delineatione jam ſtatui poteſt, quid circa *Syncretiſmum* ac *tolerantiam*, cum hæreticis ac ſciſmaticis *Hinc norma petenda ſyncre-*

tiſmi ac toleran- tiæ.

cis ſentiendum ſit; prout nimirum illi in fundamento conveniunt, vel non. *Syncretiſmus* quidem cum nullo errore, etiam non fundamentali, inſtituendus eſt: *tolerantia* vero, ſeu conſociatio potius, cum iis, qui in fundamento non errant, inſtitui poteſt; ita tamen, ut eorum errores aut religionem errantem non adoptemus.

Circa quæ quinam damnandi in exceſſu?

XXVIII. Inprobandi hic ergo 1. *Sociniani & Remonſtrantes*, hoc agentes, ut omnes tantum non cœtus Chriſtiani in unum Eccleſiæ corpus coaleſcant. 2. *Libertini* & *prophani*, univerſalem ſyncretiſmum, cum omnium controverſiarum eliminatione & contemtu molientes. 3 *Caſſandri*, *Grotii*, *Milleterii*, aliorumque molimina, de componendo Pontificios inter & Orthodoxos diſſidio, non ſublato diſſidii fundamento, Papiſmo & Papatu.

Quinam in defectu?

XXIX. Ex adverſo rejicienda 1. Anabaptiſtarum temeritas, mutuo ſe damnantium ob diſſenſum in adiaphoris. 2. *Browniſtæ*, ſeu *Separatiſtæ*, ob levia quædam ſegreges cœtus facientes. 3. ac deplorandum infeliciſſimum ſciſma inter *Reformatos* & *Evangelicos*, quod levibus de cauſis ortum, tanto animorum diſſidio etiam hodie alitur & continuatur.

Fundamento huic ſuperædificandum eſt, & ex eo perficiendum,

XXX. Fundamento vero jam cognito, nemo in eo ſubſiſtere debet, ſed, cui aliqua modo ſuppetit occaſio, debet is, pro modulo virium, donorum & vocationis, operam dare, ut fundamento illi inædificet, atque in omni ſapientia, quæ tam πολυποίκιλος in myſterio nunc revelata eſt, porro proficiat. *Sermo Chriſti inhabitet in vobis copioſe cum omni ſapientia.* Col. 3: 16. *Ut notificetur nunc principatibus & poteſtatibus, qui in ſupercœleſtibus ſunt, per Eccleſiam Dei, ſapientia Dei, quæ plurimam varietatem habet.* Eph. 3: 9, 10.

& cum illo omnia comparando:

XXXI. Omnia vero, quæ ex verbo Dei, ultra fundamentum, diſcuntur, cum illo fundamento comparanda, ad illud referenda, illi adjungenda & ſuper-imponenda ſunt. Quod ipſa fundamenti appellatio, & theologicarum quoque veritatum indoles ac natura requirit; quarum cognitio niſi in aſſenſu fundamenti fundetur, & ex eo enaſcatur, non eſt ſapientia, neque fides, & in infidelem quoque cadere poteſt. Divina enim ſapientia confuſa & indigeſta non eſt, ſed certo ordine, per meditationem principii & fundamenti, h. e. Scripturæ, & doctrinæ de juſtitia Dei in Chriſto, & per comparationem ſpiritualium cum ſpiritualibus, comparatur. *Ut det vobis ſpiritum ſapientiæ & revelationis, in cognitione ipſius* &c. Eph. 1: 17, 18. *Ut peritus architectus fundamentum ſtatui. Porro quiſque videat quomodo ſuperædificet. Quod ſi quis ſuperædificet*

Digitized by Google

cet aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam. Cujuſque opus manifeſtum fiet. &c. 1. Cor. 3: 10--13.

XXXII. Cum ergo poſt Apoſtolorum ætatem nulla nova expectanda ſit revelatio; juxta illud, *Non docebit quiſque proximum ſuum* &c. Jer. 31:33. Hebr. 8: 10 atque etiam verba fundamenti nunc ita in propatulo ſint collocata, omniumque cogitationibus & ſermonibus frequentata, ut nemo adultus ſit, qui non aliquod Scripturæ dictum, quo hoc fundamentum indicetur, memoria teneat; ut difficilius videatur illud ignorare, quam ſcire poſſe: clarum eſt, nulli fideli aut Theologo licere, poſt Prophetas & Apoſtolos, novum fidei vel Theologiæ fundamentum jacere aut docere.

non vero novum fundamentum admittendum.

XXXIII. Igitur, juxta Vincentii Lirinenſis commonitorium, triennio poſt Synodum Epheſinam contra Neſtorium habitam ſcriptum, c. 3. *Magnopere curandum eſt, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum: hoc enim eſt vere proprieque Catholicum.*

XXXIV. Cum autem Theologia duobus abſolvatur, explicatione fundamenti, & eorum quæ inde deducuntur, & ſatis conſtet in fundamento innovari non poſſe; videndum etiam, an in reliquis *dogmatis*, fundamento contradiſtinctis, *novitas* admitti poſſit.

Quomodo in reliquis innovare liceat?

XXXV. Et quidem ex dictis jam liquet, nihil poſſe eſſe in profectu fidei & ſcientiæ theologicæ, quod in antiquo ejuſdem fidei & Theol. principio, S. Scriptura non contineatur, quodque adeo revera antiquum non ſit, quatenus in antiquorum Dei verborum virtute & valore continetur. *Ut diſcatis, ſupra id quod ſcriptum eſt non ſapere.* 1. Cor. 4: 6. *Inſta tibi & doctrinæ: mane in iiſdem.* 1. Tim. 4: 11, 13. Unde prophetare *juxta analogiam fidei*, Rom. 12: 6. & *per comparationem ſpiritualium*, 1. Cor. 2: 13. jubemur.

nimirum non reſpectu fundamenti, aut dogmatum ex eo profluentium;

XXXVI. Non debet ergo Theologus ex vinea Domini, quoad doctrinam, novelletum facere. Tam perfecte enim plantata eſt à Deo per Prophetas & Apoſtolos, ut qui ſuperveniunt, potius rigent, quam plantent: unde exprobatur Judæis, *quod plantarent palmitem extranei*, Eai. 17: 10, 11. cum *planta omnis* vel *plantatio*, *quam non plantavit Pater cœleſtis*, *eradicanda ſit.* Matth. 15: 13.

XXXVI. Licet tamen Theologo ex vetuſto principio & fundamento fidei diſcere & docere nova, non reſpectu illius principii & fundamenti, ſed reſpectu cognitionis ſuæ, vel aliorum. Modo non illa affectet, contemtis veteribus, tanquam jam detritis & inutilibus. *Et nemo, qui biberit vetus*

ſed quidem reſpectu profectus & cognitionis noſtra.

vetus vinum, ſtatim vult novum. dicit enim, vetus utilius eſt. Luc. 5: 39. & cum *pruritu aurium*, 2. Tim. 4: 3.

XXXVIII. Quibus ſcopulis evitatis, laudabile eſt in Chriſtianæ fidei Doctore, ſi ex Scripturis quotidie proficiat, atque ex ea identidem producat nova, tum argumenta, quæ ſemel traditam fidem confirment, & majori Scripturarum luce perfundant, tum inventa, quibus Chriſtianorum prophetia & cognitio, maxime de Regni Chriſti ſtatu & incrementis, adaugeatur. Ut *ita ſit ſcriba, doctus in regno cœlorum, ſimilis patrifamilias, qui promit è theſauro ſuo nova & vetera*, Matth. 13: 52. Sic & de ſponſa, ſeu Eccleſia N. T. etiam ſeriorum temporum dicitur, *quod ſponſo ſuo ſeponat pretioſos fructus, recentes ſimul & veteres.* Cant. 7: 13 cum quibus convenit *novum illud vinum, quod* Chriſtus in regno ſuo promittit ſuis, Matth. 26: 29. Luc. 22: 16, 18. quod dubio procul non unius tantum eſt temporis.

XXXIX. Hæc illa eſt promiſſio Dan. 12: 4, 9. *Abſcondita & obſignata ſunt verba illa uſque ad tempus finis, quo ſcrutabuntur multi, & major fiet cognitio.* Monſtroſum enim eſſet, ſi Eccleſia in poſterum quidem pergat creſcere membrorum numero & ætate, non vero ſapientia etiamſi omnium præteritorum ſæculorum meditationibus & opera utatur. Beatum ergo hoc Eccleſiæ tempus omni ſtudio & voto accelerandum eſt: præcipue cum in Scripturarum ſtudio tam multa nobis adhuc δυσνόητα, & prope ἄλυτα ſint; cum tamen nihil in S. Codice occurrere videatur, cujus ſenſum Eccleſiæ aliquando aperiendum & revelandum eſſe ſperare non liceat.

Digitized by Google

LOCUS QUADRAGESIMUS SECUNDUS.

CAPUT IV.

De Sacramentis in genere.

Verbum N. F. comitantur illius SACRAMENTA.

I. VErbum, ut in omni, ita quoque in N. Fœderis œconomia, ſequuntur *Sacramenta*, ceu ſacra ſigna, & ſigilla verbi; per quæ Deo placuit fœdus ſuum obſignare, iſtaque veluti teſſera populum ſuum inſignire, & a reliquo mundo diſtinguere. Quæ, licet dudum antea occurrerint, quia tamen ſub N. F. maxime excellunt, multiſque ſunt involuta controverſiis, quæ in veteri œconomia minus locum habuerunt; hic eorum *naturam* primum in genere declarabimus: tum de ſingulis Novi Teſt. *Sacramentis in ſpecie* agemus: & denique *falſos ſpurioſque* ritus iis ſuperadditos examinabimus.

Vocis illius ſignificatio & uſus.

II. Sacra illa ſymbola Latinis *Sacramenta*, Græcis *μυϛήρια* appellantur. Duo autem Sacramenti vox Latinæ linguæ auctoribus olim ſignificavit: 1. pecuniam, ſive pignus, a litigantibus, apud Pontifices, in ſacro loco, depoſitum; quo mulctabatur is, qui cauſa cadebat. 2. Jusjurandum, ſacro ritu peractum. Qua notione in re militari frequenter uſurpatur. Scriptores autem Eccleſiaſtici quodvis myſterium, ac Chriſtianæ religionis arcanum; & ſpeciatim rem ſacram, arcanam, ſymbolicam, ſpiritualis gratiæ ſignificativam, adeoque quemlibet ritum ſacrum, cunctaſque cæremonias, quibus arcana illa vel velabantur, vel adumbrabantur, eo vocabulo denotare cœperunt. Atque ita ad fœderis ſymbola & ſigilla denotanda adhiberi cepit. Quod a Tertulliano primum factum. Ut male Pontificii, ex latiore vocabuli uſu, plura Sacramenta proprie dicta colligant. Cum & Patres, & Vulgatus Interpres, & ipſum Pontificale Romanum, res omnes, ritusque ſacros, iſta voce complectantur.

ut & vocis μυϛηρίυ.

III. Atque idem vocis *μυϛηρίυ* apud Græcos uſus: quo illi, partim arcana Chriſtianæ religionis dogmata, partim etiam ſacra illa ſigna & cæremonias expreſſerunt: tum, quod occulta Græcorum ſacra & myſteria multiplicibus olim conſtabant ritibus; tum, quia externi illi ritus & ſi-

gna arcanam ſignificationem habent, & latente myſterio ſeſe potiſſimum commendant.

Quibus hic utatur vocibus Sp. S.

IV. Scriptura rectius *ſigna fœderis* appellat, Gen. 9. 12, 13. & 17:11. *ſigilla juſtitiæ fidei*, Rom. 4: 11. & *ſigna* ſimpliciter, Exod. 12: 13. & *ὑποδείγματα*, Hebr. 8: 5. & 9: 23. & *ἀντίτυπα*, 1. Pet. 3: 21. Quæ Spiritus ſancti voces longe aptiores ſunt. Quibus inhærere præſtitiſſet, quam peregrino vocabulo Chriſtianæ religionis caſtitatem contaminare. Quanquam, vulgato jam vocabuli illius uſu, & Eccleſiaſtici juris reddito, non ea verborum ſuperſtitione ducamur, ut ſigna illa Sacramenta appellare vereamur. Quæ Socinianorum fraus eſt; qua non tam vocabulum, quam ipſam Sacramentorum naturam petunt.

Sacramenti definitio.

V. Sunt autem Sacramenta, ſigna ſeu ſignacula fœderis, a Deo inſtituta, ad divinas promiſſiones veluti ſacro pignore nobis obſignandas; ac viciſſim iis, tanquam ſacratiſſimis obedientiæ teſſeris, obſequium noſtrum, omnemque animæ affectum, ipſi deferendum, & publice teſtandum.

VI. A ſacrificiis differunt: quod illa a Deo ab hominibus; hæc autem homini a Deo tradantur. Figura autem Sacramento latior eſt. Quo in genere utrimque peccant Pontificii.

I. Qualia ſigna ſint.

VII. Genus Sacramenti eſt ſignum. Non actio: ut male Lutherani. Quæcunque enim actiones hic concurrunt, non alium quam ſignificandi uſum habent. Cumque omne ſignum vel naturale ſit, vel voluntarium: idque vel ab hominibus, vel à Deo, inſtitutum: ad poſtremum genus referuntur Sacramenta, quippe a Deo, ſingulari conſilio, inſtituta. Cumque rurſus, ex ſignis voluntariis, alia ſint *μνημονευτικὰ*, ſive rerum præteritarum monumenta; alia *σημαντικὰ*, & res præſentes deſignantia; alia *προσημαντικὰ*, & rerum futurarum prænuncia; quas vel ſimpliciter adumbrant & ſignificant, vel ſignaculo quodam obſignant & tradunt; denique ſigna alia viſu, alia aliis ſenſibus, cum externis, tum internis, percipiantur: omnes ſignorum horum perfectiones comprehendunt Sacramenta. Cum non nuda ſigna, ſed ſigilla, ſint; eaque viſibilia: quod genus ſignorum præſtantiſſimum eſt: res præteritas, præſentes, & futuras non ſolum memorantia, & per analogiam ſignificantia; ſed & obſignantia; &, per ſubſtitutionem, dato pignore ac arrhabone, exhibentia & confirmantia.

II. A ſolo Deo inſtituta.

VIII. Quum autem Sacramenta ſint ſigna ſacra, ex inſtituto ſignificantia; facile patet non alium ea inſtituere poſſe quam Deum. *Ego enim*

acce-

Digitized by Google

accepi a Domino, quod & tradidi vobis. 1. Cor. 11:23. Sicuti ipſius ſolius eſt, ſacramentorum vim implere; & quæcunque ea obſignant actu ipſo largiri & tradere. Abſque quo illa caſſa ſigna, & inania ſacra, forent. Quomodo illa ſunt, quæ ab hominibus inſtituuntur: quæ cum gratiæ vehicula non ſint, utpote quam donare homines non poſſunt, meræ tantum picturæ & umbræ ſunt, ad vacuas mentes paſcendas, & puerili ſuperſtitione implendas, aptæ. Cujus generis ſunt ſigna, quæ appellant, ſacramentalia; quæ Pontificii ab Eccleſia inſtitui & ſacrari poſſe autumant.

IX. Inſtituit vero Chriſtus, una cum ſacramentis, ſacramentorum adminiſtros; qui non alii ſunt, quam quibus ordinarium verbi miniſterium tradidit. Ut penes eoſdem ſit divinarum tabularum, & ſigillorum iis appenſorum, cuſtodia & diſpenſatio; quæ Chriſtus mandato & inſtitutione ſua conjunxit. *Profecti ergo docete omnes gentes, baptiſantes eos in nomen Patris, & Filii, Sp. S. docentes eos, ſervare omnia* &c. Matth. 28: 19, 20. *Sic de nobis reputet homo, ut de miniſtris Chriſti, & diſpenſatoribus myſteriorum Dei.* 1. Cor. 4: 1. Cui ordini contranituntur Sociniani, qui, ut non multum ſacri in ſacramentis vident, ita uſum ac adminiſtrationem eorum Chriſtianis omnibus promiſcuum faciunt. Quod Pontificii quoque de nonnullis ſacramentis concedunt. *III. Illorum miniſtri.*

X. Cumque a Chriſti inſtitutione ſacramentorum vis dependeat, illa per miniſtri indignitatem corrumpi vel minui non poteſt; modo ille apoſtata non ſit, vel de Eccleſia exeat. Quamdiu enim ipſi verbi miniſterium conſtat, etiam ſacramentorum adminiſtratio conſtare debet. *In cathedra Moſis ſedent Scribæ, & Phariſæi. Omnia ergo quæ dixerint vobis ut ſervetis, ſervate & facite. Sed ſecundum opera eorum ne facite.* Matth. 23: 2, 3. *Ac nonnulli quidem per invidiam & contentionem, nonnulli vero etiam bono affectu Chriſtum prædicant — quid igitur, attamen quovis modo; ſive in ſpeciem, ſive ſincere, Chriſtus annunciatur. Et de hoc gaudeo, atque gaudebo.* Phil. 1: 15, 18. *Nam neque is, qui plantat, eſt aliquid, neque is qui rigat; ſed Deus qui dat creſcendi vim.* 1. Cor. 3: 7. *Ego quidem baptizo vos aqua, ad reſipiſcentiam. Is vero, qui pone me venit, validior eſt me; cujus non ſum dignus qui ſoleas portem. Ipſe vos baptizabit Spiritu S. & igne.* Matth. 3: 11. Quod contra Novatianos & Donatiſtas obſervandum. *Ita tamen ut ab eorum dignitate non pendeant;*

XI. Pariter nec intentio miniſtri ad eſſentiam ſacramenti abſolute requiritur; contra ac Concilium Florentinum, & hodierna Pontificio- *nec ab illorum intentione.*

rum

Digitized by Google

rum Eccleſia cenſet; de qua re anxie inter ſe quærunt, & diſputant, miroſque conſcientiis laqueos & compedes injiciunt. Ad integritatem vero ejus ſufficit, ſi publice ea fiant, quæ Chriſtus in Sacramenti inſtitutione juſſit. Si quid autem in occulto miniſter peccet, & non caſte ſatis ſacra tractet; id ipſius quidem peccatum eſt, non item de Sacramenti religione quicquam delibat; quod non ex miniſtri intentione, ſed ex Dei ordinatione & mandato æſtimandum eſt. Aliter enim errabundæ ac labſanti hominis cogitationi amplius tribuendum erit, quam certiſſimo Chriſti mandato & inſtitutioni: ac incerta erunt omnia, & nutantia: & quicquid conſolationis adferunt ſacramenta conſcientiis, id omne iis eripietur; ac homo tantum non in idolum erigetur; a cujus videl. nutu, & bono malove animo, ſacramenti vis & efficacia ſuſpendenda erit; ut Eccleſiæ nihil boni Spiritus, niſi de ipſius manu, ac illo diſpenſante & moderante, obveniat. Quo & alia Papalis Eccleſiæ dogmata aurigantur.

11. Eorum ſymbolum externum: quod eſt, cum elementum, tum uſus illius; quæ per verbum inſtitutionis ſanctificantur & conſecrantur.

XII. Cum vero ſacramenta ſigna ſint, ut plene eorum natura percipiatur, attendendum in iis eſt primo ad *ſymbolum* externum; ſecundo ad *rem ſignificatam.*

XIII. Ad illud pertinet, cum externum elementum, tum uſus ejus; qui ſacramento ita eſſentialis eſt, ut extra uſum ſuum non conſtet, Quod contra Pontificios tenendum eſt.

XIV. Elementum autem ſimilitudinem quandam cum re cœleſti habere debet, ut eam figurare poſſit. Quanquam ſola ſimilitudo non ſufficit; ſed verbum inſtitutionis, quod ex elemento ſacramentum faciat, &, pro re cœleſti, terreſtrem, tanquam illius arrham & pignus, ſubſtituat, accedere præterea neceſſe ſit. Conſtat autem hoc verbum mandato Chriſti, elementis externis recte utendi; & promiſſo, uſum illum fruſtra non fore. Unde eleganter Auguſtinus: *Detrahe verbum, & quid eſt aqua, niſi aqua? accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum, etiam ipſum tanquam viſibile verbum. Unde iſta tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat, niſi faciente verbo? non quia dicitur, ſed quia creditur.*

XV. Cum autem verbum illud Chriſti unicum ſacræ hujus actionis fundamentum ſit, identidem illud repeti, piiſque precibus præſenti actioni applicari debet. In qua voluntatis Chriſti declaratione, ac religioſa inſtitutionis commemoratione, fauſtiſque precibus, reliquaque actione ſacra, omnis ſacramenti *conſecratio* abſolvitur; atque ea ſolum ratione ex elemento fit ſacramentum. Cum enim Chriſtus panem vinumque

Digitized by Google

numque in corporis ſui ſacramentum conſecraret, ſola pignoris iſtius traditione; & voluntatis ſuæ, qua illud rerum cœleſtium figuram & ſigillum ferre volebat, declaratione uſus eſt. Atque ita miniſtri quoque externa ſigna conſecrant; non panem vinumque alloquentes; ſed fideles de uſu & ratione iſtarum rerum, deque voluntate & inſtitutione Chriſti edocentes; atque inſtitutum illud juge & perenne, ex mandato ejus, in Eccleſia vigere oportere docentes; & ſignis præſentibus applicantes; ac cunctam denique actionem ad exemplum Chriſti efformantes & abſolventes. Quod *verbum*, ſive inſtitutionis, ſive concionale appelletur; prout inſtitutionis Chriſti vel ſtricta repetitio & applicatio, vel ejuſdem uberior explicatio eſt, parum intereſt. Aliud enim verbum, quam inſtitutionis, aut de inſtitutione Chriſti, hic non agnoſcimus; nec certa ac peculiari conſecrationis vocabula ab eo diſtinguimus. Ac longe imprimis valere jubemus Pontificiorum ſuſurros magicos, & imperioſa verba; quibus, non populum Chriſtianum, ſed ipſa elementa alloquuntur; quæque operatoria vocant, arcanam iis vim ineſſe docentes; quibus conſecrationes ſuas peragunt. Quæ verborum potentia ad infanda magorum ſacra pertinet. Chriſtum certe, non panem vinumque, ſed fideles accumbentes allocutum conſtat. Unde ad ejus exemplum, non bruta elementa affari, ſed populum Chriſtianum de voluntate ac inſtitutione Chriſti, omnique ſacramenti ratione docere potius convenit. Quæ, cum ſacro ejus uſu conjuncta, tota elementi conſecratio eſt.

XVI. *Res ſignificata*, ſive ſpiritualis, quæ altera ſacramentorum pars eſt, eſt Chriſtus cum omnibus meritis ac beneficiis ſuis: ſpeciatim autem cum paſſione & morte ſua. Quæ etiam ratio videtur eſſe, cur ſacramenta nunquam illuſtria aut ſplendida, ſed vilia magis, aut vulgaria ſaltem, a Deo inſtituta fuerint. *Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communio ſanguinis Chriſti eſt? Panis, quem frangimus, nonne communio corporis Chriſti eſt?* 1. Cor. 10: 16. Chriſtus autem in omnibus fœderis gratiæ ſacramentis ex æquo expreſſus ac delineatus fuit: quanquam, pro diverſa ſignorum ratione, variaque eorum pictura, diverſo modo, ac gradu: prout aliter in baptiſmo, aliter in cœna, nobis exhibetur; quorum illud inſitionis in Dei fœdus, hoc perpetuæ nutritionis ſacramentum eſt. *Et omnes eandem eſcam ſpiritualem ediſſe: & omnes eundem potum ſpiritualem bibiſſe. Bibebant enim ex ſequente ſpirituali petra. Petra vero illa erat Chriſtus.* 1. Cor. 10: 3, 4.

v. Res ſignificata: qua Chriſtus.

XVII. Vis autem & intima natura ſacramentorum conſiſtit in analogia

vi. Relatio

Digitized by Google

ſigni ad rem ſignificatam;

logia & σχέσει ſigni terreni ad rem ſignificatam: qua res illa externa rem cœleſtem, tum declarat & adumbrat, tum divinæ promiſſionis virtute obſignat & tradit.

& inde profluens unio ſacramentalis:

XVIII. Eſt autem unio illa, quæ inter ſignum & rem ſignatem in ſacramento intercedit, non phyſica; ne localis; ac ne ſpiritualis quidem, ut ipſis ſignis vis regenerandi inhæreat: ſed relativa & ſacramentalis; qualis in ſignis locum habet, quæ ſe ipſa ſenſibus, rem autem ſignatam fidei ac intellectui exhibent.

quæ non imaginaria, ſed realis eſt.

XIX. Nec ideo nudæ picturæ aut ſimulachra relinquuntur. Nam, reſpectu rei exhibitæ, atque ob exhibitionis certitudinem, unio illa maxime realis eſt: cum realis rei ſignificatæ fiat communicatio; ſicuti in contractu, per traditionem inſtrumenti, prædii vel domus fit tranſlatio. Quod nemo niſi rerum & verborum imperitus ignoraverit.

Hinc ſacramentalis converſio.

XX. Ac vi hujus unionis, ob Chriſti ordinationem & promiſſionem, fit myſtica ſignorum in res ſignatas converſio, & tranſelementatio: Græcis τροπὴ, μεταβολὴ, μεταςοιχείωσις, μεταῤῥύθμησις & μετακίνησις, appllata. Latini olim innoxie tranſubſtantiationem dixere, cum ſubſtantia pro ſubſtantia hic ſupponatur. Quæ vox tandem propudioſi erroris occaſio fuit.

& prædicatio.

XXI. Ex eadem unione, & ſacramentali converſione eſt, atque ad obſignationis evidentiam & certitudinem teſtandam facit; quod nomina & attributa ſignorum, & rerum ſignatarum, inter ſeſe varie communicentur & reciprocentur: quodque vel ſignum prædicatur eſſe res ſignata; vel res ſignata accipit nomen ſigni; vel effectum ſignati ſigno attribuitur; vel proprietates denique ſigni de re ſignata uſurpantur. Quæ locutiones ſacramentales appellantur; paſſimque in Sriptura extant: atque ex unione illa ſacramentali oriuntur, quæ ſignum & rem ſignatam, eo, quo dictum eſt, modo, conjungit. Quod contra Pontificios & Lutheranos, τὸ ῥητὸν urgentes, probe obſervandum eſt.

VII. Illorum finis primarius.

XXII. Sequitur ſacramentorum *finis*: qui eſt, fœdus Dei obſignare, & mutuo pignore Deum hominesque unire, atque artiſſime devincire. Illa enim obſignatio mutua eſt, cum Dei promittentis, tum hominis adſtipulantis, atque obedientiam teſtantis, reſpectu. Appellat enim ea Scriptura *ſigna fœderis*, à Deo promiſſionibus adjuncta, quæ ab hominibus accipi & uſurpari jubet, Gen. 17: 11. *Sigilla*, σφραγῖδας, Rom. 4: 11. quæ gratiam Dei fidelibus non ſolum obſignant, ſed & obſignando actu quoque tradunt & applicant; eo videl. modo, quo per ſigna ea

tradi-

Digitized by Google

tradi poteſt: itemque lætæ conſcientiæ fulcra & *ἐπερωτήματα*, quibus illa nixa Deum accedere, & de hæreditate interpellare audet. 1. Pet. 3:21.

Eorundem cum verbo collatio.

XXIII. Atque hæc *ſacramentorum* & *verbi* inter ſeſe ratio eſt. Quod, cum utraque Chriſti merita & gratiam nobis ob oculos ponant, ſacramenta ad verbum accedant tanquam ſigilla. Unde verbum communius eſt, ſacramentis peculiarior operatio eſt. Quanquam enim verbum per ſeſe certiſſimum, ac ſacramentis prius ſit; cum illa verbo poſteriora ſint, ſicuti & verbum abſque ſacramentis, ſacramenta autem abſque verbo eſſe non poſſunt: hominum tamen imbecillitas talibus adminiculis fulciri debet. Nec culpanda eſt Dei ſapientia, quod nobis, in carne hærentibus, iſtas cœleſtium rerum imagines indulgere voluerit; non, quo in terreno iſto ſpectaculo defixi hæreremus; ſed ut iſta in umbra rerum ſpiritualium qualemcunque aſpectum haberemus, ad de accepto pignore lætaremur & fiduciam ſumeremus.

Errores adverſariorum oppoſiti:

XXIV. Notandæ hic autem diverſæ errorum facies. Quorum alii ſacrorum ſignorum dignitatem minuunt, alii nimium adaugent, inque ea tanquam idola inſaniunt. Medio autem loco, atque extra illa utrimque præcipitia, collocata eſt veritas.

Eorum I. qui vim ſacramentorum minuunt.

XXV. Perverſe enim ab una parte ſectarii in ſacramentis nil præter inania ſigna, & mortis Chriſti *μνημόσυνον* ac picturam, & nudam rei geſtæ repræſentationem, atque externa Chriſtianæ ſocietatis ſymbola & teſſeras agnoſcunt. Quæ Socinianorum, & Anabaptiſtarum, ac partim Remonſtrantium, ſententia eſt; qui, virtute omni ſacramentorum exhauſta, nec quicquam præter externa ſimulachra, ac jejuna ſpectacula, Chriſtianis relinquunt. Unde omnem promiſſorum ac fœderis Dei obſignationem tollunt, nec quicquam Deum nobis per iſta pignora largiri ſtatuunt. Cujus erroris invidia & nos præter meritum pulſant Pontificii & Lutherani; quaſi nil præter nudas imagines in ſacramentis relinqueremus. Quæ quantopere a veritate abſint, ex dictis patet.

II. qui nimium eam extollunt, faciuntque illa veras gratiæ cauſas, ex opere

XXVI. Ab altera parte incedunt Pontificii, aſſectantibus eos ex intervallo aliquo Lutheranis; qui ſacramenta Novi Teſt. gratiæ juſtificantis cauſas veras & proprias, licet ſecundarias, ſtatuunt. In qua ſententia explicanda magnum inter ipſos opinionum certamen eſt. Omnes autem ſacramenta gratiam continere; ejuſque vehicula eſſe; eamque, ubi legitime adminiſtrata ſunt, actu operari; & proxime, & immediate, atque ex opere operato, conferre, aſſerunt. Per opus autem operatum, in

operato. Concilio Tridentino, externam ſacramentorum celebrationem intelligebant; quæ non ponentibus obicem peccati mortalis, etſi aloqui fide & pietate vacuis, ſalutaris gratiæ cauſa & inſtrumentum ſit. Lutherani, quanquam verbis Pontificiorum opus operatum negent, reipſa illud introductum eunt, dum fideles & infideles ex equo corpus Chriſti edere ſtatuunt. Quod phyſicam ſacramentorum vim & efficaciam non parum redolet. Quo & aliæ eorum theſes ducunt.

quæ rejiciuntur, XXVII. Nos autem phyſicam iſtam, ac infallibilem, in omnibus qui ſacramenta recipiunt, neque iis obicem ponunt, operationem illorum negamus. Nec aliam ſacramentorum potentiam agnoſcimus, quam moralem, qualis in ſignis & verbis eſt; ad rem non efficiendam & producendam, ſed ſignificandam & obſignandam. Unde in fidelibus tantum, iiſque, qui non ſolum illum qualemcunque mortalis peccati obicem removerunt, ſed & pios ſanctoſque motus habent, illa valent; & mediante Dei Spiritu, ac fide, gratiæ Dei obſides, & ſignacula ſunt.

& refutantur. XXVIII. Atque hæc 1. perpetua Scripturæ ſententia eſt: quæ ſacramenta ſigna appellat, nec aliam quam moralem & ſacramentalem operationem iis aſſignat; & fide ea uſurpari debere docet. Ita enim *baptiſmus nos ſalvat, non qui eſt depoſitio ſordis carnis, ſed bona conſcientia firmamentum ad Deum.* 1. Pet. 3:21. Qui & veteris Eccleſiæ ſenſus fuit. 2. Et vero ἀφιλόσοφον nimis, ac propudioſum, eſt, elementa illa externa vi tali inhærente impregnare; ut in animam agere poſſint, ad reatum tollendum, motuſque ſpirituales producendos, eamque juſtitiæ initiis imbuendam. Nulla enim externorum ſymbolorum ad ſpiritualia iſta effecta proportio eſt. 3. Sed & juſtitiariorum hac in parte dolus latet. Nam per ſacramenta juſtitiam noſtram procurari ajunt; ea, quam diximus, ratione: prout per illa ſic nobis Chriſti merita applicantur, ut inde donum juſtitiæ in nobis emergat; quod juſtitiæ noſtræ cauſa & fundamentum ſit. Qua veri falſique mixtura tandem veritas adulterata, & meritorum Chriſti evacuatio facta eſt. 5. Unde à Chriſto ſenſim abducitur Eccleſia; &, loco ſponſi, tantum pictura ejus paſcitur: dumque ſacramentis adeo portentoſa vis adſcribitur, ac tantum non ipſa ſalus ab iis ſuſpenditur; in iſtis Servatoris ſui ſignis & imaginibus hærere ea, ac tantum non ſtupere, docetur. Quod in Papatu nimis luctuoſo eventu comprobatum fuit: ubi major ſacramentorum, quam Chriſti ipſius veneratio conſpicitur. 6. Quin in idola illa tandem erecta ſunt; dum immenſa vi aucta, ac immodico populi affectu & cultu celebrata ſunt. 7. Ut

tace-

taceam errore hoc ipſi Chriſti Teſtamento obrogatum, ac non parum ei adjectum fuiſſe. Agit enim illud de ipſo Chriſti corpore & ſanguine, non de aquæ vel ſacrati panis myſtica quadam vi, & immenſa propemodum poteſtate. Nec ſigna illa in teſtamento proprie ſcripta, ſed tanquam teſtamenti ſignacula nobis tradita, eique appenſa ſunt. Quo loco ſi ſemper habita, ipſumque teſtamentum Chriſti perpetuo lectum & ſervatum fuiſſet; non ille pudor Eccleſiæ veniſſet, ut iſtis ſanguinis Chriſti ſignis ac picturis non ſolum ſeſe oblectaret, ſed eadem adoraret. 8. Nec ſatisfaciunt illi inter adverſarios, qui vim quidem internam in animam agendi ſacramentis abrogant; ſed eadem; qualeſcunque tandem cauſæ ſint, infallibiliter tamen gratiam producere ſtatuunt: Deo videlicet, ex quadam lege, ſeu pacto, ad eorum præſentiam operante. Quanquam enim hi virtutem omnem Deo, non ſacramentis, tribuant; tamen reliqua prioris ſententiæ probra non effugiunt. Nam & Dei virtutem externis iſtis ſignis alligant, quaſi ad eorum præſentiam ſolum operetur: quod & falſum eſt, cum etiam ante percepta ſacramenta gratiam ſuam largiri Deus ſoleat; cujus acceptæ ea tantum ſigna & indicia ſunt; & parum a magica ſignorum & verborum ſuperſtitione abhorret. Prout Scriptura hos religionis corruptores, qui externis verbis & ſignis in ſacris tantum tribuunt, magos appellare non ſemel ſolet. Et præterea, ut priores illi, externis illis ſymbolis fidelium animas nimium adfigunt & obſtringunt; cum ſine iis gratiam Dei, ac vitam æternam vix dari autument. Unde eadem juſtitiæ & ſalutis cauſas ſuo in ordine quoque ſtatuunt. Quæ ſignorum ſuperſtitio, affectuſque idololatricus, omni modo cavendus ac eliminandus eſt.

XXIX. Præter præcipuum hunc ſacramentorum finem, accedunt alii quoque fines ſecundarii. 1. Quod in iis publica fidei ac ſpei noſtræ fiat profeſſio. 2. Quod ad conteſſerandos fideles, & Chriſtianorum ſocietatem ſanciendam ea pertineant. 3. Quod Euangelii veritati demonſtrandæ inſerviant, ac publicum ejus in mundo ſint præconium. Abſque eo enim ritus illi tam univerſaliter, ac tam conſtanter, in mundo nunquam obtinuiſſent. Unde Chriſtianæ religioni non exiguum fulcrum addunt. Quandiu enim illi ritus uſurpantur, illa non poteſt non perennare. 4. Quod denique præcipuum Chriſtianæ fidei articulum, de morte & paſſione Chriſti, in Eccleſia ſemper integrum conſervent, nec corrumpi prorſus ſinant. Quod in maximis Eccleſiæ tenebris patuit. *Finis illorum ſecundarius.*

VIII. Subjectum. XXX. Subjectum ſacramentorum ſunt *fœderati*, ſeu fideles. *En aquam: quid prohibet me baptizari? Dixit vero Philippus: ſi credis ex toto corde, licet. Reſpondens autem ille dixit, credo Jeſum Chriſtum eſſe Filium illum Dei.* Act. 8: 36, 37. Quamvis enim ſacramentorum efficacia a Chriſti inſtitutione dependeat; tamen ad rectum eorum uſum fides requiritur. Abſque qua qui ea uſurpare nituntur, illa contemerant, & nuda tantum ſigna tractant.

IX. Effectus. an etiam character indelebilis? XXXI. Ac patet jam eorum *effectus*; qui eſt, fœdus Dei ac bona fœderis, nobis obſignare & tradere. Cui Pontificii perperam addunt commentitium *characterem:* quem præterea ſacramenta quædam animo imprimant. Quod figmentum Sacræ Scripturæ, veterique Eccleſiæ ignoratum, & inter Scholaſticorum controverſias varie vexatum, vel ipſa pugnantium ſententiarum abſurditate perimitur & confoditur. Et non omnibus, ſed quibuſdam tantum ſacramentis vim iſtam animam perarandi tribuunt; ac Veteris Teſtamenti ſignis eam prorſus abrogant; quæ iſta videlicet nota characteriſtica a Novi Teſtam. ſacramentis diſtinguunt. Multaſque præterea quæſtiones nugaciſſimas de hoc non enteferunt. Ut in tenebris eos micare, &, nulla Scriptura duce, de figmentis tantum ſuis dimicare, pateat.

XXXII. Teſtimonia tamen fucando huic commento ex Scripturis conquirunt; & quanquam Vetus Teſtam. iſto charactere caruiſſe velint, tamen circumciſionis notam; ac loca quædam prophetarum, ubi ſigni & ſignaculi fit mentio, ad ſpurium iſtum characterem referunt. Quo pertinent, Ezech. 9: 4. *Tranſi per medium civitatis — & inſignito frontes illorum hominum, qui ſuſpirant* &c. Eſai. 66: 18, 19. *Quum factorum erga hos, cogitationumque erga hos quaque adveniet — ponam in his ſignum* &c. Et in Novi Teſt. Pauli ſtigmata, Gal. 6: 17. & Timothei dona, ad miniſterium obeundum, 1. Tim. 4: 14. in eandem rem adferunt. Ac Spiritus denique arrhabonem ac σφραγῖδα, 2. Cor. 1: 21, 22. Eph. 1: 13, 14. & 4: 30. qui tamen non aliud, quam ipſa gratia & fides noſtra, eſt, putido huic figmento commodare in animum inducunt. Quæ aliena, ac cum charactere, quem ipſi perhibent, pugnantia eſſe, quivis facile videt.

X. Neceſſitas. XXXIII. Atque ex iſto ſacramentorum fine & effectu facile de *neceſſitate* eorum judicari poteſt. Cum enim gratiam non largiantur, nec producant; ſed obſignent, ex Dei inſtitutione & præcepto; non abſolutam (quaſi ipſa gratiam in ſeſe continerent ac conferrent) ſed ſolam man-

Digitized by Google

mandati & præcepti neceſſitatem habent. Utque ea non contemnenda; cum gratiæ Dei ſint pignora, quæ de manu Dei accipere, deque iis lætare tenemur: ita nec ſuperſtitioſe nimis ſignis illis ſalus noſtra alliganda & obſtringenda eſt. Quæ Pontificiæ Eccleſiæ labes eſt. Quæ mirifice ſignorum illorum apparatu & choragio ſe oblectat; & univerſam pene religionem externis iſtis ritibus occupavit. Quo pacto eam in meram ſcenam commutavit, & fideles, non ſine fidei opprobrio, elementis quibuſdam terrenis deſervire rurſus coëgit. Unde & tantæ neceſſitatis ea faciunt, ut ſine iis, vel earum ſaltem voto (ubi mitiſſime loquuntur) ſalutem patere negent. Cum non ſolum ſine ſacramentorum uſu, ſed & ſine voto eorum multi fideles ſervati ſint, qui iſtam ſacramentorum neceſſitatem ignorabant.

CAPUT V.

De Sacramentis Veteris & Nov. Teſt. in genere; eorumque convenientia & diſcrimine.

I. Cum ſacramenta fœderis ſint ſigilla, pro fœderum diverſitate varia ea fuerunt. Ac prout gratiæ fœdus varie adminiſtratum fuit; &, quanquam re & ſubſtantia ſemper idem, pro temporum diverſitate, mutata veluti veſte, diverſum apparuit; ita ſignorum quoque quædam diverſitas extitit. *Sacramentorum ſub variis fœderum œconomia* DIVERSITAS.

II. Sub fœdere operum ſacramenti rationem habuerunt, *Paradiſus* & *arbor vitæ*; quæ homini integro, & in propoſito certamine victori, vitam æternam in Chriſto oſtentabant. *Arbor* autem *ſcientiæ* eam rationem non habuit. De quibus priore tomo egimus. *Sub fœdere primo.*

III. Sub primo fœderis gratiæ curriculo, ſive ſub promiſſione *ſacrificia*, & ad ea pertinentia *ſacra convivia*, ſacramentalia fuerunt. Quibus, Noachi tempore, *diluvii*, 1. Pet. 3:20, 21. & *iridis*, Gen. 9: 13-18. Eſai. 54:9. myſteria acceſſerunt. Abrahamo denique data fuit *circumciſio*, Gen. 17. quæ fœdus Dei, fœderiſque bona, familiæ ipſius, quæ Eccleſiæ mater atque hoſpes futura erat, addicebat. *Sub promiſſione.*

IV. Sequens Eccleſiæ ætas variis rurſus ſacramentis inſignis fuit. Erant enim ſigna *extraordinaria*, *baptiſmus in nube & mari*, *manna cibatio*; & manantes *ex petra* aquæ; de quibus 1. Cor. 10:1, 2, 3. Nec ceſſabant *Sub lege.*

Digitized by Google

bant *ordinaria*, uti *ſacrificia*, ac *ſacrificales epulæ*; & *lotiones* ac expiationes legales, aliæque *cerimoniæ*, quæ Chriſti beneficia adumbrabant. Hebr. 9: 10, 13. Eminebant autem in iſta periodo *circumciſio* & *paſcha*; quorum illa inſitionem in fœdus, hoc confirmationem in eo obſignabat. Col. 2: 11. 1. Cor. 5: 7.

Sub Euangelio. V. Sub Novo Teſtamento autem duo tantum a Chriſto inſtituta, & ab Eccleſia accepta, leguntur ſacramenta, *Baptiſmus* & *S. Cœna.* Quo ſpectant Apoſtoli loca 1. Cor. 10: 2, 3, 4. *Et omnes in Moſen baptizatos eſſe, nube & mari: & omnes eandem eſcam ſpiritualem ediſſe: & omnes eundem potum ſpiritualem bibiſſe. Bibebant enim ex ſequente ſpirituali petra. Petra vero illa erat Chriſtus.* Et cap. 12: 13. *Etenim per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptizati ſumus, & Judæi, & Græci, & liberi, & ſervi, & omnes potati ſumus in unum Spiritum.* Hebr. 9: 10. *In cibis duntaxat & potionibus, & diverſis ablutionibus ac ritibus carnalibus* &c. ubi ſolam ſalutaris undæ & myſtici cibi, ac potus, mentionem facit; cumque iis veterum ritus comparat.

Sacramentorum utriuſque, Teſt. convenientia, VI. Antequam vero de ſingulis agamus, ſignorum Veteris & Novi Teſt. inter ſeſe convenientia, & diſcrimen, annotanda veniunt.

VII. Conveniebant: 1. in generali ſignorum natura, & relatione ad rem ſignificatam. 2. auctore, Deo. 3. re ſignificata, Chriſto, cum beneficiis ſuis. 4. inſtrumento applicationis, quod utrobique fides erat. 5. fine denique & effectu, quod pariter fœdus Dei obſignarent, & fidem noſtram confirmarent. Unde *antitypa*, id eſt, ducti ex eodem archetypo typi, eademque forma ſignati, & ſpectantes ad eundem Chriſtum imagines, appellantur, 1. Pet. 3: 21. quod latius exequitur Paulus 1. Cor. 10. ubi eandem Patrum nobiſcum fidem, & myſticam eſcam, & potum, eundemque utrobique Chriſtum, loquitur.

& diſcrimen. VIII. Diſcrimen ſitum erat in accidentibus quibuſdam & circumſtantiis. Differunt enim: 1. ſignis ac ritibus externis; quæ ſub N. F. magis naturalia & ſimplicia, adeoque minus mutabilia ſunt. 2. numero. 3. utendi facilitate; quod ex baptiſmi & circumciſionis comparatione liquet. 4. objecti amplitudine; cum illa ſolos Abrahami poſteros obſignarent, hæc ad omnes gentes pertineant. 5. Significationis modo, qui hic longe illuſtrior eſt: cum illa venturæ lucis umbræ & ſtricturæ; hæc præſentis ejuſdem, ac pleno in die ſplendentis, radii ſint, Hebr. 10: 1. 6. Temporis duratione; cum enim vetera ſua periodo definerentur, noſtra non niſi cum ſæculo interibunt. 7. Claritate & perſpicuitate; quæ

Digitized by Google

quæ in verborum ſacramentalium emphaſi potiſſimum apparet. 8. Euangelica denique ſuavitate. Cum illa de legis rigore multum haberent, ac nondum abolitam reatus profeſſionem continerent, Gal. 5:2. hæc autem nihil niſi gratiam ſpirent: utpote in quibus τελείωσις eſt. Unde Auguſtino *pauca pro multis, factu facillima, intellectu auguſtiſſima, obſervatione caſtiſſima* recte dicuntur.

IX. Alia autem fingunt diſcrimina Pontificii; & vetera novaque ſacramenta, non modo ſolum ſignificandi, ſed & tantum non ipſa re ſignificata, divera ſtatuunt: ac illa quidem nil niſi tenues umbras, vix aliquid lucis habentes, fuiſſe volunt; & vix quicquam ſupernaturale, aut ſpiritualis ſignificationis vel promiſſionis, in iis relinquunt. Ita enim hæc diſtinguere amant: 1. Sacramenta Veteris Teſt. gratiam contuliſſe ex opere operantis; Novi Teſt. ſigna eandem conferre ex opere operato. 2. illa figuras & ſigna qualiacunque gratiæ fuiſſe; hæc autem ipſam gratiam continere, ut cauſas. 3. imo illa noſtrorum potius ſacramentorum figuras fuiſſe. 4. denique ad purificationem carnis illa ſolummodo feciſſe, nullas autem promiſſiones ſpirituales habuiſſe. Quibus aſſertionibus partim Novi Teſt. ſacramenta immenſum, ac præter fas, adaugent; partim Veteris Teſt. ſigna, omnemque iſtius Eccleſiæ ſtatum, quaſi corporeis ſolum rebus paſta fuerit, nec veram ſponſi ſui imaginem unquam viderit, nimium depretiant. *quod male aſſignant Pontificii.*

X. Contra, eodem efficaciæ genere, ac pari ſignificandi & obſignandi vi & poteſtate, & hæc & illa ſacramenta polluiſſe, ex Apoſtolo 1 Cor. 10: 1--4. potentiſſime patet; qui unicus locus controverſiam hanc finire poteſt. Nam & veteribus eſcam potumque ſpiritualem, in mannæ, & myſticæ rupis imagine, exhibitum fuiſſe; atque utramque Eccleſiam eaſdem ſalutis teſſeras habuiſſe, docet. Atque illis eandem, quam nos guſtamus, eſcam, eundemque potum, fuiſſe, diſerte affirmat. Et præterea, ut paritatem oſtendat, novorum ac veterum ſacramentorum nomina inter ſe commutat; & nubis umbraculum, ac maris tranſitum, baptiſmum appellat: & cœleſtes cibos, quibus Eccleſia in deſerto paſta eſt, cum ſacræ Cœnæ epulo confert. Sicuti alibi veterum ſacramentorum nomina ad novam Eccleſiam transfert. 1. Cor 5: 7. Phil. 3: 3. Col. 2: 11. Quæ nominum permutatio, illa conſpirantes ejuſdem rei imagines & typos fuiſſe docet. Nec leve eſt, quod circumciſio fœdus Dei, Gen. 17: 7--10, 14. & juſtitiæ, quæ per fidem eſt, ſigillum ab Apoſtolo, Rom. 4: 11. appellatur. Quæ tam excelſa ſunt, ut majora de Novi Teſt ſignis prædicari nequeant. *qui confutantur: generatim,*

& particulatim. XI. Ad iſtas autem diſcriminum notas, quas ipſi adferunt, paucis adnotamus: 1. opus operatum nullibi, & ne in Novi quidem Teſt. ſacramentis, locum habere; opinionemque eam, uti voce, ita magis ſenſu, barbaram eſſe; cum externis ſignis ſacrilegam poteſtatem attribuat; proque ipſo Chriſto externorum rituum idola Eccleſiæ tractanda & colenda offerat. 2. Sacramenta Veteris Teſtam. umbras quidem & imagines fuiſſe, Col. 2: 17. ſed quæ eandem gratiam figurarent, ac obſignarent; eundemque Chriſtum Eccleſiæ in manum traderent, quem Novi Teſt. ſacramenta exhibent. Ut non illa magis, quam hæc, inania ſimulachra, ac fugientes umbræ, appellanda ſint. Quanquam enim Chriſtus nondum adveniſſet, jam tamen ſpoponderat, atque iſta externis tabulis ſignacula appendi fecerat, quæ piorum fidei paſcendæ & roborandæ ſufficerent. Metonymia autem eſt, ex arta ſignorum & rei ſignificatæ unione orta, quod Novi Teſt. ſacramenta, ac præſertim baptiſmi aquæ, mundare, regenerare &c. dicantur, Tit. 3: 5. Cum ſimiles locutiones de Veteris Teſt. ſacramentis ac cærimoniis occurrant. Nam & circumciſio dicitur ipſum fœdus; & ſacrificia Levitica dicuntur expiationes peccati, Gen. 17: 10. Lev. 4:20. 3. Perverſum autem eſt, quod Veteris Teſt. ſacramenta Novi Teſtam. ſacramentorum mubras & typos, agnumque ex. gr. paſchalem Euchariſtiæ figuram fuiſſe volunt; quo Apoſtoli locum trahunt, 1. Pet. 3:21. ubi baptiſmum arcæ, in diluvio fluitantis, vocat ἀντίτυπον. Quod ſacramentorum naturæ repugnat, quæ neceſſario ipſius fœderis firmamenta & ſigilla, non autem æmulorum ſignorum typi & umbræ, primæque lineæ ac deformationes, exiſtunt. Ac inſulſum eſt, figurarum alias figuras, & imagines veluti traduces, ac ſæpius reparabiles (quæ tamen ipſum Chriſtum non exhibeant: quod cogitatu impoſſibile eſt) & ſignorum ſigna, & umbrarum umbras, velle introducere. Cum nullæ niſi corporis umbræ dentur, illudque unum depingant & exprimant; cum autem baptiſmus arcæ, aquis innatantis, vocatur ἀντίτυπος; duæ ejuſdem rei imagines inter ſe componuntur, atque ad idem corpus referuntur. Notat enim ἀντίτυπον non rem ſignatam, aut ἀρχέτυπον (nam pro ſimplici typo ſumitur Hebr 9: 24.) ſed ſimilem, ſeu parallelum ejuſdem rei typum, eadem imagine percuſſum ac ſignatum: qualia & arca, & baptiſmus, ſunt reſpectu obedientiæ & ſanguinis Chriſti. 4. Atque huc tandem illa deveniunt, quod non ſolum veterum Eccleſiam veris Chriſti ſignis, ac fœderis ſignaculis, ſed & re ſignificata, ſpiritualibus videl. promiſſionibus, caruiſſe velint. Quæ non exigua in Deum, qui ſollemni fœdere, adjectiſque inſuper ſymbolis

Digitized by Google

bolis ac ſigillis, ſeſe piorum Deum teſtabatur, Matth. 22: 32. Act. 2: 39. Rom. 4: 11. & in Ecceſiam ipſam contumelia eſt. Quaſi illa nihil ſpiritualium bonorum guſtaverit, nec Chriſtum in tot imaginibus viderit, contra ac Apoſtolus diſerte urget, 1. Cor. 10. & terrenis denique bonis paſta, inſtar pecudum, ignobile ævum traduxerit. Quod Pelagii ac Socini ulcus eſt.

XII. Pontificiis ſocios ſeſe præbent *Anabaptiſtæ*; qui cum tam tenuiter de Veteris Teſt. ſtatu, deque omni Dei fœdere, ſentiant; non mirum eſt, quod & fœderis ſigilla vi ac poteſtate ſua ſpolient. Unde ea pro nudis emblematis ac ſpectaculis habent, quæ ventura olim bona, omnemque Chriſti gratiam, utcunque figuraverint, ac de longinquo adumbraverint; nullum autem ſpirituale bonum veteri Eccleſiæ tanquam proprium addixerint & confirmaverint. Quia & circumciſionem gratiæ fœdus veluti obtexiſſe, eique velum prætendiſſe aſſerunt. Quod, ex vero hauſtum, in malum ſenſum apud ipſos detorquetur. *II. Anabaptiſtæ.*

XIII. Nec recte etiam *Lutherani* negant, parem ſacramentorum Vet. & Novi fœderis, quod ad rem ſignificatam attinet, rationem fuiſſe, quia illa tum abſens erat. Nam & noſtris quoque nunc ſenſibus abſens eſt Chriſti corpus & ſanguis, quæ tamen fidei interiorique animæ perceptioni ſunt præſentia: & hac quoque ratione Chriſtus veteribus olim fuit præſens; cujus *diem Abrahamus vidit*, Joh. 8: 56. quique *heri & hodie idem eſt, & in ſecula*, Hebr. 13: 8. cujus etiam veteres hoc modo participes fuere; utpote qui *omnes eandem eſcam ſpiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt*. 1. Cor. 10: 3, 4. *III. Lutherani.*

XIV. Sacramentis autem omnibus, cum Veteris, tum Novi Teſt. Chriſtum initiatum fuiſſe conſtat. Cum enim divini cultus eſſet obſervantiſſimus, religioſos iſtos ritus adeo non aſpernatus eſt, ut eos ſummo ſtudio conſectatus legatur. Et, cum homo, ac electorum caput & ſponſor foret, iſta divini favoris ſymbola adeo ab ipſo non erant aliena, ut non alio modo fœderis ac promiſſorum Dei veritas, tum ipſi, dum ſtadium illud decurreret; tum fidelibus omnibus, in ipſo cenſitis, melius affirmari & obſignari potuerit. *Sacramentis omnibus V. ac N. T. cur initiatus ſit Chriſtus.*

Digitized by Google

LOCUS QUADRAGESIMUS TERTIUS

DE

BAPTISMO.

CAPUT VI.

De Baptiſmi inſtitutione.

Primum N. F. ſacramentum eſt BAPTISMUS.

I. SAcramentorum Novi Teſt. primum eſt baptiſmus. Cujus 1. *inſtitutionem.* 2. externam *adminiſtrationem.* 3. internam *ſignificationem.* 4. ac denique *adjuncta* conſiderabimus.

Cujus vocis ſignificatio.

II. Βαπτισμὸς & βάπτισμα, ſi etymon ſpectes, proprie immerſionem notat. *Et baptizatus Jeſus, aſcendit ſtatim ex aqua.* Matth. 3: 16. conf. Act. 8: 38. juxta quoldam etiam aſperſionem, & quamcunque lotionem, ſeu ablutionem: quo ſenſu uſurpari putant Marc. 7: 4. *lotiones — lectorum:* metaphorice adſpectabalem Spiritus S. donorum effuſionem: *Ipſe vos baptiſabit Spir. ſancto, & igne.* Matth. 3: 11. Act. 1: 5. itemque ærumnas & calamitates quaſcunque; ipſamque mortem & martyrium denotat. *Poteſtis poculum bibere, quod ego bibiturus ſum; & baptiſmate, quo ego baptiſor, baptiſari.* Matth. 20: 22, 23. Atque eadem figura ſacræ doctrinæ aquas, ac rorem vivificum, ſeu potius doctrinam baptiſmi, dicit. *Sciens tantum baptiſma Johannis.* Act. 18: 25. Atque hinc vulgata illa diſtinctio, in baptiſmum *fluminis, ſanguinis, flaminis:* cui & quartum addunt, *luminis* ac doctrinæ. Nos de primo baptiſmo vocem iſtam accipimus.

Baptiſmus Gentilium,

III. Eſt autem baptiſmus omnis, vel *Gentilium*, vel *Judæorum*, vel *Chriſtianorum*. Nam & *Gentiles* lotiones in ſacris olim habuerunt: tum in peccatorum labe expianda; quæ fluminea aqua tolli, ſtulte, & non ſine Poëtarum irriſu credebant: tum in celebrioribus myſteriis peragendis. Quæ eorum aquæ cum divina auctoritate ac promiſſis carerent, atque extra Dei fœdus uſurparentur, inutiles ac viduæ erant; ut non ineleganter Tertullianus, lib. de baptiſm. *Sed & de viduis aquis ſibi mentiuntur:*

Digitized by Google

tur: non enim maritæ, vel ulla ſpiritus potentia fœcundæ erant, nec omnino unda iſta genitalis fuit.

IV. *Judæorum* baptiſmus duplex erat: alter pollutorum טבילת נדה qui, antequam ſacrorum participes redderentur, lotionibus quibuſdam ac piamentis uti debebant: alter proſelytorum, טבילת גרות per quem alienigenæ in Judæorum rempubl. ac religionem initiabantur: hi enim præter circumciſionem & ſacrificium baptiſmo præterea in Judæorum ſacra tranſibant. Nunc autem, ceſſantibus ſacrificiis, ſola circumciſione & baptiſmo proſelytos adoptant. *Judæorum:*

V. Incertus autem eſt apud Judæos baptiſmi illius ortus: dum quidam ad Jacobum Patriarcham, familiam ſuam luſtrantem, Gen. 35:2. alii veroſimilius ad Moſem, in deſerto, illum ritum referunt. Exod. 19: 10, 11. *Et dixit Jehova Moſchi, ito ad ipſum populum, ut ſanctifices eos hodie & cras, & lavent veſtimenta ſua; ut ſint parati in diem tertium.* qui fuerit *baptiſmus in nube & mari*, Paulo memoratus, 1. Cor. 10:2. Hoc certum eſt; ſive iſta occaſione cœperit, ſive poſtquam Samaritæ circumciſionem acceperunt; ſive denique poſt templi excidium, aut ſerius; baptiſmum illum, ad ſacrarum lotionum, aut apud veteres, aut in templo deinceps uſitatarum, exemplum, primum uſurpatum fuiſſe. *illiuſque origo*

VI. Peragebatur hæc luſtratio ſtatim a circumciſione, mox ubi dolores ejus interquieverant. Præmittebatur autem examen ſollemne. Dumque novus fidei candidatus abluebatur, religionis articuli prælegebantur; interimque ipſe mergebatur, adſtante ſapientum triumviratu. Eodem ritu & liberi ejus luſtrabantur, atque univerſa familia, etiam qui ſequioris ſexus erant. Et, ſi parentes præmortui forent, locum eorum tres iſti e ſapientum collegio, qui baptiſmis præerant, implebant; atque iis quaſi teſtibus illi initiabantur. Et qui ita expiati erant, in Judaicæ gentis nomen ac decus veniebant; atque, exuta peregrinitate, & priſtina conſanguinitate obliterata, novorum quaſi natalium jus accipiebant, ac deinceps pro Judæis, ac Dei domeſticis, habebantur. Unde poſteros eorum rurſus tingi, & novo baptiſmo inaugurari fas non erat, cum pro veris Iſraëlitis cenſerentur. *& adminiſtratio:*

VII. Atque hunc Judæorum baptiſmum, qui humanus ac eccleſiaſticus duntaxat ritus erat, Chriſtus, ex eorum ſententia, qui jam tum illum obtinuiſſe cenſent, conſecravit, &, rejecta circumciſione, novæ Eccleſiæ ſacramentum eſſe juſſit. Ita ut, ſicuti olim per circumciſionem & baptiſmum, ita nunc per baptiſmum ſolum Deo liberi naſcantur. *& Chriſtianorum.*

 VIII. Pri-

Digitized by Google

Quem primum adminiſtravit JOHANNES.

VIII. Primus illum uſurpavit *Johannes*, ab eo ritu *Baptiſtes* dictus, non ſine Dei auctoritate ac juſſu. Ne quis pro nudo ritu ac cærimonia illum habeat. *Factum eſt verbum Domini ad Johannem, Zacharia filium, in deſerto: venit igitur in omnem regionem circumjacentem Jordani, prædicans baptiſmum reſipiſcentia* &c. Luc. 3: 2. *Sed qui miſit me, ut baptiſarem, ille mihi dixerat, ſuper quem videris Spiritum deſcendentem* &c. Joh. 1: 33. *Baptiſma Johannis unde erat, e cælo, an ex hominibus?* Matth. 21: 25.

Illius cum baptiſmo Chriſti & Apoſtolorum convenientia,

IX. Convenit ergo, quoad rem ipſam, baptiſmus ejus cum noſtro, atque idem novæ Eccleſiæ ſacramentum fuit. Idem enim utrobique ritus, Marc. 1: 4. eadem utrobique doctrina & promiſſio. Joh. 1: 29, 30. *Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi. Hic eſt, de quo dicebam* &c. conf. ÿs 34, 36. Matth. 3: 11. *Ego baptiſo vos aqua ad converſionem. Ille autem, qui poſt me venit — ipſe baptiſat vos Spiritu S. & igne.* conf. Marc. 1: 2. Act. 2: 38. Ac par utriuſque auctoritas fuit, Joh. 1: 33. *Qui miſit me, ut baptiſarem* &c. Ubi autem & ſignum, & res ſignata, eſt eadem; eademque obſignandi auctoritas & efficacia; idem ſacramentum quoque exiſtere oportet: *Neque quicquam refert inter eos, quos Johannes in Jordane, & quos Petrus in Tiberi tinxit.* ut Tertull. Unde Chriſtus quoque baptiſmum illum accepit, ac proprio in corpore conſecravit, Matth. 3. Nec alia unda Apoſtolos ejus ablutos conſtat. Quos omnes inani, ac priſci ævi cærimonia, in ipſo novæ Eccleſiæ exordio, inauguratos; aut Johannis aquas ejuſdem cum noſtris dignitatis ac efficaciæ dicere oportet. Atque hoc potius eſt; cum iſta naſcentis Eccleſiæ fuerint initia, quæ vano ac caſſo ritu abſolvere non decet.

& ab illo diſcrimen.

X. Agnoſcendum tamen quoddam circumſtantiarum & graduum diſcrimen. Cum enim Johannes Chriſto præcurreret, ac adventanti populum colligeret & præpararet; Meſſiam non niſi venturum, aut potius *venientem*, Act. 19: 4. prædicabat, inque fidem ejus credentes e Judæis obſignabat; Spiritu quoque, quandiu Chriſtus nondum manifeſtatus erat, parcius ad baptiſmum ejus veniente, nec tanta donorum copia aquas ejus imprægnante. Quæ uberiora in Apoſtolorum Baptiſmo fuerunt. Ubi major & adſpectabilis ſæpe Spiritus S præſentia; & magna donorum copia; & clarior obſignatio; & non Judæorum tantum, quorum finibus Johannis curſus claudebatur, ſed & gentium immerſio, ad obedientiam fidei; cum ad eos etiam Spir. ſancti rivi & aquæ permanarent.

rent. Vide Matth. 28: 19. *Profecti ergo docete omnes gentes, baptiſantes eos* &c. Matth. 3: 11. *Ego baptizo vos aqua ad reſipiſcentiam. Is vero, qui pone me venit — vos baptizabit Spiritu S. & igne.* Joh. 7: 39. *Qui credit in me, flumina aquæ vivæ ex ventre ipſius fluent. Hoc autem dixit de Spiritu illo, quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus S. quia Jeſus nondum erat glorificatus.*

Quod male ponunt Pontificii & Anabaptiſtæ.

XI. Ut perverſe Pontificii Johannis baptiſmum minuant; nec pro Novi Teſt. ſacramento, ſed pro nudo ritu ac cærimonia; proque externa tantum corporis lotione, ac inani ſigno, habeant; nihilque in eo præter externam aquam videant. Ita enim, poſt Scholaſticos, nunc ſentiunt Jeſuitæ, ac, cum Anabaptiſtis, in baptiſmo illo nihil Euangelicum agnoſcunt; ſed ritum tantum Veteris Teſtamenti a Johanne repetitum volunt; adeoque iterari & repeti eum oportuiſſe contendunt. Quæ alia ex iſta communione paululum mitigant; & remiſſionem peccatorum baptiſmo iſti comitem fuiſſe, verum aliter ac in Euangelicis ſacramentis, & ex opere operantis ſolummodo affirmant Alii rurſus baptiſmum illum non præcepti, ſed conſilii fuiſſe, docent. Omnes autem in eo conveniunt, quod Johannis Baptiſmum à noſtro non gradu ſolo, ſed ſpecie ac ſubſtantia diſtinguunt. Quorum argumenta breviter excutienda ſunt.

Qui confutantur.

XII. Ac 1. contra manifeſtam Scripturam eſt, quod divinam originem ac auctoritatem Johannis Baptiſmo abrogant; &, non à Deo, ſed à Johanne ipſo inſtitutum, indeque Johannis baptiſmum dictum, volunt. Diſertiſſima enim teſtimonia in contrarium vidimus. Luc. 3: 2. Joh. 1: 33. Matth. 21: 25. 2. Nec dignitatem ejus minuit, quod *baptiſmus pœnitentiæ* appelletur. Cum pœnitentia illa, ac veteris inſtituti, falſæque juſtitiæ derelictio, fidem in Chriſtum includeret; qua ſancta diſciplina Johannes proſelytos ſuos imbuebat; pariterque & noſter baptiſmus pœnitentiæ initiatio eſt; ac de noſtra quoque unda, nativa ſorde eluta, ad novæ vitæ auſpicia renaſcimur. *Conſepulti ſumus igitur ei per baptiſmum in mortem: ut, ſicuti ſuſcitatus eſt Chriſtus ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos nova vita ambulemus.* Rom. 6: 4. 3. Ad diſcrimen illud, quo Johannes baptiſmum ſuum à Chriſti baptiſmo diſtinguit, Marc. 1: 8. Matth. 3: 11. dici poſſet, illud non minus in ordinario miniſtrorum baptiſmo locum habere; cum *neque is, qui plantat, ſit aliquid; neque qui rigat; ſed Deus, qui dat creſcendi vim.* 1. Cor. 3: 7. Nam externa ablutio, externæque aquæ, ſemper à Deo, Spirituque eas ani-

Digitized by Google

animante & fœcundante, diſtinguenda ſunt. Sed cum Johannes hic revera non diſtinguat inter actionem ſuam externam & virtutem Chriſti internam, ſed inter ſuum & Chriſti baptiſmum, libenter damus, majorem Spiritus copiam, ac Johannis baptiſmum comitabatur, in poſterum à Chriſto dandam hic promitti 4. Leve autem eſt, quod de verborum formula contendunt; quod Johannes non legatur ſuos in Trinitatis ſidem obſignaſſe; quæ Chriſtiani baptiſmi ratio eſt, Math. 28:19. Sufficit enim, rem utrobique eandem eſſe. Non enim formula iſta ſubſtantiam baptiſmi facit; cum ne quidem Apoſtoli ea ſemper uſi ſint; ac Chriſtus in gentium baptiſmo eam demum exprimat. Neque S.S. Trinitatis teſtimonio Johannis baptiſmus prorſus caret: cum Matth. 3. in illuſtri illo, quo baptiſmus ejus commendatus fuit, miraculo, reſeratis cœlis, tota Trinitas quodam modo ad ejus baptiſmum venerit, voce, Pater; natus, corpore; flamen, ave. 5. Gravius eſt, quod retinctos exiſtimant, qui jam antea à Johanne baptiſati fuerant. Quod ex Act. 19:3, 4, 5. & Act. 2:41. coll. Marc. 1:5. ſeſe probare putant. Et verba quidem illa Act. 19:5. *Qui vero illum audierunt, baptizati ſunt in nomen Domini Jeſu*: non Lucæ narrantis, ſed Pauli concionantis eſſe, ex particularum μὲν & δὲ nexu ſatis evinci multis videtur. Unde, non retinctos illos, ſed eos, qui à Johanne olim abluti erant, à Paulo, impoſitis manibus, majore extraordinarii Spiritus copia donatos, diceretur. Quam Spiritus potentiam hactenus ignoraverant. Sed cum ille particularum nexus quandoque fallat, & alia quædam hujus loci verba, & totus verborum contextus optime admittant, hoſce XII. viros Johannis baptiſmo olim tinctos, à Paulo de novo tinctos eſſe, quæ veterum fuit communis interpretatio; nihil aliud hinc ſequeretur, niſi illos qui a Johanne antea in Jeſum *venientem* baptizati erant, poſtea, Jeſu manifeſtato & conſummato, in expreſſo *nomine domini Jeſu*, qui jam venerat, iterum tingi potuiſſe. Quale circumſtantiarum diſcrimen inter baptiſmum Johannis & Apoſtolorum jam indicavimus. Nec ingens illa turba, quæ in celebri iſta Chriſtianæ Eccleſiæ pentecoſte, ſacro lavacro expiata eſt, Act. 2. omnis è Johannis diſciplina venerat; nec ab eo jam ante abluta fuerat. Magnam enim partem erant Judæi exteri. Quanquam, ubi aliquot millia baptiſmum petebant, Apoſtolos curioſius inquiſiviſſe non exſtimemus, ne quis forte, à Johanne, olim ablutus, in tanta multitudine lateret. Et illorum, ſi retincti fuerint, eadem, quæ XII. illorum diſcipulorum, fuiſſet ratio. Quod enim de Johanne urgent ex Marc. 1:5. *Et exibat*

ad

Digitized by Google

ad eum omnis Judaica regio, ac Hieroſolymita, ac baptiſabantur omnes &c. idem de Apoſtolis objici poſſet, ex Joh. 4: 1, 2. *Cognovit Dominus, Phariſæos audiiſſe, ipſum plures diſcipulos facere, & baptiſare quam Johannem. Quanquam Jeſus ipſe non baptiſabat, ſed diſcipuli ejus.* Ut ex Apoſtolorum quoque proſelytis, inter tot millia, non defuiſſe videantur qui jam a Johanne tincti fuerant. Cui difficulati hoc modo facilius a nobis, quam ab ipſis ſatisfieri exiſtimamus.

XIII. Quæri autem poteſt: quid de baptiſmo Spiritus ac ignis, de quo Johannes concionabatur, Matth. 3: 11. Luc. 3: 16. cenſendum ſit. Proprie enim, ac κατὰ ῥητόν, quidam baptiſmum illum acceperunt, ac igni olim baptiſarunt. Veteres quidam ignem inferni; alii ignem probationis, ſeu purgatorii cogitavere. Communior ſententia verba illa conjungit, &, per ἓν διὰ δυοῖν, vel Spiritum ardentem ac igneum, vel ignem ſpiritualem, intelligit. Ubi conferre licet ſimiles loquendi modos. Joh. 3: 5. Act. 1: 5. & 2: 4. Sed forte non incommode ea diſtingui poſſent, & per *baptiſmum Spiritus*, Spiritus in Nov. T. promiſſus, ingenſque ejus copia. Joh. 7: 38, 39. Act. 2: 15, 16. per *baptiſmum ignis* autem ſecundum literam, inſtans Dei in Judæos contumaces judicium, ac gentis templique per ignem excidium intelligi: de quo & Johannes in eadem concione ỳs 12. dixit: quanquam & alia, quæ per ignem in Scriptura intelligi ſolent conjungi poſſe non abnuamus. Vide 1. Pet. 4: 12. *Ne, tanquam peregrini, exploratione illa per ignem, quæ fit in vobis, ad veſtri experimentum, percellimini,* Zach. 13: 9. *Et introducam tertiam partem in ignem, & conflabo illos, ut conflatur argentum.* *Qualis fuerit baptiſmus Spiritus & ignis.*

XIV. Baptizatus autem a Johanne legitur Chriſtus; non quod regeneratione indigeret, ſed aliis de cauſis. Nam 1. iſtud amoris Dei pignus accipere, & tractare, a Chriſto homine alienum non erat. 2. Cumque Eccleſiæ dux atque caput foret, a Patre in Salvatorem mundo oſtendi, atque iſto ritu publice obſignari, debebat. Quo oraculum in baptiſmo ejus de cœlo editum ſpectat. 3. Sed & ad Eccleſiam de juſtitia per ipſum, ut ſponſorem noſtrum, parta, ſecuram reddendam hoc favoris Dei teſtimonium pertinebat; atque eluendis, non propriis, ſed noſtris ſordibus, ipſi imputatis, iſtæ aquæ ſerviebant. Rom. 8: 3. 4. Pertinebat etiam ad exemplum, ne quos ſacros ritus Chriſtus omitteret, ſed eos omnes proprio in corpore honoraret & conſecraret. 5. Cumque tam veteris, quam novæ legis ſacramenta ſuſciperet, ſe unum omnium illorum finem, ac fœderis fundamentum, & utriuſque populi, tum veteris, tum novi, *Cur Chriſtus a Johanne baptizatus ſit.*

Digitized by Google

Servatorem declaravit. 6. Tandem & Johannis doctrinæ iſto pacto teſtimonium reddebat; cum ipſe publicum ab eo teſtimonium accipere, ac baptiſmo ejus ablui non abnueret. Recepit ergo ab eo baptiſmum externum. Internum vero non tam accepit, quam ipſe & aliis, & ſibi dedit. Unde non ab aquis mundatus, ſed ipſas potius aquas mundaſſe a veteribus dicitur. Quæ etiam cauſa eſt, quod ipſe nunquam baptiſaſſe, aut externas aquas miniſtraſſe; ſed quicquid hoc muneris erat, diſcipulis permiſiſſe, legitur Joh. 4: 2. utpote cum ad eum præcipue internus per Spiritum S. baptiſmus pertineret. *Ipſe vos baptiſabit Spiritu S. & igne.* Matth. 3: 11.

CAPUT VII.

De Baptiſmi adminiſtratione.

Baptiſmi ADMINISTRATIO *ab Apoſtolis,*

I. UT ergo ad baptiſmi *adminiſtrationem*, ejuſque miniſtros, pergamus; baptiſarunt potiſſimum Apoſtoli, Chriſti juſſu atque auctoritate. *Jeſus ipſe non baptiſabat, ſed diſcipuli ejus.* Joh: 4: 2. *Profecti ergo, docete omnes gentes, baptiſantes eos in nomen Patris, Filii, & Spiritus S.* Matth. 28: 19. Act. 2: 41.

II. Quando enim Paulus, non ad baptiſmum, ſed ad Euangelium miniſtrandum, miſſum ſeſe dicit, 1. Cor. 1: 17. præcipuam muneris ſui partem exprimit: quod in Euangelio annunciando, cui non omnes idonei erant, conſiſtebat; tingendi miniſterio aliis, qui ad illam αὐτουργίαν facilius ſufficiebant, mandato; qui ex Apoſtolorum auctoritate illud adminſtrabant. Quanquam & Paulum quoque baptiſaſſe ſatis conſtat. conf. com. 14. Prudentiæ autem erat, in ea Eccleſia, ubi partim ſtudia increbeſcebant, dum quiſque illos, a quibus ad ſacrum fontem perductus erat, tanquam fidei magiſtros ſequebatur, a tingendo abſtinere; ut inter diffidentes idoneus pacis auctor & ſequeſter foret; nec quiſquam ex Apoſtolica tinctura prærogativam ſupra reliquos fratres præſumeret.

aliiſque Euangelii miniſtris.

III. Præter Apoſtolos, baptiſarunt quoque Euangeliſtæ, aliique miniſtri, qui ipſis auctoribus hoc muneris uſurpabant. *Quum vero crediddiſſent Philippo euangeliſanti — baptiſabantur viri & fæminæ.* Act. 8: 12. *Et quum ſurrexiſſet* (Saulus) *baptizatus eſt* ab Anania. c. 9: 18. & 10: 40. Sicut in veteri Eccleſia ab Epiſcopo, vel presbytero, novi Chriſtiani

ſtiani luſtrabantur. Atque in univerſum publica illa fidelium initiatio, cum non ad domeſticam vel privatam diſciplinam (qualis ſingulis Chriſtianis incumbit) ſed ad publicum officium pertineat; publicos Eccleſiæ miniſtros ſolum ſpectat. Atque ii ſolum, quibus præcipua Eccleſiæ cura, & ſacrorum myſteriorum cuſtodia commiſſa eſt, publice docere, & tingere, novoſque fratres adoptare, permittuntur. Hæc enim duo conjunguntur, *docete omnes gentes, baptiſantes.* Matth. 28: 19. Nec cuiquam privato auſu ſacra ſigilla tractare licet: cum & inter homines, qui injuſſu imperatoris publicas tabulas conficiunt, ultimi criminis rei habeantur.

IV. Invaleſcente autem jam olim nimia ſignorum religione, ac baptiſmi præſertim neceſſitate, etiam Laicis tingere permiſſum fuit. Atque in eam ſententiam multi ex patribus eunt. Atque ulterius iverunt Pontificii; & in concilio Florentino, non Laicis ſolum, ſed mulierculis, imo & hæreticis, & Ethnicis, urgente neceſſitate, baptiſmum largiri, conceſſerunt. Quod γυναικοβάπτισμα veteres adeo non probaverunt, ut ad hæreticos auctores illud referat Epiphanius; alibique id nec B. virgini indulgeat; cum alioqui *ipſa potius, quam Johannes, filium ſuum baptizatura fuerit.* Temere autem Pontificii de docendi poteſtate primis Eccleſiarum noſtrarum doctoribus litem intendunt; cum ipſi baptiſandi poteſtatem adeo communem & promiſcuam faciant. Pontificios aliquo intervallo ſequuntur *Lutherani*, ex eadem neceſſitatis præſumtione, ac nimia ſignorum admiratione. Nec diſſentiunt, in eo vulgari reddendo, *Sociniani*, quanquam alio ac contrario errore; utpote qui omne myſterium ſacramentis abrogant.

An etiam a Laicis?

& mulierculis?

V. Ad exempla, in hac cauſa allata, reſpondemus: *Zipporam*, animo commotam, inſpectante viro, eoq; Propheta eximio, infantem circumcidiſſe; non ob filii, ut fere videtur, ſed ob mariti, ſalutem. Ubi multa a præſenti quæſtione aliena. Nec iſtud turbidæ fœminæ factum, ſi vel omni vitio careret, exemplum facere poſſet; cum alia olim circumciſionis alia baptiſmi ratio ſit. *Septuaginta* autem *diſcipuli*, a Chriſto undiquaque dimiſſi, Luc. 10: 1. *Philippus*, Eunuchum propter viam mergens, Act. 8. *Ananias*, Paulum abluens, Act. 9. *Fratres* denique, juſſu Petri, Cornelium, domumque ejus, Chriſtiano ritu lavantes, Act. 10. pro privatis haberi non poſſunt: cum & Euangeliſtæ aut diaconi fuerint; & Chriſto, Apoſtoliſque auctoribus illud egerint; nec ſine auctoritate & vocatione ſacras aquas tractaverint. Et fuit quidem *Phœbe*, de qua Rom. 16. Eccleſiæ

Exempla in contrarium adducta.

cleſiæ miniſtra, ſed alio in ordine; non ad ſalutarem undam miniſtrandam, ſed ad externas Eccleſiæ neceſſitates curandas. Nec ſupra fidem eſt, tria millia à ſolis Apoſtolis unico die ablutos; Act. 2: 41. ut ad illud laicorum miniſterium adſciſcere non ſit opus.

Baptiſmi Elementum, aqua: VI. Elementum, ſive materia baptiſmi, eſt aqua pura. *Et baptiſabantur in Jordane.* Matth. 3: 6. Act. 8: 28. & 10: 47. Quæ hic, tum ut mergendi, tum ut merſos purgandi vim habet, conſideratur. Sanguinis enim uſus, paracto vero ſacrificio, in ſacris dudum ceſſavit. Ac removenda inquinamenta illa, quæ Pontificii huic ſacramento addiderunt: qui, ex præſumta baptiſmi neceſſitate, ſaliva, lacte, aliiſque liquoribus, baptiſare fas habent.

cui iniqui Sociniani. VII. Sociniani autem, qui in alteram partem eunt, baptiſmum ſine aqua commenti ſunt; ac de Chriſtiana initiatione & doctrina illum ſumunt; iſtumque loci Matth. 28: 19. *Profecti, docete omnes gentes, baptiſantes eos* &c. ſenſum reddunt. Sicuti & *baptiſmum Johannis* pro doctrina ejus intelligunt, Act. 18: 25. & Tit. 3: 5. *lavacrum regnerationis* pari ratione de doctrina Euangelica explicant. Iſto autem tendunt, baptiſmum aquæ neceſſarium non eſſe, nec ritum iſtum divina auctoritate niti, cum ne Apoſtoli quidem ipſi, aliique præſtantes viri, baptizari legantur. Unde, etſi circa initia Eccleſiæ utcunque uſurpatus fuerit, ad Chriſtianos a gentibus diſcernendos; nunc quidem poſtquam orbis Euangelium accepit, & teſſera iſta non amplius opus eſt, illum inutilem, quin & jugum, eſſe.

VIII. Nos vero extra dubium habemus, Apoſtolos a Johanne ablutos. Quod & de Chriſto legimus. Quanquam alioqui non adeo abſurdum eſſet, eos, qui primum ad baptiſandum mittuntur, ab aliis tinctos non eſſe. Ut in Johanne patuit. Apoſtolos autem ipſos aqua baptiſaſſe, idque ex Chriſti juſſu, Matth. 28: 19, 20. ex ipſorum Actubus non uno loco conſtat. Vide cap. 2: 38, 41. & 8: 13. & 9: 18. & 10: 47. & 16: 15. & 18: 8. Quæ autem illi pro doctrinæ baptiſmo adferunt, excluſa aqua, nullum colorem habent. Nam & Chriſtus Matth. 28. expreſſe aquæ baptiſmum a doctrina Euangelii diſtinguit, eumque præcepto ſuo firmat, & in Eccleſia perpetuum eſſe jubet. Et ubi de Johannis baptiſmo in Actis c. 18: 25. *Tantum ſciens baptiſmum Johannis:* ſermo eſt, univerſum ejus miniſterium intelligitur; quod a celebri ejus baptiſmo nomen habet, qui hic includitur. Qui baptiſmus certe aquæ fuit. Denique in verbis Paulinis Tit. 3: 5. *Non ex operibus juſtis, quæ fecimus*

Digitized by Google

cimus nos; ſed ex ſua miſericordia ſervavit nos, per lavacrum regenerationis, renovationis Spiritus ſancti, vel metaphora eſt, vel potius metonymia: nam regenerationem lavacrum appellat: vel quod ipſa inſtar lavacri animam purget; vel potius quod ſalutarem illam regenerationem per ſignum ejus externum, baptiſmi undam, exprimere voluerit. Non autem doctrinam Euangelii ſimpliciter appellavit baptiſmum.

IX. Actio, ſeu ritus, circa hoc elementum eſt, vel *merſio*, vel *aſperſio*, indeque conſequens *ablutio*. Merſione utebantur Judæi, Apoſtoli, ac primæva Eccleſia, præſertim in regionibus calidioribus. Variique huc ſpectant modi loquendi, apud Apoſtolum, Rom. 6: 3, 4. *Conſepulti ſumus ipſi, per baptiſmum, in mortem.* Col. 2: 12. *Ei conſepulti per baptiſmum.* Gal. 3: 27. *Nam quicunque in Chriſtum baptizati fuiſtis, Chriſto fuiſtis induti.* In Occidente autem, ac plaga mundi frigidiore, invaluit aſperſio: in qua etiam ſacramenti myſterium ſervatur, ſic ut etiam ſub miniſterio Moſaico, in ſacro cultu multiplices irrorationes ac ῥαντισμοὺς adhibitas legimus: *Expiato me hyſſopo, ut mundus ſim.* Pſal. 51: 9. *Acceſſiſtis ad ſanguinem adſperſionis, præſtantiora loquentem præ Abel.* Hebr. 12: 24. conf. 9: 13, 14. 1. Pet. 1: 2. Denique regionum, ſub Occidente recedentium, intemperies, ac tenellorum infantium periculum, ſatis illam in externo ritu immutationem abſolvunt, vel excuſant ſaltem; ſicuti veterem quoque Eccleſiam nonnunqua maſperſionibus uſam, vel ex clinicorum, aliorumque baptiſmo, quibuſdam videtur. *Actio circa illud, immerſio, vel aſperſio:*

X. Ita quoque indifferens fere eſt merſionum vel aſperſionum numerus; qui nullo præcepto definitus eſt. Unde variatum in eo eſt in Eccleſiis, aliis unicam, aliis trinam merſionem præferentibus: ſive unitati divinæ eſſentiæ, ſive Trinitati perſonarum, aut triduanæ Chriſti in ſepulchro moræ, ſignificandæ. Quanquam & hæretici olim hunc vel illum ritum erroribus ſuis obtentui ſumſerunt; atque iſto velo ſententias ſuas, in dividenda Trinitate, vel eadem neganda, obtexerunt. Conſtat autem unicam merſionem antiquitus apud Judæos Chriſtianoſque primævos uſitatiſſimam fuiſſe. *unica vel trina;*

XI. Merſionem comitabatur Triuni numinis appellatio, in cujus nomine, tanquam trium *teſtium* cœleſtium, 1. Joh. 5: 7. quemadmodum Judæorum baptiſmum tres teſtes terreſtres requiſiviſſe vidimus, fideles obſignabantur, juxta mandatum Chriſti, Matth. 28: 19. *Baptiſantes eos in nomen Patris, & Filii, & Spiritus S.* Non quod totidem verbis ac *in nomine S. Trinitatis,*

 ſyl-

Digitized by Google

ſyllabis Eccleſia adſtringeretur: quæ Latinorum ſuperſtitio eſt, qui Græcorum formulam damnant, *Baptizetur ſervus Chriſti* &c. Sufficit enim rem ipſam tenere, atque in baptiſmo S S. Trinitatis invocationem, ac publicam fidei illius profeſſionem edere: ejus antiquiſſima formula, ac ſequentium ſymbolorum rudimentum, hæc ipſa verba extiterunt.

ſive in nomine Ieſu.

XII. Unde nec Apoſtolos ulla formula uſos videmus; qui plerunque *in nomen Domini Jeſu* baptiſaſſe leguntur, Act. 2: 38. 10: 48. 19: 5. Quanquam enim unus foret baptiſmus, ac una fides, diverſa tamen erant inaugurationis verba, pro vario baptiſandorum ſtatu & reſpectu. Apoſtoli, ubi Judæos tingerent, in fidem Domini Jeſu eos adigebant, Act. 2: 38. & 18: 16, 38. Hæc enim tum propria Chriſtianiſmi nota erat, an Jeſus Nazarenus foret Meſſias. Cæteris in rebus à Patrum fide, ac veteris Eccleſiæ dogmatibus nulla in re diffidebant. Cum autem cum Gentilibus non de Meſſia ſolum, ſed de vero Deo, atque univerſa religione, controverſia foret; illi, juxta Chriſti præceptum, de Gentium baptiſmo, Matth. 28: 19. ante omnia in Triuni Dei fidem imbui, atque iſta formula initiari, debebant.

Quomodo ab hac baptiſmi ſimplicitate ſenſim declinatum ſit,

XIII. Atque hæc antiqua & vera baptiſmi adminiſtratio fuit, juxta Chriſti inſtitutum. Quæ tamen non ultra alterum ſæculum in Eccleſia, in ſimplicitate ſua perduravit: accedentibus ſenſim variis ritibus, & inquinamentis, ab inſtitutione Chriſti alienis; quibus nativa baptiſmi facies deturbata, & totius Eccleſiæ ſimplicitas & pulcritudo non parum delibata eſt. Quod hiſce gradibus factum eſt. Prima quoad *miniſtrum* mutatio facta eſt, & jam tertio ſæculo laicis quoque tingere permiſſum fuit. Deinde *tempus*, quod hactenus liberum erat, definitum, & celebrioribus anni tempeſtatibus, paſchati ac pentecoſti, adſtrictum eſt. Aliis Eccleſiis alii dies baptiſmales erant. Quanquam iſte rigor non uſque tenuit, ac paulatim de eo remiſſum; &, ablata dierum ſuperſtitione, baptiſmo libertas reddita rurſus fuit. Porro quoad *locum*, cum primitus ad obvium flumen deducerentur novi fideles, 1. Joh. 1: 31. Matt. 3. Act. 2. & 8. & 10. Conſtantini tempore erecta in templis *βαπτιςήρια*, & ſacri fontes. Cumque præterea privata in fidelium ædibus forent oratoria, ubi docebatur nonnunquam & baptiſabatur; id quoque prohibitum fuit. Denique variis *ritibus* baptiſmus inquinatus; ac, labente tempore, omiſſo verbi miniſterio, in meram ſcenam ac hiſtrioniam commutatus eſt. Quod in *Papatu* potiſſimum apparuit, ubi, in ſacrorum myſteriorum uſu, meris ſpectaculis, ac inani pompa, populis detinetur;

in

Digitized by Google

in quibus tamen religionis ſumma conſtituitur. Nec illis veluti picturis, uti olim, de rebus ſpiritualibus admonetur; ſed ſingularis præterea efficiendi vis ac efficacia illis adſcribitur: atque ita, omiſſo Eccleſiæ ſponſo, Eccleſia imagine ejus, ductiſque perperam lineis, ſeſe oblectare, ac non ſine idololatriæ probro ei inhærere, ac quicquid illud eſt tantum non colere jubetur.

XIV. Præcipui veterum ritus ac cerimoniæ hæ erant: 1. *Sponſores*, ſeu ſuſceptores, baptiſando dati. Quod ferventibus perſecutionibus uſurpatum, ut aliqui baptiſmo teſtes eſſent; poſtea, nulla magnopere urgente neceſſitate, in Eccleſia retentum fuit. Grave autem eſt, anxiæ de educando infante curæ eos præterea involvere & onerare. Nec recte Pontificii, ex ſponſione illa, cognationem ſpiritualem, quæ matrimonio quoque impedimentum faciat, fabricant. 2. A ſuſceptoribus baptiſando *nomen imponebatur*, atque in Eccleſiæ tabulas referebatur. 3. Sequebatur ſollemnis Satanæ, omniumque operum ejus, *abrenunciatio*. 4. Eam comitabatur *fidei profeſſio*; ad quam fidei candidati aliquo tempore ante in Eccleſia præparabantur. Ac fiebat ea, pro locorum diverſitate, variis adhibitis ſymbolis; quæ ad baptiſmi formulam pleraque compoſita & expreſſa fuerunt. Sicuti & ea ipſa antiquiſſimis temporibus pro fidei formula fuit. 5. Dehinc orationibus & votis *advocabatur Spir. S.* ſuper baptiſandum. Cujus ſalutaris gratia manuum impoſitione, & deinceps ſacro *chriſmate*, & *crucis* ſignaculo, confirmabatur. 6. Tum, feſta pompa, ac Pſalmorum cantu, ad lavacrum ductus, veſtes ponebat; nuduſque de ſacro fonte renaſcebatur. Ut autem fœminarum verecundiæ conſuleretur, diſcretis locis viri fœminæque lavabantur, aliiſque modis pudori proſpiciebatur. 7. *Deſcendebat in aquam* non baptiſandus ſolum, ſed & miniſter. Qui inter ſacra verba, neophytum mergitabat, & de fonte eductum ſuſceptori tradebat. 8. A quo acceptus, *lac & mel deguſtabat*; quo ſic *infantaretur*, ut Tertulliani verbum eſt. 9. Et *candida veſte* induebatur; quo animi candorem & puritatem obſignabant; quam de nivea veſte animo præcipere jam tum debebat. 10. Denique ita initiatum ad *S. Cœnæ* quoque myſteria admittebant veteres; quod non de adultis ſolum, ſed & de infantibus intelligendum eſt.

multiſque ritibus ille oneratus,

XV. Atque hi præcipui eorum ritus erant, quo ſacramenti majeſtatem augerent, & res ſpirituales, cunctumque baptiſmi myſterium, qualicunque imagine adumbrarent. Quo tamen obtextu ſequioribus ſæculis

tandemque oppreſſus eſt.

culis cærimoniæ immenſum auctæ; &, faſtidita Chriſti ſimplicitate, baptiſmus, non ornatus, ſed fœdatus & pollutus eſt. Quo choragio iſtius Eccleſiæ ſcenam inſtrui decebat, quæ ſenſim, pro ipſo Chriſto, quædam ſigna ejus fidelibus tradere, &, pro Servatore, idolum ejus amplecti cœperat. Unde non ſacramentis ſolum, ſed & ſacramentalibus, tanta a Pontificiis tributa ad gratiam ingenerandam efficacia; & tanta neceſſitas, ut ſine anathematum metu nihil de iſta ſacramentorum pompa ac cultu, deque illis, quæ venditant, myſteriis omittere nunc liceat. Non contenti autem veterum ritibus, quorum nonnullos omiſerunt, & mutarunt, ſolent illi præterea baptiſmi aquam *incantamento* quodam luſtrare & conſecrare. Nec iſto elemento contenti, additum deinceps & *ſal*, & *ſputum*, aliaque inquinamina; quæ partim ori ingerunt, quartim auribus & naribus allinunt; adhibito magico vocabulo, *Ephphatah*. Tum & frontem, & pectus infantis ſacerdos *crucis* ſigno terit. Et, non ſine Chriſtiani populi contumelia, quaſi fidelium infantes diaboli mancipia eſſent, *Exorciſmo* utitur. In quo videntur ſibi antiquum ritum imitari; ubi qui de Gentilium idolalatria ad Chriſtianam fidem accedebant, ad baptiſmi aquas, diabolo, omnique ejus pompæ, abrenunciare jubebantur. Nec recte Lutheri aſſeclæ iſtud de Romanæ Eccleſiæ pompa in baptiſmo ſuo retinuerunt. Mittimus alia eorum inſtituta, alterum *Chriſma*, *cereos*, repetitum *crucis* ſignum, *obtectionem capitis* baptizati, *pedilavium*, *impoſitionem manuum cum oſculo pacis*, ac linguæ *Latinæ* uſum, quo hæc ſacra occultant, ac alia. Nam ad viginti duas cerimonias numerus excrevit; plus quam in ullo Veteris Teſt. ritu unquam contigit. Quo ſolo illæ facile damnantur ac concidunt. Nec quæſitarum ſignificationum, aut myſterii alicujus, color ſufficit. Nam & plus quam ſimplicem rerum ſpiritualium picturam Pontificii in iis collocant: neque iſto prætextu ſuperſtitioſos cultus introducere, ac Eccleſiam onerare licet. Nec Spiritus S. ullibi ad ritus illos, ſive veteres, ſive recentiores, alludit; quo male referunt ſequentia loca, Gal. 3:27. 1. Pet. 2:2. Heb. 10: 32. & 6:4, 5. 2. Cor. 1:21, 22. 1. Joh. 2:20 Sed occaſione potius locorum illorum ac phraſium illi olim efficti, & in Eccleſiam introducti ſunt. Quod inſtitutum temerarium fuiſſe, ex eventu, ſecutiſque ad iſtud exemplum corruptelis innumeris patet.

Baptiſmi ſubjectum, omnes fœderati;

XVI. *Subjectum*, cui baptiſmus adminiſtratur, ſunt omnes fœderati; ſine ullo gentis, ſexus, aut ætatis diſcrimine. Matth. 28:19. Act. 16:15. Cum omnes, qui fœdere continentur, fœderis teſſera inſigniri ac

Digitized by Google

ac conſecrari debeant. A quo honore ac beneficio Anabaptiſtæ temere *infantes* Chriſtianorum excludunt; non ſine verborum contumelia *etiam infantes* ſacrum hunc ritum lacerantes, dum ſacras aquas hoc pacto profanari clamitant, & ludos iſtos propemodum infantiles, ac baptiſmi mimum, ab Eccleſia exulare debere contendunt. Pariterque *Sociniani* ritum iſtum omnem nunc inutilem, aut, ubi mollius loqui volunt, adiaphorum cenſent. A quo etiam non adeo abhorrere videntur *Remonſtrantes.*

XVII. Nos autem divina auctoritate iſtam Eccleſiæ conſuetudinem *Quod probatur.* niti docemus: &, tum ex Dei fœdere; tum ex baptiſmi natura; tum ex infantium ac fidelium conditione; denique ex Veteris Teſtam. auctoritate ac conſenſu; ac Apoſtolicæ quoque, ſequentiſque Eccleſiæ, uſu illum confirmamus. Iſta omnia enim infantes quoque obſignandos, & a reliquo puerorum grege, qui nec Dei nec Eccleſiæ filii ſunt, diſtinguendos clamant.

XVIII. *Primo* enim, ad fœdus Dei fidelium liberos, vel in ipſis cunis, pertinere, illiſque etiam promiſſiones factas, tota Scriptura teſtatiſſimum eſt. *Hoc eſt fœdus meum, inter me & vos, & ſemen tuum poſt te: natus dies octo circumcidetur vobis omnis mas.* Gen. 17: 10, 12. *Vos ſtatis hodie omnes coram Jehova —omnis vir Iſraëlis, pueri veſtri, uxores veſtræ; & advena tuus — ut tranſeas in fœdus Jehovæ Dei tui.* Deut. 29: 10, 11, 12. *Baptizetur quiſque. veſtrum, in nomine Jeſu Chriſti — vobis enim eſt promiſſio, & liberis veſtris.* Act. 2: 38, 39. *Horum* (puerorum) *eſt cœlorum regnum.* Matth. 19: 14. *Omnes vos unus eſtis in Chriſto Jeſu.* Gal. 3: 29. Unde parvulos illos Chriſtianos ſacris undis arcere, ac fœderis Dei ſignis, & teſſeris, & pignore, privare velle, & nefas, & crudele eſt. II. Quid enim baptiſmus aliud, quam Chriſtianæ militiæ teſſera, & rudimentum, & maximorum Dei promiſſorum obſes & arrhabo eſt? *Etenim per unum Spiritum omnes in unum corpus baptizati ſumus.* 1. Cor. 12: 13. Qui autem rei ſignificatæ compos & particeps eſt, ei ſacrum ſignum negare velle non ferendum eſt. Rem autem baptiſmo ſignatam, peccatorum remiſſionem, regenerationem, ac divini Spiritus dona, etiam ad infantes pertinere, ex locis mox citatis vidimus. Unde non, tanquam profani, & a fœdere Dei exules, habendi ſunt; ſed uti nova Eccleſiæ ſoboles, ſacro baptiſmi ſymbolo inaugurari & Eccleſiæ inſeri debent. Conf. Act. 10: 47. III. Quo Veteris Teſtamenti prædictio pertinet, quæ ad Eccleſiam parvulos quoque in ulnis & humeris geſtandos edicit. Jeſ. 49: 22. Quos advenientes Eccleſiæ limine ar-

Digitized by Google

arcere,ac complexu Chriſti excutere velle,impium,& Dei increpatione dignum eſt. Matth. 19: 14. Hinc etiam fidelium *liberi* dicuntur *ſancti.* 1. Cor. 7: 14. *Semen ſanctum.* Ezr. 9: 2. quæ non eſt ſanctitas naturæ, ſed fœderis. *Quod ſi delibatio ſancta eſt, & maſſa; & ſi radix ſancta, & rami.* Rom. 11: 16. Imo hæc vel maxima fidelium conſolatio eſt; quod, promiſſis Dei freti, de ſancta progenie bene ſperare; inque liberorum ſuorum grege, quos, in Eccleſiæ ſinu poſitos, fauſtis ſub penetralibus enutriri, & in ſancta patrum diſciplina, iter vota ac preces piorum, adoleſcere vident; futuræ ætatis ſpem præcerpere, ac novum iſtum populum,ſurgenteſque Eccleſiæ ſpes, & incrementa, mirari, deque eo lætari ac gloriari poſſint. IV. Sed & in Vet. Teſt. infantes præcidi, ac religioſo iſto ritu à Deo ſignari ſolitos, legimus. Novum autem fœdus cum eo, quod cum Abrahamo initum fuit,re & ſubſtantia idem eſt. Rom. 4: 11--14. Gal. 3: 14--18. Fœderatis autem nunc æque accenſentur liberi, ac olim, uti viſum eſt. Signi autem fœderis locum pro circumciſione nunc occupavit baptiſmus. *In quo etiam circumciſi eſtis — conſepulti ipſi in baptiſmo.* Col. 2: 11, 12. Unde præceptum illud, de domeſticis ac fœderatis omnibus obſignandis ſigno fœderis, ad illos quoque pertinet: præſertim cum ritu longe faciliore, non ſanguine, ſed aqua, illa inauguratio peragatur: *Baptizetur quiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti — vobis enim eſt promiſſio, & liberis veſtris.* Act. 2: 38, 39. V. Nec deſunt Novi Teſtamenti exempla. Nam Apoſtolos integras domos baptiſaſſe, in Actis ipſorum nonnunquam legimus. Plane ad ritum Judæorum, quos, in proſelytorum initiatione, omnem eorum familiam, cum circumciſione, tum baptiſmo, expiaſſe, ſupra vidimus. VI. Ac ſecuta eſt Apoſtolos primitiva Eccleſia: de cujus ſenſu ac conſuetudine ex Irenæo, Tertulliano, Cypriano, Origine, aliiſque Eccleſiaſticis auctoribus, conſtat. Quæ aliunde puerorum baptiſmum, quam ab Apoſtolis habere non potuit. VII. Et certe ritum illum Deo gratum eſſe, nec benedictione ejus carere, rebus ipſis manifeſtum fecit; cum eo pacto Eccleſiam per tot ſæcula conſervaverit & propagaverit; quæ de baptiſmi fonte jugiter renata, novaque ſobole ad extremum mundi finem identidem exultans, aquas iſtas non infœcundas, & Spiritu Dei plenas eſſe, dubitare non ſinit.

Adverſariorum objectamenta.

XIX. Urgent in adverſum Anabaptiſtæ & Sociniani, Pædobaptiſmum meram ritus ſacri profanationem eſſe; & nec *auctoritate* ulla, nec *ratione*, a nobis uſurpari; cum baptiſmus ille divino mandato; infantes

Digitized by Google

fantes autem fide careant, & nec veterem hominem exuere, nec novum induere, poſſint; non naſci enim, ſed fieri Chriſtianos; ac proinde non ſine rei ſacræ ludibrio infantes quotidie in Eccleſia tingi.

XX. Nos *de mandato* reſpondemus, illud expreſſis verbis non requiri. Uſitata enim hactenus in Eccleſia erat infantium initiatio: nec ignotus erat ipſe Pædobaptiſmus, ſi quis a ſæculi erroribus ad Judæorum ſacra, cum domeſticis, tranſiret. Quæ proſelytorum lotio cum in nova Eccleſia retineretur, atque anguſtiorem præterea formam acciperet, ſimul omnis ejus uſus retentus intelligebatur. Nec peculiari præcepto de infantibus tingendis opus erat; cum idem fœdus, iidemque fœderati manerent (niſi quod non Judæi ſolum, ſed & gentes, admiſſæ ſunt) ſola autem in externis ſignis mutatio eſſet. Quæ ſi fidelium parentum liberis, contra ac hactenus in Eccleſia uſitatum erat, adminiſtrare nefas erat, contrario præcepto, ac expreſſis verbis, illud vetari oportuiſſet. Quanquam non omni præcepto baptiſmum iſtum carere, ex loco Math. 28: 19. ſatis intellitur: ubi gentium baptiſmus inſtituitur, atque *omnes gentes* ad Chriſti diſciplinam colligi, & baptiſari jubentur; qua univerſali voce etiam credentium ex gentibus liberi intelliguntur. Nec valet exceptio, Chriſtum doceri primum gentes, tum autem baptiſari, velle. Quod in infantes, diſciplinæ adhuc immaturos, non convenit. Reſp. enim, uſurpare Euangliſtam verbum *μαθητεύειν*, quod eſt, diſcipulum facere; quod non de inſtitutione ſolum, ſed etiam de qualibet inauguratione, & diſcipulorum initiatione, intelligitur. Cum autem gentium baptiſmum hic locus præcipue ſpectet, adultos quidem primum erudiri, tum autem baptiſmo initiari debuiſſe, ſtatuimus. Et infantes quod attinet, non quoſlibet gentium liberos de ſinu parentum rapi, & promiſcue lavari debuiſſe, concedimus. Sed, ubi parentes crediderint, eorum liberos adhuc profanos haberi, & a ſacris ſignis excludi, non ferimus. Quod præſertim poſtmodum, conſtituta gentium Eccleſia, locum habuit. *Quibus ſatis ſit.*

XXI. Similiter nec *rationi* infantium baptiſmus refragatur; quaſi illi fide careant, adeoque nihil in ipſis ſit, quod obſignari poſſit. Si hæc enim ratio valeret, etiam a circumciſione Judæorum liberi arcendi fuiſſent. Quid vetat autem infantes inſeri Chriſto, utque ipſi debitos a prima ætate inſigniri, ac divini præterea amoris pignus capere? Si generis humani, ſi reipublicæ, cur non & Eccleſiæ partem facere poſſunt, ejuſque leges ſubire, vere Chriſtiana ſoboles? de fide autem infantium ob-

ſcura inveſtigatio eſt, cùm nos ætatis illius non meminerimus & arcana ſit Spiritus operatio, cujus modum omnem nos definire non poſſumus. Neque regenerationis initia, ac novæ vitæ ſemina, minus in ipſos cadere poſſunt, quam corruptæ naturæ languor, & labes, quam ex primo humani generis parente hauſerunt. Sufficit autem, rem ſignificatam baptiſmi ipſis convenire, quæ ipſis obſignetur; ne quis chartam puram, in qua nihil ſcriptum eſt, iſto baptiſmo obſignari criminetur. Quod autem ad Sacræ Cœnæ epulum non admittantur, manifeſta ratio eſt: Non enim omnia ſacramenta omnibus, atque omni tempore conveniunt. Non enim de agno paſchali recens nati infantes eſitarunt. Regula autem Chriſti ſequenda eſt. Nec alii ad ſacrum epulum admittendi, quam qui panem hunc a vulgari internoſcere, Chriſtique domini mortem & beneficia celebrare, & ſanctum illud nomen publice fateri poſſunt.

Quid ſtatuendum de infantibus certa conditione veſtitis.

XXII. Sub fœderatis autem continentur, quicunque fidem Chriſtianam, quanquam non prorſus puram, confitentur. De Eccleſia enim, quæ nævos quoque ſuos & errores habet, Chriſtus liberos nihilominus tollere poteſt. Non excludendi ſpurii, nothi, aliive natalium labe vel parentum vitiis notabiles. Communis enim omnium mater eſt Eccleſia, quæ ſuo ſinu naſcentes excipit & fovet. Nec unius parentis labes Eccleſiæ fidem obſcurare, Deique benedictionem auferre ab ea poteſt. De monſtroſis partubus, mente motis, Dæmoniacis, prudenter judicandum: hoc interim tenendum, non facile, in quo quicquam Chriſti eſſe ſuſpicari licet, ab hoc ſacramento arcendum eſſe. Præpoſtere autem Pontificii infantes, non plene natos, aſpergunt.

Baptiſmus mortuorum, rerumque inanimatarum; præcipue campanarum.

XXIII. Nec probandi veteres, e Marcionis ſchola hæretici, qui vel ipſis mortuis, vel, eorum loco, aliis viventibus vicarium baptiſmum largiti dicuntur. Nedum ut baptiſari debeant res inanimæ; quales beſtiæ, naves bellicæ, urbium propugnacula, vexilla, ipſumque æs campanum; quæ ſollemnioribus ritibus a Pontificiis inaugurantur quam ipſi Chriſtianorum infantes. Quod non ferendum rei ſanctiſſimæ ludibrium eſt. Quomodo enim divina gratia, quæ ſacramento hoc obſignatur, in res illas cadere poteſt? Præſertim cum juxta adverſarios ex opere operato ad ſacramenti uſum ea conferatur. Fruſtra autem dedecus hoc velare conantur excogitato commento, non illum baptiſmum, ſed *conſecrationem* & Eccleſiaſticam initiationem eſſe; qua ad miraculoſos effectus, ſedandas tempeſtates, dæmones pellendos &c. illa polleant. Veri enim ba-

baptiſmi ritus, & formam, & verba, in pudendis iſtis baptiſmis ſacrilegi homines tenent; quod ex ritualibus ipſorum videre eſt. Et ſuperſtitioſa ac magica ſunt, quæ de pellendis tempeſtatibus, dæmonibus &c. adjiciunt, nec magis illa juvant, quam Ethnicorum idololatrarum bombi magici, atque æra laboranti ſolita ſuccurrere Lunæ.

CAPUT VIII.

De re ſignificata Baptiſmi.

Baptiſmi MYSTERIUM *& gratia interna:*

I. SEquitur *tertio* interna baptiſmi gratia ac ſignificatio. Eſt enim baptiſmus non teſſera ſolum Chriſtianiſmi, ac publicum ejus ſignum: ſed & ſanctiſſimum fœderis ſigillum, cunctorumque ejus beneficiorum arrhabo & pignus; ac ſpeciatim noſtræ in Chriſto inſitionis, ſacræque iſtius communionis, obſignatio. Quod per partes, tum in elemento, tum in ritu, quo uſurpatur, videndum.

ratione aquæ,

II. Atque *aqua* quidem, cum vim purgandi habeat, pulcherrimo emblemate, tum puriſſimam Chriſti obedientiam, ipſumque ſanguinis ejus rorem; tum ſanctificatorem Spiritum, adumbrat. *Accedamus cum vero corde, per certioratam fidem, adſperſione purgatis cordibus a conſcientia mala. Et abluto corpore aqua munda* &c. Hebr. 10: 22, 23. *Et ſpargam ſuper vos aquas mundas & purificabimini:* Ezech. 36: 25. *Et ſanguis Jeſu Chriſti filii ejus purificat nos ab omni peccato.* 1 Joh. 1: 7. conf. Apoc. 7: 14. Quæ duo quibuſdam conjungi videntur, Joh. 3: 5. *Niſi quis fuerit genitus ex aqua & Spiritu, non poteſt ingredi in regnum Dei.* Sicuti & in Veteris Teſt. luſtrationibus & purificationibus, non ſanguinem ſolum: *Et omnia fere ſecundum legem ſanguine purificabantur.* Hebr. 9: 22. Sed & aquam adhibitam conſtat. *Lavabis me, & præ nive albeſcam.* Pſal. 51: 9. & ignem, Num. 31: 22, 23. & oleum, Lev. 14: 16-19. quæ omnia ſymbola ac typi erant veræ purificationis per ſanguinem & Spiritum Chriſti. Matth. 3: 11. 1. Joh. 2: 20. 1. Pet. 1: 2. quæ etiam per aquæ ſymbolum nobis nunc exhibentur: unde illius nunc etiam ſacer in ſacramentis uſus manet.

ritusque adjuncti; cum merſionis,

III. *Ritus externus*, cum *ſubmerſionis* ac ſuffocationis, tum *ablutionis* imaginem habens, duplicem quoque figuram gerit; & partim mor-

Digitized by Google

tum ablutionis.

tem ac ſepulturam Chriſti, noſtrique cum illa communionem; cujus rei *ἀντίτυπον* in Veteri Teſt. fuit arca, diluvii undis innatans, iiſque merſa, nec unquam ſubmerſa: partim peccatorum ablutionem per ſanguinem & Spiritum Chriſti, ſive peccatoris juſtificationem & ſanctificationem ſignificat. *Conſepulti ſumus ipſi, per baptiſmum in mortem — ut in novitate vitæ ambulemus.* Rom. 6: 4. *Cui rei*, arcæ, *nunc reſpondens exemplar baptiſmi nos quoque ſervat; non quo carnis ſordes abjiciuntur, ſed ſtipulatio bona conſcientiæ apud Deum* &c. 1. Pet. 3: 20. *Reſipiſcite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum, in nomen Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum.* Act. 2: 38. *Salvavit nos per lavacrum regnerationis.* Tit. 3: 5.

Unde effectus baptiſmi eſt omnia Chriſti beneficia nobis adumbrare.

IV. Ita ut baptiſſimi effectus ſit, omnia Chriſti in Eccleſiam beneficia iſto ſacramento nobis adumbrare & obſignare. De ſacra enim unda renati primum & præcipue Chriſto *inſerimur*, Rom. 6: 3, 4. poſt quod fidei tyrocinium, deinceps *juſtificamur*, & noxarum remiſſionem adipiſcimur. Quod expiatrices illæ aquæ vel præcipue ſignificant. *Baptiſma reſipiſcentiæ ad remiſſionem peccatorum.* Marc. 1: 4. *Baptizetur quiſque veſtrum in nomine J. Chriſti, in remiſſionem peccatorum.* Act. 2: 38. *Surgens, baptizator, & abluitor a peccatis tuis.* Act. 22: 16. Porro & nativas ſordes & *originis* labem, iſta ablutionis ac merſionis imago ſignificat; & Spiritus S. aquas aquæ illæ externæ figurant; ac proinde *Sanctificationis* quoque pignus ac obſes ſunt. Unde *regenerationis lavacrum*, in quo veteres ſordes ponimus; & *reſipiſcentiæ baptiſmus* apud ſacros ſcriptores occurrit. Tit. 3: 5. Matth. 3: 2. Luc. 3: 3. Tandem, cum iſta omnia in hac vita valde imperfecta ſint, atque in futuræ vitæ auſpicium potiſſimum abluamur, etiam *glorificationis* pignus, & bonæ ac lætæ conſcientiæ *ἐπερώτημα*, ac arrhabonem, in aquis iſtis poſſidemus, 1 Pet. 3: 21. Nec levis futuræ poſt mortem *reſurrectionis* adumbratio eſt in myſtica illa immerſione & emerſione. Saltem mortem & reſurrectionem Chriſti, noſtrique cum ea communionem ritu illo non leviter figurari, Apoſtolus ad Rom. 6: 4, 5. docet. *Conſepulti ſumus igitur ei, per baptiſmum, in mortem: ut, ſicut ſuſcitatus eſt Chriſtus e mortuis, in gloriam Patris, ita & nos nova vita ambulemus. Nam ſi cum eo plantati coaluimus aſſimilatione mortis ejus; nimirum etiam reſurrectionis aſſimilatione cum eo coaleſcemus.* Conf. Col. 2: 11, 12.

V. Ex quibus patet, baptiſmi ſignum, circumciſioni vicarium, eadem per omnia bona adumbrare, eandemque juſtitiam fidei obſignare, quam veteri

Digitized by Google

veteri Eccleſiæ circumciſio obſignabat. Niſi quod baptiſmus, ad novæ Eccleſiæ ſtatum accommodatior, nullo jugo, ac nulla priſcæ ſervitutis imagine, eam terrirer & premat. Quæ in circumciſionis ſacramento fuerunt.

VI. Sicut autem baptiſmus fidem noſtram confirmat, ita ab altera parte fidem requirit: abſque qua inanis pompa, & ſcena, & vilis aquæ libatio, & magica propemodum februatio eſt: nuda nimirum *ablutio ſordium corporis, non vero firmamentum interrogationis bonæ conſcientiæ ad Deum.* 1. Pet. 3: 21.

Quod repræſentatur in ipſa baptiſmi formula.

VII. Repræſentatur autem omne baptiſmi myſterium in ſolenni ejus formula Matth. 28: 19. *Baptizantes eos in nomen Patris, Filii; & Spiritus S.* Iſtis enim verbis partim Eccleſia in S.S. Trinitatis nomen inauguratur; iſtiſque tanquam ſalutis teſtibus & auctoribus gloriatur; ac nomen iſtud Dei ſui palam in mundo profitetur, tanquam populus ejus peculiaris: partim etiam Deus Eccleſiam in fidem ſuam accipit, eique infallibilis ſalutis ſponſor exiſtit; ac fideles filiorum & filiarum loco in domo ſua habet. Manifeſta enim adoptionis imago eſt, dum *pulchrum* S. S. Trinitatis *nomen ſuper* baptiſandos *invocatur*, Jac. 2: 7.

Adverſariorum circa baptiſmi gratiam errores: Socinianorum,

VIII. Notandi hic adverſariorum errores. *Sociniani*, ut ſolent, in defectu peccant, & tenuiter de hoc ſacramento ſentiunt, nec myſterii quicquam in eo relinquunt. Nudas enim aquas, nulla vi ac ſpirituali gratia fœtas, hic agnoſcunt; nec ablui iis aut purgari nos ferunt: ſed baptiſmum illum pro nuda Chriſtianæ profeſſionis teſſera habent, quæ nihil nobis obſignet aut tradat; ſolummodo, externo ritu, in Chriſtiana ſacra tranſire nos teſtetur.

Pontificiorum:

IX. In alteram partem eunt *Pontificii*, qui aquas illas nimia vi imprægnant; nec pro ſigno ſolum aut ſigillo, ſed pro cauſa gratiæ continente, eas habent; & regenerationis ac juſtificationis inſtrumentum certiſſimum, per modum operis operati, appellant. Quibus ex parte accedunt *Lutherani*, qui hic etiam craſſius loquuntur, & baptiſmum cauſam regenerationis inchoantem eſſe ſtatuunt. De quibus libri hujus cap. 1. latius egimus.

(& ex parte Lutheranorum)

qui baptiſmi gratiam ab una parte nimium augent;

X. Errat pariter Romana Eccleſia circa baptiſmi effectum, quem nimis augent. Nam non ſolum peccatorum remiſſionem, & priſci reatus extinctionem; ſed & labis originalis ac concupiſcentiæ ablationem, & reliquæ maculæ abſterſionem, ei adſcribunt: atque in eum finem vim quandam miraclificam genitali iſti undæ indunt; aut ſaltem eam ad

ſacra-

Digitized by Google

tum ablutionis.

tem ac ſepulturam Chriſti, noſtrique cum illa communionem; cujus rei ἀντίτυπον in Veteri Teſt. fuit arca, diluvii undis innatans, iiſque merſa, nec unquam ſubmerſa: partim peccatorum ablutionem per ſanguinem & Spiritum Chriſti, ſive peccatoris juſtificationem & ſanctificationem ſignificat. *Conſepulti ſumus ipſi, per baptiſmum in mortem — ut in novitate vitæ ambulemus.* Rom. 6: 4. *Cui rei*, arcæ, *nunc reſpondens exemplar baptiſmi nos quoque ſervat; non quo carnis ſordes abjiciuntur, ſed ſtipulatio bona conſcientiæ apud Deum* &c. 1. Pet. 3: 20. *Reſipiſcite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum, in nomen Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum.* Act. 2: 38. *Salvavit nos per lavacrum regnerationis.* Tit. 3: 5.

Unde effectus baptiſmi eſt omnia Chriſti beneficia nobis adumbrare.

IV. Ita ut baptiſmi effectus ſit, omnia Chriſti in Eccleſiam beneficia iſto ſacramento nobis adumbrare & obſignare. De ſacra enim unda renati primum & præcipue Chriſto *inſerimur*, Rom. 6: 3, 4. poſt quod fidei tyrocinium, deinceps *juſtificamur*, & noxarum remiſſionem adipiſcimur. Quod expiatrices illæ aquæ vel præcipue ſignificant. *Baptiſma reſipiſcentiæ ad remiſſionem peccatorum.* Marc. 1: 4. *Baptizetur quiſque veſtrum in nomine J. Chriſti, in remiſſionem peccatorum.* Act. 2: 38. *Surgens, baptizator, & abluitor a peccatis tuis.* Act. 22: 16. Porro & nativas ſordes & *originis* labem, iſta ablutionis ac merſionis imago ſignificat; & Spiritus S. aquas aquæ illæ externæ figurant; ac proinde *Sanctificationis* quoque pignus ac obſes ſunt. Unde *regenerationis lavacrum*, in quo veteres ſordes ponimus; & *reſipiſcentiæ baptiſmus* apud ſacros ſcriptores occurrit, Tit. 3: 5. Matth. 3: 2. Luc. 3: 3. Tandem, cum iſta omnia in hac vita valde imperfecta ſint, atque in futuræ vitæ auſpicium potiſſimum abluamur, etiam *glorificationis* pignus, & bonæ ac lætæ conſcientiæ ἐπερώτημα, ac arrhabonem, in aquis iſtis poſſidemus, 1 Pet. 3: 21. Nec levis futuræ poſt mortem *reſurrectionis* adumbratio eſt in myſtica illa immerſione & emerſione. Saltem mortem & reſurrectionem Chriſti, noſtrique cum ea communionem ritu illo non leviter figurari, Apoſtolus ad Rom. 6: 4, 5. docet. *Conſepulti ſumus igitur ei, per baptiſmum, in mortem: ut, ſicut ſuſcitatus eſt Chriſtus e mortuis, in gloriam Patris, ita & nos nova vita ambulemus. Nam ſi cum eo plantati coaluimus aſſimilatione mortis ejus; nimirum etiam reſurrectionis aſſimilatione cum eo coaleſcemus.* Conf. Col. 2: 11, 12.

V. Ex quibus patet, baptiſmi ſignum, circumciſioni vicarium, eadem per omnia bona adumbrare, eandemque juſtitiam fidei obſignare, quam

veteri

Digitized by Google

veteri Eccleſiæ circumciſio obſignabat. Niſi quod baptiſmus, ad novæ Eccleſiæ ſtatum accommodatior, nullo jugo, ac nulla priſcæ ſervitutis imagine, eam territet & premat. Quæ in circumciſionis ſacramento fuerunt.

VI. Sicut autem baptiſmus fidem noſtram confirmat, ita ab altera parte fidem requirit: abſque qua inanis pompa, & ſcena, & vilis aquæ libatio, & magica propemodum februatio eſt: nuda nimirum *ablutio ſordium corporis, non vero firmamentum interrogationis bonæ conſcientiæ ad Deum*. 1. Pet. 3: 21.

VII. Repræſentatur autem omne baptiſmi myſterium in ſolenni ejus formula Matth. 28: 19. *Baptizantes eos in nomen Patris, Filii; & Spiritus S.* Iſtis enim verbis partim Eccleſia in S.S. Trinitatis nomen inauguratur; iſtiſque tanquam ſalutis teſtibus & auctoribus gloriatur; ac nomen iſtud Dei ſui palam in mundo profitetur, tanquam populus ejus peculiaris: partim etiam Deus Eccleſiam in fidem ſuam accipit, eique infallibilis ſalutis ſponſor exiſtit; ac fideles filiorum & filiarum loco in domo ſua habet. Manifeſta enim adoptionis imago eſt, dum *pulchrum* S. S. Trinitatis *nomen ſuper* baptiſandos *invocatur*. Jac. 2: 7. *Quod repræſentatur in ipſa baptiſmi formula.*

VIII. Notandi hic adverſariorum errores. *Sociniani*, ut ſolent, in defectu peccant, & tenuiter de hoc ſacramento ſentiunt, nec myſterii quicquam in eo relinquunt. Nudas enim aquas, nulla vi ac ſpirituali gratia fœtas, hic agnoſcunt; nec ablui iis aut purgari nos ferunt: ſed baptiſmum illum pro nuda Chriſtianæ profeſſionis teſſera habent, quæ nihil nobis obſignet aut tradat; ſolummodo, externo ritu, in Chriſtiana ſacra tranſire nos teſtetur. *Adverſariorum circa baptiſmi gratiam errores: Socinianorum,*

IX. In alteram partem eunt *Pontificii*, qui aquas illas nimia vi imprægnant; nec pro ſigno ſolum aut ſigillo, ſed pro cauſa gratiæ continente, eas habent; & regenerationis ac juſtificationis inſtrumentum certiſſimum, per modum operis operati, appellant. Quibus ex parte accedunt *Lutherani*, qui hic etiam craſſius loquuntur, & baptiſmum cauſam regenerationis inchoantem eſſe ſtatuunt. De quibus libri hujus cap. 1. latius egimus. *Pontificiorum: (& ex parte Lutheranorum)*

X. Errat pariter Romana Eccleſia circa baptiſmi effectum, quem nimis augent. Nam non ſolum peccatorum remiſſionem, & priſci reatus extinctionem; ſed & labis originalis ac concupiſcentiæ ablationem, & reliquæ maculæ abſterſionem, ei adſcribunt: atque in eum finem vim quandam miraculificam genitali iſti undæ indunt; aut ſaltem eam ad *qui baptiſmi gratiam ab una parte nimium augent;*

ſacra-

Digitized by Google

tum ablutionis.

tem ac ſepulturam Chriſti, noſtrique cum illa communionem; cujus rei *ἀντίτυπον* in Veteri Teſt. fuit arca, diluvii undis innatans, iiſque merſa, nec unquam ſubmerſa: partim peccatorum ablutionem per ſanguinem & Spiritum Chriſti, ſive peccatoris juſtificationem & ſanctificationem ſignificat. *Conſepulti ſumus ipſi, per baptiſmum in mortem — ut in novitate vitæ ambulemus.* Rom. 6: 4. *Cui rei*, arcæ, *nunc reſpondens exemplar baptiſmi nos quoque ſervat; non quo carnis ſordes abjiciuntur, ſed ſtipulatio bonæ conſcientiæ apud Deum* &c. 1. Pet. 3: 20. *Reſipiſcite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum, in nomen Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum.* Act. 2: 38. *Salvavit nos per lavacrum regnerationis.* Tit. 3: 5.

Unde effectus baptiſmi eſt omnia Chriſti beneficia nobis adumbrare.

IV. Ita ut baptiſſimi effectus ſit, omnia Chriſti in Eccleſiam beneficia iſto ſacramento nobis adumbrare & obſignare. De ſacra enim unda renati primum & præcipue Chriſto *inſerimur*, Rom. 6: 3, 4. poſt quod fidei tyrocinium, deinceps *juſtificamur*, & noxarum remiſſionem adipiſcimur. Quod expiatrices illæ aquæ vel præcipue ſignificant. *Baptiſma reſipiſcentiæ ad remiſſionem peccatorum.* Marc. 1: 4. *Baptizetur quiſque veſtrum in nomine J. Chriſti, in remiſſionem peccatorum.* Act. 2: 38. *Surgens, baptizator, & abluitor a peccatis tuis.* Act. 22: 16. Porro & nativas ſordes & *originis* labem, iſta ablutionis ac merſionis imago ſignificat; & Spiritus S. aquas aquæ illæ externæ figurant; ac proinde *Sanctificationis* quoque pignus ac obſes ſunt. Unde *regenerationis lavacrum*, in quo veteres ſordes ponimus; & *reſipiſcentiæ baptiſmus* apud ſacros ſcriptores occurrit. Tit. 3: 5. Matth. 3: 2. Luc. 3: 3. Tandem, cum iſta omnia in hac vita valde imperfecta ſint, atque in futuræ vitæ auſpicium potiſſimum abluamur, etiam *glorificationis* pignus, & bonæ ac lætæ conſcientiæ *ἐπερώτημα*, ac arrhabonem, in aquis iſtis poſſidemus, 1 Pet. 3: 21. Nec levis futuræ poſt mortem *reſurrectionis* adumbratio eſt in myſtica illa immerſione & emerſione. Saltem mortem & reſurrectionem Chriſti, noſtrique cum ea communionem ritu illo non leviter figurari, Apoſtolus ad Rom. 6: 4, 5. docet. *Conſepulti ſumus igitur ei, per baptiſmum, in mortem: ut, ſicut ſuſcitatus eſt Chriſtus e mortuis, in gloriam Patris, ita & nos nova vita ambulemus. Nam ſi cum eo plantati coaluimus aſſimilatione mortis ejus; nimirum etiam reſurrectionis aſſimilatione cum eo coaleſcemus.* Conf. Col. 2: 11, 12.

V. Ex quibus patet, baptiſmi ſignum, circumciſioni vicarium, eadem per omnia bona adumbrare, eandemque juſtitiam fidei obſignare, quam veteri

Digitized by Google

veteri Eccleſiæ circumciſio obſignabat. Niſi quod baptiſmus, ad novæ Eccleſiæ ſtatum accommodatior, nullo jugo, ac nulla priſcæ ſervitutis imagine, eam territet & premat. Quæ in circumciſionis ſacramento fuerunt.

VI. Sicut autem baptiſmus fidem noſtram confirmat, ita ab altera parte fidem requirit: abſque qua inanis pompa, & ſcena, & vilis aquæ libatio, & magica propemodum februatio eſt: nuda nimirum *ablutio ſordium corporis, non vero firmamentum interrogationis bonæ conſcientiæ ad Deum.* 1. Pet. 3: 21.

Quod repræſentatur in ipſa baptiſmi formula.

VII. Repræſentatur autem omne baptiſmi myſterium in ſolenni ejus formula Matth. 28: 19. *Baptizantes eos in nomen Patris, Filii; & Spiritus S.* Iſtis enim verbis partim Eccleſia in S.S. Trinitatis nomen inauguratur; iſtiſque tanquam ſalutis teſtibus & auctoribus gloriatur; ac nomen iſtud Dei ſui palam in mundo profitetur, tanquam populus ejus peculiaris: partim etiam Deus Eccleſiam in fidem ſuam accipit, eique infallibilis ſalutis ſponſor exiſtit; ac fideles filiorum & filiarum loco in domo ſua habet. Manifeſta enim adoptionis imago eſt, dum *pulchrum* S. S. Trinitatis *nomen ſuper* baptiſandos *invocatur.* Jac. 2: 7.

Adverſariorum circa baptiſmi gratiam errores: Socinianorum,

VIII. Notandi hic adverſariorum errores. *Sociniani*, ut ſolent, in defectu peccant, & tenuiter de hoc ſacramento ſentiunt, nec myſterii quicquam in eo relinquunt. Nudas enim aquas, nulla vi ac ſpirituali gratia fœtas, hic agnoſcunt; nec ablui iis aut purgari nos ferunt: ſed baptiſmum illum pro nuda Chriſtianæ profeſſionis teſſera habent, quæ nihil nobis obſignet aut tradat; ſolummodo, externo ritu, in Chriſtiana ſacra tranſire nos teſtetur.

Pontificiorum: *(& ex parte Lutheranorum)*

IX. In alteram partem eunt *Pontificii*, qui aquas illas nimia vi imprægnant; nec pro ſigno ſolum aut ſigillo, ſed pro cauſa gratiæ continente, eas habent; & regenerationis ac juſtificationis inſtrumentum certiſſimum, per modum operis operati, appellant. Quibus ex parte accedunt *Lutherani*, qui hic etiam craſſius loquuntur, & baptiſmum cauſam regenerationis inchoantem eſſe ſtatuunt. De quibus libri hujus cap. 1. latius egimus.

qui baptiſmi gratiam ab una parte nimium augent;

X. Errat pariter Romana Eccleſia circa baptiſmi effectum, quem nimis augent. Nam non ſolum peccatorum remiſſionem, & priſci reatus extinctionem; ſed & labis originalis ac concupiſcentiæ ablationem, & reliquæ maculæ abſterſionem, ei adſcribunt: atque in eum finem vim quandam miraclificam genitali iſti undæ indunt; aut ſaltem eam ad ſacra-

Digitized by Google

ſacramenti adminiſtrationem præſentem ſemper faciunt. Quod & contra Scripturam; & contra ipſum hominum ſenſum & experientiam eſt; & denique ſacrorum ſignorum vim ſacrilege exaltat. Nam & fidelium infantes, quanquam baptizatos, mori quotidie videmus: atque ipſi quoque fideles, poſt baptiſmi aquas, veterem labem in ſeſe adhuc perſentiſcunt, Rom. 7. Et Scriptura morti demum, Col. 2:11, 12. & futuro ſæculo illam fidelium perfectionem tranſcribit: *Si dixerimus, nos peccatum non habere, nos ipſos fallimus, & veritas in nobis non eſt.* 1. Joh. 1:8. Nec baptiſmali undæ, tanquam cauſæ efficienti, vel continenti, ſed Spiritui S. potentem iſtam gratiam aſſignat.

ab altera autem nimium depri-munt.

XI. Rurſus baptiſmi efficaciam nimis extenuant iidem, quaſi tolat tantum pœnas æternas, non vero temporales, eluatque tanquam noxas præteritas, non vero eas, quas poſt baptiſmum contrahimus; quibus expiandis ſacramento pœnitentiæ, velut altera poſt naufragium tabula, opus ſit. Qui error, ex Novati ac Catharorum fonte hauſtus, multis olim cauſa fuit, baptiſmum ad ultimum vitæ finem differendi. Scriptura autem ſimpliciter ac generalibus verbis, peccatorum remiſſionem ſacramento iſti tribuit: *Prædicabat Johannes baptiſmum reſipiſcentiæ, ad remiſſionem peccatorum.* Matth. 1:4. *Baptizetur quiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum.* Act. 2:38. conf. 22:16. Et certum eſt, æque late baptiſmi effectum patere, ac Dei fœdus & gratia & Chriſti Salvatoris mors & meritum, ac juſtitia, ſe extendunt. Iſtis enim obſignandis baptiſmus ſervit. Illa autem omnibus peccatis delendis ſufficere, ipſi non diffitentur adverſarii. Unde idem de baptiſmo fatendum: nec alterum ſacramentum, ad recentes animæ labes purgandas, invehendum. Cum baptiſmi, ſemel ſuſcepti, pia recordatio, ac fidei renovatio, una cum ſincera reſipiſcentia, quotidianas peccatorum ſordes abunde abluat. Quod male damnaverunt in Concilio Tridentino Pontificii.

C A-

Digitized by Google

CAPUT IX.

De Baptiſmi adjunctis.

I. Sequuntur denique baptiſmi *adjuncta*, *neceſſitas* ejus & *irreiterabilitas*.

II. *Neceſſitatem* baptiſmi elevarunt nimium, tum, inter veteres, hæretici non unius generis; tum hodie Sociniani: qui pro Eccleſiaſtico ritu ac cærimonia eum habent, adſciſcendis ad Chriſti fidem ex Judaiſmo ac Gentiliſmo proſelytis; inter Chriſtianos autem vix amplius eo opus eſſe cenſent. *Baptiſmi* ADJUNCTA. *I. Neceſſitas, nimis elevata, inter alios, a Socinianis:*

III. Adſtrinxerunt eam plus æquo, inter veteres, non pauci Eccleſiæ Doctores. Quorum princeps fuit *Ambroſius*, qui abſque ſalutari lavacro vitam æternam patere negavit; ſolos martyres, ac cum baptiſmi deſiderio morientes, excipiens; quos videl. *fides ſua*, ac fuſus pro Chriſto cruor, *lavat, & petitio conſecrat*, ut idem de Valentiniano Cæſare. Secuutus eſt Ambroſium *Auguſtinus*, qui infantes non tinctos, tanquam victimas nil miſerantis Orci, inferis tranſcribere non eſt veritus; quanquam mitioribus flammis eos uſtulandos cenſeat. Quo ex occaſione Pelagiani certaminis delapſus eſt. Unde, ut fieri conſuevit, tanti nominis auctoritate, error ille facile proſerpſit: &, cum Latina Eccleſia Auguſtino doctore potiſſimum uteretur, hoc quoque dogma inter diſcipulos eos propagatum, tandemque a futiliſſimæ ſcholæ doctoribus adoptatum, univerſam propemodum Eccleſiam occupavit. *nimis vero adſtricta a veteribus;*

IV. Pontificii, quamvis ambiguis verbis in Tridentino Concilio quæſtionem illam abſolverint, nec doctores ipſorum per omnia conſentiant, ac variis exceptionibus rigorem illum emollire nitantur; tamen communiter duplicem baptiſmi neceſſitatem ſtatuunt, cum præcepti, tum medii; ac ſolis adultis, per martyrium ac pœnitentiam, ejus veniam largiuntur. Cæteroquin, ubi nondum luſtrati deceſſerint, inferni illis pœnas; infantibus autem (niſi quod & hos martyrii coronam aliquando decerpere, ſeque ipſos ſanguine ſuo abluere, ſtatuant) perpetuum, in limbo aliquo, extra Paradiſi ſpatia, exilium, ſed abſque dolore ac ſenſu ullo, decernunt. In quo ab Auguſtini veſtigiis, quæ ſeſe premere jactitant, diſcedunt. *hodieque a Pontificiis.*

Digitized by Google

nec non Lutheranis. V. Nec rigorem iſtum veterum ſatis fugiunt Lutherani: qui, cum regenerationis initia ſacramento illi deputent, quod præter Auguſtanam confeſſionem eſt, magnam iſtam externi ſigni neceſſitatem effugere non poſſunt. Quanquam hodie moderatius nonnulli ex iſta Eccleſia ſentiant.

VI. Orthodoxa autem Eccleſia diverſos neceſſitatis gradus diſtinguit. Cumque neceſſitas, alia abſoluta, alia hypothetica; alia medii, alia præcepti ſit; non priori, ſed poſteriori modo baptiſmum neceſſarium facit. Ex hypotheſi videl. gemina, cum efficientis, ac præcipientis Dei, Matth. 28: 19. tum finis, cum divini fœderis ſignaculum, ac amoris ejus arrhabo ſit; quem repudiare hominis Deum nec amantis, nec reverentis, foret. Adeo ut non privatio, ſed contemtus baptiſmi damnet. Quæ ſententia inter Socinianorum ac Pontificiorum errores media eſt.

Qui confutantur, VII. Ac nimiam iſtam ſeveritatem, & ſacrorum ſignorum neceſſitatem, redarguit, cum Scripturarum auctoritas, tum rationes ex ea deductæ. Nam I. nondum baptizatis, aut divinis ſacramentis initiatis, ſæpe divini favoris ac gratiæ teſtimonia perhibentur: uti *Jacobo*, Rom. 9: 11. *Puerulis Hieroſolymitanis*, Matth. 19: 13. *Davidi*, aliiſque. Quos, de matre cadentes, excepit ſtatim Deus, & benigno ſinu fovit; ac vixdum naturæ manu fictos divina ſua manu protinus refinxit. Vide Pſal. 71: 6. *Tibi innitor inde ab utero; a viſceribus matris meæ tu abripuiſti me*. Jer. 1: 5. *Antequam exires ex utero, ſanctificavi te*. Luc. 1: 15. *Spiritu S. implebitur etiam a ventre matris ſuæ*. Gal. 1: 5. *Qui me ſeparavit ab utero matris meæ.* Nec omittendum Cornelii Centurionis exemplum, cui, ante baptiſmi lavacrum, pietas & ſanctitas, aliaque Spiritus S. dona attribuuntur, Act. 10: 12, 15, 44, 47. De Latrone, ad Chriſti crucem converſo, hoc certum eſt, non ablutum in cœlum aſcendiſſe, Luc. 23: 43. contra autem, Simonem Magum nequicquam tinctum fuiſſe, nec piamina iſta quicquam ipſi profuiſſe, Act. 8: 13, 20--23. II. Sed & ſacramentorum natura conſideranda eſt. Cum enim gratiæ tantum ſigna, & fœderis ſignacula ſint; quid vetat gratia ipſa aliquem potiri, qui ejus ſigno careat, quique inevitabili aliquo caſu carere eo æternum debeat? III. Certe fœdus Dei potius eſt externo ejus ſigno. Et qui fœderis particeps eſt, quod fidelium liberis, natalium quaſi jure, Apoſtolus tribuit, 1. Cor. 7: 14. *Alioquin liberi veſtri impuri eſſent, nunc autem ſancti ſunt;* is, quod nondum ſigilla fœderis adeptus, nec publice in Eccleſia obſignatus eſt, non ea de cauſa tanquam profanus haberi, boniſque fœderis

deris excidere meretur. iv. Et revera, ſi quidquam hic peccetur, non illa infantum, ſed parentum potius culpa eſt: quam in innoxiam illam ætatem vindicari Dei miſericordia non permittit. v. Ac denique iniquum eſt Dei gratiam externo ſigno alligare, ac coërcere, quaſi extra illud Spir. S. non operetur; ac externæ cuidam cæremoniæ, quæ ſæpe extra noſtram poteſtatem eſt, univerſam ſalutem velle affigere; atque ita rem omnium maximam de tenuiſſimo filo ſuſpendere. vi. Suffragatur Veteris Teſtam. analogia; ubi, ſi quis ſine circumciſionis nota de vita excederet, non ideo à Deo non agnoſcebatur, aut cœlo excludebatur. *Ego accedo ad ipſum, & ille ad me non revertetur.* 2. Sam. 12:23. Non minor autem exiſtimanda eſt Novi temporis gratia, quam Veteris. vii. Ac mirum equidem, Pontificios baptiſmi gratiam adultis ſæpe facere, modo vel ſanguine ſuo, vel lacrymarum torrente, tanquam vicario baptiſmo, luſtrentur; in infantes autem duros adeo eſſe; quos, niſi martyrii honore, ac mortis purpura, inſignes ſint, ſine venia extra cœli ſpatia relegant; non aliam ob cauſam, quam quod, antequam ſalutari aqua tingi potuerint, naſcentia ipſorum fata mors immatura abruperit; quique, quod unum forte diem non ſupervixere, æternum jam miſeri eſſe debent. Quod crudele eſt. Certe de remedio aliquo cogitare deberet Eccleſia, atque liberis ſuis conſulere. Verum hæc, aliaque, quæ in hoc argumento congeri poſſent, ſatis oſtendunt, abjiciendam procul iſtam ſignorum ſuperſtitionem, ac mitigandam veterum ſeveritatem, & immitis ſententiæ horrorem, quæ ſua immanitate ſatis ſeſe prodit, de Eccleſia demendum. Utque Romana Eccleſia veterum errorem, in præbenda infantibus Euchariſtia, jam diu correxit; ita non minori ratione & hic, qui ejuſdem cum priori generis eſt, & abſoluta ſacramentorum neceſſitate nititur, in baptiſmo errore tollendus, ac procul habendus eſſet.

VIII. Ad objectiones reſpondemus. 1. Locum palmarium, Joh. 3:5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in regnum Dei,* ab adverſariis urgeri non poſſe; niſi jam ante Chriſti mortem eandem baptiſmi neceſſitatem ſtatuant; ac pariter de Euchariſtia ſentiant, de qua ex Joh. 6:53. eadem leguntur verba, *NISI ederitis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quod utrumque tamen ab iis negatur; & nec baptiſmus ante mortem Chriſti, nec in univerſum Euchariſtia ita neceſſaria ab ipſis exiſtimantur. Nec plane certum eſt omnibus, de baptiſmo iſtic loci agi; quanquam

& objectionibus ipſorum reſpondetur.
Ioh. 3: 5.

 non

non multum de eo contendere velimus. Nam ſi vel baptiſmi aquam intelligant, neceſſitas ejus in communi intelligenda eſt, reſpectu ordinis in Eccleſia perpetuo ſervandi. Regenerationis autem, quæ baptiſmo obſignatur, ſumma eſt neceſſitas; idque docere præcipue Servator voluit. Quod multo magis ſequetur, ſi obtineat eorum ſententia, qui, ſive Spiritus S. gratiam, per ἓν διὰ δυοῖν, in colloquio hoc cum Phariſæo intelligunt; quæ, alluſione ad legales ablutiones & ῥαντισμοὺς facta; aquæ ſpiritualis nomine venit; qua virtute legales aquæ, & multifarii mundandi ritus, carebant; ſive Chriſti obedientiam & meritum, quod vel præcipue animam a peccati labe emundare poteſt, ac ſine quo ipſe Spiritus regenerans non datur, hic adducunt. Conf. Hebr. 10: 22, 23. Ezech. 36: 25. Certe externæ aquæ abſoluta neceſſitas hic non intelligitur, niſi novam Eccleſiam aquæ, priſciſque elementis, magis obnoxiam ſtatuere velis, quam in veteri unquam Iſraëlitarum Eccleſia factum eſt.

Marc. 16: 16. II. Marci autem cap. 16: 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſervabitur. Qui vero non crediderit, condemnabitur;* cum de baptiſmo gentium agatur, adulti potiſſimum ſpectantur. Nec illa, quæ in una oratione conjunguntur, ejuſdem ideo neceſſitatis ſunt. Conf. Rom. 10: 10. *Corde creditur ad juſtitiam, fit autem ore profeſſio ad ſalutem.* Matth. 17: 21. *Hoc genus dæmoniorum non egreditur niſi per precationem & jejunium.* Unumquodque enim gradu ac loco ſuo conſiderandum eſt. Sicuti altero commate, quod diſtrictius eſt, non-baptizatorum mentio omittitur; ſolummodo autem non-credentibus Euangelio ſalus abrogatur: Servatore ſtudio dictionem temperante, nec eodem, quo inceperat, pede ſententiam abſolvente: *qui autem non crediderit, condemnabitur.* III. Denique male infantes non circumciſes orco adſcribunt, ex vexata illa phraſi, *exſcindetur e populo ſuo*, Gen. 17. Non unum enim iſtius locutionis ſenſum eſſe, atque aliud de infantibus, aliud de adultis; rurſuſque aliud, pro criminum diverſitate, ſonare, ſupra loco ſuo vidimus.

II. Irreiterabilitas. IX. Alterum baptiſmi adjunctum eſt *irreiterabilitas*, ab Eccleſia conſtanter credita, & miraculo aliquando, ut fertur, adſtructa. Cujus tamen cauſam diverſimode reddunt. Pontificii characteri, ac notæ cuidam indelebili, quem poſt ſe baptiſmus relinquit, illam tribuunt; adeoque iterari baptiſmum poſſe negant. Quod aëreum nugamentum libri hujus cap. 1. difflavimus. Vera autem ejus ratio a voluntate Dei & ſacramenti hujus natura & ſcopo repetenda eſt. Eſt enim noſtræ initiationis,

Digitized by Google

tionis, atque in Chriſtum inſitionis, & ſpiritualis nativitatis ſacramentum. Quæ initia cum fuſtra eſſe nequeant, atque immortale iſtud ſemen corrumpi, nulloque fructu evaneſcere tandem, & extingui non poſſit; neque etiam ſolemnis illa in fœdus Dei initiatio repeti poteſt. Obſtat enim fœderis ac amoris Dei conſtantia; quod, non obſtante qualicunque noſtra infirmitate, viget nihilominis ac permanet; cum frangi iſtæ tabulæ non poſſint, nec fractis illis aliæ ſpes reſtent. Ut, ſi prior baptiſmus nos non abluerit, ne ſecundus quidem, aut tertius, illud præſtare poſſit. Obſtat & mortis Chriſti pretium, quæ repeti iterum non poteſt, cum *unico iſto ſacrificio* ſatis litatum ſit, Hebr. 10: 14. Quod ſi abnegemus, ſpes omnis ſalutis redauſpicandæ periit. cap. 10: 26. Et ipſius tandem regenerationis natura adverſatur, quæ æterna eſt, nec corrumpi ac intercidi poteſt. Ut obtineat hic illud Joh. 13: 10. *Ei, qui lotus eſt, non opus eſt niſi ut pedes lavet. Sed eſt mundus totus.* Quæ beneficia Dei cum nec deperdi prorſus, nec iterari rurſus poſſint, nec baptiſmum, quo bona illa obſignantur, iterari poſſibile eſt. Denique ex comparatione ſpiritualis nativitatis cum naturali, Joh. 3. non magis baptiſmum, quam maternum uterum repeti poſſe patet. Quo & Veteris Teſt. analogia confert, ubi, qui ſemel circumciſus erat, iterum abſcindi neceſſe non habebat. Unde nullum quoque iterandi hujus lavacri præceptum, quale de S. Cœna extat, 1. Cor 11: 26. *quotieſcunque ederitis panem hunc* &c. nullum in Scriptura exemplum; nulla denique neceſſitas, occurrit. Sed lapſi, poſt baptiſmum, non ad novas aquas, ſed ad primæ lotionis memoriam revocantur; ne undam iſtam inquinare, ac flagitioſa vita profanare audeant. *Et hæc eratis quidem; ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis* &c. 1. Cor. 6: 11. *Nam quicunque in Chriſtum baptizati fuiſtis, Chriſtum induiſtis.* Gal. 3: 27.

X. Damnandus ergo Anabaptiſmus, cum veterum, tum recentiorum. Mota autem in ipſa Eccleſia olim controverſia de rebaptiſandis hæreticis: Cypriano, Epiſcopo Carthaginenſi, poſt Agrippinum, (cum hæreticorum baptiſma nullum, nec aquas illas ſacras, ac ſacro Spiritu impraegnante, efficaces, reputaret) eos retingi, aut potius rite in Eccleſia primum tingi debere; Stephano autem Epiſcopo Urbico contra contendente, ac de quacunque hæreſi venientes, ſine ullo diſcrimine, illotos in Eccleſiæ ſinum recipiente. Ubi hactenus recta procul dubio Cypriani ſententia erat; quod, cum extra Eccleſiam nullum baptiſma agnoſceret, tingi primum & luſtrari de novo accedentes volebat: quanquam *Cui repugnat Anabaptiſmus; cum veterum,*

 in

Digitized by Google

in illo erraverit, quod nullum hæreſeon diſcrimen faceret; ac ipſos quoque ſciſmaticos, & quicunque extra Orthodoxorum numerum erant, ut profanos, nullaque in Eccleſiæ parte, haberet. Pendet enim quæſtionis hujus deciſio a fundamentalium articulorum retentione aut abnegatione. Ubi enim in Eccleſia aliqua verba fundamenti, licet multos inter errores, adhuc ſonant; ac vera baptiſmi forma & eſſentia obtinet; baptiſmum illum, non obſtantibus iſtis erroribus, verum agnoſcere oportet; cum per illum liberi Chriſto gigni adhuc poſſint. Ubi vero nihil ſani in cœtu aliquo occurrit, nec quicquam ſacri in baptiſmo ejus deprehenditur; profanæ illæ aquæ, & baptiſmi mimus, non magis pro fœderis ſacramento & ſignaculo habendus eſt, quam quælibet aquæ ſparſio vel mergitatio. Atque ita Eccleſia deinceps hanc litem decidit, facta inter hæreticos diſtinctione, & graviore hæreſi redeuntes (quales præſertim iis erant, qui non baptiſabant in nomen S.S. Trinitatis; quem baptiſmum non purgare, ſed inquinare & polluere exiſtimabant) retingi; ab aliis vero baptizatis ſola manuum impoſitione Eccleſiaſticæ pacis poſtliminium tribui juſſit. Novatianorum autem, & Donatiſtarum, reliquorumque Catharorum, Anabaptiſmum conſtanter repudiavit.

tum recentiorum.

XI. Errorem illorum noſtro tempore imitantur, qui ex hoc capite *Anabaptiſtæ* appellantur. Solent autem illi infantes, in Eccleſia tinctos, rebaptizare; idemque erga adultos præſtant, qui extra ipſorum cœtum baptizati ſunt. Quin &, aquis atque baptiſmis ſuis, tanquam re tralatitia, ludentes, ab una inter ipſos ſecta ad aliam tranſeuntes ſimiliter abluere primum, ac ſic in fratrum cœtum recipere ſolent. Quæ rei ſacræ non levis profanatio eſt. Non enim defectus alicujus Eccleſiæ ſacramentorum vim magis tollit, quam multiplex olim Iſraëliticæ Eccleſiæ idololatria circumciſionem contaminare vel tollere potuit. Cum autem infantes, rite olim ablutos, frivolo aliquo prætextu iterum lavant; mirum quod non potius adultis hypocritis, vel gravius poſt baptiſmum lapſis, ſimili modo novum baptiſmum largiantur; cum prior baptiſmus peccato illo (nam fideles in univerſum prolabi poſſe putant) dudum obliteratus & deletus ſit. De loco autem Act. 19: 1-5. quem in cauſæ præſidium adferunt, jam ante reſpondimus: & licet illi qui a Johanne merſi erant, a Paulo iterum baptizati fuiſſe ponantur; non tamen exemplum illud ipſos juvare poteſt; cum Johannis Baptiſmum toto genere diverſum, nec de iſta tinctura Chriſtianum gigni potuiſſe putent. De quo quid ſit, & quouſque illud verum ſit, ſupra vidimus. Saltem de ba-

Digitized by Google

ptiſmo noſtro, in S.S. Trinitatis nomine peracto, illud dici nullo modo poteſt; unde nec eadem ejus repetendæ neceſſitas.

XII. Culpandus etiam Æthiopum mos, qui quotannis, Epiphaniæ die, baptiſmum renovant; in Chriſti quaſi honorem; quem eo die olim baptizatum volunt. Qui prætextus nullus, & ſuperſtitioſus eſt.

Qualis ille apud Æthiopes ſit.

XIII. Agnoſcimus autem ac ſervamus baptiſmum, cum in aliis cœtibus, tum in Romana Eccleſia, in nomine S.S. Trinitatis, collatum. Cum inter hominum errores tamen baptiſmus vim ſuam ab inſtitutione Chriſti retineat. Qui autem a laicis, vel mulierculis, aſperſi ſunt; cum baptiſmus ille nihil ſacri ſit; a nobis vero demum baptiſmo obſignantur. Socinianorum vero, ac Antitrinitariorum, baptiſmum, cum veteri Eccleſia rejicimus; cum S S. Trinitatis profeſſione careat; ac præterea illi ſanguinem Chriſti negent; nec vero magnam aliquam ſanctitatem baptiſmo illi ſuo tribuant, ſed plerunque pro nudo, nec quicquam obſignante ritu, habeant. Rurſus Anabaptiſtarum ac ſimilium baptiſmum, quamdiu publice cum damnatis illis cœtibus communionem non habent, recipimus. Univerſi enim cœtus fides & profeſſio, non hujus vel illius doctoris perfidia ſpectanda eſt. Similemque in modum ad quæſtionem, an baptiſma in Eccleſia Orthodoxa, a miniſtro Antitrinitariis erroribus imbuto, collatus valeat? reſpondemus. Conſideranda enim publica Eccleſiæ fides, in quam ille, qui baptiſandus eſt, imbuitur: factæque ei a Chriſto promiſſiones. Quæ cum a miniſtro non pendeant, ille, ſi vel occulta hæreſi laboraret, irrita illa ac vana reddere minime poteſt.

Et quouſque ſectariorum baptiſmus admitti poſſit.

Digitized by Google

LOCUS QUADRAGESIMUS QUARTUS

DE

S. Cœna, aliiſque ritibus.

CAPUT X.

De S. Cœnæ nominibus, perſonis, ſymbolis ritibuſque externis.

Alterum N. F. ſacramentum eſt S. COENA.

I. UTi priſcarum mundationum ac lotionum quædam imago erat in baptiſmo; ita S. Cœna ſacris ipſorum epulis ac conviviis reſpondet, ac alterum Novi Teſt. ſacramentum conſtituit. Quæ veteris legis inſtituta Apoſtolus conjungit, Hebr. 9: 10. *Cibi, & potus, & varia lotiones, & inſtituta carnis, uſque ad tempus emendationis incumbebant.* Cum autem partim re externa & terreſtri, partim interna & cœleſti, cœna illa conſtet; de illa primo agemus; ac præmiſſa *nominis* theoria, *perſonas*, *ſymbola*, *ritus*, ſeu actiones, ac *circumſtantias* ad eam ſpectantes, ordine percurremus.

In qua conſideranda 1 Nomina: quæ ſunt, vel ſacra; ut Cœna Domini, Eulogia, Euchariſtia, Novum Teſt.

II. *Nomina* hujus ſacramenti partim ex S. Scriptura, partim ex Eccleſiaſticis auctoribus, ac Eccleſiæ uſu, deſumta ſunt.

III. Appellationes, in Scriptura obviæ, ſunt octo, 1. *δεῖπνον κυριακὸν*, *Cœna Domini.* 1. Cor. 11: 20. tum quia, pro more cœnæ, veſpere (quam temporis circumſtantiam Eccleſia diu ſervavit) tum quia a Domino, epulum illud inſtitutum. Quo, uti auctore, ita & fine ac ſcopo nititur; cum morti ejus perpetuum celebrandæ inſerviat. 2. *εὐλογία*, *benedictio*, propter Chriſtum *εὐλογήσαντα*, dum ſacra iſta ſigna tractaret. Matth. 26: 26. Marc. 14: 22. 1. Cor. 10: 16. Quæ vox deinde ad ſacrati panis particulas, quæ abſentibus, aliiſque, Chriſtianæ communionis teſtandæ cauſa miſſitabantur, denotandas adhibita. 3. *εὐχαριστία*, ab eadem Chriſti actione, ut & fidelium laudibus & hymnis, Deo liberatori dictis, Matth. 26: 27. Luc. 22: 19. 1. Cor. 11: 24. 4. *καινὴ διαθήκη*, Luc. 22: 26. Matth. 26: 27, 28. Sicuti in Veteri Teſt. Deus circumci-

cumciſionem בריתו *fœdus ſuum* appellat. Sic autem dicitur a fœdere, quod, cæſa digniſſima illa victima, nobiſcum ſancivit. 5. *τράπεζα κυρίȣ, menſa Domini*, ubi cum Domino aſſidemus, 1. Cor. 10: 21. Quæ menſa, dum ſacrificales dapes contineret, veteribus etiam altare dicebatur: in quod, primum nomine, deinde gliſcente ſuperſtitione, reipſa tranſiit. 6. *κλάσις ἄρτȣ, fractio panis*, 1. Cor. 10: 16. Quo a pleriſque etiam refertur locus Act. 2: 42. *Et perſeverabant in doctrina Apoſtolorum, & communicatione, & fractione panis*, & *orationibus*. & 46. *Frangebant domatim panem*. conf. cap. 20: 7, 11. Aliena autem ſunt Luc. 24: 30. & Act. 27: 30. 7. *κοινωνία, communio corporis & ſanguinis dominici*, 1. Cor. 10: 16. 8. Denique *σῶμα τȣ̃ χριςȣ̃*, ex verbis inſtitutionis. Matth. 26: 26. *Menſa Domini, Fractio panis, Communio, corpus Chriſti.*

IV. Eccleſiaſtica vocabula ſunt viginti quatuor. 1. *δοχὴ convivium*. 2. *τροφὴ πνευματικὴ, alimentum ſpirituale*. 3. *λειτȣργία, cultus*. Quæ vox alioquin latius ſonat, atque univerſum cultum & miniſterium Eccleſiaſticum comprehendit. 4. *λατρία, cultus*. Auguſtinus *pietatem* vocat. 5. *σύναξις* & *συνέλευσις, conventus* & congregatio, præeunte Scriptura. Act. 20: 7. 1. Cor. 11: 20, 26, 27, 33. & 10: 16. 6. Latini *collectam* dicebant, eodem ſenſu. 7. *μυςήριον, myſterium*. voce ab occultis Ethnicorum ſacris deſumta. 8. *Deſiderata*. eodem prope ſenſu. Illa enim etiam in Gentilium myſteriis erant; nec omnibus initiatis protinus patebant. Semper enim ſervabat aliquid, quod reviſentibus oſtenderet Eleuſis. 9 *χάρις*, a re ſignificata. 10. *τὰ ἁγιάσματα*. 11. eodemque ſenſu *ἁγίαι μερίδες*, a ſacris ſignis. 12. *μετάληψις*. quod per ea ad Chriſti communionem admittimur. 13. *δῶρον donum*. ſive a collaticiis dapibus, ex quibus cœna illa inſtruebatur; ſive a S. Spiritu, ad cœnam iſtam veniente, qui præcipuum Eccleſiæ donum eſt. 14. pariter *τὸ ἀγαθὸν*; quia Chriſtum, boni omnis fontem, exhibet. 15. *ἐφόδιον, viaticum*; quod de vita exeuntibus aliquando Eccleſia dabat. 16. *vita*, Auguſtino & Afris. 17. *Pax*; a pacis oſculo, quod libabant. 18. *πάσχα*. Cum in ea veri agni ſacrificium repræſentetur. 19. *θυσία, ſacrificium*; propter dominici ſacrificii memoriam, & laudum ac gratiarum pro peracta ſalute oblationem. 20. Quomodo & *εὐχὴ* apud Græcos appellabatur. 21. *αἷμα*. ſynecdochice, ab altera ſacramenti parte. 22. rurſusque *ſacramentum panis*, & *panis* ſimpliciter. Quem quotidie in nonnullis Eccleſiis ſumebant. 23. *Miſſa*; cum a Catechumenorum, tum a fidelium, dimiſſione. Quæ, partim initio, partim fine, myſteriorum, *vel Eccleſiaſtica, eaque XXIV.*

fiebat. 24. ἀγάπαι. Quæ vox tamen crebrius de piorum conviviis, charitatis teſtandæ cauſa in Eccleſia olim (licet quidam aliter cenſeant) celebratis, quibuſque annectebatur Euchariſtia, uſurpatur. Quæ diverſæ appellationes, pro veterum pietate, frequentatæ, non tantæ tamen auctoritatis ſunt: ac aliquæ earum, præſertim duæ illæ, ſacrificium & miſſa, prodigioſo errori tandem occaſionem & commeatum præbuerunt.

II. Perſonæ; eaque, vel adminiſtrantes.

V. Succedit, poſt nominum conſiderationem, res ipſa: quam, juxta ordinem inſtitutum, primum in externo illo miniſterio, cunctiſque ejus partibus ac circumſtantis, videbimus. Ubi, tum de *perſonis*, tum de *rebus ac ſignis externis*, denique de *ritibus* ac actionibus ſacris agendum nobis erit.

VI. Primo in ordine, ac loco, occurrit Dominus Jeſus, ſacrificalis epuli auctor & inſtitutor. Unde *Domini cœna* continuo appellatur, 1. Cor. 10: 20, 23, 26, 27, 29. Ac, poſt illum, ſacramenti miniſtri fuerunt ejus Apoſtoli; ac qui illos ſecuti ſunt Eccleſiæ rectores ac præſides.

VII. Ut ferenda non ſit Socinianorum ἀταξία, qui a privatis cœnam quoque fieri permittunt; ac, privato in epulo, a quibuſlibet Chriſtianis, ſacrificii Chriſti memoriam rite peragi poſſe arbitrantur. Ita ut actio illa non amplius publica, nec ſacra ſit. Quibus accedit Epiſcopius, qui & mulierum cœtui illam poteſtatem tribuere non veretur. Quæ contra Chriſti inſtitutum, ac primam cœnæ adminiſtrationem, Eccleſiæque uſum ſunt. A quibus temere non diſcedendum. Nec mirum illos ita ſentire, qui nullum myſterium in S. Cœna agnoſcunt; ſolaque mortis ac martyrii Chriſti recordatione illam abſolvunt. Unde nuda iſta ſigna a quibuſlibet Chriſtianis tractari ægre non ferunt. Sed jam antea vidimus, iſta præterea amoris Dei certiſſima pignora & ſymbola eſſe. Quæ Deus certe non aliter quam per præſidum manus erogare ſolet; quibus peculiarem ſacrorum curam ac miniſterium dedit; ne promiſcuo uſu contaminentur, ac inter tractantium manus paulatim evileſcant. Quæ & veteris Eccleſiæ fere ratio fuit, Eccleſiaſtico quoque canone Synodi ſextæ, Canon. 57. ſancita. Licet diaconorum miniſterium antiquioribus ſæculis hic quoque intervenerit. Nec privatas iſtas cœnas Apoſtolus auctoritate ſua firmat cum de *poculo, cui benedicimus; & pane, quem frangimus*, loquitur, 1. Cor. 10: 16. quaſi communia illa redderet, cunctiſque Chriſtianis ex æquo panis & poculi benedicendi poteſtatem largiretur. Univerſa enim Eccleſiæ facere prohibetur, quod Eccleſiæ nomine cœtus præſes ac miniſter facit. Ac habet præterea partes

Digitized by Google

ſuas in ſacro illo univerſa Eccleſia; cum de ſacris panibus eſitet (quod, non inuſitata phraſi, panem frangere quoque dicitur) & hymnis laudibuſque ſacram hanc actionem proſequatur.

Vel communicantes: & quales hi;

VIII. Perſonæ communicantes ac convivantes, in prima cœna, fuerunt, ad minimum, Apoſtoli; non excluſo, ut plane videtur ex Luc. 22: 21. conf. com. 19, 20. Juda. Ac veniunt nunc in numerum illum omnes fideles, ac veri Chriſtiani, qui ad menſam iſtam rite comparati ſunt, & myſteria illa didicerunt, ac vita puros integroſque ſeſe præſtant. *Exploret autem quiſque ſe ipſum, & ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat.* 1. Cor. 11:28.

quales vero non item.

IX. Non probandus autem veterum mos, qui, per aliquot ſæcula, infantibus, per ætatem nondum huic myſterio maturis, Euchariſtiam inſtillare ſoliti fuerunt. Nec ab infantibus differunt furioſi & amentes, quibus ſacra ſymbola ingerere, eſt ea profanare. De ſurdis & amentibus, cum interior Dei potentia arctari non debeat, ex elucentibus fidei indiciis, & melioribus intervallis judicandum eſt. Nec neganda illis ſymbola, in quibus præſentem Spiritum agnoſcimus. Ad illam autem non invitandi ſunt profani, & ſceleroſi, nec vera ulla virtute redemti; utcunque domeſticorum nomen & titulos mentiantur. Manifeſtum denique eſt, cum S. Cœna Chriſtianorum myſteriorum maximum ſit, ad eam non admittendos, qui minoribus myſteriis initiati nondum ſunt. Adeoque baptiſmo luſtratum prius eſſe oportere, qui Dei conviva deinde futurus ſit.

Qui excluſi a veterum Synaxi:

X. Apud veteres Chriſtianos, ut eorum quoque morem luſtremus, univerſa Eccleſia ad menſam hanc accedebat; nullis, de fratrum cœtu, qui ſacris intererant, exeuntibus, niſi qui ipſius Eccleſiæ judicio ἀμύητοι adhuc erant, vel ob crimen arcebantur; Catechumenis vid. & pœnitentibus, quibus & Energumenos, ſi forte adeſſent, adjungebant. Qui Chriſtianorum fervor, labente deinde diſciplina, dum fideles ſocordiæ ſeſe dedunt, & dignos ſeſe S. Cœna facere laborem exſtimant, ac ſacris ſymbolis carere malunt, non paulum refrixit. Unde factum deinceps, ut multi qui ſacris intererant, nihilominus communione abſtinerent.

Catechumeni,

XI. *Catechumeni* duplici in ordine erant. *Audientes*, qui primo in gradu conſiſtebant; & *competentes*, qui, decurſo iſto ſtadio, baptiſmi jam candidati, præſcripto tempore illum expectabant. Qui omnes, antequam ſacra menſa inſtrueretur, poſt acceptam benedictionem, juſſi à Diacono, exibant. Quæ Catechumenorum miſſa erat.

Pœnitenteſque varii.

XII. *Pœnitentium* quoque varii gradus erant. προσκλαίοντες, ἀκροώμενοι, ὑποπίπτοντες, tum denique illi, qui ἐν τῇ συςάσει τῶν πιςῶν εὐχαῖς communicabant. Qui tamen & ipſi, dictis ab Epiſcopo precibus, & accepta benedictione, ante ſacrorum myſteriorum celebrationem, diſcedebant. Quibuſdam autem, qui gravius peccaverant, Eccleſiæ venia, non longo ſolum annorum intervallo, ſed ad vitæ uſque finem negabatur. Atque iſta ſub diſciplina Eccleſia diu ſtetit. Solis autem fidelibus, qui actu communicarent, in ſacro epulo, diſciplina nimis rigida, præſentibus eſſe licuit; cæteris ne quidem adſpectare illud fas erat, cum iſtud maximum religionis myſterium haberent, quod ἀμυήτοις non propalandum ducebant.

III Symbola: ex convivio paſchali deſumta;

XIII. Poſt perſonas, ſpectandæ *res & ſigna externa.* Inſtituit autem Servator *convivium ſacrum*, commemorandæ ultimæ ac emortuali ſuæ cœnæ; utque triſtiſſimæ illius noctis imago, atque univerſæ paſſionis ac ſacrificii ejus memoria de Eccleſia nunquam deperiret. Ac ſicuti in baptiſmo ritum quendam Judæorum imitatus eſt, quem in novæ Eccleſiæ ſacramentum conſecravit: ita hæc cœna, ad paſchalem menſam primum cœpta, cujus vel pars vel appendix erat, in N. T. ſacramentum commutata eſt, ac nobiliorem in uſum dedicata: unde deinde in paſchatis locum ſucceſſit, ac in Eccleſia obtinuit. Poſtquam enim verus agnus veniſſet, qui ipſe in ultimo epulo præſens erat, ac luce ſua umbram illam explebat, ſacrificalibus agnis opus non amplius erat.

eaque gemina,

XIV. Elementum ergo, ut in convivio ſacro, hic duplex eſt, panis, & vinum. Quanquam enim in baptiſmo ſolæ aquæ emundandæ Eccleſiæ ſufficerent; tamen in cœna, ut integra ea foret, & ſpiritualis alimoniæ myſterium adimpleret, duplex requirebatur ſymbolum, tum cibi, tum potus; ut vitam victumque ſpiritualem, quem in Chriſto habemus, perfecte adumbraret.

& maxime accommoda.

XV. Ubi mirari licet divinam providentiam, quæ res adeo naturales, ſimplices, ac ubivis obvias, Eccleſiæ, pro rerum cœleſtium pignore & arrhabone, tradidit. Cujus inſtituti complures rationes ſunt. I. Cum enim ſacramentum hoc ad finem uſque ſæculi, & quibuſcunque in locis ac regionibus, in uſu fidelium permanere deberet, certe minutis quibuſdam ac moleſtis ritibus conſtare non debebat; ne vel ubivis eorum copia non eſſet, vel incuria, aut fato aliquo, multiplex adeo ſacrorum apparatus ſenſim ex uſu ac memoria hominum deperiret. Quod pleriſque Veteris Teſtamenti cæremoniis contigit. II. Neque Deus *illu-*

ſtriori-

Digitized by Google

ſtrioribus ſymbolis, qualia in deſerto aliquando exhibuit, Eccleſiam detinere voluit. Non parum enim externus ille ſplendor ſpirituali fidelium *viſui* offeciſſet; qui non externo ſigno, ſed re ſignificata paſci jam & ſatiari debebant: ac Servatorem ſuum quotidiana in imagine adſpicere potius ac amplecti, quam in illuſtri aliquo ſigno ſtupere, atque iſto veluti idolo ſeſe oblectare malebant. Quibus accedebat ſuperſtitionis periculum, quæ, in illuſtrioribus ſignis occupata, evitari adeo non potuiſſet; ut ne nunc quidem Eccleſia, in tam humilibus ſignis, iſtam labem effugerit; ſed ordinariis illis ac pene quotidianis ſymbolis, tandem ad idololatriam abuſa fuerit. III. Denique myſterio non caret, quod non animalium carnes, & cruentas, ac ſanguine manantes, dapes, uti in ſacris Veteris Teſt. epulis, ad hanc menſam inſtituerit; ſed ſolis panibus ac vino onerari eam voluerit. Ea enim Novi Teſt. natura eſt, quod, poſt fuſum Chriſti ſanguinem, nullus amplius ſanguis in ſacris profundi debeat. Unde vel animalium ſanguine in ſacro hoc convivio abſtineri voluit; & panem ſolum vinumque convivantibus diſtribuit: quæ ſimplices epulæ, & nutritionem noſtram ſpiritualem, & peractum ſemel Chriſti ſacrificium (cujus ex inſtituto Chriſti clariſſimam memoriam perhibent) non minus adumbrant & obſignant, quam olim ſacrificiorum carnes, & craſſæ illæ veteris populi figuræ.

XVI. *Panis*, quo Chriſtus in prima cœna uſus eſt, fuit azymus. [*Quæ ſunt gemina; panis*] Quod accidentarium fuit, ex lege paſchatis, quæ fermento omni abſtinere per eos dies jubebat. Unde vetus Eccleſia quotidano ac cibario pane uſa eſt. Plane ad ſenſum Chriſti, qui non alium panem, quam quo in communibus epulis veſcimur, ad concinniorem myſterii ſignificationem, inſtituit. Quo & Apoſtoli, tum in Judæa, tum inter gentes, poſtea uſi ſunt, Act. 2:42. *Et perſeverabant in fractione panis, & precibus*. c. 20:7. *Cum diſcipuli congregati eſſent*, Troade, *ut panem frangerent*. conf. 1. Cor. 10:16, 17. & 11:20. Cum azymus ad Veteris Teſtam. cærimonias potius pertineret. Ut Romana Eccleſia, pertinaciter azyma retinens, ob exemplum videl. Chriſti; eamque neceſſitatem reliquis Eccleſiis imponens, ac tantula de re, jam ante ſex ſæcula, Græcis adeo litem movens; turpi ſuperſtitione, & κακοζηλίᾳ atque affectatæ in Eccleſias tyrannidis crimine, laboret. [*(qui male Latinis eſt ex azymo;*] Quanquam enim non minus Græci, quam Latini, a ſcopo aberrent: dum illi Chriſtum fermentato uſum volunt, quod Judæorum Paſcha uno die anteverteret (quod factum fuiſſe non videtur; nec ſi vel factum, huc faceret, cum nunquam

Paſcha quocunque tempore celebraretur, cum fermentato pane edere fas eſſet) hi autem ex Chriſti exemplo, qui, ob temporis rationem, azymis uſus eſt, eandem neceſſitatem Eccleſiæ per omnia ſæcula imponunt: Græcorum tamen, quam Latinorum, error tolerabilior eſt; dum illi, infirmo quamvis fundamento, communem & uſualem panem ſumendum urgent; hi autem ex mera ſuperſtitione non niſi in azymis cœnam rite fieri autumant.

& pejus ex nebulis orbicularibus)

XVII. Gravius eſt, quod ne panem quidem, ſed panis quiſquilias, & tenuiſſimum cruſtulum, in cœna ſua uſurpant; eamque hoſtiis quibuſdam orbicularibus, crucifixi imagine ſignatis, peragunt. Quod & contra ſacramenti naturam, quod altera ſui parte defraudant, & figurationem ejus tenuiorem reddunt; & contra Chriſti, ac univerſæ veteris Eccleſiæ auctoritatem, eſt; quorum panes Euchariſticos, ex ipſo fractionis ritu ac myſterio, tum quod omnes de uno pane, unum Eccleſiæ corpus adumbrante, comederent, grandiores fuiſſe apparet. Nec improbabile eſt, iſtas panum minutias, cum tranſubſtantiationis commento, dudum poſt milleſimum a Chriſto nato annum, in Eccleſiam irrepſiſſe; cui monſtro alendo non parum ancillari viſæ ſunt.

& vinum.

XVIII. Alterum ſignum eſt *vinum*, *vitis genimen*, Matth. 26:29. Quanquam in regionibus, ubi vini penuria eſt, loco potus ex uvis expreſſi, illud, quod vini vicem ibi præſtat, licite uſurpari poſſit. quod de pane quoque intellectum volumus.

An aqua dilutum.

XIX. Quæritur autem, an vinum Euchariſticum, admixta lympha, diluendum ſit. Ac Servatorem quidem, in ſuprema ac parentali cœna, mixto poculo uſum, Pontificii, cum veterum pleriſque, nec inepte, juxta ritus convivii paſchalis, ſentiunt. Antiquum etiam in primitiva Eccleſia illum morem fuiſſe, ac populi fidelis cum Chriſto coalitioni ſignandæ uſurpatum, & a Latina Græcaque Eccleſia, exceptis ſolis Armenis, ad hæc uſque tempora frequentatum, ſatis conſtat. Nos vero hoc Chriſti exemplum nobis non magis legem figere, quam alterum panis azymi, cenſemus. Ac præſertim aquam de neceſſitate hujus ſacramenti eſſe, atque in ea religionem ac cultus partem poni, aut denique, Apoſtolicæ traditionis prætextu, a Romana Eccleſia omnibus imponi non ferimus. Quanquam corrumpi prorſus S. Cœnam non putamus, ſi quis poculum diluat; præſertim ubi regionis mos eſt, in quotidiano quoque uſu vina nimium generoſa frangere, & admixta lympha miteſcere cogere.

XX. Pa-

Digitized by Google

XX. Pariter intincti panis offulas, quas veteres ad ægrotos mittebant; & infantibus dabant, quod ſiccum panem manducare non poſſent; & nonnullis in locis, pro complemento communionis, plebi Eccleſiaſticæ diſtribuebant; admittendas non cenſemus: quod Chriſti exemplo ac ſcopo repugnent, qui non uno, ſed duplici elemento ac ſymbolo, Eccleſiæ fidem alere ac ſuſtentare voluit.

aut pane illi intincto, ſumendum?

XXI. Solebant autem, apud veteres, panis ac vini copia a fidelibus ſpontanea liberalitate conferri, atque ex collatitia dape S. Cœna inſtrui. Unde oblationis, & oblatarum, & ſacrificii, nomina. Ac reprehendit Cyprianus, ſermone de eleemoſynis, mulierem, quæ in Dominicum ſine ſacrificio veniebat, ac partem ex ſacrificio, quod pauper obtulerat, ſumebat. Quæ vocabula ſequioribus ſæculis corrupta, & non de populi, ſed de ſacerdotis oblatione, & ſacrificio, uſurpata fuerunt. Addebant & alia dona, inſtruendo convivio; quod Agapen, ſeu charitatis epulum vocabant: in quo communem cibum capiebant, & poſt cibum ſumtum, Euchariſtiæ, ad exemplum Chriſti, participes facti fuiſſe creduntur. Quæ tamen convivia tandem irrepente abuſu ſublata ſunt.

Veterum in Cœna oblationes.

XXII. Tranſmittimus autem veterum hæreticorum prodigia, ac ritus ſacrilegos, quibus S. Cœnam contaminabant; quales erant Aquarii, Gnoſtici, Cataphryges, Artotyritæ, Semidalitæ, Marcoſii &c. qui, ut de Chriſto prodigioſe ſentiebant, ita ſacra corporis ac ſanguinis ejus ſigna turpiter defœdabant. De quibus Epiphanius, Auguſtinus, aliique hæreſium ſcriptores, videri poſſunt.

Hæreticorum vero circa illam prodigia.

XXIII. Symbolis ſeu elementis S. Cœnæ accedere debent ritus & actiones ſacræ, abſque quibus ſacramentum hoc non conſtat. Quæ cum circa panem, tum circa vinum, obſervandæ ſunt.

IV. Ritus ſeu actiones:

XXIV. Circa panem, in prima cœna, quinque occurrunt Chriſti actiones: 1. ejus *ſumtio.* 2. *benedictio.* 3. *fractio.* 4. *traditio.* 5. & *mandatum comedendi.* Matth. 26:26. Marc. 14:22. Luc. 22:19.

circa panem, quinque.

XXV. Panem primum in manus *ſumſit* Servator, atque iſto ritu benedictionem ejus peregit. Quæ & Judæorum conſuetudo erat, apud quos Paterfamilias, integrum adhuc panem manu tenens, ſuper eum ſolemnibus verbis benedictionem recitabat; nec ante quicquam de eo guſtare fas erat. Factum autem illud a Domino, inter cœnandum. ἐσθιόντων αὐτῶν, teſtibus Matthæo & Marco. quod pro ratione convivii paſchalis, ad alteram panis azymi fractionem, aut ad ultima agni paſchalis fruſtula, in fine convivii comedenda, quorum loco panem hunc dederit, referri poſſe videtur.

1. Illius ſumtio.

XXVI. Dein-

1. Benedictio & conſecratio.

XXVI. Deinde *benedixit.* Quæ non ſimplex cibariorum benedictio fuiſſe videtur, quam & Judæi certis quibuſdam precibus peragebant: ſed inſuper externi iſtius elementi conſecratio, & ad ſacrum ac ſacramentalem uſum deſtinatio; ut deinceps non communis & vulgaris panis, ſed corporis Chriſti ſymbolum ac ſacramentum eſſet. Quæ conſecratio, tum precibus, tum gratiarum actione, tum expreſſis verbis, quibus voluntatem ſuam teſtabatur, iſtudque corporis ſui pignus Eccleſiæ tradebat, conſtitit. Scriptura, tum *εὐλογίαν*, *benedictionem*, Matth. 26:26. Marc. 14:22. tum *εὐχαριστίαν*, *gratiarum actionem*, Luc. 22:19. 1. Cor. 11:24. vocat. Eodemque modo & hodie Eccleſia ſymbolorum iſtorum ſanctificationem, ſeu conſecrationem, paragit; partim inſtituti ac mandati Chriſti commemoratione, partim fauſtis precibus ac gratiarum actionibus, denique univerſa illa actione ad Chriſti normam & exemplum compoſita.

Cujus non certa extat formula.

XXVII. Non ferenda enim Pontificiorum *ἱερουργία*, qui certam conſecrationis formulam, ac certa verba, à Chriſto adhibita, & ab Eccleſia uſurpanda comminiſcuntur: *Hoc enim eſt corpus meum.* Quæ magico ſuſurro ſuper panem demurmurant, ac totidem ſyllabis conſecrationis actum circuſcribunt & abſolvunt. Quæ inſincera ſunt. Nam certa verba & ſyllabarum apices numerare, & operatoria appellare, ac vim illis *ἐνεργητικὴν* adſcribere, a Magorum myſteriis, & profana verborum potentia non longe abit. Unde & tacito ſuſurro, non populum, ſed ſacra ſigna affantur, atque imperioſis verbis in Chriſti corpus illa tranſmutant, & è cruſto Chriſtum faciunt. Quæ infanda ſunt. Certe Chriſtum verbis illis conſecrationem peregiſſe, abſurdum eſt; cum, antequam illa enuntiaret, panem benedixiſſe & fregiſſe, commemoretur; ut tum non amplius panis communis, ſed ſacer ac benedictus fuerit, quem proinde in corporis ſui ſymbolum ac pignus tradebat: *Hoc enim eſt corpus meum.* Conſecratio igitur Chriſti exemplo, precibus, hymnis, ſacroque ſymbolorum uſu, ac perpetua illa & publica, quam juſſit, mortis ejus commemoratione, in Eccleſia peragitur.

Quo modo illa in Eccleſia veteri peracta ſit.

XXVIII. Atque ita & vetus Eccleſia ſacramentum hoc peregit; cujus morem, ac ſacrum convivandi ritum, a Pontificiorum myſteriis, ac magico illo miniſterio, longiſſime abfuiſſe ſatis conſtat. Audiebatur enim ibi primum ſacra lectio; tum concio, vel ſermo; inde preces concipiebantur &c. atque ita ad ſacrorum myſteriorum participationem veniebant. Paractis enim precibus, poſt oſculi colluctationem, quod ora-

Digitized by Google

orationis ſignaculum Tertullianus vocat; & dextræ congreſſum, quod ipſi eſt pacem miſcere; offerebantur præſidi a miniſtro vel diacono oblatarum partes. Quibus ille acceptis, poſtquam nomina offerentium fauſta commemoratione proſecutus eſſet, panem & vinum, non arcano murmure, ſed clara voce, audiente & acclamante populo, benedicebat. Quæ benedictio fere laudibus Deo dictis, pro parta ſalute, ſacriſque iſtis donis ac ſymbolis, conſtabat; ac variis formulis, quæ in liturgiis veterum occurrunt, comprehendebatur. Circa quartum ſæculum Spiritus S. invocatio, ad ſacra iſta ſigna, ut ea corpus & ſanguinem Chriſti faceret, adhiberi cœpta eſt. Quam Hieronymus *imprecationem*, Græci *ἐπίκλησιν* vocant. Atque hoc veteribus eſt, *conficere ore ſacro corpus Chriſti*, *conficere corpus*, *quod ex virgine*, *conficere venerabilia ſacramenta. Aug. Hieron.* Quæ cuncta precibus fiebant. Omnia autem publice, & clara voce peragebantur, ut populus poſſet Amen ingeminare. quod apud Græcos Latinoſque tum in uſu. Nec iſta Eccleſiæ ætate, ut hodie in Pontificiorum Eleuſiniis, murmurque, humileſque ſuſurros, & fida ſilentia ſacris, aliaque ex Gentilium ritibus deprehendere adhuc licebat.

XXIX. Benedictionem panis excipit ejus *fractio*, more a cœnis Judaicis deſumto, ubi paterfamilias, peracta benedictione, panes frangebat, & convivis diſtribuebat. Nec Chriſtus ſolum, ſed & Apoſtoli panem fregiſſe leguntur (unde & *κλάσις τοῦ ἄρτου* dicitur) Act. 2: 42. 1. Cor. 10: 16. atque univerſa vetus Eccleſia, prioribus octo, imo duodecim ſæculis. Pertinebat autem Euchariſtici panis fractio, non ſolum ad ejus diſtributionem, verum etiam ad carnis Chriſti laceratæ, ac myſticæ fidelium de uno corpore communicationis, repræſentationem faciendam. Ut ſacramenti violatio ſit, ritum illum, qui ad ſacramenti integritatem facit, nec ſine myſterio a Chriſto uſurpatus eſt, omittere. Quod Romana Eccleſia, ob tranſubſtantiationis doctrinam (fractio enim merorum accidentium eſſe non poteſt) & Lutherani, ob conſubſtantiationis errorem (ne videl. Chriſtus quaſi una laceretur) inſtituunt: male excuſantes, ritum hunc, utcunque utilem, non tamen de neceſſitate ſacramenti, eſſe: nam ad integritatem ejus fractionem pertinere, & Chriſti exemplo, & ſignificationis myſterio, ſatis patet. *3. Fractio.*

XXX. Fractionem panis ſequitur *diſtributio*. Primum autem, ex Judæorum more, de eo deguſtabat paterfamilias; tum convivæ cæteri. Ut male Socinus Chriſtum ſymbola diſpenſaſſe, non autem de cœna illa *4 Diſtributio.*

Digitized by Google

guſtaſſe, velit. Obſtat enim cœnarum Judaicarum ratio. Ac ſpectant eo loca Luc. 22: 15. *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha vobiſcum edere, antequam ego patiar.* Matth. 26: 29. *Dico autem vobis, non bibam, ab hoc tempore, ex hoc fructu vitis, uſque ad diem illum, quum ipſum bibam vobiſcum novum, in regno Patris mei.*

Cujus varius apud veteres modus.

XXXI. Apud veteres diſtribuendi ritus varius fuit. Juſtini tempore diaconi ſacras partes populo diſtribuebant, & ad abſentes quoque deferebant. Clemens, in Alexandrina Eccleſia, ipſum populum de patina conſecratas offas accepiſſe ſcribit. Tertullianus, ſua ætate, non de aliorum, quam de præſidentium manu, eas ſumi dixit. Non enim ubivis, aut omni tempore, uniformis cœnæ ritus erat. Poſtea autem frequentius Epiſcopi Presbyteris, Presbyteri Diaconis, Diaconi fere Laicis, ac reliquæ Eccleſiæ plebi, ſymbola miniſtrabant. Ordine autem quodam communio peragebatur; ut primum communicaret Clerus, Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi &c. atque hi deinceps ſanctiori Eccleſiæ loco, intra ipſa altarium ſepta; tum extra illa populus, primo viri, dein mulieres; & hæ non niſi velatæ; unuſquiſque ordine ſuo. Quorum altera communio Eccleſiaſtica, altera laica vocabatur: ad quam nonnunquam clerici, ignominiæ cauſa, rejiciebantur. Optimus autem procul dubio cœnæ miniſtrandæ modus eſt, quem Chriſtus uſurpavit; ut populus de præſidis manu ſacra ſigna accipiat. Quod de pane Euchariſtico ſaltem factum videtur. Calicis enim non eadem ratio videtur, cum ille in orbem obambulare poſſit. Sed cum nec de pane id certum ſit, præſtat de diſtributionis modo, modo fractio obtineat, non contendere. Latinorum autem novitas eſt, quod panem ſacrum communicantibus diſtribuendum non ſolum non frangant, ſed nec unum panem diſtribuant; verum hoſtiolas plures offerant; modo illas offerant ſeu diſtribuant.

9. Acceptio & comeſtio.

XXXII. Succedit tandem, poſt ſymbolorum diſtributionem, *mandatum accipiendi & comedendi.* Matth. 26: 26. Quod iterum ad temporum iſtorum morem intelligendum; quibus, juxta Judæorum ritualia, paterfamilias fractum panem convivis vel in manus tradebat, vel ad menſam juxta ipſos collocabat. In veteri Eccleſia variatum: & primum ſimpliciter manibus, tum iiſdem certo ritu in crucis formam compoſitis, dehinc adhibitis vaſculis & furcillis aureis, nonnunquam etiam mundis linteolis, corpus dominicum acceptum; donec tandem, nimia elementorum veneratione, ea contrectare populo interdictum fuit. Quem morem hodie quoque ſequuntur Pontificii & Lu-

Digitized by Google

& Lutherani, qui, ex dominicæ carnis, ſub pane latitantis, religione, panem illum communicantibus non in manus, ſed in os tradunt. Quod ſuperſtitioſum, & contra Chriſti inſtitutum, eſt. Apoſtolos enim ore ingeſtas offas accepiſſe non legimus; nec cum accubitus eorum ratione congruit. Sed & additum a Chriſto mandatum *comedendi*; quod Pontificii aperte negligunt in miſſis, quas vocant, privatis, quas ſolus abligurit ſacerdos. Quod merum cœnæ dominicæ ludibrium eſt. A quo tantopere abhorruit Eccleſia antiqua, ut prioribus novem a Chriſto nato ſæculis miſſæ illæ ſolitariæ inauditæ fuerint; imo primis quatuor ſæculis nemo fidelium divino officio, in quo conficiebatur Euchariſtia, intereſſet, qui non ejus particeps fieri vellet, aut deberet.

XXXIII. Circa poculum iidem fere ritus repetebantur. Uſus autem eſt Chriſtus in prima cœna poculo paſchali; de cujus forma Judæorum ritualia conſuli poſſunt. Incerta enim ſunt, quæ veteres de illo poculo tradunt; quod ἄμφωτον, *binis anſis inſtructum*, fuiſſe volunt, ac diverſis in locis in theſauris Eccleſiaſticis oſtentant. Uſa autem eſt antiqua Eccleſia omne genus vaſis, ligneis, vitreis, argenteis, ac, creſcente ſacrorum pompa, aureis tandem, & gemmatis. Ut ex mera κακοζηλίᾳ fit, quod Pontificii Euchariſtiæ vaſa aurea vel argentea requirant, & Lutherani hodie non niſi in aureo calice cœnam rite fieri exiſtiment. *Circa poculum iidem fere ritus.*

XXXIV. Poculum hoc *accepit* Chriſtus, in manus nempe. Quod non ſine ſollemni ritu a Judæis, in cœna paſchali, fieri conſuevit, ut peculiarem ſuper eo benedictionem pronunciarent. *1. Illius ſumtio.*

XXXV. Et *benedixit*. Non enim una & eadem benedictione ſuper pane & vino defungi, ſed diſtinctis formulis ea conſecrare ſolebant. Uſus autem videtur Chriſtus partim communi formula; partim eandem ad præſens inſtitutum nonnihil accommodaſſe; & pro verbis, hic eſt *fructus vitis, ſanguis uvarum*, verba illa, *hic eſt ſanguis meus* &c. ſuppoſuiſſe, & circumlata illa patera ſanguinem Novi Teſtam. dedicaſſe. Cum vero numerentur apud Judæos pocula paſchalia quatuor, quorum tertium appellabatur poculum benedictionis poſt ſumtum cibum, ultimum vero poculum hymni dicebatur, quo Paſcha claudi ſolebat; Chriſtum in Novi Teſt. ſymbolum tertium illud poculum conſecraſſe, probabile eſt. Quo pertinet Luc. 22:20. *Similiter etiam poculum* accepit, & dedit, *poſtquam cœnaſſent.* *2. Benedictio.*

XXXVI. *Infuſionis* vini in poculum, quæ panis fractioni reſpondet, & ſanguinis Chriſti effuſi imaginem habet, nulla peculiaris hic mentio *3. Vini infuſio.*

 eſt;

Digitized by Google

eſt; quod nulla peculiari cæremonia perageretur. In myſtica tamen explicatione, ubi expreſſa ſanguinis Chriſti *fuſi* mentio eſt, ad eam manifeſto alluditur. Ut inobſervatam eam tranſmittere non liceat.

4. Traditio.

XXXVII. Succedebat poculi *traditio:* cujus varia apud antiquos ratio. Sæpe a Diacono illud fiebat, qui ſanguinem Chriſti miniſtrare dicebatur. Atque accipiebant illum fideles primum ſimpliciter, ac convivantium in morem; tum venerabundi, & corpore inclinato. Dein a ſacerdote poculum fidelium ori admovebatur, & ſacrum vinum illi infundebatur; ad qualemcunque effuſi Chriſti ſanguinis imaginem faciendam. Augeſcente porro ſuperſtitione, fiſtulæ argenteæ adhibitæ; ne quid calicem inter ſupremaque labra de Chriſti ſanguine periret. Eodemque conſilio, ſæculo duodecimo, abraſæ ſacerdotum barbæ, ne quid de Domini corpore vel ſanguine iis adhæreſceret. Quæ nimia ſignorum reverentia, portentoſo errore, dogmate tranſubſtantionis nata, mutilationi calicis, aliiſque erroribus jam tum viam parabat.

5. Potatio:

in qua male calix populo a Papiſtis ereptus eſt.

XXXVIII. Tandem juſſit Chriſtus, ut *omnes de eo biberent*, Matth. 26:27. Et, annotante Marc. 14:23. *biberunt ex eo omnes.* Atque ita quoque factum in veteri Eccleſia, per duodecim integra ſæcula, fatentibus Pontificiorum doctiſſimis. Prima ejus rei mutatio facta eſt in Occidente, a Concilio Conſtantienſi, A. C. 1415. Quod, *LICET CHRISTUS ſub utraque ſpecie, panis & vini, hoc venerabile ſacramentum diſcipulis ſuis adminiſtraverit — & LICET in primitiva Eccleſia idem ſacramentum reciperetur ſub utraque ſpecie; TAMEN HOC NON OBSTANTE, illud a conficientibus, ſub utraque, & a Laicis, tantummodo ſub ſpecie panis, ſuſcipi debere*, edixit: idque habendum *pro lege, quam non licet reprobare, ſub pœna excommunicationis ſtatuit*, ſeſſ. 13. Cujus decreti nullas alias dant cauſas, niſi has, tum *quia hac conſuetudo ad evitandum aliqua pericula & ſcandala rationabiliter introducta* eſt; tum quia *integrum corpus Chriſti, tam ſub ſpecie panis, quam ſub ſpecie vini veraciter continetur.* Eademque concilii Baſilienſis ſententia fuit, *ſeſſ.* 30. Quæ tamen non ſine pugna & certamine obtinuit, Chriſtiano orbe hanc ſibi injuriam fieri indignante: Bohemis præſertim, Calixtinis dictis, pro calice acriter contendentibus; ubi ea res non exiguam bellorum & tumultuum materiam præbuit; aliiſque, imperatore præſertim, Gallo ac Bavaro, in Concilio Tridentino illum repetentibus. Sed inani eventu. Iſtud enim, non ſine inſigni verborum artificio, tandem decrevit, *nullo divino præcepto Laicos,*

cos,

Digitized by Google

cos, & Clericos non conficientes, obligari; ad Euchariſtiæ ſacramentum ſub utraque ſpecie ſumendum; neque ullo pacto, ſalva fide, dubitari poſſe, quin illis alterius ſpeciei communio ad ſalutem ſufficiat. De expreſſo autem præcepto, & ſalutis neceſſitate, tantum mentionem faciunt: & fideles ad calicis uſum ſtricte obligari negant. Studio enim aſperiora verba vitabant, ne principum oratores læderent. Quod autem ibi utcunque tegebant, ac mollius explicabant, ac ſi videri vellent, de abſoluta calicis ad ſalutem neceſſitate quæſtionem ſolum eſſe; quam ipſi videl, negabant; id in Catechiſmo ad parochos apertius explicant; ubi non calicis neceſſitatem negant, aut liberum & indifferentem ejus uſum permittunt; ſed omnem ejus uſum laicis interdicunt: *Quod vero ad communicandi ritum pertinet, doceant Parochi, Sanctæ Eccleſiæ lege interdictum eſſe; ne quis, ſine ipſius Eccleſiæ auctoritate, præter ſacerdotes, corpus Domini in ſacrificio conficientes, ſub utraque ſpecie ſacram Euchariſtiam ſumat.*

XXXIX. Quod revera eſt, corrumpere Teſtamentum Domini, & ſacratiſſimæ rei ſpolium committere, ac, non ſine ſacrilegio, Eccleſiam dominici ſanguinis pignore privare. Manifeſta enim eſt Chriſti inſtitutio, non exemplo ſolum, ſed & mandato ejus firmata: *Accepto poculo, & gratiis actis, dedit iis; dicens; bibite ex eo omnes.* Matth. 26. Luc. 22. quod factum ab iis Marcus teſtatur, cap. 14:23. Et quam diſerte Paulus, ubi rem ex dominica inſtitutione repetere ſeſe præfatur, injungit 1. Cor. 11:26. *Quotieſcunque ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate, donec venerit.* & 28. *Exploret ſe ipſum homo, & ſic ex pane edat, & ex poculo bibat.* Atque huc quoque facit, quod, 1. Cor. 12: 13. *Omnes ad unum Spiritum potatos* dicit. Nec rejici ab adverſariis poſſunt ipſius Chriſti verba, Joh. 6: 53. *Niſi comedatis carnem filii hominis, & bibatis ipſius ſanguinem, non habetis vitam in vobis.* Quæ de Euchariſtia agere ipſi ſentiunt. Saltem ſanguinem ſuum ſpiritualiter hauriri debere Chriſtus inculcat. Quod abſque omni dubio nullibi efficacius, quam in ſacramentorum communione peragitur; ubi a ſanguine ejus fideles arceri indignum & impium eſt. Quod non leviter conſolationem ipſorum concutit, ac ſi non illi quoque in teſtamenti tabulis hæredes ſcripti eſſent; ac verba illa, dulciſſimæ conſolationis pleniſſima, utrique ſymbolo a Chriſto addita, *Quod pro vobis traditur, qui pro vobis effunditur,* non ad ipſos quoque pertinerent: ſed ſacrificulorum cohors, quibus obraſum caput, inunctæque manus, & ab altari quotidie

Quod ſacrilegium confutatur.

Digitized by Google

tidie calentes, in Servatoris teſtamento prærogativam aliquam haberent? Hoc certum eſt, omnibus fidelibus ex æquo dici poſſe, & debere, *Hic eſt ſanguis Novi Teſt. qui pro vobis effunditur*: & quid ergo cauſæ eſt, quod ſanguinis iſtius pignore priventur, nec quoque proxime inſequentia verba audiant, *bibite ex eo omnes?*

Sublatis ipſorum prætextibus & exceptionibus.

XL. Frivoli autem ac tenues nimium ſunt prætextus, quibus tanta in re utuntur. Vaniſſimo enim concomitantiæ commento, fictiſque quibuſdam difficultatibus, de effuſione calicis, abſtemiis &c. ſe tuentur; & denique cœnam Emaunticam, aliaſque ex Scripturis memorant, quas ſacramentales fuiſſe volunt, in quibus nulla conſecrati calicis mentio. Ad quæ reſpondemus: 1. non quæri, quomodo integrales corporis Chriſti partes inter ſe cohæreant; ſed quo conſilio, modo & fine, illæ nobis exhibeantur & figurentur. Illud autem Dei conſilium eſt, non ſolum cibum, ſed & potum ſpiritualem, in Chriſti corpore oſtendere; iſtudque ut fractum, ſanguinem ejus ut fuſum, fidei exhibere: ſine qua ſanguinis effuſione & illius a carne ſeparatione, divinæ hoſtiæ ratio non conſtitiſſet; unde tota ſacramenti ratio in una ſpecie non abſolvitur. 2. Nec incommoda illa, quæ nec ipſe Chriſtus ignoravit conſtitutum ab eo ordinem evertere poſſunt. Rariſſima enim illa ſunt. Neque paucorum exemplum reliquis fidelibus regulam facere debet. Nec denique, ſi quis omnino vini uſum, odoremque omnem, averſetur, ita ad elementum iſtud tenetur, ut non & alio potu cœnam facere poſſit. 3. Tandem cœna Emauntica non fuit ſacrificalis. Nec, ſi vel maxime ſacra fuiſſet, non ideo, quod nulla calicis iſto in loco mentio eſt, exiſtimandum eſt, cœnas illas ſiccas fuiſſe. Uſitatiſſima enim Hebræis ſynecdoche eſt, per fractionem panis univerſum convivium deſignare.

Alii S. ſymbolorum extra Cœnam apud veteres uſus.

XLI. Mittimus reliquos veterum ritus, qui ſequentis Eccleſiæ erroribus non leve auſpicium fecerunt. Deferebant enim ſacratum panem non ſolum ad abſentes, ſed & deinceps ad infirmos; quin & vino intinctum moribundis in os ingerebant, unde *commeatum*, & *viaticum* dixere. Domum etiam perſæpe ſecum adferebant, fervente præſertim perſecutione, quo quotidie Chriſtum guſtare, atque ad certamen ſeſe præparare poſſent. Quem morem præpoſtere imitantur Pontificii, dum conſecratam hoſtiam, in ornata ciſtula, in templo proponunt, non guſtandum, ſed adorandum. Denique & alium præterea panem habebant veteres, ſacrum quidem, ſed non ſacramentalem; quem, communis fidei teſtandæ cauſa, Epiſcopi ad diocæſeos ſuæ Presbyteros, vel ad alios

Cœpi-

Digitized by Google

Coëpiſcopos miſſitabant. Vocabant autem iſtas micas Eulogias. Qui tamen ritus, ac nonnulli alii, conciliorum auctoritate nonnunquam compreſſi leguntur, ac nimia illa ſignorum religio ſæpe caſtigata & repreſſa. Quanquam irrito conatu, augeſcente ſuperſtitione, atque ad idololatricum ſignorum cultum gradum faciente.

Cœna quomodo olim clauſa, ejuſque reliquiæ abſumtæ.

XLII. Clauſit cœnam Dominus hymno paſchali, ut ex hiſtoria Euangelica colligi videtur. Ac porro ſermonibus ſanctiſſimis extremam illam noctem in terris egit. Atque ita & veteres gratiarum actione ad extremum defungi, & data ex more pace populum dimittere ſolebant, ſollemni formula, *ite in pace*. Unde, quod concio tum miſſa eſſet, *miſſæ* nomen; quod univerſo iſti ſacro tandem proprium factum eſt. Reſiduæ autem micæ in agaparum uſum; quod S. Cœnæ, ut olim antecœnium, ita deinceps, mutato ordine, perdiu veluti corollarium fuit; vel, iis abolitis, Clero, aut Catechumenis, aut pueris de ludo redeuntibus, aut denique pauperibus cedebant. Fuere & qui igne concremarent. Nullibi eas primis ſæculis in Eccleſia, nedum ad pompam & cultum, aſſervabant; qui nunc Romanæ Eccleſiæ mos eſt.

V. Circumſtantiæ,

XLIII. Sequuntur tandem, poſt ſymbola, rituſque ſacros, conſiderandæ quædam hujus cœnæ circumſtantiæ. Quæ præcipue hæ duæ ſunt, *locus*, & *tempus*.

1. Loci: qui olim varius.

XLIV. Prima cœna celebrata fuit in ædibus privatis; in quibus Chriſtus paſchale epulum inſtrui juſſerat: *πρὸς τὸν δεῖνα*, Matth. 26: 18. Marc. 14: 13. 14, 15. Luc. 22: 10, 11. Feſtorum enim ſollemnium tempore, ſolebant Hieroſolymis etiam privatorum ædes patere Judæis advenis, qui ad ſacrum confluxerant. Eratque tum ſancta illa urbs communis gentis illius civitas & patria, quam univerſam ſinu ſuo accipiebat. Solebant poſtea & Apoſtoli in privata domo, uti docere perſæpe, ita & convivari. *Frangebant domatim panem*, Act. 2: 46. Templis autem erectis, privatæ iſtæ cœnæ Eccleſiaſticis edictis abrogatæ ſunt. Quanquam nunquam ita privatæ forent, quin in fratrum conventu celebrarentur, & plures ſimul aſſiderent, teſtandæ fidei ac communionis cauſa. Quæ & convivii paſchalis ratio erat. *Cum igitur convenitis eodem loci; hoc non eſt dominicam cœnam edere*, 1. Cor. 11: 20. *Ut, fratres mei, coëuntes ad edendum, alii alios expectetis.* com. 33. conf. 1. Cor. 10: 16. Ut miſſæ Pontificiorum ſolitariæ merum cœnæ ludibrium ſint. Nec facile adeo probandus quorundam mos ægris Euchariſtiam miniſtrandi; qui & præter S. Cœnæ inſtitutum, & primorum maxime ſæculorum exemplum eſt.

XLV. Per-

Digitized by Google

adhibita ſemper menſa; non altari. XLV. Peracta fuit prima cœna ad communem *menſam*, Matth. 26:20. 1. Cor. 10:20. *Non poteſtis participes eſſe menſa Domini, & menſæ dæmoniorum.* Quæ veteribus lignea & portatilis erat, ac linteamine operiebatur. Altaria enim primæva Eccleſia ignoravit. Quanquam ſacrificalem menſam nonnunquam improprie hoc nomine appellarent, uti cœnam ipſam ſacrificium dicebant. Peſſime vero Pontificii rurſus in Eccleſia aras, & altaria proprie dicta, excitarunt. Quæ, poſt oblatum Chriſti ſacrificium, reducere velle Chriſtianiſmi corruptio & venenum eſt. *Habemus altare, ex quo edendi poteſtatem non habent, qui tabernaculo ſerviunt.* Hebr. 13:10. Nec ſine omni fermento eſt, quod Lutherani adeo altarium formas deament, atque ad ea cœnam ſam celebrent; cum tamen Papiſtarum ſacrificium deteſtentur. Quid enim ara ſine victima?

qua accumbendi forma. XLVI. Menſæ huic, pro ſæculi ac regionis more, *accubuit* Chriſtus, in lectulo vid. tricliniari; atque infra ſupraque eum reliqui diſcipuli. Qui convivantium habitus erat, in paſchali epulo quoqe obſervari ſolitus. *Et ipſe vobis oſtendet cœnaculum magnum, ſtratum*, &c. Marc. 14:15. Atque ita & veteres deinceps accubitu cœnam faciebant, Agapis conjunctam. Deinde ſtantes; nunquam autem de genibus, adorantium in morem, ſacra myſteria ſumebant. Qui deinceps Eccleſiæ meretricantis atque in idololatriam prolabentis, mos fuit. Quod tamen ſine inſectatione illorum, qui citra ſacramenti adorationem, ex mera reverentia, genibus poſitis Euchariſtiam accipere conſueverunt, dictum ſit.

2. Temporis; ratione diei, XLVII. *Tempus* quod attinet, prima cœna celebrata eſt feria quinta, ante feſtum paſchatis. Quem diem deinde annuatim Eccleſia vetus quoque ſervavit, in triſtiſſimæ illius noctis memoriam. Cæteroquin & aliis diebus communicabant: præſertim dominico, Juſtino teſte. Quo Apoſtolorum exemplum ex parte facit, Act. 20:7. *Primo autem die hebdomadis, congregatis Apoſtolis ad frangendum panem, diſſerebat Paulus* &c.

& horæ. XLVIII. *Horam* quod ſpectat, veſpertino tempore Chriſtus convivatus eſt; ob paſchatis ſollenne, quod alio diei tempore edere nefas erat: *Dominus, ea nocte, qua proditus eſt, accepit panem.* 1. Cor. 11:23. Servaruntque illud diu veteres, quorum nocturnas, & deinceps antelucanas cœnas ſæpe legimus. Quanquam & aliæ cœnandi horæ ipſis poſtea uſurpatæ fuerint. Nam ubi jejunia, vel ſemi-jejunia agitabant, qua hora illa ſolvebantur; vel ubi jejunare non licebat, matutino tempore, cœnam facie-

Digitized by Google

faciebant. Plerunque autem jejuni eam celebrabant. Unde deinceps nata Latinorum lex, qua Euchariſtiam, niſi jejunantes, non ſumunt.

XLIX. Repetendam autem illam ſæpius (aliter ac in baptiſmo fit, ex qua unda tantum ſemel renaſci licet) atque ad ultimum mundi finem celebrandam; uſque dum Chriſtus ipſe tamen diu vocatus adſit, ex Scripturis conſtat. Nulla enim, ut priſcis cærimoniis contigit, mutatio, vel innovatio, in Eccleſia amplius expectanda eſt. *Hos facite ad mei commemorationem.* Luc. 22: 19. *Quotieſcunque enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate, uſque quo venerit.* 1. Cor. 11:24, 25, 26. Atque ita Eccleſiam Apoſtolicam, *in doctrina Apoſtolorum, & communione, & fractione panis, & precibus, quotidie perſeveraſſe*, primæ Eccleſiæ Acta tradunt, Act. 2:42, 46. Ac duravit aliquandiu hic fervor, dum Eccleſia, a Spiritu recens, de igne iſto adhuc incaleſceret; & magno zelo ac ardore ſacra pignora amplexari & tractare non deſineret. Primitus ſingulis dominicis Eccleſiam panem vitæ ſumſiſſe conſtat: quidam etiam dominicæ adjiciebant ſabbata. Deinceps, oblationum cauſa, quotidiana reddita eſt communio. Quod Cypriani, Ambroſii & Auguſtini, tempore obtinuit. Poſtmodum certis diebus, bis, vel ter, vel etiam quater ſacra communio hebdomadatim peragebatur. Sed refriguit paulatim zelus, dum nonnulli tertia quaque dominica, alii vix bis terve, imo ſemel duntaxat, in anno communicarent; donec lege Eccleſiaſtica ad tres majores anni ſollemnitates, ſive feſta, communio adſtricta eſt.

Sæpius illam repetendam eſſe.

L. Cum vero Chriſtus nulli certo tempori ſacrum hocce epulum adſtrinxerit; aliter ac in paſchate, reliquiſque veteris ſæculi cærimoniis, contigit; quæ, ſublata temporum religione, una deſierunt; Eccleſiæ vero libera omnia reliquerit; hoc tantum, quod ſæpe in cœtus convenire, ac Domini ſacrificium & mortem celebrare juſſerit, 1. Cor. 11:25, 26. ſervandus hic, ut in rebus omnibus, modus. Non nimis frequenter ad hanc cœnam coëundum, ne temeraria gula illam polluamus, ac quotidiano uſu, ut fieri conſuevit, tandem cibus ille eviloſcat: nec etiam raro nimis carpenda illa eſca; ne ſacrificium Domini neglectim habere deprehendamur; quod, tanquam juge noſtrum, perpetuo colendum & celebrandum eſt.

LI. Merum itaq; frigus eſt, quod illuſtris & magnus Grotius, *non ſemper communicandum eſſe per ſymbola*, edito libello perſuadere annifus eſt; quo videlicet libera ac ſoluta obtineat pietas, nec uno cœtu Chriſtianorum clau-

An communicandum ſit ſine ſymbolis.

Digitized by Google

claudatur dilectio. Quæ larvæ ſunt, & præſtigioſæ fraudes. Non enim vilia eſſe debent illa ſymbola, quæ Dominus, tanquam amoris ſui ſignacula & arrhabonem, Eccleſiæ tradidit; quæque dum ipſe in cœlo degit, ab ea interim tractari, &, tanquam abſentis pignora, coli vult; addito expreſſo mandato, *Hoc facite ad mei commemorationem*, uſque dum ipſe de cœlo rediturus, & præſens Eccleſiam beaturus eſt; *mortem Domini annunciate, uſque dum venerit.* 1. Cor. 11: 26. Certe nec religio, nec pietas, ſine externo & publico cultu conſtat. Unde Deus omni Eccleſiæ ætate, cum ante lapſum, tum poſt illum, per ſingulas ejus periodos, ſacramenta quædam viſibilia inſtituit; quas, tanquam publicas Eccleſiæ teſſeras, & ſymbola, palam uſurpari, & haberi voluit. Ut de altero Novi Teſt. ſacramento, baptiſmo, taceam; quem eodem colore ut inutilem tollere liceret. Atque ita quidem, abolitis ſacris ſignis, quæ omne religionis Chriſtianæ myſterium continent, & in omne ævum eam conſervant, ipſa quoque Chriſtiana religio paulatim extingueretur & deperiret. Quæ ſententiæ iſtius, prima ſpecie blandæ, pericula notaſſe ſufficit; ut pateat quam male conſulatur rei Chriſtianæ ab hominibus iſtis, inſignioris charitatis ſpecie ad omnes cœtus rei paratis; atque omnes religiones, tanquam non neceſſaria lite certatum hactenus fuiſſet, conciliare nitentibus. Quæ non Sanctorum Eccleſia, nec illibatus Chriſti thalamus, ſed hara potius quædam & ſtabulum foret, quod pecus & dominos communi clauderet umbra.

CAPUT XI.

De re ſignificata S. Cœnæ.

Euchariſtiæ MYSTERIUM.

I. POſtquam quod externum & viſibile eſt in S. Cœna conſideravimus, ſequitur nunc ejus myſterium & ſignificatio. Quod attentius conſiderandum eſt, quia illud non ab omnibus ſatis plene exhauritur; dum plerique vel circa controverſias excurrunt; ſicut, quod dolendum eſt, ipſa S. Cœna maxima nunc inter Chriſtianos facta eſt controverſia: vel omnem cœnæ praxin in anxia quadam & ſcrupuloſa pietate conſtituunt, de intimo ejus myſterio non adeo ſolliciti, nec adeo attendentes, quid Deus, quid Chriſtus, & qua ſub imagine, in ſacrificali iſto epulo fidelibus exhibeant,

Digitized by Google

hibeant, & quam amœnam ſpiritualium bonorum picturam delineent; quam quomodo fideles ad cœnam iſtam comparare ſeſe debeant; in quo ſe multum fatigant, & levibus quibuſdam præceptiunculis, quæ vix ultra alphabetum Chriſtianiſmi aſſurgunt, illos, onerant; ſponſam ipſam, quam in convivalem thalamum introducere deberent, mulrum in veſtibulo morantes, ac, leviculi cujuſdam cultus cauſa, longum detinentes. Quæ abſque invidia dicta ſunto. Præit autem nobis Spir. S. qui, cum parcius & fere unico verbo de externis ſignis agat, tam clare & luculenter univerſum cœnæ myſterium pandit. Videbimus autem diſtincte, 1. externorum S. Cœnæ ſymbolorum ac rituum *ſignificationem*. 3. ſpirituale bonum ac *effectum*, quod ex illa cœna ad fideles reſultat.

II. De *pane* ipſe Chriſtus dixit, *Hoc eſt corpus meum.* Solebant autem Hebræi Agnum paſchalem appellare *corpus paſchatis.* גופו של פסח / ad quorum morem, ut & alia in hac cœna, Chriſti verba referenda ſunt: ut pro *corpore agni*, quod modo comederant, jam in pane illo *proprium corpus* offerat, quod jamjam frangendum foret. Unde pro agno, qui priſcæ liberationis monumentum erat, panem jam fideles tractare jubet; quem pro corpore ſuo ſubſtituit, tanquam pignus & ſigillum ejus certiſſimum. Utitur autem Euangelium voce σῶμα, quæ corpus exangue & exanime ſignificat, tanquam σῆμα. Luc. 17: 37. *Ubi σῶμα cadaver, illic congregabuntur aquilæ.* v. Matth. 14: 12. Quod emphaſi non caret. Exhibetur enim nobis in ſacramentis Chriſtus, non ut glorioſus, ſed ut mortuus. *Mortem Domini annunciate, donec venerit*, 1. Cor. 11:26. Rom. 6:4. Sola enim mors ejus ſalutis noſtræ pretium, & fidei unicum pabulum eſt.

Ratione 1. Panis; quod eſt corpus Christi,

III. *Frangitur* hic panis, ad ſacrificii ac mortis Chriſti memoriam: *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis fractum eſt.* 1. Cor. 11:24. Utque nos ipſos, qui a divina manu conteramur, dignos fateamur: denique ut concupiſcentias frangere, deque paſſionibus Chriſti guſtare, corpuſque hoc noſtrum propter Chriſtum frangendum & lacerandum præbere non abnuamus.

fractum pro nobis.

IV. *Vini* myſterium eſt in ſanguine Chriſti. τȣ̃το ἐςὶ τὸ αἷμά μȣ. *Hic eſt ſanguis meus, ille Novi Teſtamenti, qui pro multis effunditur, in remiſſionem peccatorum.* Marc. 14: 23. Matth. 26: 28. Ita enim pronomen τȣ̃το, non ad ποτήριον, ſed potius ad τὸ αἷμα, referendum. Non, *hoc*, ſed *hic eſt ſanguis meus.* Eodem modo, ut commate præcedente de pane ſermo eſt, non ȣ̃τος, vid. ἄρτος, ſed τȣ̃το ἐςὶ τὸ σῶμά μȣ. Ubi

11. Vini; qui eſt ſanguis Chriſti,

autem Luc. 22:20. 1. Cor. 11:25. de poculo dicitur, *τῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη* &c. impropria & ſacramentalis locutio eſt, ut ſigillum teſtamenti intelligatur. Ex poculo enim teſtamentum Dei, vel ejus partem, velle facere eſſet teſtamento Dei *ἐπιδιατάττεσθαι*; quod jam firmatum, & in ſolo Chriſti ſanguine ratificatum erat. Manifeſtum

ille Novi Teſt. autem eſt intelligi *Teſtamentum Novum*, veteris populi hæreditati ac ſervituti oppoſitum. *Ecce dies veniunt, ait Jehovah; & pangam cum domo Iſrael, & cum domo Juda fœdus novum.* Jer. 31:31. Quod teſtamentum ſanguine Chriſti jam initiabatur, juxta Heb. 9:16. *Ubi teſta-*

effuſi *mentum eſt, mortem neceſſe eſt contingere teſtatoris.* Qui ſanguis *effundi* dicitur; ad modum ſanguinis ſacrificiorum quo Vetus Teſtam. olim dedicatum, ac perpetuo irrigatum fuit. *Et dixit Moſes, ecce ſanguis fœderis teſtamenti, quod pepigit Jehova vobiſcum, ſuper omnibus hiſce verbis.* Exod. 24:8. *Et fere in ſanguine omnia mundantur, juxta legem, & ſine ef-*

pro multis, *fuſione ſanguinis non fit remiſſio.* Hebr. 9:22. *Pro multis.* Ut Novi Teſtam. prærogativa agnoſcatur. Non enim, ut ſanguis victimarum olim unicam tantum gentem expiabat, & quarundam unius ſolum hominis peccatum; ita Chriſti ſanguis tam paucos adſpergit. Pro *multis* enim ille fuſus eſt. Cui oppoſite ad veteris Eccleſiæ anguſtias *mundi* nomine ap-

in remiſſionem peccatorum. pellantur, Joh. 3:16 & 6:33. *εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, ad remiſſionem peccatorum*, pleniſſimam nempe & uberrimam, oblata jam victima Deo digna. Veteris enim Teſtamenti ſanguis, cum vere expiare non poſſet, *πάρεσιν* utcunque & noxarum diſſimulationem pariebat; quæ tamen meliori ſanguine expiandæ adhuc reſtabant. Eph. 2:7. coll. Col. 1:14 Hebr. 8:12. 10:18. Rom. 3:25.

III. Actionis. Hoc faciendum, in ipſius recordationem V. Jubet autem Servator ſæpe hæc ſymbola uſurpare, atque idem, quod ipſe tum agitabat, a nobis fieri. *Hoc facite*, quod non eſt ſacrificare, ſed ſacrum epulum celebrare. *In mei recordationem.* Ut alia hic ſit *ἀνάμνησις* quam in paſchate olim; hic enim ſacrificii Chriſti, omniumque ejus beneficiorum, perpetua ſancitur commemoratio. Quam non præſtant, qui in Novo Teſt. quotidie adhuc ſacrificant, litant vero nunquam. Quid enim in ſacrificiis illis, quæ identidem repetuntur, niſi perpetua peccati recordatio & exprobratio eſt? Hebr. 10:3.

Et annunciationem mortis ejus. VI. Addit Apoſtolus 1. Cor. 11:26. *Quotieſcunque ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate, uſque quo venerit.* Quæ Novi Teſtamenti *Haggadah* eſt, longe ſanctior & celebrior, ac illa paſchatis: de qua Exod. 12:26, 27. *Et erit, quando dicent vobis*

Digitized by Google

vobis filii veſtri, quis cultus hic vobis? & dicetis, ſacrificium Paſcha illud eſt Jehova, qui gradum fecit præter domos filiorum Iſrael in Ægypto, cum percuteret Ægyptum, & domos noſtras eriperet. Ad quem morem manifeſta hic alluſio eſt.

VII. Atque eſt hæc vera & potiſſima mortis Chriſti annunciatio; ubi anima omnem fructum ac dulcedinem ejus, intimo ſenſu quærens, eam haurit & guſtat, ac, cœlo ipſo plena, inter immortalium donorum delicias tantum non expirat. Ad quod ſumma virium contentione, maximoque animæ motu opus eſt; cui ſolida hæc ſolatia tum demum inſinuantur, cum terrena fæce remota, puro in lumine Chriſtum, cunctaque ejus beneficia contemplatur, iiſque artiſſime inhæreſcit, & immoritur. Qui lætantis animi motus, & gaudia, & gratulatio, & exultatio, & acquieſcentia, procul ab anxietate & terrore omni, vera S. Cœnæ praxis, & fidei triumphus eſt. Non parum enim de animæ pace ac ſerenitate delibant, nec epuli hujus delicias capiunt, qui S. Cœnæ praxin magna ex parte in triſtitia atque horrore ob peccata conſtituunt; &, ad mortis Chriſti mentionem, aut quamlibet hiſtoriæ illius tractationem, ad luctum ac triſtitiam fideles vocant; quaſi ea fletu decoranda ſit, atque ea demum digna mortis ejus celebratio ſit. Qui error eſt. Cum mors Chriſti, ut digniſſimum pro peccatis noſtris ſacrificium, pia gratulatione potius proſequenda ſit: neque illi, tanquam tragico ſpectaculo, illacrymandum, ſed noibliori ac ſpirituali prorſus affectu ea commemoranda, & non ſine ſenſu, perpetuo recolenda eſt, cum univerſæ ſalutis noſtræ ſummam, ac fidei noſtræ faſtigium contineat. Unde & Chriſtus, in carne adhuc agens, & morti proximus diſcipulorum lacrymas, teneriore ſq; affectus cohibuit, Luc. 23: 28. ut multo minus in Chriſtum glorificatum nunc illa conveniant. Chiſtus enim, potiores animi operationem requirebat, ſuaque in imagine Dei ſanctitatem, juſtitiam, amorem, bonitatem, ſpectari volebat. Cumque mors ejus Euangelii compendium ſit, in illa animam vagam, & inquietam & de peccatis ſuis quærentem, quieſcere tandem, & lætari atque æternum exultare convenit.

Quæ quomodo peragenda ſit.

VIII. Atque ita fide potiſſimum S. Cœnæ praxis abſolvitur. Cujus univerſum opus his videre licet. Stipulatur enim eam Deus: *Exploret autem quiſque ſeipſum, & ſic ex pane edat, & ex poculo bibat.* 1 Cor. 11: 28. Reſpondet ad illam ſtipulationem homo, & pulcherrimam fidei confeſſionem ὁμολογίαν, ſuumque cum Deo conſenſum, edit. Denique, pignore iſto roboratus, jam Deum accedere, deque hæreditate vi-

Digitized by Google

ciſſim interrogare, audet. Quæ fidei reſtipulatio eſt. Ita omnia fœderis faciem habent.

Ad quam ſeria ſui exploratione opus eſt. IX. Atque hinc opus eſt ſeria & ſevera ſui ipſius exploratione, de fame noſtra & ſiti ſpirituali, de fide in Chriſtum, de ſanctioris vitæ propoſito; ne audaci manu myſticos cibos conſceleremus, ac corporis dominici rei deprehendamur. *Exploret ſe ipſum homo, & ſic ex pane edat, & ex poculo bibat. Nam qui edit, & bibit, indigne, damnationem ſibi edit, & bibit, non diſcernens corpus Domini.* 1. Cor. 11:28, 29.

IV. Effectus & fructus. X. Ex quibus tandem patet, quis S. Cœnæ ſit uſus & fructus, qui optime exprimitur 1. Cor. 10:16. *Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne eſt communio ſanguinis Jeſu Chriſti? panis quem frangimus, nonne eſt communio corporis Chriſti?* Eſt enim cœna illa artiſſimæ cum Chriſto unionis pignus, ac mutuæ quoque fidelium communionis vinculum, & fraternæ charitatis coagulum: ſequiturque eam fidei confirmatio, & roboratio, quæ, de Deo jam ſecura, pignore iſto cœlum ſperare, & tantum non prælibare, audet.

Perverſus & detortus a ſectariis. XI. Ubi ab una parte rejicienda *Latinorum* ſuperſtitio. Qui, uti S. Cœnæ convivium in ſacrificium converterunt, ita miſſis ſuis, tanquam amuletis, utuntur, ad bona quælibet impetranda, & mala averruncanda; nec homines ſolum, ſed & bruta, reſque inanimes, hoc ſacro expiant. Deficiunt ab altera parte *Sociniani*, qui nulla hic amoris Dei pignora, nullum fœderis ſignaculum, nullam fidei obſignationem, nec quicquam denique a Deo nobis dari, aut conferri, ad hanc menſam volunt: ſolas autem hominis hic partes eſſe ſtatuunt; qui emortuali iſto epulo mortem ac martyrium Chriſti quotidie concelebret, ac Chriſtianæ religionis fidem, & charitatem in fratres, publice profiteatur. Qui & *Anabaptiſtarum*, ac ex parte plerorumque *Remonſtrantium*, error eſt. Niſi quod de fidei confirmatione tenuiter addunt, illam, uti aliis pietatis officiis, ita iſto actu non leviter roborari. Ita hi S. Cœnam partem ſolummodo divini cultus, & merum hominis opus, agnoſcunt. Cum tamen præterea ſacramentum Domini ſit, & *convivium*, *menſa*, & *poculum Domini*, appelletur, in quo à Domino paſcimur & potamur. 1. Cor. 11:20, 21. & 10:21. & 12:13. Quorum vocabulorum vim præſtare hi homines non poſſunt.

CA-

CAPUT XII.

De effectis Euchariſtiæ, unione cum Chriſto & manducatione corporis ejus.

I. SEquitur igitur, poſtquam ſymbolorum & rituum myſteria vidimus, ut de iſto S. Cœnæ effectu ac fructu, quam *unionem noſtri cum Chriſto* eſſe dicimus, paulo amplius videamus: ac 2. modum explicemus, quo ea nobis exhibetur; *per manducationem* videl. corporis Chriſti, & potationem ſanguinis ejus. In qua re præcipuum cœnæ hujus myſterium conſiſtit. *UNIO noſtra cum Chriſto ſpiritualis:*

II. Unio cum Chriſto, quæ in S. Cœna nobis repræſentatur & obſignatur, intelligitur hic myſtica & ſpiritualis: quæ *μονὴ manſio Chriſti in nobis*, Joh. 14:23. *κόλλησις agglutinatio*, 1. Cor. 6: 17. *κατοίκησις inhabitatio*, Eph. 3: 17. *συσσωμάτωσις concorporatio*, Eph. 3: 6. in Scripturis dicitur. Quamque variis ſimilitudinibus, tum a *natura*, tum a *ſocietate civili*, tum ab *arte* deſumptis, Spiritus S. adumbrat. Quales ſunt, *unio membrorum & corporis*, 1. Cor. 12: 12, 17. Rom. 12: 5. Eph. 5: 30. Col. 1: 18. *Palmitis & vitis*, Joh. 15: 5. adoptivi *ſurculi & arboris*, Rom. 6: 5. *ſibi & corporis noſtri*, Joh. 6. *Mariti & uxoris*, Eph. 5: 23. *Lapidis angularis & ædificii*, Eph. 2: 20, 21, 22. Hebr. 3: 6. 2. Cor. 6: 16. *Panis*, ex multis granis cocti, 1. Cor. 10: 17. & *veſtium* denique, Gal. 3: 27. *qualis ſit, quibusque figuris adumbretur.*

III. Præſtruitur myſticæ huic unioni perſonalis filii Dei cum natura humana unio & conjugium. Prius enim Dei filius ad nos deſcendere debebat, quam nos ipſi miſceri poteramus. *Quod homo eſt, Chriſtus eſſe voluit; ut homo, quod Chriſtus eſt, eſſe poſſet.* inquit Cyprianus. Quanquam hæc naturæ cognatio non ſufficit, niſi arctius præterea vinculum accedat; a parte Chriſti, *Spiritus*; a noſtra parte, fides. Quo mutuo amplexu unio hæc peragitur. *Et in uno Spiritu nos omnes in unum corpus baptizati ſumus.* 1. Cor. 12: 13. *In hoc cognoſcimus, quod in ipſo manemus, & ipſe in nobis, quia ex Spiritu ſuo nobis dedit.* 1. Joh. 4: 13. *Ut habitet Chriſtus per fidem in cordibus veſtris.* Eph. 3: 17. Gal. 2: 20. Ut ex unionis hujus modo & forma ſpiritualem eam eſſe conſtet. *Illius fundamentum & modus.*

IV. Atque hæc jam noſtra cum Pontificiis controverſia eſt: an ad *Corporealis*

beatam

adverſariorum. beatam cum Chriſto communionem ſufficiat hoc Spiritus & fidei vinculum: an vero præterea corporea unione opus ſit, & de carne Chriſti guſtare, deque ſanguine ejus bibere, ipſumque corpus Chriſti corpus noſtrum intrare neceſſe ſit, ad unionem hanc conſummandam? atque illud in S. Cœna demum obtineat? Quæ craſſa nimis adverſariorum ſententia eſt. Nos prius aſſerimus, nec corporeo contactu in tanto myſterio opus eſſe ſtatuimus. Sufficit enim & viva fides, & mutui Spiritus vinculum, amoriſque Dei traditum & uſurpatum in S. Cœna ſymbolum, & pignus certiſſimum. Quæ longe uberiora ſunt, quam qualiſcunque corporum acceſſus. Ut perverſe Pontificii unionem hanc cum Chriſto realem negent, quod corporea non ſit. Cum vel inter homines ſpirituum actiones, & præcipue inde orta animorum concordia, carnali ac corporea operatione, & inde producta corporum unione, longe præſtantior ac perfectior ſit; & fructus ac effectus maxime reales edat.

Unionis hujus effectum. V. Effectum denique hujus unionis præterea eſt, mutua fidelium unio, & conſenſus, in *uno capite* Chriſto: de cujus *Spiritu* omnes animantur; & pari ac *ἰσοτίμῳ fide* prædití, eodemque *charitatis* igne accenſi, iiſdem denique *aquis* abluti, ac *cibis* paſti, Deum divinaque omnia communia habent.

Ad illam facit MANDUCATIO *corporis Chriſti;* VI. Hæc autem cum Chriſto unio cum in S. Cœna potiſſimum peragatur, & manducationis imagine pingatur, de iſto unionis illius modo ac medio nunc videndum. Eſtque illa *manducatio* corporis Chriſti duplex, cum externa & ſymbolica in S. Cœna, tum interna & ſpiritualis, quæ per Spiritum Chriſti & fidem fit, atque omnium locorum & temporum eſt.

1. Externa, in ſymbolis, VII. Externa unio varia fuit, pro ſymbolorum, quæ Deus olim exhibuit, diverſitate. Cæterum ſub manducationis imagine eam veteribus quoque repræſentatam fuiſſe, ex ſacris ac miraculoſis cibis, uti manna, agno paſchali, ſacrificalibus in templo epulis &c. ſatis patet. Quo etiam faciunt promiſſiones de cibatione & exſatiatione populi Dei factæ: cui dabitur *edere pinguia terra*, Pſal. 22: 30. cui *menſa propoſita* eſt, Pſal. *etiam Cœnæ.* 23: 5. & ſimiles. Ad quorum rationem S. Cœnæ inſtitutum in Nov. Teſt. quoque exigendum eſt.

Quæ ſucceſſit manducationi ſacrificali ſub V. T. VIII. Non enim in S. Cœna ſpectanda tantum qualiſcunque cibi & potus cum Chriſti corpore & ſanguine, ſpirituali animæ noſtæ cibo, analogia. Altius enim ſurgendum eſt. Eſt enim cœna hæc plane ſacrificalis, atque ad eum modum præcipue conſideranda, & cum veterum con-

Digitized by Google

conviviis, quæ de victimarum carnibus in templo celebrabant, comparanda eſt. Quod & Apoſtolus facit. 1. Cor. 10: 16, 17, 18. *Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne eſt communio ſanguinis Chriſti? Panis, quem frangimus, nonne eſt communio corporis Chriſti? Quia unus panis, unum corpus multi ſumus. Omnes enim unius panis participes ſumus. Videte Iſraëlem ſecundum carnem. Nonne qui edunt ſacrificia, altaris participes ſunt?* Quare operæ pretium eſt, ut noſtræ cœnæ myſterium pervideamus, prius ſacras veterum cœnas, & manducandi ritum, & ſacrificales dapes, luſtrare.

IX. Hoc autem veteris legis inſtitutum erat, quod ſacerdotibus, peracto ſacrificio, de victimarum carnibus epulari fas eſſet. Quæ manducatio ſacrificii pars & appendix erat: utpote quod rite factum cenſeri non poterat, niſi ſacerdos de partibus illis deguſtaſſet. Quod tum in euchariſticis, tum in expiatoriis, locum habuit. Lev. 6: 16, 17, 18, 25, 26. & 7: 6, 7. 31-34. Cujus rei ratio editur Lev. 10: 17. quod *Sacerdos ferre debebat peccatum cœtus*, atque ipſe aliquo modo pro eo victima fieri. Quod tum fieri cenſebatur, cum partes victimæ delibabat, ac in propriam ſubſtantiam convertebat. Quæ egregia Chriſti ſacerdotis pariter, & victimæ noſtræ, repræſentatio erat. *Quæ erat, tum ratione ſacerdotis,*

X. Præter ſacerdotem manducabat de victimarum carnibus quoque populus. Quod in Euchariſticis tantum locum habuit. Hæc enim fundamentalis ſacrificiorum lex erat, neminem de piaculari victima pro ſeſe oblata participare poſſe; ut idem ſimul ipſi & piamentum & cibus eſſet. Unde nec ipſi ſacerdoti, qui de victimis, pro cœtu oblatis, epulabatur, in proprio ſacrificio, aut in ſacrificio pro toto cœtu, hoc licuit. Lev. 4: 3. & ſeqq. 13. & ſeqq. & 6: 30. Adeo ut caro iſta, quæ non modo res ſancta erat, ſed & legis inſtituto peccatorem quoque ſanctificabat, tamen ipſi interdicta & vetita eſſet. Quæ non levis infirmitatis ſacrificiorum iſtorum accuſatio erat, quæ nec cibum, nec verum piamentum, peccatori præſtare poterant. Unde abſtinere illis, aliamque victimam, aliaſque epulas, quæ animam vere nutrire poſſent, expectare debebat. Sicuti non aliam ob rationem quoque ſanguinis, uti rei ſacræ, eſus tum vetitus fuit. *Nam anima carnis eſt in ſanguine, & ego dedi eum vobis ſuper altare, ad expiandum pro animabus veſtris. Nam ſanguis pro anima expiat. Ideo dixi filiis Iſraëlis, nulla anima ex vobis edet ſanguinem.* Lev. 17: 11, 15. *tum ratione populi.*

XI. Atque hæc manducationis ſub Vet. Teſt. ratio erat. Ex qua man- *Longe per-*

Digitized by Google

ſectius autem repræſentatur in S.Cœna.

manducationis illius, quæ ſub Novo Teſt.inſtituta eſt, præſtantia pateſcit. 1. Hoc enim jam ſatis patet, Chriſti carnem non ſimpliciter in cibum animæ proponi; in qua analogia multi ſubſiſtere amant, multaſque panis & vini cum Chriſto ſimilitudines, interdum parum appoſitas, congerunt; ſed præcipue conſiderandam eam, ut carnem piacularis victimæ. Ut menſa hæc ſacrificalis prorſus ſit, 2. Cum *manducare* autem victimam iſtam jubeamur, quid hoc aliud, quam intimam noſtri cum ea unionem deſignat, qua unum evadimus cum victima pro nobis oblata, ac ſi ipſi oblati ac mortui fuiſſemus? 3. Cum autem nulla veteribus cum victimis piacularibus permitteretur communio, ſolumque de euchariſticis guſtare permitterentur: hic, contraria lege, de Chriſto, ut victima expiatoria, edere jubemur. *Accipite, edite, hoc ENIM eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur.* 4. Idemque circa ſanguinem fit. Cujus uſus, non ſolum populo, ſed & ſacerdotibus olim, ſtrictiſſima lege, ablatus, quia altaribus debebatur, ad expiationem faciendam, nunc fidelibus ob eandem rationem permittitur. *Bibite ex eo omnes: hic ENIM eſt ſanguis meus, effuſus pro multis, in remiſſionem peccatorum.* Quod notatu dignum eſt, eandem ob rationem ſanguinis communionem à Chriſto fidelibus dari, ob quam à Moſe interdictus olim erat.

per communionem panis & vini.

XII. Offertur autem nobis carnis ac ſanguinis Chriſti communio, ſub *panis* & *vini* ſymbolis. Alieno enim ſanguine, poſt Chriſti ſanguinem, opus non amplius eſt. Unde pecudum lanienæ nunc ceſſant; & non cæſarum ovium vel boum cruorem, vel carnes nobis guſtandas Chriſtus offert; ſed ſub quotidiani cibi ac potus imagine ſeſe ipſum ſuamque carnem & ſanguinem fidelibus exhibet. Quorum ſymbolorum analogia cum corpore & ſanguine Chriſti nunc perſpici poteſt. Non enim longe lateque panis & vini proprietates hic conquirendæ, ut quibuſdam in more eſt; ſed in ſola cibi ac potus ratione, quæ una hic ſpectanda eſt, conquieſcendum eſt.

Quorum cum carne & ſanguine Chriſti analogia oſtenditur;

XIII. Atque omnis ſymbolorum illorum cum Chriſti corpore analogia, quæ quidem in Scripturis fundamentum habet, huc reduci poteſt. 1. Uti panis ac vinum fulciendo corpori faciunt, ita ſpiritualis animæ alitura in Chriſto adumbratur. Unde Chriſti corpus non ſimpliciter, qua tale, ſed quatenus fractum, ac pro nobis datum eſt, hic conſideratur. Qua ſola ratione animæ cibus ac potus eſt. *Ego ſum panis ille vivus, qui e cœlo deſcendi. Si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum. Panis autem, quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita.* Joh.

Digitized by Google

Joh. 6:51. 2. Pertinet huc quoque ſymbolorum diverſitas, ut non carnem ſolum, ſed & ſanguinem Chriſti, eumque e corpore effuſum, nobis porrigi intelligamus. 3. Granorum multitudo, ex quibus panis coquitur, & innumeri uvarum botri, qui in unum lacum deſpumant, multitudinem fidelium, eorumque in uno Chriſto unionem dicunt. 4. Utque de uno pane fideles guſtant, atque de eodem poculo bibunt; ita unius Chriſti, ad univerſam Eccleſiam implendam, ſufficientia depingitur.

XIV. Ex qua ſignorum analogia, ac cum re ſignata unione, fluunt *locutiones ſacramentales*, in Scripturis frequentatæ; in quibus ſigni & rei ſignatæ nomina inter ſe permutantur, ſine ulla tranſubſtantiatione & conſubſtantiatione. *& inde ortæ locutiones ſacramentales.*

XV. Ac ſimul patet, quæ ſit ratio unionis, inter ſymbola, ac Chriſti corpus; non ſubſtantialis, ſed relativa, ſive ſignificationis & obſignationis. Ita tamen, ut aliquid præter nudam figuram hic extet, ac nobis donetur: (contra ac Pontificii calumniantur) ipſum videl. Chriſti corpus, quod realiter per Spir. nobis datur, & oblato præterea pignore obſignatur, & per fidem apprehenditur. Diſtinguenda enim hic ſunt ſymbola & veritas: atque aliquid præter externa ſymbola fideles accipiunt. Sicut enim duæ ſunt ſacramenti res, terreſtris & cœleſtis: duæ perſonæ illud diſpenſantes, miniſter & Chriſtus: duplex manducatio, externa & interna: ita etiam duplex eſt exhibitio; una rei corporeæ, omnibus accumbentibus ex æquo a miniſtro facta, altera rei ſpiritualis, ſolis fidelibus a Chriſto præſtita. *ac unio ſymbolorum cum corpore Chriſti.*

XVI. Manducationem externam & ſymbolicam conſequitur *interna* & *ſpiritualis*; quæ externæ medulla & ſcopus eſt, & abſque ea ſolius ſæpe Spiritus ac fidei ope peragitur. Habet autem illa cum Chriſto communio manducationis quandam ſpeciem; atque ita in Scripturis appellatur; quæ ad eandem ſimilitudinem carnem quoque ejus cum cibo, & ſanguinem cum potu comparant; cum illa ſola animæ noſtræ vitam & alimentum præſtare poſſint. Quæ rite intelligenda ſunt. Eſt enim caro Chriſti cibus noſter, non ſua ſubſtantia, ſed ſolo mortis ac ſatisfactionis ejus merito. Habet enim ea cum reliquis cibis hoc quoque convenientiæ, quod ſimiliter *frangi* & conteri debuerit. Atque hoc carni Chriſti proprium fuit, divinitate pretium & valorem ad iſtud ſacrificium conferente. Atque ut corporea eſca, ut corporis ſit fultura, *manducari* debet, ita Chriſti caro per fidem apprehendi, atque iſto ore accipi quoque *11. Interna & ſpiritualis; quæ fide perficitur.*

 que

Digitized by Google

que debet. Atque iſto demum pacto *vitam* noſtram ſpiritualem, hoc eſt peccatorum remiſſionem & regenerationem (in quibus vita illa conſiſtit) nobis & confert, & auget.

De qua agitur Ioh. 6. XVII. Agit de interna ac ſpirituali illa manducatione late Servator, Joh. c. 6. ubi Judæis, corpoream eſcam captantibus, longe meliorem cibum offert, carnem ac ſanguinem ſuum, per mannam olim adumbrata. Ut non ſola cibi analogia hic ſpectetur, ſed ad ſacros & myſticos Veteris Teſtam. cibos manifeſta fiat alluſio. De manducatione autem ſacramentali cœnæ ipſum non agere patet, quod illa tum nondum inſtituta, nec adeo ſtricte ac abſolute ad ſalutem neceſſaria fuerit, vel fatentibus adverſariis, ac ea quæ hic refertur, Contra autem manducationem illam fide ſola conſtare, ſatis claris verbis ipſe Salvator innuit. com. 35. *Ego ſum panis vitæ. Qui venit ad me, non eſuriet. Et qui credit in me, non ſitiet unquam.* conf. com. 40, 47, 48, 51. Et præterea, ut à craſſo illo eſu auditores averteret, carnem ſuam, materialiter nimirum ſumtam, & ita manducatam (quæ ſtulta horum hominum opinio erat) non prodeſſe; quin in cœlum tandem ſubvehendam, ut humani oris eſca eſſe nequeat, aperte edicit, com. 62. *Hoc vos ſcandaliſat? ſi igitur conſpiciatis filium hominis aſcendentem, ubi erat prius?* Addens com. 63. quod *Spiritus ſit id quod vivificet:* quod *caro nihil proſit:* quod *verba quæ loquebatur ipſis, Spiritus ſint & vita ſint.*

Quod aſſeritur contra [corpor]alem manducationem, Pontificiorum, XVIII. Mirum vero eſt, eos manducationem & nutritionem carnalem & corporalem in hoc loco adeo urgere 1. cum omnes ſimilitudines, quibus unio cum Chriſto exprimitur, ſpiritualiter intelligendæ ſint: 2. cum ea ſacramentorum natura ſit, ut a ſignorum poteſtate non excedant 3. nec in baptiſmo corporalem & proprie dictam nativitatem ipſi adverſarii intelligant. 4. cum denique & alibi in Scriptura famis & ſitis ſpiritualis, ejuſdemque generis cibationis ac potationis, fiat mentio. 5. Cum corporalis manducatio nec à Chriſto in Cœna uſurpata ſit, nec ſine manifeſta contradictione uſurpari potuerit, nec deinque à fidelibus uſurpanda ſit. 6. utpote & *inutilis*, nec ad ſalutem quicquam faciens, cujus nec ſignum, nec res ſignata, eſt: & *flagitioſa*, cum vel ipſa natura ab humanis cibis adhorreat; in quo ſcelere illi tamen religionis ſummam conſtituunt: & ſummo in Chriſtum dedecore ac *contumelia* miſta; indignum enim eſt vorare quod adores, rurſuſque adorare quod devores: denique *impoſſibilis* ac multis in partibus ſecum ipſa pugnans.

XIX. Quod objiciunt, 1. Chriſtum *carnem* ſuam *vere* appellare

cibum

cibum, & *ſanguinem vere potum*, com. 55. id non de carnali manducationis modo, ſed de relationis veritate, inter Chriſtum & cibum externum, ac omni ſimilitudinis vi ac pondere, intelligendum eſt conf. Joh. 15: 1. *Ego ſum vitis vera.* Quod 2. de crebra & expreſſa adeo carnis ac ſanguinis ejus mentione addunt, quæ inutilis foret, ſi nihil de carne ejus guſtare liceat; cum fides divinitatem Chriſti potiſſimum intueatur: id jam ſupra explicuimus, fidemque Chriſti carne, ut redemtionis pretio, proprie paſci, diximus: cui divinitas dignitatem & valorem tribuit.

XX. Ut non excuſanda ſit Pontificiorum ſtupiditas, qui ipſam carnem Chriſti adhuc eſitandam, & ſaltem carnalem manducationem cum ſpirituali conjungendam, idque ad ſalutem unice facere, urgent. Quæ non commenta, ſed portenta ſunt. Quæ auget præterea Cardinalis Perronius, qui corpus Chriſti, non ſolum paſſione ſua & merito, ſed præterea, uti veram cauſam efficientem, vivifica vi præditum eſſe; & in carne Chriſti formalem reſidentiam facultatis vivificæ exiſtere; atque eam denique proprie & directe vitam conferre & largiri, & immortalitatis ſemine corpora noſtra imbuere, aſſerere non veretur. *De Euchar.* l. 2. cap. 24.

XXI. Quæ etiam contra *Lutheranos* dicta ſunto: qui & oralem quoque manducationem, quamquam cœleſti & ſupernaturali ratione factam (quo & Pontificii quandoque confugiunt) tuentur; nec pios ſolum, ſed & infideles ac hypocritas (poſſent & bruta animantia addere) ipſum Chriſti corpus, in pane & vino *ἀδιαςάτως* præſens, carpere, & contaminare aſſerunt. ex 1. Cor. 11:29. *Qui edit & bibit indigne, judicium ſibi edit & bibit, non diſcernens corpus Domini.* Cum non niſi fide hæc communio cum carne Chriſti conſtet, ac in ſacramento quoque a fidelibus peragatur. Qua cum infideles careant, non corpus Chriſti, ſed nuda ejus ſigna tractant & polluunt. Sicuti Apoſtolus eos *indigne panem* & *poculum Domini*, non autem corpus & ſanguinem ejus, *accipere* dixit, com. 27. *& Lutheranorum,*

XXII. Et revera mirum eſt, de corporea manducatione adeo contendi; cum nec ea ſalutem dare, & abſque ea ſalus quoque ipſa conſtare, poſſit. Nam & ab infidelibus eam peragi poſſe urgent, & fidelibus ſine ea ſalutem non dari poſſe, affirmare non audent. Ut profecto meliores in hac controverſia noſtræ partes ſint; qui ſpiritualem manducationem in hoc ſacramento, atque extra illud, perpetuo urgemus; in qua religionis robur ac vis conſiſtit, ac omnis noſtra cum Chri-

communio abſolvitur. Quæque adeo neceſſaria eſt, ut ſola abſque dubio ſalutem dare, atque abſque ea ſalus dari nullo modo poſſit.

& Socinianos. XXIII. Sed & rejiciendi *Sociniani*, qui nullam carnis Chriſti manducationem agnoſcunt; ſicuti nec meritum Chriſti norunt; & ne carnem quidem ejus poſt aſcenſionem ſupereſſe firmiter credunt. Sola autem fidei ac obedientiæ profeſſione, quæ iſta cærimonia peragatur, cœnam Chriſtianorum fieri & abſolvi dicunt. Quomodo & ſub illa imagine Joh. 6. metaphorice fidem in Chriſti doctrinam ac martyrium doceri volunt. Qui cibus ac potus noſter ſpiritualis debeat eſſe. Cum tamen Chriſtus toto illo capite carnis & ſanguinis ſui efficaciam & meritum, vimque vivificandi, & Spiritus ſui robur, pluribus verbis prædicet; nec de noſtro ſolum officio, ſed præcipue de ſuo beneficio agat. Quod & comparatione mannæ, veteri populo olim præbitæ, oſtendit: cui myſticum carnis ac ſanguinis ſui cibum longe præfert; ut in eo Deus majus aliquid humano generi de cœlo largitus fuerit. Ac longe aliud dicit *communio* illa *carnis & ſanguinis* Chriſti, quam Apoſtolus prædicat; quæ non in nudo officio noſtro, ſed Chriſti potiſſimum beneficio conſiſtit. Cum illi ſolam mortis Chriſti memoriam & officii noſtri profeſſionem cogitent. Quo in errore comites habent *Anabaptiſtas*.

CAPUT XIII.

De Præſentia corporis Chriſti in S. Cœna.

S. Cœnæ corruptelæ, & ſuper ea controverſiæ. 1. de PRÆSENTIA corporis Chriſti in ea. I. EXpoſita univerſa S. Cœnæ ratione, ſequuntur corruptelæ ejus examinandæ & refellendæ. Per quas illud unitatis ſacramentum & pacis vinculum, diaboli aſtu, converſum eſt in teſſeram diviſionis & litium contentionumque plus quam fraternarum ſeminarium. Has præſertim in Pontificiorum Eccleſia conſiderabimus, prout illæ ordine quodam ſeſe mutuo conſequuntur. Ac 1. de *Præſentia corporis Chriſti* in S. Cœna. 2. de modo ac medio ejus, *Tranſubſtantiatione*. 3. tandem de uſu, ac fine illius, in *Miſſa*; ejuſque *ſacrificio*; & *adoratione*, agemus.

Quid notet præſentia II. *Præſentia* vocabulum relativum eſt; ac, pro objecti, quod dicitur eſſe præſens; & ſubjecti, cui illud eſt præſens, ratione intelligendum eſt.

Digitized by Google

eſt. Atque aliter in rebus corporeis, aliter in rebus ſpiritualibus, ſpectatur. In rebus corporeis præſens eſt, quod externis ſenſibus percipi poteſt. Spirituales autem res præſentes ſunt, cum ita intellectui offeruntur, ut ille apprehendere eas, menſque iis frui poſſit. Ad quam rem corporali contactu opus non eſt.

III. Cum autem communio noſtra cum Chriſto ſpiritualis ſit, nec corporeis ſenſibus, ſed anima peragatur; non ex locorum propinquitate vel longinquitate, ſed ex relatione illa, quam anima cum Chriſto habet, ut toto eo frui poſſit, æſtimanda eſt. Unde non præſtigioſo corporum contactu; ſed, a noſtra quidem parte, fide, a Chriſto autem, per Spiritum ſanctum, perficitur. Iſta enim faciunt, ut frui Chriſti corpore, & ſanguine ejus ac merito paſci & ſaturari liceat. Ad quæ in Cœna accedit ſymbolorum præterea præſentia, externique pignoris contrectatio & uſus.

Qualis illa ſit Chriſti in Cœna: nimir. ſpiritualis;

IV. Ita ergo Chriſtus in S. Cœna præſens eſt, non localiter, nec corporaliter (objectum enim ſpirituale, quale hic Chriſtus ad maximam partem conſideratur, corporeo ſenſu non magis percipi, quam ſpiritus in corpus converti poteſt) ſed realiter tamen, & ſubſtantialiter; cum corpus Chriſti ſubſtantia ſit: atque interne quidem apud animum noſtrum, per fidem & Spiritum S.; externe autem per ſymbola & ſacramenta adſit. Cui, tum internæ, tum ſymbolicæ, præſentiæ male Pontificii ſuperaddunt prodigioſum corporalis, non-localis, præſentiæ modum; quo Chriſtum præterea corporeum in modum in cœna adeſſe, atque externo ſenſu percipi ajunt. Quod præſentiæ monſtrum, & *Scripturæ*, & *rationi*, atque ipſius denique *S. Cœnæ* myſterio adverſum eſt.

attamen realis & ſubſtantialis: non vero corporalis, quæ confutatur.

V. Attribuit enim *Scriptura* Chriſto veram *humanitatem*, verumque *corpus*, quale noſtrum eſt. Illudque in *cœlum aſcendiſſe*, & cœlo contineri ait, ne quis ex verbis ejus cyclopicam carnis comeſtionem intelligeret. *Hoc vos ſcandaliſat? Si igitur conſpiciatis filium hominis aſcendentem, ubi erat prius?* Joh. 6:61, 62. Et non niſi *viſibili majeſtate* de eo olim *deſcenſurum;* non autem ſacrificulorum præſtigiis de eo exciri quotidie, & occulto tramite in terras venire prædicat. Quin aperte vetat, ne pſeudo-prophetarum miraculis credamus, qui Chriſtum vel in eremo oſtendunt, vel ταμείοις includunt, atque iſtis mendaciis Chriſtianorum fidem paſcunt. *Hic Jeſus, qui ſurſum receptus eſt a vobis in cœlum, ita veniet, quemadmodum ſpectaſtis eum proficiſcentem in cœlum.* Act. 1:11. *Itaque, ſi dixerint vobis, ecce in deſerto eſt, ne egredimi-*

dimini. Ecce in conclavibus, ne credite. Sicut enim fulgur erit ab Oriente, & apparet uſque in Occidentem, ita etiam erit adventus filii hominis. Matth. 24:26,27. conf. Luc. 17:22.

VI. 2. Nec *ratio* admiſerit, corpus aliquod fingere illocale & inextenſum, quod in loco ſit per modum ſpiritus & angeli: quod non in uno loco, ſed in pluribus adſit; ut locus multiplicetur, & non multiplicetur locatum: &, in diverſis iſtis locis, diverſa & contraria, uno & eodem tempore, patiatur. Quæ illi in corpore Chriſti in S. Cœna admittere debent. Quibus præterea addunt, integrum Chriſti corpus ſub quavis hoſtiæ parte latere; ut non ſolum unum corpus ponatur in pluribus locis, ſed, contrario errore, unum quoque locum pluribus corporibus communem faciant. Quæ inconceptibilia ac impoſſibilia ſunt. Nec ea vanis ac aëreis ſuis diſtinctionibus, ac præſtigiis conciliare in æternum poterunt.

VII. 3. Sed & ipſum *S. Cœnæ* myſterium bruto ac corporeo iſto præſentiæ modo tollunt. Celebratur enim S. Cœna in memoriam Chriſti, quem abſentem iſto pignore poſſidemus ac amplectimur. Repugnat autem eadem in cœna abſentis Chriſti pignus tractare, eundemque prodigioſo modo præſentem venerari. Corpus præterea Chriſti ut fractum, ac ſanguis ejus ut fuſus, in cœna exhibentur: quam myſterii partem hoc figmento abrogant. Denique, quod præcipium eſt, in cœna communio fidelium cum Chriſto exercetur & obſignatur. *Panis, quem frangimus, nonne communio corporis Chriſti?* 1. Cor. 10:16. ad quam carnalis illa præſentia nihil profecto facit, ſed ei potius obeſt. Quid enim, an nulla cum Chriſto communio eſt, niſi ad corporeum iſtum modum? an fides non aliter Chriſto frui, & ſanguine ejus paſci poteſt? certe communio noſtra cum Chriſto, quæ perpetua & æterna eſt, illa communione perfici non poteſt, quæ vix paucis momentis durat. Iſtud autem fidei opus eſt, non Chriſtum, de cœleſti ſolio detractum, cruſtulo includere, atque iſto idolo ſeſe oblectare; ſed ſurſum potius ſeſe ipſam erigere, ſeque Chriſto non interne, ſed ἐν τοῖς ἐπουρανίοις unire; iſtumque in modum deliciari, interimque amoris ejus arrham & pignus in terris identidem tractare. *Itaque, ſi reſurrexiſtis cum Chriſto, ſuperna quærite, ubi Chriſtus eſt; ad dextram Dei ſedens. Superna curate, non terreſtria.* Col. 3:1. *Unaque nos ſuſcitavit, unaque collocavit in cœlis, in Chriſto Jeſu.* Eph. 2:6.

Contra VIII. Cadit ergo commentum *Antichriſti*, de corpore Chriſti in Cœna

Cœna præſente, quem novum Deum ab eo in Eccleſiam invehendum prophetarum oracula prædixerunt. *Et Deum arcium in loculamento ſuo honorabit, & Deum quendam, quem non agnoverant Patres ipſius, honorabit auro & argento.* Dan. 11:38. Ut & *Lutheranorum* error, de eodem Domini corpore, ſub ſacramenti ſignis ἀδιαστάτως præſente; & à fidelibus, atque infidelibus, promiſcue manducato. Quod dogma cum apud ipſos magis ſpeculativum ſit, nec ad vetitos cultus Chriſtianos obſtringat, & ſpiritualis ac vera corporis Chriſti manducatio, obſtante illo velo, nihilominus peragi poſſit, mitius de illis cenſendum eſt.

CAPUT XIV.

De Tranſubſtantiatione & Conſubſtantiatione.

Præſentiæ Chriſti locali adjuncta fuit II. TRANSUBSTANTIATIO.

I. CUm autem Chriſti corpus ad ſacramentum hoc venire, atque imperioſis verbis de ſede ſua excitum, ad ſacrificulorum ſuorum menſas quotidie adeſſe Romanenſes ſtatuant; illud præterea non ſine μεταμορφώσει & tranſelementatione peragi ajunt; ne ulla videl. ſigni ac ſacramenti ſpecies amplius ſuperſit. Qui alter erroris hujus gradus eſt, quo illum adaugent; præter corporis Chriſti præſentiam, panis quoque Tranſubſtantiationem, verborum vi ac potentia peractam, invehentes. Quæ fides, uti maxima omnium eſſet, ſi vera eſſet; ita nunc, cum falſa ſit, omnium fœdiſſima eſt & monſtroſiſſima.

Illius origo.

II. Eſt vero dogmatis hujus origo in Eccleſia recens; nec octo prioribus ſæculis ullum apud veteres ejus occurrit veſtigium. Illi enim omnes docuerunt, panis ac vini in ſacramento remanere ſubſtantiam; nec aliam ibi converſionem fieri, quam ſacramentalem & relativam; qua panis communis mutatur in myſticum, & ad aliud officium, & uſum, finemque alium, adhibetur. Atque huc ſpectant voces, ipſis in hoc myſterio uſurpatæ, *μεταστοιχειώσεως*, *μεταῤῥυθμήσεως*, *μεταβολῆς*, *μεταποιήσεως*, *μεταβάσεως*, *μεθιστάναι*; Latinis vero, *tranſeundi*, *commutandi*, *convertendi*, aliæque locutiones hyperbolicæ; quibus in demogoriis ad populum utebantur, ut, ſignorum & rerum ſignatarum

permutatis nominibus, analogiam, quæ eſt inter utraque, declararent; menteſque Chriſtianorum, in auguſto iſto myſterio, reverenti quadam pietate inducerent, & à terrenis ſymbolis ad res cœleſtes allevarent & attollerent. Eſtque hæc vel ipſorum Pontificiorum confeſſio: primis ſeptem ſæculis nullam de Euchariſtiâ in Eccleſia auditam controverſiam, hæreticis circa alias doctrinæ partes, quæ Deum Chriſtumque ſpectabant, occupatis.

primaque veritatis corruptio apud Græcos;

III. Primus, qui de dogmatis hujus ſinceritate aliquid delibavit, deprehenditur fuiſſe *Anaſtaſius*, Monachus de monte Sinai, A. 6[illegible]4. quanquam aliud agens, atque alia in quæſtione cum hæreticis quibuſdam congreſſus. Major inclinatio facta eſt ſæculo octavo, cum Iconolatrarum tempeſtas Eccleſiam exerceret. Atque apud Græcos quidem *Damaſcenus*, eumque ſecutus *Theophylactus*, & A. C. 787. Iconolatricum *Concilium Nicenum ſecundum*, contra orthodoxos, qui unica Chriſti imagine in Eccleſia contenti erant, ſacris videl. corporis ac ſanguinis ejus in cœna ſymbolis; ea, non ſigna aut imaginem dominici corporis, ſed ipſum Chriſti corpus, ipſumq; ejus ſanguinem eſſe, aſſerere inceperunt.

& pariter apud Latinos:

IV. Apud Latinos quoque circa eadem tempora antiqua fides labare cepit. Atque, in eodem de imaginibus certamine, primum cira hoc dogma exerratum: iis, qui ſub Carolo M. ſeſe imaginibus opponebant, imprudentius myſtica S. Cœnæ ſymbola, non Chriſti imaginem & picturas, ſed ipſum ejus corpus & ſanguinem appellantibus. Qui verbis magis, quam ſenſu peccabant. Factum hoc Anno C. 794. Atque A. 811. Paſchaſius Radbertus in Cœna ipſam Chriſti carnem & ſanguinem adeſſe ſcripſit. Quod tamen potius de Conſubſtantiatione, quam de Tranſubſtantiatione intellexit. Cui contradixerunt varii. Præcipue Bertramus, juſſu Caroli Calvi, Gallorum Regis, hac ipſa controverſia famam nomenque in Eccleſia adeptus. Magis adhuc invaluit iſtud dogma ſequenti ſæculo decimo; quod ferreum & plumbeum à ſcriptoribus appellatur; internitentibus tamen illis tenebris quibuſdam veluti ſtellulis, qui nonnullam Eccleſiæ lucem faciebant. Quos inter, Berengarius, Archidiaconus Andegavenſis. Qui, multa ob hanc rem paſſus, & non uno in concilio poſtulatus, aliquando & ad palinodiam redactus, ſemper tamen ad veritatem, quam profeſſus erat, rediit; multoſque ejus diſcipulos & hæredes in Gallia & Italia reliquit. Quos exceperunt tandem Waldenſes, vera & germana Eccleſiæ proles, qui fidem iſtam incorruptam ad reformationis tempora produxere.

apud quos primum nata Conſubſtantiatio;

V. Ut-

Digitized by Google

V. Utque non unico æſtu errores in Eccleſiam allapſi ſunt, illa tum maxime adhuc vigebat Conſubſtantiatio. Tranſubſtantiationem deinde docere cœpit Stephanus, Epiſcopus Auguſtodunenſis, A. C. 1130. ut, ut alii, 1160 poſt quem eundem loquendi modum uſurpavit Innocentius Tertius, in Concilio Lateranenſi, A. C. 1215. *Tranſubſtantiationem in Cœna fieri* dictitans, *ut, ad perficiendum myſterium unitatis, accipiamus ipſi de ſuo, quod accepit ipſe de noſtro*. Quæ tamen verba ita obliqua ſunt, & in obſcurum exeuntia, ut non ſolum perverſum, ſed & bonum ſenſum, admittere poſſint. Non enim de vocabulo, ſed de re, ac ſenſu ejus, contendimus. Sicuti neque ipſe canon miſſæ tranſubſtantiationis dogma infert, ſed multa in contrarium habet, quæ ei deſtruendo inſervire poſſunt Nec denique in Concilio Florentino, A. C. 1439. ubi de quæſtione iſta iterum diſceptatum legitur, ea ad liquidum deciſa reperitur: ut demum in Concilio Tridentino, A. C. 1551. ſeſſ. 13. præſentibus quatuor Papæ legatis, nec plus quam quinquaginta quatuor Epiſcopis, dogma iſtud omnibus numeris completum ac definitum fuerit. Quod tempus certe nimis recens eſt, ad condendum fidei articulum. *deinceps autem Tranſubſtantiatio,*

VI. Sed rem ipſam potius videamus. Atque hæc adverſariorum ratio eſt: præter præſentiam Chriſti corporalem, quam in S. Cœna ſtatuunt, ſignorum quoque naturam evertere; quæ quomodocunque aboleri, & in corpus ac ſanguinem Chriſti converti ac tranſubſtantiari, prædicant. Lutherani autem ſolam corporis Chriſti localem præſentiam tuentur, reliqua ſententiæ Pontificiæ proba ac monſtra omittentes. *Illius ratio,*

VII. De *modo* vero converſionis non conveniunt, ſed adverſis inter ſeſe ſententiis digladiantur. Dum alii annihilationem panis; alii converſionem ejus in corpus Chriſti; manente tamen externa ejus ſpecie; alii vero ſucceſſionem panis & corporis Chriſti, ſtatuerre malunt. Quas pugnas ipſis reliquimus. Bellarminus non-conſervationem panis appellat (quæ revera ejus annihilatio eſt) inque ejus locum corpus Chriſti, non produci, ſed de cœlo adduci, & ſub ſpecies panis venire, dixit. *& converſionis modus.*

VIII. Nos autem, qualecunque hoc monſtrum ſit, ac quomodocunque iſtud pingant ac refingant, 1. *Scripturis*, ac S. *Cœnæ* inſtitutioni: 2. & *fidei analogiæ*, ac præſertim *corporis* Chriſti veritati ac *ſtatui*: 3. & *univerſæ ſacramentorum naturæ*: 4. & *rationi*: 5. & *ſenſibus* denique omnibus repugnare, ac cunctis ex partibus laborare, contendimus. *Quæ revincuntur*

IX. Ac de *Scripturis* quidem jam ante diximus; ubi Cœnam a Chriſto inſtitutam per partes examinavimus; & non modo tranſubſtan- *1. Scriptura & Cœnæ inſtitu-*

Digitized by Google

tione. tiationis nullam umbram deprehendimus, ſed & univerſam hiſtoriam ei refragari, & ſignorum veritatem poſtulare vidimus. Perpetua enim ibi *panis & vini* occurrit appellatio, etiam poſt conſecrationem Matth. 26: 29. Marc. 14: 25. Et Paulus 1. Cor. 10. & 11. multoties *panem benedictionis* appellat. Frivola autem exceptio eſt, panem appellari, quod antea panis fuerat, quodque ſub externa panis ſpecie latebat. Hæc enim ſunt, de quibus jam quærimus. Et cum nulla commutationis illius mentio hic fiat, nulla quoque fingendæ talis denominationis cauſa eſt. Similiter poculum jam ſacratum *genimen vitis* Chriſtus dixit, Matth. 26 29. Cum autem panem corpus ſuum appellat, iſtud non minus improprie accipi debet, quam cum eodem loco poculum dicit eſſe Novum Teſtamentum, ſanguine ſuo jamjam dedicandum. Quod non de converſione, ſed de ſignificatione, ipſi etiam accipiunt adverſarii. Sed & Chriſtus ipſe relationem panis & vini ad corpus & ſanguinem ſuum, de ſacrificii ſui commemoratione & ἀναμνήσει explicat, Luc. 22: 19. Nec alia eſt iſta *communio corporis & ſanguinis Chriſti.* 1. Cor. 10: 16. quam corporeo ſenſu intelligi non debere, ex eadem Apoſtolica phraſi com. 20. de idolorum conviviis uſurpata, apparet.

II. Analogia fidei. X. Sed & 2. *Fidei analogiam*, tum alibi, tum præſertim in articulo de Chriſto, ac natura ejus humana, hoc figmento corrumpi, ac extingui, vel ad oculum apparet. 1. Attribuit enim Scriptura Chriſto *corpus*, huic noſtro ſimile, Hebr. 2: 14, 16, 17. Illi autem in cœna ipſi corpus affingunt inextenſum, illocale, inviſibile, inſtar ſpectri Marcionitici; & non unum corpus, ſed in eadem cœna innumera corpuſcula, ac phantaſmata, in ſingulis hoſtiæ partibus latitantia, mentiuntur. 2. Credere præterea nos jubet fides Catholica in *Chriſtum, de virgine natum, paſſum, crucifixum, mortuum, ſepultum*, ac, poſt triumphatam inferorum potentiam, è mortis clauſtris in auras ſuperas reducem, ac deinde ſublimem in cœlum revectum. Quem autem illi Chriſtum in Cœna adorant, ex farina coctum, ille nihil iſtorum aut egit, aut paſſus eſt, nullumque iſtorum articulorum implevit; ſed recens, & vix unius horulæ Deus eſt. 3. Citius autem cœlum cum terra, quam *Chriſti aſcenſionem* in cœlum cum quotidiana ejus in immundis ſuis cœnis præſentia conciliabunt. 4. Cui cœleſti ejus *gloriæ* quomodo impanatio, & corpus ex farina factum, & contumeliæ adhuc patiens, ac in cœna quotidie ſacrificandum, conveniat, quivis videre poteſt. Ut non unum, ſed omnes, de Chriſti corpore & ſtatu, articulos, in hoc dogmate laborare liqueat.

XI. 3. Sed

Digitized by Google

XI. 3. Sed & *Sacramentum* ipſum, quod auguſtius ſeſe reddere putant, hoc commento tollunt. Ejus enim natura omnis in eo poſita eſt, quod ſignum ac ſigillum gratiæ ſit, atque eo modo rem ipſam contineat, & fidelibus tradat. Ut in Veteris Teſtamenti ſignaculis, circumciſione & paſchate, ac in Novi Teſtamenti baptiſmo, vel ipſis fatentibus adverſariis, videre eſt. Ut de cœna hoc nullo prætextu negari poſſit: quam non minus obſignandis fidelibus, atque a viſibilibus ad inviſibilia, a ſenſu ad fidem, a terrenis ad cœleſtia, evehendis ſervire, ex ſacramentorum analogia patet. Quam illi in S. Cœna tollunt, dum fabuloſa metamorphoſei ipſum ſignum ex ſacramento auferunt, & annihilant. Si autem ſignum ibi non amplius adſit, jam S. Cœna nec ſacramentum eſt. *III. & Sacramentorum.*

XII. 4. Cum qua autem *ratione* conciliabunt: accidentia panis & vini exiſtere, ſine ſubjecto ſuo, cui inhæreant; &, contrario prodigio, corpus & ſanguinem Chriſti exiſtere, ſine ſuis accidentibus & proprietatibus eſſentialibus: accidentia ſubſiſtere per modum ſubſtantiarum; & corpora per modum ſpirituum: præſens eſſe, quod omnium ſenſus teſtantur eſſe abſens; & abſens, quod iidem teſtantur eſſe præſens: Chriſti corpus ex pane creari, & tamen antea præ-extitiſſe. Corpus aliquod dari, quod non ſit extenſum, & dimenſionibus ſuis careat; atque illud accedere aliquo ſine motu locali; & exiſtere ſine loco; &, quanquam membris omnibus conformatum, ſubſiſtere in unico puncto; & totum eſſe in puncto illo, ac totum extra illud; & exiſtere denique in locis diſſitis, nec tamen in ſpatiis intermediis. Quæ tot naturæ, non miracula, ſed probra, millies quotidie, ad viliſſimi cujuſque ſacrificuli murmur, patrari, quis ſani capitis ferat, aut credat? *IV. Ratione.*

XIII. Omittimus autem otioſas atque anxias ipſorum commentationes, ex quibus nunquam ſeſe explicabunt: quomodo deſinat eſſe panis converſus, an per meram annihilationem, an per actionem poſitivam? Quomodo fiat converſio vini, præſertim admiſta aqua? Quomodo operetur hæc converſio circa corpus Chriſti, an mutetur illud accidentaliter, an vero ſubſtantialiter? Qua virtute verborum fiat tranſubſtantiatio, an inhærente, an aſſiſtente? Quomodo ad S. Cœnam corpus Chriſti veniat, an per creationem, an per nativitatem, an per loci commutationem? Ut difficillimas quæſtiones, de intentione ſacerdotis, de ſacerdote venefico, de vermium ex corrupta hoſtia prorepentium materia, de luti prolapſo forte pani adhæreſcentis ſubjecto, pluresque alias difficultates inextricabiles & pudendas omittam. In hos autem laqueos,

Digitized by Google

& intricatiſſima ſpinoſarum quæſtionum ſenticeta, & abſurditates abſurdiſſimas ſeſe Eccleſia Romana, ob unius voculæ perverſum intelle-ctum, induit: quam tamen & aliter, & longe quidem commodius, accipi potuiſſe, ne ipſi ejus Eccleſiæ magiſtri diffitentur.

v. Senſibus.

XIV. 5. Tandem & *ſenſibus* convitium faciunt, quos perpetuo ſpectro eludi neceſſe eſt, ſi neque panis, neque vinum, in cœna ſuperſit; quem tamen ex colore, ſapore, odore, tactu, ibi adeſſe, omnium hominum recte diſpoſiti ſenſus judicant. Eſt autem hæc res, utpote externa, etiam judicii ſenſuum.

XV. Hic autem illi ad Dei omnipotentiam, atque ad miracula confugiunt; quale olim in Cana Galilææ factum fuit. Atque hoc velo tot contradictionum & abſurditatum pudenda tegunt. Ad quæ reſp. 1. Non agnoſcere nos talem in Deo potentiam, quæ ipſi veritatis & conſtantiæ laudem adimit; &, tum aperto ipſius verbo, tum naturæ, perpetuam vim facit. 2. In euchariſtia miracula non fieri. Ac, juxta *Auguſt. de Trin. lib.* 3. iſta honorem habere poſſe, tanquam religioſa, ſtuporem, tanquam mira, habere non poſſe. 3. Cumque miracula omnia ſenſus afficiant, & admirationem pariant, nec quotidie, ſed extra ordinem fiant; nihil autem horum in S. Cœna appareat; recte quotidianum illud miraculum, quod nullius ſenſus ferit, rejicimus & explodimus. 4. Nec denique cum miraculo Cananitico illud conferendum eſt; ubi mutationem factam diſerte Scriptura exprimit, & ſenſus ex manifeſtis vini proprietatibus aperte evicit. Quæ hic contra ſunt.

Nec errori huic favere verba Domini Hoc eſt corpus meum. *quorum ſenſus oſtenditur,*

XVI. Cum autem omne cauſæ ſuæ præſidium in verbis dominicis reponant, *Hoc eſt corpus meum;* quorum ῥητὸν adeo urgent; illa propius examinanda ſunt, ut pateat, nos non minus, imo commodius longe litteralem ac directum eorum ſenſum urgere, quam adverſarios.

XVII. Ac pronomen quidem *Hoc*, τοῦτο, ad nomen aliquod antecedens referendum eſt; quod non aliud eſt quam ἄρτος, *panis*. Sicuti expreſſe de poculo occurrit, τοῦτο τὸ ποτήριον, Luc. 22:20. Nec quicquam refert, ἄρτος & τοῦτο genere differre. Nihil enim communius, quam pronomen ſtare in genere, non rei antecedentis, ſed prædicati conſequentis. Vid. Matth. 7:12. Luc. 8. 14. Gal. 4:24.

XVIII. Prædicatum eſt, *eſſe corpus Chriſti*. Intelligitur autem corpus Chriſti naturale, quod ſacramenti corpore quaſi ſecundario repræſentatur.

XIX. Vocula *eſt*, de qua præcipue contenditur, non de eſſe ſubſtan-

tivo,

Digitized by Google

tivo, ſed de eſſe ſignificativo, intelligenda eſt. Non ſolum enim diſparatum de diſparato hic prædicatur, quod niſi tropice fieri non poteſt: ſed & aperte de ſigno & re ſignata agitur; quæ cum de ſe mutuo prædicantur, non alia quam ſignificationis & obſignationis ibi ratio eſt, vel eſſe poteſt. Quod & in altera ſacramenti parte ad oculum patet; ubi poculum dicitur eſſe Novum Teſtamentum. Ut alias prædicationes in Euangelio uſitatas omittam. Additur & de corpore hoc manducando, & ſanguine bibendo; quæ ſimiliter impropriam locutionem confirmant; juxta veriſſimam Auguſtini regulam: quotieſcunque in Scriptura verba impium quid, aut ſcelus, ſignificare videntur, locutionem tum eſſe impropriam.

XX. Cauſa autem phraſeos hujus, tum a Chriſto, tum a S. Scriptore, uſurpatæ, eſt 1. uſus linguæ, qua Chriſtus loquebatur. Hebræi enim & Syri nomina ſignorum cum nominibus rerum ſignificatarum conjungere, & de ſe mutuo prædicare ſolent. Eſtque hic perpetuus ſtilus Veteris Teſtam. tum in omnibus ſignis, tum præſertim in ſacramentis, uſurpatus. Vide Gen. 41:26, 27. *Septem illæ vaccæ — ſeptem anni ſunt* &c. Ezechiel. 37:11. *Fili hominis, oſſa hæc tota domus Iſrael ſunt.* Dan. 2:38. *Tu es caput aureum.* & 7:17. *Hæc animalia magna, quæ ſunt quatuor, quatuor reges, qui ſurgent ex terra.* conf. Matth. 13:38. Apoc. 1:20. & 17:9, 10. & de circumciſione, Gen. 17:10, 11. *Hoc eſt fœdus meum — ut circumcidatur vobis omnis mas. Circumcidetis igitur carnem præputii veſtri, ut ſit ſignum fœderis inter me, & vos.* Ac de agno paſchali, Exod. 12:11. *Paſcha eſt Jehovæ.* Sicut & Græci interpretes ad ſimiles phraſes exprimendas verbum ſubſtantivum eſt, in Hebræo omiſſum adhibuerunt, Gen. 17:10. & 40:12, 18. & 41:26. Exod. 12:11. Quos Euangeliſtæ procul dubio in phraſi illa ſecuti ſunt. Atque iſte etiam alibi, atque de aliis quoque ſacramentis, Novi Teſtam. ſtilus eſt. De Baptiſmo, Tit. 3:5. De Petra, 1. Cor. 10:4. Adde Joh. 1:29. 1. Cor. 5:7. Rom. 6:4. ut Chriſtus ita loquendo non aliud quam linguæ, qua utebatur, indolem, & S. Scripturæ ſtilum, tum in omni ſigno, tum præſertim in phraſibus ſacramentalibus, abhibitum ſervaverit. 2. Cui accedit, quod in myſtica iſta cœna, uti ad alios ritus paſchales, ita etiam ad formam loquendi paſchalem, non obſcure alludere voluerit: dicente patrefamilias in feſto illo, *Hoc eſt corpus paſchatis* &c. 3. Denique ad rei evidentiam, clarioremque inter ſignum & rem ſignatam analogiam exprimendam, hic modus loquendi pertinebat. Unde & in-

& locutionis figuratæ ratio redditur.

in aliis ſacramentis, in Veteris Novique Teſtam. Scripturis adhibitum jam meminimus.

XXI. Ut ex hiſce, contra Pontificios, pateat, nos vel maximè τὸ ῥητὸν obſervare, & litteralem ſenſum ſequi. Præſertim ubi attendimus linguæ illius, qua hæc verba extant, ac rei, de qua agitur, genium & indolem. Nam & tropicus ſenſus litteræ ſenſus eſt; nec ille, ubi de ſigno & re ſignata ſermo eſt, alius eſſe poteſt, quam tropicus. Signi enim natura procul dubio conſiſtit in ſignificando.

De tropo & ſede ejus. XXII. Non magni vero momenti quæſtio eſt, qualis in locutione hæc ſacramentaria tropus ſit, & ubi ſedeat. Nos potiſſimum metonymiam hic eſſe cenſemus, per quam ſignum ſubſtituitur pro re ſignata. Quanquam & alio reſpectu metaphora & ſynecdoche adſit. Sedem tropi quod attinet, illam quidam in voce *corpus* collocant, quæ ponatur pro ſigno corporis; alii in copula conſtituunt; cum non aliud corpus intelligatur, quam corpus Chriſti naturale, quod per panem ſignificetur & obſignetur. Ut *eſſe* ponatur, pro ſignificatur.

Literæ ſenſum maxime corrumpunt ipſi adverſarii. XXIII. Ipſi autem adverſarii litteram, quam adeo urgent, non uno modo corruptum eunt. Unde laborare eos adeo videmus in ſenſu pronominis *Hoc* reddendo; in quo nihil habent quod conſiſtere poſſit. Nam, per vocabulum iſtud, vel panem, vel corpus Chriſti, vel accidentia panis, vel denique præ deſperatione vagum quiddam, & quod effari non poſſunt, intelligunt, & in confuſo quodam conceptu latere volunt. Quæ cuncta fluida & labantia ſunt. Non enim per pronomen hoc *panem* intelligere poſſunt, niſi tranſubſtantiationem ſuam lædant. Nec etiam *corpus Chriſti:* hoc enim ad primum iſtud verbum nondum extat. Nec *accidentia panis:* nam nec illa ad primum iſtud verbum ſola extant; & præterea abſurdum foret, accidentia eſſe corpus Chriſti. Quas difficultates cum alii videant, nihil certo definiri, ſed *vagum quiddam*, & incertum, quod ſacerdos manibus teneat, quicquid illud denique ſit, eo deſignari autumant, & in occulto illo ſenſu ſe occultant ac involvunt. Atque illum denique illorum verborum ſenſum edunt: *Hoc eſt corpus meum*, id eſt, *ſub accidentibus panis & vini continetur corpus meum.* Quæ verborum Chriſti tranſpoſitio, mutatio, & corruptio eſt: quam tamen quomodo ſine tropo efficiant, cogitari equidem non poteſt.

Tranſubſtantiationi XXIV. Alia erroris facies eſt, quando pro Tranſubſtantiatione adoptatur. *Conſubſtantiatio.* Quæ ipſa Tranſubſtantiatione antiquior, & à

Digitized by Google

& a Johanne Damaſceno, Paſchaſio, Ruperto Tuitienſi, olim aſſerta; ac, poſt introductam transſubſtantiationem, ad incommoda ejus vitanda, per Scholaſticos quoſdam, imprimis Cardinalem Cameracenſem, rurſus renovata, tandem Luthero ac diſcipulis ejus placuit; ac triſte illud Reformatarum Eccleſiarum divortium conſtituit. Quæ, in hoc uno capite primitus, diſcedentes, paulatim aliis quoque articulis diſtingui cœpere. *addenda* CONSUBSTANTIATIO, *poſt alios, a Luthero & diſcipulis ejus renovata,*

XXV. Non uno autem modo hoc dogma explicant. Varius enim in hac parte fuit Lutherus. Et, cum olim panem diceret eſſe corpus Chriſti ſubſtantialiter (quod a tranſubſtantiatione non procul aberat) deinceps ſynecdochen maluit ſtatuere: quod ſubjectum hoc duas res contineret conjunctas, panem & corpus Chriſti. Atque hæc potiſſima ejus eſt ſententia. Diſcipuli ejus paulo aliter rem explicuere: &, cum omnem locutionem figuratam refugiant, per *hoc* duas res ſimul præſentes, viſibilem panem, & inviſibile Chriſti corpus, monſtrari dixerunt. Hodierni Lutherani, occultæ illi & inviſibili duarum ſubſtantiarum coëxiſtentiæ aſſerendæ, tres voculas addidere, *in*, *cum*, *ſub* pane & vino. Verum hac ratione non recte *Conſubſtantiatores* appellantur hujus ſententiæ patroni; cum nulla hic ſit συνουσία, ſive diverſarum ſubſtantiarum in unum commixtio: ſed διουσία potius, vel συνύπαρξις, ſive duarum ſubſtantiarum, ſuppoſitis diſtinctarum, coëxiſtentia. *non uno modo:*

XXVI. In qua ſententia multa ſunt abſurda & ἀσύςατα. Nam corpus hoc Chriſti inviſibile in S. Cœna, variis fidei articulis, præſertim de *humana Chriſti natura*, ex Maria virgine; deque præſenti *ejus ſtatu ac gloria; & ſacramentorum analogia*, quæ rem ſignatam, non ſubſtantialiter continent, ſed obſignant; & *prima Jeſu Chriſti Cœna*, ubi ipſe viſibiliter accubuit, & non corpus, ſed panem, fregit, &, tradito poculo, dixit, hoc eſt *Novum Teſtamentum* &c. & denique ipſis *Chriſti verbis*, adverſatur. Quæ ipſi, ut ſibi ſubſervire faciant, non leviter immutant & corrumpunt. Nam in verbis illis, *Hoc eſt corpus meum*, per *hoc* intelligere debent, in hoc, vel, ſub hoc, per *eſt*, continetur, & includitur: per *corpus*, aliquid quod nec quantum, nec viſibile, nec locale eſt. Et hæc omnia tamen ſine tropo ac figuris conficere ſeſe poſſe ſomniant. *quæ confutatur.*

XXVII. Omnis autem ille error ex male intellectis verbis S. Cœnæ ortus eſt; quæ proprie ac ſimpliciter ſumi debere pertendunt, ne Cœna noſtra prima Chriſti Cœna, in qua ipſe corpore ſuo præſens aderat, inferior exiſtimetur. Sed perperam nullum tropum, nullam figuram in ul- *Erroris fons.*

Digitized by Google

timis Chriſti verbis agnoſcunt. Cum enim ipſa ſacramenta non niſi figuræ ſint, mirum non eſt figuratas locutiones in iis audiri. Saltem ſequentia verba de poculo, *Hoc eſt Novum Teſtam. in ſanguine meo*, quomodo ſine figura intelligi poſſint, non liquet. Ne ipſorum interpretamenta repetam, quæ non unam figuram involvunt. Sufficit enim phraſes non ignotas & claras adhiberi; figuratas eas eſſe nihil obſtat. Denique noſtra Cœna primæ Chriſti Cœnæ in ſacramenti ratione ac natura conformis eſt, nec plus requiritur. Nil enim vetat, circumſtantias quaſdam diverſas eſſe.

Illius momentum & reconciliationis ratio.

XXVIII. Atque hæc de quæſtione illa, quæ, in ipſo Euangelii renaſcentis exordio, funeſtum illud Eccleſiarum diſſidium invexit. Quanquam res illa tanti momenti non erat, ut tantum fratrum bellum excitaret, & Eccleſias, primariis fidei apicibus conjunctas, tam longum diſſociaret. Unde ab hoc capite, in quo Eccleſiæ Euangelicæ primum diſcedere viſæ ſunt, reconciliationis initia merito auſpicanda ſunt. Eſt autem in præcipua Euchariſtiæ parte conſenſus; cum rem ſignatam, ac ſpiritualem cum ea communionem, ut ſacramenti partem præcipuam, utrique ex æquo urgeamus. Nec etiam altera pars iſta ſigni ſuperſtitione, ac cultu idololatrico, laborat, qualem in Romana Eccleſia damnavimus. Sola de ſigno, & non tam de re, quam de modo, controverſia eſt: quæ ſcil. præſentiæ Chriſti in S. Cœna ratio? quique noſtræ manducationis modus ſit? quam illi, tum præſentiam Chriſti, tum noſtri cum eo communionem, corporalem quoque dari exiſtimant. Unde & ab infidelibus mandi quoque Chriſtum volunt. Quæ, utcunque craſſa & dura, cum tamen a ſigni adoratione longe abſint; & ipſi adverſarii ſpiritualem manducationem longe præferant; fundamentalia non ſunt. Unde propter iſtas quæſtiones non ſcindendæ Eccleſiæ, ſed, poſt longum divortium, potius reuniendæ. Cujus conſenſus exempla, vel ab ipſo Luthero, extant. Nam & Melanthonem & Lutherum olim conveniſſe; &, in conventu Marpurgico, inter Lutherum & Swinglium concordiam ictam, A. C. 1529. & deinceps inter utriuſque partes Doctores, imo Eccleſias non ſemel repetitam conſtat. Ille autem reconciliationis faciendæ modus optimus eſt: ut, relictis vocabulis ambiguis & novis, ſolæ Scripturarum, ac veteris Eccleſiæ, locutiones adhibeantur; quæ ad veras ſententias infirmos & aberrantes fratres, Deo tam pio operi benedicente, tandem reducerent.

Digitized by Google

CAPUT XV.

De MISSA.

I. SIcuti veritatum, ita & errorum, quidam nexus ac cinnus eſt. Quod hac in parte apud Latinos patuit. Uti illi enim præſentiam Chriſti corporalem in Cœna per Tranſubſtantionem explicuere, atque errorem errore auxere; ita Chriſtum, quem in Cœna præſtigioſo modo præſentem fecere, jam immolare, iterumque in ara offerre auſi ſunt. Huc enim cuncta tandem redeunt. Ideoque Chriſtus in Cœna præſens arceſſitur, ut in ea tandem offeratur. Quod, non ſacrificium, ſed ſacrilegium, quod *Miſſam* appellant, reliquorum errorum ſcopus & finis, atque Antichriſtianæ civitatis unicum Palladium eſt.

Ex præcedentibus Latinorum erroribus nata III. ipſorum MISSA.

II. *Miſſæ* nomen, ab Hebræa matre perperam a quibuſdam deductum, Deut. 16: 10. Latinæ potius originis eſt. Latini enim illud primo uſurparunt, & ab illa externi cultus circumſtantia, tum univerſum cultum ſacrum, tum præcipuas ejus partes, Miſſam appellarunt. Eſtque illa vox circa finem tertii ſæculi primum audita. Dicebatur autem *miſſa*, quaſi *miſſio*; uti *remiſſa* pro *remiſſio*; a dimiſſione populi: quæ duplex erat, tum Catechumenorum, ante ſacramenti communionem, tum fidelium, poſt illam peractam; proclamante Diacono, *Ite, miſſa eſt*. A qua ſolemni voce, tum cultus univerſus, tum præcipue Euchariſtia, & preces, ac liturgia ejus, miſſæ nomen acceperunt. Pontificii autem eo nomine hodie intelligunt, externum illud ac proprie dictum Eccleſiæ ſuæ ſacrificium expiatorium; quo ipſum Dei filium, pro expiandis vivorum ac mortuorum peccatis, aliiſque rebus, vel impetrandis, vel averruncandis, Deo Patri, ſub accidentibus panis & vini, per ſacerdotem quotidie offerunt. Quod impuriſſimum ſacrum, Chriſto contumelioſum, fidei & Scripturis adverſum, Chriſtianis pudendum, ac piis omnibus execrandum, religionis ac fidei apud illos ſummam conſtituit.

Cujus conſideratur 1. Nomen

III. Hinc tanta apud ipſos miſſarum frequentia, & varietas, ac tam multæ earum ſpecies. Habent enim miſſas, alias ordinarias, quas in Sanctorum quoque ac B. virginis nomine peragere non verentur; alias extraordinarias, quas certis tantum occaſionibus, in novi Epiſcopi, templi &c. conſecrationibus habent. Habent miſſas magnas, & parvas: infe-

& adminiſtratio externa; ratione varietatis ipſius

Digitized by Google

riores, & ſuperiores: a colore *paramentorum* (ut vocant) inſuper diſtinctas: item ſiccas, & humidas: publicas, & privatas &c.

(in qua creberrima ſunt miſſæ privatæ) IV. Hoc enim ad S. Cœnæ ludibrium addunt, quod miſſas quoque *privatas* celebrent, ſine ſignorum diſtributione, & nullo fidelium communicante, ac, ſi qui adſint, ſpectatorum ſolum officio fungentibus. Quod, contra Chriſti inſtitutum, qui edere & bibere omnes juſſit, Luc. 22: 19. Matth. 26: 25. contra Apoſtolicæ Eccleſiæ uſum, Act. 2: 41, 42. & 20: 7. 1. Cor. 10. & 11. & contra primitivæ Eccleſiæ praxin; ubi adeo fideles omnes communicabant, ut primis ſæculis ne quidem ulli non-communicanti ad cœnæ myſterium adeſſe, idque aſpectare, liceret: ſacram denique Domini menſam in meram ſcenam & mimum convertit, non animæ, ſed oculis paſcendis idoneum. Quæ S. Cœnæ illuſio maxime ſæculo decimo tertio, poſt Concilii Lateranenſis inſtitutum de communione ſemel ſaltem in anno, prævia peccatorum confeſſione ad genua ſacerdotis, celebranda, exorta eſt.

omnigenumque rituum, V. Nec deeſt huic ſcenæ ſuum choragium. Ac miſſaticam omnem pompam, ſi quis ſpectare libeat, eam ſuccincte explicat ac per partes tradit inter alios *Sleydanus, Commentar. de ſtatu relig.* lib 21. Ita enim, partim Gentilitiis ſuperſtitionibus, partim Judaicis cærimoniis, hocce ſacrum inquinarunt, & hiſtrionicarum denique geſticulationum probro adſperſerunt, ut non cœnæ & convivii, ſed theatri ſpeciem ſpectatoribus præbeat.

quibus tota a Cœna diſtat. VI. Ut vel externa miſſæ adminiſtratione pateat, quantopere a primævo Chriſti inſtituto aberratum ſit. Pro paſtoribus enim & miniſtris Euangelii, quos Chriſtus inſtituit, 1. Cor. 11. 23. hic ſacerdotes unctos, & raſos, aſpicias: pro menſa, altare: pro pane, hoſtiam: pro ſacramento denique ſacrificium. Pariterque fidelium communionem, in unius ſacrificuli geſticulationes; ſacrarum partium diſtributionem, in ſacramenti oſtentationem & circumgeſtationem; perceptionem, in adorationem; preces ad Deum, in magicos ſuſurros, externo elemento incantando, & transformando, immutarunt. Nec Deum ſolum, ſed & Sanctorum cohortem ad hoc ſacrum advocant; quorum cineres, ac oſſa, ſub altari condita, venerantur; per hæc videl. amicorum ſuorum pignora ac merita Deum exoraturi. Denique lingua Latina hæc myſteria celebrant, &, modo cantu, modo religioſo ſilentio, illa tranſigunt.

II. Sacrificium. VII. Verum, miſſis hiſce externis, de *ſacrificio* videamus, in quo cardo hujus diſputationis verſatur. Ac nos quidem ſacrificium tale expiato-

piatorium, quale Romana Eccleſia quotidie celebrat, non ſolum nulla Scirptutæ auctoritate niti, ſed & directe ei contrariari, aſſerimus. Utpote quod 1. Cum generali ſacramentorum natura. 2. Speciatim cum S. Cœnæ inſtitutione. 3. Cum ſacrificii ipſius natura & requiſitis. 4. Ac præſertim cum vero Chriſti ſacrificio pugnet, & manifeſtis Scripturis adverſetur. Per hæc enim argumenta nunc ire placet, quæ novum illud Pontificiorum ſacerdotium, & ſacrificium, prorſus tollunt. *Quod evertitur.*

VIII. Ac 1. quidem, ut de Tranſubſtantiatione, quæ unicum erroris hujus fundamentum eſt, ſileam; & Scripturæ ſilentium, quod Romanenſium aliquos ſacrificium hoc ex traditione arceſſere coëgit, omittam: ipſa *ſacramenti*, ubi id ſolitarium eſt, natura huic ſacrificio adverſatur. Cum diſpar utriuſque ſit ratio. Sacrificium enim hominis, ad Deum aſcendentis, cultum; ſacramentum autem Dei, ad homines deſcendentis, gratiam dicit. Cum autem in S. Cœna, quam Chriſtus teſtamentum vocat, Deus hæredibus ſuis aliquid largiatur, & cœleſte donum conferat; patet, illud non ſacrificii, per quod Deo aliquid a nobis offeratur, ſed ſacramenti, per quod ille nobis aliquid obſignet, rationem habere. *1. Ex generali natura ſacramenti.*

IX. 2. Sed ſpectanda imprimis prima *S. Cœnæ inſtitutio:* ubi nulla ſacrificii ſpecies. Non enim in Cœna, ſed in cruce, ſeſe Chriſtus obtulit. Nec Patri corpus & ſanguinem ſuum, ſed diſcipulis panis & vini pignora trandidit. At præterea de calice dixit, illum eſſe Novum Teſtam. in ſuo ſanguine. Quod a ſacrificii ratione longe abeſt. Addit denique, perenni iſto convivio mortis ſuæ memoriam in Eccleſia conſecrandam. Rememoratio autem Chriſti abſentis longe differt ad oblatione ejuſdem præſentis. *2. ſpeciatim ex inſtitutione S. Cœnæ.*

X. 3. Sed fruſtra *ſacrificii* eſſentiam & requiſita in hoc ſacro quæras. 1. Nullam enim *rem externam & viſibilem*, quæ Deo offeratur, oſtendere poſſunt. Quod in omni ſacrificio neceſſarium eſt. Panem enim & vinum, in peccatorum piamentum offerri, merito dedignantur. Chriſti autem corpus, quæ ſola ſalutaris victima eſt, ibi, juxta veriorem ſententiam, non eſt; juxta Pontificios autem, inviſibiliter adeſt, & ſub panis nebula latet. Quod ad ſacrificii ritum non ſufficit. 2. Sed, ſi vel adſit, quomodo illud, juxta ſacrificii *ritum*, *conſecrari* a ſacerdote, dicent; cum ipſe potius Chriſtus univerſam Eccleſiam conſecret & abluat? 3. Et qua in re, quibuſque in verbis *ſacrificii iſtius eſſentiam* conſtituent? Certe per verba, quibus Chriſtus uſus eſt, & quæ Romanenſes in conſecrando imitantur, nihil Deo offertur. Nec fractio panis, nec manduca- *3. Ex ipſius ſacrificii natura & requiſitis.*

 tio,

Digitized by Google

tio, ad ſacrificaturam, quicquam facit. 4. Maxime autem in ſacrificii, ſive victimæ ſuæ, *deſtructione* aſſignanda hærent. Iſtud enim in omni ſacrificio neceſſarium eſt. Nullam autem realem corporis Chriſti deſtructionem ibi fieri vel ipſi confitentur. Præſtigioſum vero eſt, quod Chriſti eſſe naturale, & ſacramentale diſtinguant: ac, eſſe ejus ſacramentale deſtrui, deſinentibus ſpeciebus, affirment. Quod & pudendum, & falſum, eſt. Nam hoc modo Chriſtus in ore vel ventriculo ſacerdotis demum ſacrificaretur; ubi, corruptis ſpeciebus, eſſe ejus ſacramentale deſinit. Sed & Chriſti corpus proprie unicum tantum eſſe habet, eſſe vid. naturale. Eſſe enim ſacramentale nihil aliud eſt quam eſſe ſignificativum Chriſti. Hoc vero ſacrificium noſtrum eſſe nequit.

4. Præſertim ex vero Chriſti ſacrificio, quod miſſaticum hoc mentitur.

XI. 4. Præſertim autem *ſacrificio Chriſti* quotidianum iſtud ipſorum ſacrificium injurium & contumelioſum eſt, iſtique abrogando & delendo unice inſervit. Iſtud enim quærere libet, an idem ſit ſacrificium Miſſæ cum Chriſti ſacrificio, an vero diverſum? Diverſum quidem eſſe ipſi abnuunt. Tum enim, non ſacrificium, ſed manifeſtum ſacrilegium, foret. Idem autem eſſe non poteſt: cum ſacrificium Chriſti potiſſimum in obedientia ejus ſub lege Dei, iſtoque amoris martyrio, conſiſtat; ubi victima fuit ipſe Chriſtus; altare, ipſius divinitas; ac ſacerdos, idem rurſus Chriſtus, æterni Spiritus voluntate ſeſe offerens. Quæ omnia in Miſſa deſunt: ubi nulla Chriſti obedientia, nullum martyrium, nulla mors, nullus ſanguis, non ipſe denique Chriſtus, nec ut victima, nec ut ſacerdos. Quod enim ex farina coquunt corporis Chriſti idolum, ad ſacrificaturam hanc non pertinet.

XII. Sed efficaciſſime quotidianas iſtas libationes, poſt fuſum ſemel Teſtam. ſanguinem, proſcribit Apoſtolus, Hebr. 9. & 10. ubi multis rationibus Chriſtum ſemel tantum offerri potuiſſe evincit: 1. Quia cæteroquin *pluries ab initio mundi pati* & mori debuiſſet. cap. 9:26. 2. Quia ex divino ordine, *ut homo moritur ſemel, & deinde judicium* eſt, ita Chriſtus ſemel mortuus eſt legi, & dein *ſine peccato conſpicietur*. com. 27, 28. 3. Quia in Chriſti obedientia eſt θέλημα & εὐδοκία, *voluntas & complacentia Dei*. cap. 10:8, 9, 10. Aliter ac in pecudum ſanguine; qui non ſine labe erat, nec ſacrificantes puros reddere poterat, adeoque iterum iterumque libari debebat, com. 1, 2, 3. 4. Quia poſt oblationem factam *ſedet in perpetuum ad dextram Dei*, ac judicia in hoſtes ſuos exequitur. comm. 12, 13. Fabula ergo eſt, eum certorum verborum potentia quotidie a ſacrificulis e cœlo evocari. 5. Quia *unica oblatione conſummavit omnes*,

Digitized by Google

omnes, qui ſanctificantur, com. 14. Ubi emphaſis eſt in voce *unica*; ut iterum offerri eum nefas ſit. 6. Denique, quia impetrata jam eſt ἄφεσις *remiſſio*; ut nulla amplius opus ſit *oblatione pro peccatis*, com. 18. adeoque fruſtra ſit, nova adhuc piamenta adhibere velle. Cum ultra remiſſionis gratiam nihil amplius fideles cogitare vel petere poſſint.

XIII. Atque hæc quoque conſtans veteris Eccleſiæ ſententia fuit: quæ, ad Auguſtini uſque tempora, non aliud ſacrificium expiatorium, quam quod Chriſtus in cruce peregit, agnovit. Extantque illius Catecheſeos reliquiæ in ipſo canone Miſſæ; ubi ſacerdos, non corpus & ſanguinem Chriſti, ſed panis & vini dona, à fidelibus oblata, Deus uti accepta habeat, & benedicat, orat; & dona ac ſacrificia ſancta & illibata appellat: quæ verba de ſacrificio Chriſti, quod unicum eſt, intelligi non poſſunt. Appellatur ibidem ſacrificium laudis, rogaturque Deus, ut propitio & ſereno vultu illud recipere dignetur, ſicut accepta habuit munera Abelis: quæ iterum in ſacrificium Chriſti propriè dictum non conveniunt. Atque in eandem ſententiam Scholaſticorum quoque dicta adferri poſſunt; quæ nunc omittimus. *Evertitur quoque ex ipſo Miſſæ Canone.*

XIV. Communis ad hæc omnia exceptio eſt, per miſſæ ſacrificium Chriſti ſacrificium nobis applicari. Quod in adverſarios retorquere licet. Si enim applicatio ibi peragitur, ergo non ſacrificium. Applicatio enim fit hominibus, ſacrificium autem Deo offertur. Ut hæc ſe mutuo perimant. Abſurdum vero prorſus eſt, ſacrificium velle applicare per novum ſacrificium. Quæ non prioris ſacrificii applicatio, ſed ejus potius deletio & abolitio eſt. *Sublatis ipſorum exceptionibus, de ſacrificio Miſſæ applicatorio,*

XV. Ruunt ſimul blaſphemæ nugationes de ſacrificio Chriſti primario & ſecundario (quomodo & inter ſacerdotem primarium & ſecundarios diſtinguunt) propitiatorio & commemoratorio; cruento & incruento. Scriptura enim non niſi unicum Novi Teſtam. ſacrificium agnoſcit, quod ejus dignitatis eſt, ut non niſi à primario ſacerdote (quem nos unicum habemus) offerri poſſit. Eſtque illud vere propitiatorium. Nam ſacrificium in Novo Teſt. comminiſci, quod tantum commemoratorium ſit; non ſacrificii Chriſti memoriale, ſed peccatorum potius accuſatio & exprobratio foret. Qualis in Vet. Teſt. obtinuit, Hebr. 10: 3. Piriterque inſulſum eſt, illud ſimul expiatorium vocare, ratione alterius cujuſdam ſacrificii, cui repræſentando inſerviat. Hoc enim de qualicunque ſacrificii expiatorii imagine dici non poteſt: cum ibi ſolum expiatio ſit, ubi realis eſt oblatio. Tandem & illud non niſi cruentum *ſecundario, commemoratorio & incruento.*

eſt

Digitized by Google

eſt, cum incruenta oblatione peccatorum remiſſio impetrari non potuerit, Hebr. 9:22. Et certe Chriſti victimam cruentam fuiſſe fateri debent: cum qua ſi eadem ſit illa hoſtia, quam ſacrificuli ipſorum quotidie offerunt, ſanguinis effuſione ea carere non debet. Niſi & Chriſti ſacrificium ἀναίμακτον fuiſſe ſtatuant. Nec ſacrificii incruenti veſtigia ullibi deprehendas.

Unde cadit valor ſacrificii miſſatici, pro vivis & mortuis.

XVI. Errorem denique errore augent, cum nihilominus miſſaticum illud ſacrum pro vivis & mortuis valere; &, ad quæcunque bona impetranda, & mala averruncanda, facere prædicant. Omnis enim expiandi, favoremque Dei impetrandi, vis ad Chriſti unius ſacrificium, in cruce oblatum, pertinent. 1. Joh. 1: 7. Rom. 5: 10. Quo ſi mortui nondum plene purgati ſunt, ne millenæ quidem miſſæ prodeſſe illis poſſunt. Sacramentum autem, quod Chriſtus inſtituit, vivis ſolum prodeſt, non mortuis: miſſæ vero neutris, niſi quod ſacerdotum ſuperſtitum coquinæ valde neceſſariæ ſunt.

Sublato ſacrificio Miſſæ, tollitur quoque ſacerdotium illius,

XVII. Atque uti ſacrificium, ita & novum *ſacerdotum ordinem* in N. T. inſtituunt adverſarii; ex Melchiſedeci videl. ritu: quos Chriſtus creaverit per hæc verba, in ultima cœna, *Hoc facite* &c. Cum tamen unicum tantum Novi Teſtam. ſit ſacerdotium, ſolius videl. Chriſti; qui cum juramento conſtitutus eſt ſacerdos, in æternum; & ſolus dignam victimam, quam offerret, habuit; inque iſto munere, nec ſucceſſores, nec vicarios, ferre poteſt; cum ſacerdotium ejus ſit ἀπαράβατον, nec ψιλοὺς ἀνθρώπους admittere poſſit. Pſal. 110. Hebr. 7. Si qui enim in Novi Teſtam. Scripturis ſacerdotes nominantur, ii ſacerdotes ſpirituales ſunt; atque ad univerſum fidelium gregem illa nomenclatura pertinet. *Rogo vos, fratres, per miſerationes Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, placentem Deo, rationalem cultum veſtrum.* Rom. 12: 1. Conf. 1. Pet. 2: 5, 9.

male compoſitum a Pontificiis juxta ordinem Melchizedeci.

XVIII. Perverſe autem novi hi flamines, ac pſeudo-myſtæ, ordinem ſuum ex Chriſti inſtitutione arceſſunt, *Hoc facite* &c. Et ſacrificaturam Chriſti perennem ac ἀπαράβατον conſtare non putant, niſi ad ipſos honoris ac nominis iſtius ſucceſſio pertineat; ac ad Melchizedeci denique inſtitutum, qui, in Euchariſtiæ typum, pane & vino fecit, originem ſuam referunt. Nam 1. Chriſtus, cum verba iſta proloqueretur, nec ſacerdotem ipſe egit, nec ſacerdotes alios inſtituit. Paulus enim, verborum dominicorum optimus interpres, de cœna facienda illa interpretatur, & ad fideles omnes ex æquo refert. 1. Cor. 11: 25, 26. & 10: 16.

Digitized by Google

10: 16. 2. Et mirum vero eſt, Chriſtum non poſſe eſſe ſacerdotem æternum, niſi homines peccatores in iſtam quoque dignitatem admittat, qui Chriſti vice fungantur, atque ipſum in terris quotidie offerant: cum contra, eo quod ſacrificatura ipſius perennis & ἀπαράβατος ſit, ſucceſſores, & miniſtros, & vicarios omnes excludat. Quæ Aaronicæ præfecturæ ratio erat; a qua Chriſti ſacerdotium longe diverſum eſt. Cum Chriſto non magis ſacerdotes vicarii dari, quam ſacrificium vicarium in Eccleſia exiſtere poſſit. Nec minorum ac ſecundariorum ſacerdotum color juvat; cum illi non minus quam ſecundarii mediatores & ſponſores, teſtatores, excludantur. 3. Tandem Melchizedechum quod attinet, ipſum lagano vel placentula feciſſe, mera fabula eſt; quam nec primores inter adverſarios credunt; qui Gen. 14. in verbis הוציא &c. non ſacrificium, ſed convivium, agnoſcunt. Paulus certe, qui omne Melchiſedeci myſterium Eccleſiæ aperuit, iſtam panum ac vini oblaturam ignorat. Neque enim iſto modo ille typum Chriſti geſſiſſet, quod tamen vel maxime urgent adverſarii: cum ille non panem vel vinum, ſed ſe ipſum in cruce obtulerit, atque ita ſacerdotem ex Melchizedeci ordine egerit. Ut ipſum quoque Melchizedechum, non ſine victima & ſanguine, ſacerdotem egiſſe, certum ſit. Alioqui enim & Chriſtus, in ſacerdotium ejus ſuccedens, ſolo panis ac vini libamine munus ſuum abſolviſſet. Unde jam patet, non ſine ſacrilegio Romanenſes iſtum ſacerdotii honorem ſibi rapere, & reliqua Eccleſia ſeſe ſanctiores ferre; quin, ſi Deo placet, Deum inter, hominesque veluti medios, quandam generis humani procurationem ſibi ſumere; atque injuſſos munus iſtud ultro ſibi arrogare. Quæ ultra Core, Dathanis, ac Abironis ſcelus eunt; quod tam ſevere olim Deus vindicavit. *Qui dicunt, accede ad te* (ſive, *contrahe te*) *ne tangas me, quia ſanctus ſum tibi: hi ſunt fumus in naſo meo, ignis ardens toto die.* Eſai. 65: 5.

XIX. Ultro autem ſequitur, ſi nec ſacrificium externum, nec ſacerdotes, in N. T. dentur, nec aras & *altaria*, cæterumque ſacrificiorum apparatum, ibi eſſe. Figurata enim ſunt, & de Chriſti ſolius morte ac ſacrificio intelligi debent, quæ occurrunt, Hebr. 13: 10. *Habemus altare, ex quo edendi poteſtatem non habent, qui tabernaculo ſerviunt.* Apoc. 6: 9. *Vidi ſub altari animas mactatorum proter ſermonem Dei*, Apoc. 8: 3, 4. *Alius Angelus venit, & conſtitit apud altare, habens thuribulum aureum* &c. Improprie autem, & incaute nimis in veteri Eccleſia menſæ Euchariſticæ altaria dici, & eſſe paulatim, cœperunt. Conf. ſupra Cap. 10. §45.

Tollutur quoque altaria ſub N. T.

Digitized by Google

Adverſariorum pro ſuo ſacrificio argumenta, XX. Adferunt adverſarii, pro tuendo Eccleſiæ ſuo ſacerdotio & ſacrificio, tum *typos* Veteris T. tum *vaticinia;* tum *loca quædam Novi Teſt.* ac denique *Veterum* auctoritates. Quæ nos brevi reſponſo tranſmittemus.

ex Teſt. Vet. XXI. Inter *typos* Euchariſtiæ ſacrificium adumbrantes, numerant Melchizedeci oblationem, Agnum paſchalem, ſanguinem in Vet. Teſt. dedicatione fuſum, Exod. 24:8. tum & alia ſacrificia, Lev. 1. &c. præſertim paupertinum illud, in ſimilæ oblatione, quod ipſi incruentum vocant, Lev. 5:11. Quæ omnia cum & typi Euchariſtiæ, & ſimul ſacrificia, fuerint; in Euchariſtia quoque ſacrificari debere contendunt. Quod eodem modo procedit, ac ſi urgerem, in precibus Chriſtianorum quoque ſacrificium proprie dictum peragi; quod veteris templi libamina, ſuffitus, ac odoramenta, quæ in ſacrificiorum numerum veniebant, illas adumbraverint. Pſal. 141: 2. Apoc. 5:8. Sed nos de typis illis, quos appellant, alias reſpondimus. Hoc ſolum in genere addimus, illos non panis Euchariſtici, ſed ſacrificii Chriſti, in cruce oblati, figuras extitiſſe. Non enim, ut ante obſervavimus, ſacramenta Veteris Teſtam. typi erant ſacramentorum noſtrorum; ſed & hæc, & illa, erant antitypa, & ejuſdem corporis imagines & umbræ, & radii, corpus nunc antecedentes, nunc conſequentes, pro varia Eccleſiæ luce, & diverſo ſolis juſtitiæ ſitu.

XXII. Alterum argumentum ex variis prophetarum locis contexunt: ubi *altaris*, & *incenſi*, *& mincha* ac *oblationis mundæ*, ſub Nov. Teſt. offerendæ, fit mentio. Quo referunt Eſai. 19:21. Dan. 8:11. & 12:11. ac præſertim Mal. 1:11. Cum tamen manifeſtum ſit, in locis iſtis Prophetas de ſpirituali Dei cultu; deque fide in unicum Chriſti ſacrificium, poſt Euangelii promulgationem, inter gentes *omnibus locis* propaganda; deque Gentium ipſarum oblatione per Apoſtolorum miniſterium, agere: atque iſta vocabulis, ex veteris temporis cultu deſumtis, adumbrare; ac proinde figurate ipſorum dicta accipi debere. Præſertim cum iidem alibi externa & materialia ſacrificia in Novo Teſt. non inſtauranda, ſed abolenda, clariſſimis verbis prædicent.

& Novo. XXIII. Nec felicius concludunt, quæ ex Novo Teſt. adferunt. *Adoratio* enim *in Spir. & veritate*, remotis veteris templi velis ac umbris, de qua Joh 4:23. in miſſam certe non convenit; cum iſtud ſacrum etiam Judaicis ſacrificiis operoſius ſit. Magis autem in illam quadrant proxima Chriſti verba: *vos adoratis, quod neſcitis.* 2. Nec Chriſtus ipſe in Cœna ſacrificabat, cum corpus ſuum frangi, & ſanguinem effundi, dice-

dicebat. Iſta enim temporis enallage rei certitudinem indicat, cum mors ejus proxime inſtaret, jamque certa & decreta foret. Conf. ſimilem phraſin Joh. 10: 15. *Animam meam pono pro ovibus.* & 17: 11. *Et ego non amplius ſum in mundo, & hi in mundo ſunt, & ego ad te venio.* 3. Similiter nec Apoſtolos ſacrificare jubebat, per verba, *hoc facite*; ſed, Paulo interprete, ſacras epulas, in emortualis iſtius Cœnæ memoriam, inire jugiter ſuadebat. 4. Neque procedit ratiuncula, ex 1. Cor. 10: 15 &c. ubi menſa Domini cum menſa dæmoniorum comparatur: unde utrobique ſacrificales dapes, & ſacrificium, dari concludunt. Quod nimium eſt. Nam ſimpliciter tantum dicit Apoſtolus, niminem menſæ dominicæ, & epularum in idoleo participem eſſe poſſe. 5. Præcipue iſtant in loco Act. 13:2. ubi ex voce λειτουργούντων, primos illos Eccleſiæ doctores miſſificantes introducunt. Quod Pædagogorum ferulam meretur. Cum vox λειτουργεῖν latiſſime pateat, nec certum aliquod miniſterium dicat. Confer Luc. 1:23. Hebr. 9:21. & 10: 11. & 8: 1, 2. & 1: 14. Rom. 13: 6 Phil. 2: 25, 30. Rom. 15: 27. Quænam autem Apoſtolorum λειτουργεία & quodnam miniſterium fuerit, ex com. 2. & 3. *Illis autem jejunantibus* &c. & Rom. 15: 16. *Ad hoc ut ſim miniſter Jeſu Chriſti apud gentes: operans Euangelio Dei, ut oblatio gentium fiat accepta, ſanctificata per Spir. S.* apparet.

XXIV. Denique non plus in Patrum auctoritate præſidii habent: qui ut auguſtius de ſacramentis ſolebant loqui, S. Cœnam ſacrificium appellabant; non Pontificio ſenſu, ac proprie, ſed alias ob cauſas. 1. Ob præcipuum S. Cœnæ ſcopum ac finem; quia ea publica ſacrificii Chriſti commemoratio erat; ac nihil niſi mors ac oblatio Chriſti in ea audiebatur, ac repræſentabatur. 2. Quia preces & hymni, quæ ſacrificii nomine apud ſacros Scriptores veniunt, ibi offerebantur. Quod Tertulliano eſt, *ſacrificare pura prece* &c. Unde incruentæ oblationis appellatio; oppoſite ad cruenta veterum ſacra. Cyrillus ἀναιμάκτους θυσίας & δοξολογίας dixit. 3. Accedebant ad ſpiritualia illa ſacrificia, poſt ſecundum à Chriſto nato ſæculum, etiam dona, & oblationes externæ panis & vini, & aliarum reum; tum in ſacri epuli uſum, tum in pauperum alimoniam. Quæ Apoſtolus *hoſtiæ, Deo acceptæ*, nomine dignatur. Hebr. 13: 16. Phil. 4: 18. Ex quibus oblationibus, hoſtiæ primum nomen, deinceps vero ejus expiatoria quoque vis Euchariſtiæ hæſit; ſicut & ex recitatione nominis illius qui obtulerat id, unde parabatur Euchariſtia, oblatio & valor miſſæ pro aliis, tam vivis, quam defunctis, ſuborta ſunt. 4. Denique *ex Patribus.*

Digitized by Google

que ad Chriſtianæ religionis decus, & S. Cœnæ myſterium extollendum, appellatio illa faciebat: ut Ethnicorum criminationibus obviam iretur, qui nullum religionem ſine ara ac ſacrificio intelligebant. Paulatim vero, obſoleſcente veritatis doctrina, hæ figuratæ locutiones errori anſam præbuerunt, & Cœna in ſacrificium; Paſtores, in ſacerdotes; menſæ, in altaria; ac corporis Chriſti ſigna, horrenda μεταμορφώσει, in ipſum corpus Chriſti tranſierunt, omniaque ad ſacrificii formam compoſita ſunt. Quam Helenam iſti Parides ut ſibi lucroſam fovere, utque novos amatores alliciat, quocunque fuco linere non deſinunt.

III. Hoſtia

XXV. Sed non ſubſtitit hic error. Tandem enim ſacramentum hoc, quod tot ſpoliis, & direptis ex Chriſti corpore exuviis auxerant, in idolum in Eccleſia erexerunt. Qui ſummus erroris gradus eſt. Ita ut panis ipſorum venenum ſit; cum non manducetur ſolum, ſed & adoretur.

Elevatio

XXVI. Primum autem ſacerdos hoſtiam a ſe adoratam *elevat*, & concioni ſpectandam exhibet: quæ, ad id ſpectaculum religione percuſſa, prono vertice terram tangit, præſcribente id Honorio 3. circa ſæculum 13. Quanquam enim apud veteres, poſt plura demum à Chriſto nato ſæcula, conſecratus panis religioſo ritu in altum levaretur, quod à more Judaico, in ſacrificiis quibuſdam uſitato, hauſtum quidam putant, adgeniculatio tamen & adſtantis coronæ religioſa inclinatio non ante Honorii tempora obtinuit.

& Adoratio.

XXVII. Elevatum, & in alto expoſitum, panem univerſa deinde concio adorat. Quod, contra Chriſti & Apoſtolorum inſtitutum; contra veteris Eccleſiæ conſuetudinem (cujus hæc ſollemnis formula, *ſurſum corda*) originem ſuam Romanorum Pontificum ſuperſtitioni debet. Qui, poſt conſtitutum Tranſubſtantiationis dogma, corpus illud Chriſti, ex farina præſtigioſa metamorphoſi factum, publice adorari, eodemque cultu, qua S. S. Trinitatem, affici præceperunt. Atque hæc Honorii, uti diximus, qui poſt Innocentium tertium ſedit, qui Tranſubſtantiationem A. C. 1215. canoniſavit, præcipua laus eſt. Cui Urbanus IV. non leve incrementum dedit, inſtituto ſacrilego illo, quod corporis Chriſti vocant, feſto. Qui corruptelarum circa hoc ſacramentum veluti apex eſt: dum panis ille, quem Chriſtus frangi, diſtribui, manducari præcepit; non ſine pompa oſtentatur, circumgeſtatur, & adoratur. Atque hoc videl. eſt Cœnam facere, & convivantium in morem accumbere, quod Chriſtum & Apoſtolos feciſſe legimus.

Qua idololatria eſt.

XXVIII. Nos autem hoc pacto ſacrilegio & idololatria contaminari Eccleſiam, *Deumque novum*, quam Patres noſtri non noverunt, invehi,

vehi, Dan. 11:38. & furfuraceum denique numen coli contendimus.

XXIX. Nec juvat color, non panem, ſed Chriſtum, qui iſta ſpecie tegatur, ab ipſis adorari: ſaltem in Euchariſtia ipſum præſentem eſſe. neminem negare poſſe: unde quæri ibi ac religioſo cultu propitiari quoque debeat. Verum hæc meri fuci, & meretricia pigmenta ſunt, quibus vel craſſiſſima idololatria obduci, & pro germano Dei cultu produci poſſit. Nam 1. quid vetat & Ethnicos, unctum in trivio lapidem adorantes, ita excipere: non ſaxum ſeſe colere, vel ſtatuam, ſed vim divinam in ea hoſpitantem; Deumque ipſum in corpore iſto ſuo (ita enim de ſtatuis ſapiebant) præſentem. 2. Sacramentum autem a Pontificiis adorari, idque honore proſequendum, publica Eccleſiæ iſtius vox eſt; dum in Tridentino Concil. latriæ cultum, qui vero Deo debetur, illi quoque ſacramento habendum ſciſcunt, ſeſſ. 3. cap. 6 Sacramenti autem appellatione panis & vini accidentia comprehendi, ipſi fatentur. Unde idololatriam non effugiunt, non panem, ſed panis accidentia & ſpecies adorantes. Certe populum ipſorum illud, quod corporeis oculis in ſacramento uſurpatur, quodque cerni & tangi poteſt, adorare, & palam Deum Dominumque ſuum vocare, nec id ab ipſis culpari, in propatulo eſt. 3. Et ſi vel Chriſtum adorare ſe perhibeant, qualis videl. in ſacramento illo eſt; ille non alius Chriſtus eſt, quam ex farina coctus, non qualis de matre virgine prodiit: atque ita falſus ille Chriſtus eſt, non ſine ſacrilegio adorandus. Adorant nempe aliquid, quod Chriſtus non eſt, ſed idolum. Unde, cum verum objectum cultus mutetur, formaliter hic idololatria eſt. Quod palpabile eſt. 4. Quibus accedit, quod ipſi panem, ſub quo Chriſtum præſentem credunt, poſt adorationem, manducant. Quæ eo magis execranda eſt idololatria, infidelibus inaudita, ipſique maxime ſcandaloſa. 5. Sed &, ſi revera præſens ibi eſſe Chriſtus intelligatur, id de corpore ac cadavere ipſius intelligendum eſſet. De divina enim ejus natura quæſtio nulla eſt. Corpus autem vel cadaver Chriſti, quod mera creatura eſt, per ſeſe divino honore coli, religio non fert. 6. Chriſtum autem corporaliter ibi præſentem eſſe, jam ante ſuſtulimus. Nec errorem iſto prætextu minuunt, ſed augent: dum Chriſtum non ſolum, verbis quibuſdam, in Cœna præſentem ſiſtunt; ſed & ut præſentem, quanquam abnuentibus omnibus ſenſibus & ratione, quam ejurare coguntur, adorant. Qui jam non ſimplex error, ſed idololatria eſt, qua priorem errorem cumulant. 7. Quod autem Chriſtus in Euchariſtia peculiariter præſens ſit, id rite intelligendum eſt. Non

Digitized by Google

enim de elemento illud, vel pane vel vino, intelligendum eſt, quaſi ſub eo quærendus Chriſtus foret: ſed de ſacra illa actione, & S. Cœnæ uſu, accipi debet. Atque ita Chriſtum in Euchariſtia adorandum, inque ſymbolorum iſtorum uſu fide quærendum & amplectendum fatemur. Quæ tamen ab elementorum ſuperſtitione procul abeunt. 8. Omnibus autem iſtis fucis ac præſtigiis opponimus ſanctiſſimas Chriſti admonitiones: *Mulier, crede mihi, quod veniat hora, quum neque in monte hoc, neque Hieroſolymis, adorabitis Patrem. Sed venit hora, & nunc eſt, quum veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate*, Joh. 4: 21,23. *Itaque, ſi dixerint vobis, Ecce, in deſerto eſt; ne egredimini: Ecce in conclavibus, ne credite. Sicut enim fulgur erit ab Oriente, & apparet uſque in Occidentem, ita etiam erit adventus Filii hominis.* Matth. 24:26. Quibus docetur, Eccleſiam, jam ab omni locorum religione liberam, non ad aram, vel templum, vel quemcunque locum, preces ſuas affundere neceſſe habere: cæremonialem enim ad certa loca, & ſigna, quæ religioſum reſpectum habeant ad rem ſignatam, adorationem nunc ceſſare; nec Deum certo jam in loco quæri velle, ut olim; nec memoriale ſuum, ac numinis veluti præſentiam, alicui loco vel ſymbolo affixiſſe: contra autem, Chriſtum jam in cœlo eſſe, ibi eum quærendum; &, cum terra univerſa ex æquo vel ſancta, vel profana, nobiſque vel patria, vel hoſpita, ſit, ad cœleſtem illam patriam unice ſuſpirandum & properandum, abdicata omni cujuſcunque terræ, vel terrarum anguli, amore ac religione.

Hoſtiæ hunc in finem aſſervatio.

XXX. Adorationem ſequitur hoſtiæ *aſſervatio*. Solent enim ſacratum panem, in ornata ciſta, ad cultum in templis proponere; & cum religioſa pompa per vicos deferre; ac, ſollemnioribus feſtis, theatralem in modum, circumgeſtare, canticis interim & Pſalmis compita celebrantes. Quæ & ſacramenti naturæ repugnant, quod in ſolo uſu, & panis fractione, ac manducatione, conſiſtit; extra quam nulla ſigni analogia, ac nullum ſacramentum eſt, & Chriſti inſtituto, & antiquæ Eccleſiæ exemplo, refragantur: ac gliſcenti denique idololatriæ non exiguum commeatum exhibent, tandemque inexplicabilibus difficultatibus cauſam præbent; ut ex Scholaſticorum diſputationibus, de corruptis forte vel arroſis ſpeciebus, patet.

Miſſa ergo ſacrificio & cultu ſuo exe-

XXXI. Ex hiſce omnibus patet, quam vere a Catech. Heidelb. q. 80. concludatur, *ipſum Miſſæ fundamentum nihil aliud eſſe, quam abnegationem uniti illius ſacrificii & paſſionis Jeſu Chriſti, & execrandam idolola-*

lolatriam. Specie enim ſacrificii Chriſti, Patri quotidie offerendi,exco- *cranda eſt*
gitatum hic fuit, diaboli aſtu, ſacrificium falſum & idololatricum, unice *idolola-*
comparatum ad abolendum verum Chriſti ſacrificium,& exſtirpandum *tria.*
omnem ejus vim & memoriam. Hi nempe ſunt illi, *Qui inſtruunt Turmæ menſam, & implent Numero crama.* Eſai. 65: 11. Ut vere in illud quadret, quod de Gentilium ſacrificiis ex Moſe docet Paulus 1. Cor. 10: 20. *Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo: nolo autem vos conſortes dæmoniorum eſſe.* Ut ſi ullibi, hic certe neceſſaria ſit aurea Apoſtoli Johannis gnome & cautela: *Filioli, cuſtodite vos ipſos ab idolis.* 1. Epiſt. 5: 21.

CAPUT XVI.

De Sacramentis ſupernumerariis.

I. HActenus de germanis & legitimis Eccleſiæ ſacramentis, quæ ſola in Scripturis reperiuntur, & a veteri Eccleſia agnita fuerunt. Quanquam latius aliquando ſacramenti nomen uſurpaverint, & cuicunque myſterio, & ſigno, ac ritui ſacro illud accommodaverint. Qua ratione innumera forent ſacramenta. *Sacramentis Chriſti Latini adjecerunt ſua ſupernumeraria*

II. Eccleſia Romana ſeptem numerat ſacramenta. Qui numerus primum apud Hugonem de S. Victore occurrit, A.C. 1130. Quem ſecutus Lombardus, illum ſequentis ſcholæ Doctoribus tradidit. Confirmavit eum Eccleſia in Concilio Florentino. Quanquam non adeo explicate ea omnia proprie dicta eſſe ſacramenta, nec plura reperiri, definierit. Quæ Concilium Tridentinum addidit. Mittimus autem lepidas eorum probationes, & de ſeptenario luſus. *Septem.*

III. Erroris occaſio fuit, 1. quod ritus quoſlibet ſacros, & actiones, in quibus aliquid myſterii exiſtere putabant, temere nimis in ſacramenta commutarunt. Quæ præcipua erroris cauſa fuit. Hinc omnium illorum ortus debetur χειροθεσίᾳ, ſeu manus impoſitioni. 2. Quod ex κακοζηλίᾳ, quæ miraculoſe ab Apoſtolis patrabantur, ea perpetua in Eccleſia eſſe voluerint; & cum miraculum non ſequeretur, myſterii nihilominus cauſa obſervari. 3. Quoſdam etiam ritus, & ſacramenta, ex metaphoris in Scriptura uſitatis, de novo fabricarunt. Cumque mera *Erroris occaſio.*

verba,

Digitized by Google

verba, & loquendi modi, eſſent, in cæremonias ea tranformarunt. 4. Lapſi denique ſunt in vocis *Sacramentum* uſu; quod vulgatus interpres pro quolibet myſterio ponit.

Quæ generatim refutantur; IV. Nos autem adoptiva iſta ſacramenta, quæ furto in nominis illius dignitatem irrepſerunt, non agnoſcimus, cum omni Scripturæ auctoritate careant; nec ſigna ſacra ſint, nec mandatum divinum habeant, nec fœderis denique gratiæ promiſſionem contineant. Non Eccleſiæ novorum ſignorum cudendorum poteſtatem damus. Multo minus ut adulterini quidam ritus divinis ſacramentis, non ſolum æquandi, ſed & anteponendi ſint, ut quibuſdam eorum in Papatu contigit. Sed operæ pretium erit hæc Eccleſiæ Romanæ additamenta per partes luſtrare.

& ſpeciatim 1. CONFIRMATIO. V. Baptiſmo immediate ſubjungunt *Confirmationem*. Quam Epiſcopus miniſtrare ſolet jam baptizatis, ſed ætate provectioribus: quorum frontibus, certis verbis ac ritibus, olei vel balſami liquorem allinit; unctoſque leviter alapa cædit; in Chriſtianæ militiæ rudimentum. Effectum ejus dicunt, quod ita initiati novum robur, novumque Spiritus incrementum accipiant, atque ita auſpicato in ſacram militiam immittantur.

Illius origo & confutatio. VI. Originem iſtius ritus vetuſtiores ex Scholaſticis concilio Meldenſi adſcribunt. Alii autem Chriſma illud ad ipſo Chriſto, vel ab Apoſtolis inſtitutum ferunt. Atque huc adferunt, quæ de Spiritus effuſione, ac impoſitione manuum in Scriptura occurrunt. Luc. 24:28. Joh. 14:16. & 15:26. & 16:13. Act. 1:5. & 8:17. & 19:6. Quorum illud promiſſionis, hoc ſigni vicem habeat: mandatum autem ex ipſa Eccleſiæ illius praxi colligunt. Sed vana hæc ſunt. Nullibi enim in iſtis locis vel olei, vel balſami, vel cæterorum rituum, in hoc ſacro adhibitorum, vel chriſmationis denique alicujus mentio fit: neque illud in Eccleſia primitiva, niſi ſæculo demum ſecundo, eoque præcipiti, exſtitit. Impoſitio autem manuum, quæ ab Apoſtolis uſurpata legitur, ad dona extraordinaria ſpectabat. Miraculum vero in ſacramentum ordinarium convertere nefas eſt. Quicquid enim autem efficaciæ illi adſcribitur, baptiſmi ſpolium eſt; quo ſolo Chriſtiani renaſcuntur, & divino Spiritu imbuuntur, ad bella Domini gerenda. Nec alio ad iſtam rem auſpicio, aliove ad Chriſtianam militiam ſacramento, opus eſt.

VII. Veteres quod attinet, illorum chriſma ritus erat, baptiſmo adjunctus; quem in peculiare ſacramentum, quod multis poſt baptiſmum annis plerunque miniſtratur, ac diverſam ſignificationem ac effectum habet,

habet, Romana Eccleſia commutavit. Quod ſenſim factum eſt. Dum unctio illa paulatim a baptiſmo ſeparari cœpit: cum vel ab hæreſi venientes, non novo baptiſmo, ſed unctione, vel manuum impoſitione, in Eccleſiæ communionem reciperentur; vel qui, urgente neceſſitate, a laicis, vel alioquin a Diacono aut presbytero baptizati erant, poſtea ab Epiſcopo (cui videl. ſoli novos Chriſto milites legere fas erat) vel ungerentur, vel manu ſimpliciter impoſita confirmarentur. His enim aliiſque occaſionibus paulatim ille ritus a baptiſmo divelli, & tandem, augeſcente ſuperſtitione, pro ſingulari ſacramento haberi cœptus eſt.

VIII. Sequitur lapſorum ſacramentum, quos per *Pœnitentiam* rurſus reconcinnari, & commiſſorum veniam adipiſci ajunt: atque eſſe hoc alterum peccatis expiandis ſacramentum: ac, ſicuti per baptiſmum labes originalis abluitur, ita per pœnitentiam quotidianos lapſus deleri. Nos pœnitentiam Deo gratam, ac Eccleſiæ mandatam, concedimus: ſacramentum eſſe negamus; cum externo ac divinitus inſtituto ſymbolo, & ſacramentali materia ac forma careat. II. POENITENTIA.

IX. Mirum vero eſt, illos in hac re nugantes audire. Pro *materia* enim, non externum ac viſibile aliquod, & ne miniſtri quidem ſacramentum miniſtrantis, ſed ipſius pœnitentis actus adferunt, uti contritionem, confeſſionem, ſatisfactionem. *Formam* ejus in verbis ſacerdotalibus, Ego abſolvo te, conſtituunt. Et, pro *inſtitutione* Chriſti probanda, loca quædam, ad morum emendationem, vel ſervandam in Eccleſia diſciplinam, facientia adjiciunt. Matth. 3:1. Marc. 1:15. Matth. 16:19. & 18:18. Joh. 20:22. Quæ nos univerſa quam veritatem habeant, & quomodo ad ſacramentum tale conſtituendum faciant, alia occaſione latius excuſſimus, libro videl. VI. cap. IX. ut ea repetere nunc neceſſe non ſit. *Quam inepte ſacramentum faciunt.*

X. Sed & *Ordines* Eccleſiaſticos in ſacramenta convertunt. Quos ſeptem numerant. De Epiſcopali enim ordine, deque tonſura ſimplici inter ipſos lis eſt. Unde certis ritibus ac ſymbolis eos conferunt, quos materiam hujus ſacramenti nuncupant; & divina chariſmata accipientibus imprimere aſſerunt. Inſtitutionem autem divinam, adjunctumque ritum, & ſymbolum probant ex locis ſequentibus. Act. 13:3. *Et poſtquam jejunaſſent, & oraſſent, impoſuerunt eis manus, & dimiſerunt eos.* & 20:28. *Attendite ad totum gregem, in quo vos Spiritus ille S. conſtituit Epiſcopos, ad paſcendam Eccleſiam Dei.* coll. Eph. 4:11. & Joh. 20:21. *Quemadmodum me miſit Pater, & ego mitto vos. Et, hoc dicto,* III. ORDO.

cto, inſufflavit in ipſos. Et dicit eis, accipite Spir. S. Act. 6:6. *Quos ſtatuerunt in conſpectu Apoſtolorum. Qui, precati, impoſuerunt eis manus.* & 14: 23. *Χειροτονήσαντες δὲ ἀυτοῖς πρεσβυτέρȣς κατ᾽ ἐκκλησίαν, cumque precati eſſent, cum jejuniis, commendarunt eos Domino, in quem crediderant.* 1. Tim. 4: 14. *Ne negligas donum, quod eſt in te, quod tibi datum eſt, per prophetiam, cum impoſitione manuum presbyterii.* conf. 2. Tim. 1:6.

Qui proſcribitur. XI. Ad quæ nos regerimus: 1. Agnoſcere nos miniſterium verbi a Chriſto inſtitutum; non vero ordinem aliquem ſacrum, peculiari in Eccleſia charactere fulgentem, quique cum imperio & poteſtate in ea agat, & ſuper reliquos fideles peculiari ſanctitate emineat. Quæ veteris temporis fuerunt. Multo minus ut novum ſacerdotium, novumque ſacrificium, introduci feramus. Quod Antichriſti commentum paulo ante profligavimus. 2. Agnoſcimus pariter, ritum impoſitionis manuum vetuſtiſſimæ in Eccleſia originis eſſe; & a Patriarchis olim, & Moſe, in legendo ſucceſſore, & ab Apoſtolis in miniſtris Novi Teſt. conſecrandis adhibitum: non tamen ritum illum ſacramentalem, vel novæ Eccleſiæ ſacramentum eſſe, concedimus. Uti nec in veteri fuit. Nam & divina Chriſti inſtitutione, & elemento externo, & gratiæ ſalutaris promiſſione caret. Cum non eadem beneficia vel præbeat, vel obſignet, quæ reliqua ſacramenta; ſed ad ſummum docendi auctoritatem conferat, quæ & ipſa abſque ritu illo acquiri quoque poteſt, ac cum ſacramento nihil commune habet. 3. Multo minus in ſacramentorum cenſum venire poſſunt Eccleſiæ Pontificiæ ordines: qui fere idololatrici ſunt, & ad miſſatici ſacrificii drama ſpectant; & tanto præterea numero fabricantur, ac tam diverſis inter ſeſe ritibus conſtant, ut ne unius quidem ſacramenti nomine comprehendi poſſint. Atque ita etiam de cærimoniis, & ritibus, quibus ea miniſtrant, de raſura, unctione, additiſque certis verbis, aliiſque nugis & næniis, in quibus ſacramenti hujus materiam conſtituunt, exiſtimandum eſt. 4. De impoſitione autem manuum Apoſtolica jam diximus; atque illos Euangelii miniſtros ordinaſſe, non autem poteſtatem offerendi corporis dominici illis tribuiſſe, vidimus. 5. Denique & vetus Eccleſia illos ordines ignoravit, Presbyteris ſolum & Diaconis contenta.

IV. MATRIMONIUM. XII. Ut vero nullus Eccleſiæ ſtatus ſacramentis careret, non ſolum perſonis ſacris, ac in caſtitatem votis, peculiarem ſanctimoniam, ac proprium ſacramentum adſcripſerunt; ſed & extra illum ordinem degentibus

Digitized by Google

bus conjugale ſacrum pro ſacramento dederunt; quem ſtatum alioqui ut non omni labe carentem criminari alibi ſoliti ſunt.

Quod pariter extra ſacramentorum cenſum ponitur.

XIII. Nos autem 1. in matrimonio ſpiritualis Chriſti cum Eccleſia connubii imaginem concedimus. Quod Apoſtolus monet Eph. 5:31, 32. qui id *myſterium* appellat. *Loquitur autem de Chriſto & Eccleſia*, com. 32. non de externo matrimonio. Cum autem vulgatus interpres Græcam vocem per *Sacramentum* redderet, quod etiam aliis in locis facit, 1. Tim. 3:16. Eph. 1:9, 10. & 3:4,5,6. Apoc. 17:5,7. id non levem errori huic cauſam præbuit. Et, non doctrina illa, quam tradit Apoſtolus de Chriſto & Eccleſia, pro fidei Chriſtianæ ſacramento & myſterio; ſed ipſum matrimonium pro externo ſacramento habitum fuit. 2. Nos vero, quod ſacramenti proprie dicti rationem habeat, in eo non videmus. Nam nec inſtitutio Chriſti, nec externum ſignum, nec ſalutaris gratiæ obſignatio, quæ ſola ſacramentum faciunt, in eo reperiuntur. *Inſtitutum* enim a Deo matrimonium, ac ab initio mundi viguiſſe, concedimus; in ſacramentum autem a Chriſto ſub Euangelio datum oſtendi petimus. Loci enim Apoſtolici *παρερμηνείαν* proxime tetigimus. Pariter & ſignum, ac *elementum externum*, in eo deſideramus: quod, ut aliquid dicant, perſonas contrahentes, vel verba conſenſum teſtantia, non ſine ſententiarum pugna, eſſe dicunt: cum verba nihil viſibile, perſonæ autem potius ſacramenti ſubjectum recipiens ſint. Denique & *gratiam ſacramentalem* ab hoc ſacramento abeſſe contendimus. Non ſufficit enim, ſpiritualem Chriſti cum Eccleſia unionem conjugali vinculo aſſimilari. Alioquin quotquot in Scriptura ſimilitudines & parabolæ proponuntur, Eccleſiæ ſacramenta eſſent. Unionem autem illam, ac noſtram cum Chriſto communionem, non minus nuptiis, quam baptiſmo & Euchariſtia, nobis obſignari oporteret. Quod a Scripturis alienum eſt; nec ipſi concedent adverſarii. Quod de remedio contra concupiſcentiam, deque amore conjugali, addunt; illa in conjugio, ex natura ejus, ac Dei inſtitutione, concedimus; non vero hæc ſacramentalis gratiæ nomine veniunt; illa enim non uni tantum peccato opponitur, ſed proprie in peccatorum venia, ac divini Spiritus contra omnia peccata potentia conſiſtit. 3. Sed & ipſi adverſarii in hoc capite circa omnia inter ſe contendunt, & inſociabili lite dirimuntur. Neque etiam ſatis conſona loquuntur, cum connubialia vota pro carnis opere habent; & ſelectioris ſanctimoniæ homines ab iſtis myſticis videl. tædis arcent; imo contrario religionis voto illa ſolvere, ac omne conjugii ſacramen-

tum flocci habere non verentur. Ut nos longe ſanctius matrimonium habeamus, ac illi qui alioquin non ſacrum illud modo, ſed & ſacramentum eſſe, ſtatuunt.

V. UNCTIO extrema, XIV. Succedit tandem morientium ſacramentum, ſive viaticum, quo exeuntes ex hoc ſæculo a reſidua labe purgare ſolent. Quod per *extremam unctionem* faciunt. Solet enim Epiſcopus conceptis verbis oleum quoddam conſecrare, quo ſacrificulus inſtructus moribundos certis ritibus inungit, & expiat, atq; exeunti animæ commeatum præbet. Quod non ſacramentum, ſed inquinamentum eſt; nec a Chriſto inſtitutum; nec a veteri Eccleſia uſurpatum; ſuperſtitioſis denique ritibus ac cærimoniis plenum; quibus vel in morte plebem ipſorum confidere, atque oleo iſto Chriſti ſanguinem non parum obſcurari videmus.

male ex N. T. aſſerta. XV. Nihil enim hic faciunt loca Marc. 6: 12, 13. *Egreſſi igitur illi, proclamabant ut reſipiſcerent* homines: *& dæmonia multa ejiciebant, ungebantque oleo multos ægrotos, & ſanabant.* & Jac. 5: 14, 15. *Infirmatur aliquis inter vos; accerſat presbyteros Eccleſiæ; & orent pro eo, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et ratio fidei ſervabit laborantem, erigetque eum Dominus: quod ſi peccata commiſerit, remittentur ei.* Vel præcipuis ex adverſariis confitentibus. Agunt enim illa de ordinario iſtius ſæculi & gentis medicamine, ſupervenientibuſque illi miraculoſis ſanationibus, juxta dona illa extraordinaria; quæ Eccleſiæ Chriſtianæ primordia illuſtrabant. *ἄλλῳ δὲ χαρίσματα ἰαμάτων alii autem dona ſanationis per eundem Spiritum.* 1. Cor. 12: 9. coll. com. 28. Quorum frequens in Novi Teſt. hiſtoria, mentio. Unde in omnibus morbis, non autem in ultimo demum vitæ limite, & ad corporis præcipue ſanationem, adhibebantur. Quod enim de peccatorum remiſſione Jacobus addit, id de peccatis illis, quæ caſtigationi illi cauſam præbuerunt, proxime intelligendum eſt. *διὰ τοῦτο propterea inter vos multi ſunt infirmi, & valetudinarii & dormiunt multi,* 1. Cor. 11: 30. Quo ſpectat conditionalis illa locutio, *ſi peccata commiſerit.* Quæ tamen, non externæ unctionis ſacramento, ſed oratione in fide facta, delenda dicuntur. Nec alia apud veteres unctio occurrit. Apud quos miraculoſæ illæ curationes pluribus ſæculis perdurarunt. Cum autem nunc donum illud ceſſet, nec in Eccleſiæ miniſtris amplius coruſcet, vanum eſt ejus rei ſymbolum adhuc uſurpare & profanare velle.

Anabaptiſtarum minus XVI. Sed & rejicienda obiter Anabaptiſtarum quorundam ſuperſtitio; qui duobus primariis, uti appellant, Eccleſiæ ſacramentis adjecerunt duo

Digitized by Google

duo minus principalia, matrimonium, & pedilavium; ex mera Chriſti Domini κακοζηλία, Joh. 13. Cum ille, exemplo ſuo, non iſtum proprie actum, ſed humilitatem, & obſequium, & mutuæ charitatis officia, diſcipulis ſuis commendaverit. Ac mirum eſt, eos non & alias lotiones, ac unctiones, Matth. 6: 17. & oſculorum libationes, 1. Pet. 5: 14. alioſque ex Apoſtolica Eccleſia ritus imitari. Qui non magis ſignificatu ſuo caruerunt, quam hæc pedum lotio; quam dominici ſanguinis aſperſionem adumbraſſe non diffitemur. com. 8, 10. Verum eam in perpetuum Eccleſiæ ritum datum negamus, cum regionibus iſtis familiaris, in conviviis ac hoſpitibus accipiendis: conf. Luc. 7: 38, 44. 1. Tim. 5: 10. non pari honeſtate, alias inter gentes, aliiſque terrarum oris, uſurparetur.

principalia ſacramenta.

CAPUT XVII.

De reliquis cultus N. F. Ritibus.

I. SAcramentorum conſiderationi reliquum cultus publici ordinem ſubnectere, utque ille ſenſim immutatus ſit videre, non incongruum erit.

Ritus cultus N. F.

II. Erat autem initio Chriſtiana religio ſola ſimplicitate veneranda ac potens; utpote quæ *Deum in Spiritu & veritate* colit, Joh. 4: 24. quæque geſtus ac ritus ſignificativos pauciſſimos habet, eoſque minime affectatos & maxime naturales, ſine quibus vix pia in homine poteſt eſſe cogitatio; vel qui ab ipſa cogitatione pia procedunt, eamque fovent & excitant: quales in precibus præcipue videre eſt.

a Chriſto inſtituti ſimpliciſſimi.

III. Ac præter ſacramenta, quæ ſimpliciter peragebantur (nam fluviali aqua luſtrabantur fideles. Matth. 3: 1. & 28: 19. ac S. Cœna convivii ſpeciem habebat, Matth. 36: 26, 27.) Sermones ad populum de bona ac ſacra aliqua re lingua vulgari inſtituebantur. Matth. 13: 34, 35. ac precibus denique & benedictionibus abſolvebantur. Matth. 26: 30. Joh. 14. & 15. & 16. & 17. Luc. 24: 30. Nec alterius cultus in hiſtoria Euangelica mentio occurrit.

IV. Iidem Apoſtolicæ Eccleſiæ ritus erant. Legebantur enim *Scriptura*. Act. 13: 15. & 15: 21. & 17: 2. Neque extra eas docere quicquam fas erat. Act. 26: 22. Ad quarum illuſtrationem, & ex ea ædificationem, prophetiæ exercitium obtinebat. 1. Cor. 14: 3. 1. Theſſ. 5: 19.

& tales ab Eccleſia Apoſtolica obſervati.

 Nec

Digitized by Google

Nec alterius quam *vernaculæ linguæ* in ſacris uſus. 1. Cor. 14. Eadem lingua publicas *preces* concipiebant. 1. Cor. 14: 16. & de re ſacra mutuo diſſerebant. 1. Cor. 14. *Pſalmos* quoque & hymnos Chriſto Deo dicebant ſecum invicem. Col. 3: 16. Eph. 5: 19. 1. Cor. 14: 15. Et *Sacramenta*, ex inſtituto Chriſti, nude ac ſine pompa, miniſtrabant. Act. 8: 36. & 2: 41. & 16: 33. & 2: 46. & 20: 7. 1. Cor. 11: 23. Nec ullæ præterea cærimoniæ in piorum cœtibus illo tempore comparent.

Sine ſuperſtitione loci,

V. Aberat autem omnis *locorum temporumque* ſuperſtitio. Cultum enim precum *omni in loco* obibant. 1. Tim. 2: 8. Euchariſtiam primitus in privatis ædibus, *κατ' οἶκον domatim* celebrantes, Act. 2: 46. ſubſequentibus autem temporibus in oratoriis; & tandem baſilicis: quæ ad formam fanorum gentilium deinceps conſtructa, multaque ſuperſtitione labentibus ſæculis fœdata ſunt.

& temporis.

VI. *Tempus* cultus, abrogatis figuris, pro libertate Euangelica obſervabatur ab Apoſtolis & primitiva Eccleſia. Col 2: 16, 17. Rom. 14: 5, 6. Gal. 4: 10, 11. Conventus enim habebantur, ſeu *quotidiani*. Act. 2: 46. ſeu ex occaſione Sabbati Judaici, aliave, pro gentium locorumque ratione; ut paſſim in Actis videre eſt. *Κυριακῆς* ſeu annuæ, ſeu hebbomadariæ, mentio a Johanne facta eſt, Apoc. 1: 10. ut & *μιᾶς τῶν σαββάτων*, qua, cum *panis fractione*, *cœtus* cogebantur, a Luca, Act. 20: 7. quaque *collecta* ad uſum egenorum ſeponi, particulari præcepto, jubebantur a Paulo, 1. Cor. 16: 1. Ordinariis vero fidelium conventibus illam deſtinatam fuiſſe, in Scriptura nullibi legitur: quin potius in contrarium faceret locus modo memoratus 1. Cor. 16: 1. licet admodum probabile ſit, occaſione collectarum a fidelibus iſtis eo die factarum, conventus inſtitutos, & inde, everſa ſub finem iſtius ſæculi politia Judaica, Dominicam conſtanter obſervatam a Chriſtianis; ut e Patrum teſtimoniis abunde conſtat: donec illa tandem principali auctoritate in legem publicam, ſanctiſſimo & maxime obſervando inſtituto, abiit.

Quæ ſimplicitas quomodo adulterata ſit:

VII. Sed non diu placuit illa ſimplicitas. Cum enim ad Eccleſiam aggregarentur diverſa hominum genera, tum Judæi, tum Gentiles; illi veterem ac inveſtem illum colendi Dei modum dedignari; patriſque cærimoniis divinum cultum inſtruere, ac ſacris majeſtatem quandam circumdare, non malo, ut videbatur, conſilio, cœpere. Ac primi numerantur in iſto ſtudio Epiſcopi Romani: qui, dum liberos primum cultus in legem tandem ac neceſſitatem vertêre, & inſtitutis a ſeſe Eccleſiis, quales pleræque in Europæ patribus erant, obtruſere, myſterio iniqui-

Digitized by Google

quitatis inſcii ipſi ac imprudentes operati ſunt. Quanquam ſucceſſores eorum dolum & intellexerint,&ſtruxerint,atque iſtis gradibus tandem ſtupendum illud in omnes Eccleſias ſacrorum regnum erexerint.

VIII. *Prælectio* autem divini verbi in cœtibus,vulgari ac nota lingua, ejuſdemque explicatio, diu in Eccleſia obtinuit; ut ex veterum ſcriptis conſtat. Ac ſub Gregorio M. demum, ac ſucceſſoribus ejus, Caroli M. tempore defecit. Sub quo Latini paſſim ritus, & in ſacris ſermo,invaluerint:ac de Euangelii corpore direptæ quædam particulæ,quæ Eccleſiaſticæ plebi in ordinem prælegerentur. Quod, bono fine inſtitutum, in perniciem tandem Eccleſiæ vertit. Quæ maligne adeo paſta, ac reliquis S. Scripturæ ſpatiis excluſa, nec delicias ejus pleno ore haurire valens, Sabbatinarum quoque iſtarum lectionum tædio duci cœpit; magiſque fabellis, & mendacis, quæ non parce tum addi cœperant,attendens, religionem tandem omnem in ſuperſtitionem convertit. Atque erat tum iſtud tempus, quo, tenebricantibus Eccleſiæ diebus, ad barbariem,triſtemque noctem, quæ omnia tetra caligine induebat, magnis paſſibus properabatur. *I. circa prælectionem verbi.*

IX. Nam & *concionandi* ſtudium, longo tempore in Eccleſiis frequentatum, ut ex Patrum tum Græcorum tum Latinorum homiliis patet, eodem tempore defecerat. Natique tum libri, homiliarum, paſſionale, legendæ, aliique infelices partus, excerptis quibuſdam, ex Scriptura, Patribus, ac hiſtoria Eccleſiaſtica,conſtantes; multiſque fabulis ac mendaciis contaminati; quibus quiſquiliis populus Chriſtianus, loco ſacræ lectionis,doctæque ac piæ Scripturarum explicationis, longo tempore paſtus fuit. Atque, introducto tandem Miſſæ dramate, conciones prorſus neglectæ, inque officio iſto ſacro, ut vocabant, divinus omnis cultus conſtitutus eſt. Niſi quod ingruenti reformationis luci hoc quoque bonum debeat ipſa pontificiorum Eccleſia, quod per eam conciones ſacræ etiam inter ipſos refloruerint. *II. Conciones ſacras,*

X. *Cantus* etiam ſacer diu in primæva ſimplicitate ſtetit; concinente tota Eccleſia,tum virorum, tum mulierum, pueriſque innuptiſque puellis; nec Davidicos modo numeros, ſed & alios hymnos Eccleſiaſticos, reſonante. Quanquam non una ejus in omnibus Eccleſiis ratio erat. Alexandrini enim, auctore Athanaſio, longo illo vocis tractu ſermonem magis quam cantum referebant. Græcæ autem Eccleſiæ dulciores modulos in ſacris admiſerunt, ciendis affectibus. Quorum ſuavitate ductus Ambroſius, illos in Mediolanenſi ſua Eccleſia quoque inſtituit. *III. Cantum,*

Digitized by Google

ſtituit. Unde in reliquas Latinorum Eccleſias pervenerunt. Erat autem cantus ille ſimplex ac intelligibus, nec nimio artificio à templorum uſu alienus.

cum vocalem, XI. Poſtmodum introductæ ſunt *antiphonæ*, duobus choris ſimul concinentibus; quas itidem Ambroſius, à Græcis hauſtas, Latinis tradidiſſe dicitur. Quibus acceſſerunt *reſponſoria*; in quibus, alternis cantantes, alter alteri reſpondebat. Quod Latinorum inventum ajunt. Eccleſiaſticum autem cantum, ita multiplicatum, ordinaſſe fertur Gregorius M. inſtituto certo tempore, horiſque, quas vocant, canonicis. Cumque operoſior foret hæc muſica, ac latina lingua conſtaret, paulatim populus ab ea excluſus, atque iſta etiam ſacri cultus parte orbatus fuit; conſtitutis hominibus, quibus cantorum officium imponebatur.

tum inſtrumentalem. XII. Cum ergo cantus ſacer ita adulteratus eſſet; &, magis ad voluptatem, quam ad religionem, comparatus, theatris aptior eſſet, quam templis; additus denique & organorum concentus; quæ fractis numeris vel choris cantantium interludebant, vel artificioſis modulis vacua templa perſonabant. Quo Papæ Vitaliani inſtitutum ferunt. A.C. 657. Sed falſo, cum ſerius illud obtinuiſſe conſtet. Diſplicebant autem muſæa iſta mele, ac voluptuariæ cantillationes in templis, plurimis viris probis. Donec Deus, inducta reformatione, templi quoque muſicam ad veram ac juſtam rationem reduxit.

Qui poſterior non magis repugnat cultui N.F. quam prior. XIII. Quo moderamine adhibito, utilem etiam in cantu publico dirigendo inflammandoque operam conferunt organa muſica; ut quotidiano Eccleſiarum noſtratium experimento conſtat. Ut nulla ſit ratio, inſtrumenta illa è templis eliminandi, aut muta ſaltem relinquendi; cum longe majori ædificatione phonaſci vicem inter cantus ſacros præſtare poſſent, quam demiſſo cœtu inanibus ſonis vacua templa replere. Neque ulla poteſt dari ratio, cur minus inſtrumentali, ad gravitatem cultus compoſita, quam vocali muſica Deum publice laudari liceat. Quod tantum abeſt ut ſit *ἰυδαΐζειν*, ut hoc ipſum ſit analogiæ præcepti Apoſtolorum obſequi; qui diſerte non vocalem ſolum, ſed & inſtrumentalem muſicam Chriſtianis commendant atque præſcribunt. 1. Cor. 14: 26. Eph 5: 18, 19. Col. 3: 16. Jac. 5: 13.

IV. Tempora, ratione dierum feſtorum, XIV. Idem quoque cultus *tempori* (ne de locis nunc dicamus) accidit. Maxime ſane antiquitatis eſt in Eccleſia Chriſtiana obſervatio diei annuæ reſurrectionis Domini hebdomadali ejuſdem obſervationi fortaſſis tantum non ſuppar, humana tamen potius conſuetudine, quam Apoſtolico

Digitized by Google

ſtolico inſtituto, ut jactatum antiquis, introducta, & incongruo nomine Paſcha dicta: ne de Paraſceues ſollemnibus nunc dicam. Paſcha inſecuta eſt deinceps Pentecoſtes prolixa celebratio. Neque hic finis, donec memoriæ quoque conſecrati ſunt reliqui, qui præcipua Chriſti beneficia referunt, dies. Natalis nimirum ipſius, Epiphaniæ, Aſcenſionis, tandemque ipſius Circumciſionis. Finis enim non eſſet, ſi feſtos dies Virgini genitrici reliquorumque martyrum & Sanctorum choro dicatos prioribus adjicere velim: qui ſequioribus ſæculis tanta turba invecti ſunt, ut dudum mole ſua diſplicuerint fervidiſſimis ipſorum patronis, aliquaque ſui parte non ita pridem à ſacrorum iſtorum rege reſecari opus habuerint.

XV. Quæ dies ut feſtæ lætitiæ datæ ſunt, ita ab alia parte ſtatis diebus ſtationes & jejunia, antehac libera, affixa ſunt; tum hebdomadalia, quibus quarta & ſexta Sabbati præcipue datæ, exempta ſemper dominica; tum annua, quo pertinet paraſceue, & ex illa ſenſim, multa licet cum varietate & ambagibus, nata quadrageſima. Recentioris enim ſunt inſtituti, quæ quatuor anni temporibus, Sanctorum vigiliis, adventus rogationumque diebus addicta ſunt jejunia. Cui dierum diſcrimini, quaſi id non ſuffeciſſet, adjectum eſt alterum ciborum; quod lege neceſſitatis, & ne quid jugo deeſſet, cum opinione meriti, conſcientiis, poſterioribus ſæculis, impoſitum eſt. *& eſurialium.*

XVI. Quibus Latinorum novitatibus ſi addere vellemus reliquam rituum ſacrorum apud ipſos corruptionem, novorumque ſine modo ac fine introductionem, eſſet illud ſane Methuſalemi horas ſupputare. Præcipuos tamen illorum ritus ac cærimonias, quas paucis hiſce ac ſimplicibus, à Chriſto primitus inſtitutis, ſuperaddidere, ſuis locis examinamus. Certe tantum eſt illud cæremoniarum choragium, tantaque ſub *elementis mundi, quibus mortui ſumus cum Chriſto*, ſubjectio, Col. 2:21. ut ſpiritualis ac ſimplex ille N. T. cultus in *γυμνασίαν σωματικὴν* ibi exierit & degenerarit, & inter iſtam elementorum cærimoniarumque molem nudus & egenus Chriſtus tantum non omni vi ſua ſpoliatus ſit. Ita nempe Diaboli aſtus *multorum mentes corrupit a ſimplicitate in Chriſtum*, 2. Cor. 11:3. Ut poſt oculos ſuos & elementa mundi fornicarentur, & ornamenta meretricia, quibus ſe mundo proſtituerent, adſciverint. Ezech. 23:42. Qui eſt mundus ille meretricis magnæ. Apoc. 17:4. *v. Reliquum cultum.*

Cujus puritati & ſimplicitati ideo eo magis ſtudendum.

XVII. Eo igitur magis nobis annitendum, ne ſimplicem cultus noſtri paraturam ſimili adulterio polluamus: ne cum illorum ritibus, ad omnia mala ducentibus, communionem habeamus: ne illos præter verbum multiplicemus, & ex indifferentibus faciamus neceſſarios, cum ſervitute & opinione juſtitiæ, aut cultus, & cum ſubjectione: neve per ritus, quos male quidam vocant indifferentes, Eccleſiæ noſtræ & veritatis hoſtibus aſſimilemur, iiſque conciliemur. Quibus ſcopulis evitatis, circa ritus externos indifferentes non adeo moroſum eſſe decet, neque propter diverſum eorum uſum nemo condemnandus aut averſandus eſt. Cum nihil repugnet, ſub diverſis ritibus eandem latitare fidem; imo illa ipſa varietas rituum libertati Chriſtianæ demonſtrandæ ac conſervandæ egregie conducat: ut hoc nomine, ſi non laudanda, certe ferenda ſit.

L I-

Digitized by Google

LIBER VIII.

DE

Eccleſia N.F. ejuſque ſtatu & fine.

LOCUS QUADRAGESIMUS QUINTUS

DE

ECCLESIA N.F.

CAPUT I.

De Eccleſia N.F. nomine, natura & attributis.

I. POſtquam Meſſiam, ac beneficia ejus, ſacroſque ritus, ac ſigna, quibus beneficia illa hominibus offert & obſignat, conſideravimus; tandem ad Eccleſiam veniendum eſt. Quod ſalutis per Chriſtum procuratæ ſubjectum; atque ultimum Theologiæ noſtræ caput eſt. Huc enim omnia tandem veniunt; atque univerſæ ſalutis opus in homine conſummatur. Cum enim religio omnis, quam nunc tradimus, hominis peccatoris ſit, ac ſalutis adipiſcendæ viam tradat (aliter ac illa, quæ in cœlis obtinebit, ubi in Dei ſolius cultu ac laudibus ea abſolvetur) in hominis tandem atque Eccleſiæ conſideratione finire eam oportet. Præſertim cum aliter vel produci ea, vel cognoſci, non poſſit, quam Chriſti ac beneficiorum ejus cognitione præhabita. Quæ & Apoſtolici, quod appellant, ſymboli formula eſt: quod, poſt traditum ſalutis myſterium, poſtque abſolutas divinitatis perſonas, Eccleſiam tandem introducit; ac, poſt Deum Patrem, illam quoque fidelium omnium matrem conſiderari ac credi jubet. Eſt enim Eccleſia palmarium Trinitatis opus: in qua una univerſa Dei ſapientia

Chriſtum ejuſque beneficia excipit eorum ſubjectum, & ſimul effectum, ECCLESIA.

entia & potentia, ab initio mundi, uſque ad extremum ejus finem, laborat, ac per partes ſeſe ſpectandam præbet.

Quæ in illa conſideranda veniant. II. Nos in ea explicanda iſtum ordinem ſervabimus: 1. naturam ejus & conſtitutionem. 2. ejus regimen ac miniſtros. 3. corruptionem in eam introductam per Antichriſtum. 4. ejus liberationem ab Antichriſto. 5. tandem civitatis Dei finem noviſſimum, conſiderabimus.

1. Nomen. III. Nomen *Eccleſiæ*, quod Eccleſiaſticum prorſus eſt (ut varia in religione Chriſtiana vocabula; quæ apud ſæculares auctores, aut raro, aut non iſto ſenſu, inveniuntur) ἀπὸ τοῦ καλεῖν, ſeu ἐκκαλεῖν, *evocare*, quod affine eſt Hebræo קהל, deductum, populi conventum, cœtum ac concionem dicit; cumque non incompoſitum, vel promiſcue ac tumultuario coëuntem, quo modo accipitur Act. 19:39,40. quæ cæteroquin ἀγορὰ Græcis appellatur; ſed præconis voce, aliove ſigno evocatum. Hic autem ſpecialius cœtum a Deo evocatum, deque mundo ſegregatum, ſignificat. Atque iſtum in ſenſum vox hæc, a LXX. Interpretibus accepta, qui concionem Iſraëliticam iſto vocabulo ſæpe deſignant, a Novi Teſt. ſcriptoribus continuo uſurpatur. Voces ſimiles ſunt πανήγυρις, Hebr. 12:23. συναγωγὴ, Jac. 2:2. ἐπισυναγωγὴ, Hebr. 10:25. quanquam, propinquantibus Eccleſiæ fatis, atque ea anguſtis, quibus hactenus clauſa fuerat, finibus exire geſtiente, ſcriptores Novi Teſt. *Synagogæ* appellationem potius Judaicis cœtibus reliquerint, ac Novi Teſtamenti populum nobiliori *Eccleſiæ* nomine inſigniverint.

Quod varie accipitur. IV. Sumitur autem ea vox, vel *latius*, vel *anguſtius*. Nam & promiſcue omnem Chriſtianum cœtum, qui verbi Dei ac ſacramentorum teſſeram gerit, denotat. Quomodo ea in mundo ſemper conſpicua & viſibilis eſt: nec unquam ita opprimitur, ut in totum eam lux ac fama deficiat. Et ſpecialius pro cœtu regeneratorum, qui ſacrum iſtud depoſitum caſte ſancteque habent, & vera fide ac charitate præfulgent, ſumitur. Quæ interna Eccleſiæ forma cum in ſenſus non incurrat, ac ſola mente percipi poſſit, externis quidem oculis inviſibilis eſt. Denique & partes Eccleſiæ integrantes, ſive Paſtores, ſive oves ſaltem, ſeparatim nomine Eccleſiæ veniunt. Ad præſides enim & ſenatum Eccleſiæ, referri ſolet, licet non undiquaque bene, locus Matth. 18:17. *Dic Eccleſiæ*. De reliquo grege ſunt ſequentia loca: Act. 15:4. *Quum autem perveniſſent Hieroſolyma, excepti ſunt ab Eccleſia, & Apoſtolis, & Presbyteris.* & 20:28. *Attendite igitur animum ad vos ipſos, & totum gregem, in quo vos*

Digitized by Google

vos Spiritus ille S. conſtituit Epiſcopos, ad paſcendum Eccleſiam Dei, *quam ſuo illo proprio ſanguine acquiſivit.* 1. Tim. 3: 5. *Nam ſi quis propria domui præ-eſſe neſcit, quomodo Eccleſiam Dei curabit?* Quanquam plenius ac magis proprie, pro toto cœtu, tum paſtorum, tum ovium, ea vox accipiatur, 1. Cor. 1: 2. *Eccleſia Dei, quæ eſt Corinthi, ſanctificatis in Chriſto Jeſu* &c. 2. Theſſ. 1: 1. Illa præſidum enim & Rectorum Eccleſia, quam *repræſentativam* vocant, fermentum papiſticum habet. Quorum hæc ſententia eſt: vel unum ſingularem hominem, quem Eccleſiæ caput appellant, vel hominum quorundam collegium, ita Eccleſiam omnem repræſentare, ut in ſuo ſenſu ac judicio ſenſum & judicium totius Eccleſiæ contineant, propter auctoritatem. Quæ non exiguam labem habent.

V. Sed conſideranda potius eſt Eccleſiæ *natura.* Quæ in eo conſiſtit, quod ſit cœtus hominum, a Deo e reliquo mundo gratioſe evocatorum, ad cœleſtis gloriæ ſpem ac communionem. *Vocatis, ſanctis.* Rom. 1: 7. *Eccleſia Dei — vocatis, ſanctis.* 1. Cor. 1: 2. *Vocati & electi & fideles.* Apoc. 17: 14. Non ſolum enim æterna electione, ſed & temporali evocatione ad illam conſtituendam opus eſt. Eſtque Eccleſia Dei potiſſimum opus, atque ab eo vocante ac ſegregante unice pendet. Ut non leviter errent Sociniani; qui & æternam electionem, & potentem Dei vocationem, negantes, atque in vocatorum obſequio & acceſſu quicquid iſtius eſt ponentes, omnem de mundo Eccleſiam reipſa tolli poſſe, ſtatuere neceſſe habent. *II. Natura: quæ in vocatione conſiſtit.*

VI. Cum vero vocatio hæc, non externa ſolum in cœtus ac conciones ſegregatio, ſed vera de reliqua mundi fæce ſeparatio, ſit; fidem illa ac obedientiam, reliquumque Chriſtianarum virtutum chorum, in vocatis dicit. Eſtque hæc fides, quatenus in pluribus vocatis eſt, qui exinde in unum corpus cum Chriſto coaleſcunt, interna Eccleſiæ forma; qua ſublata, nihil niſi nuda Eccleſiæ umbra reliqua eſt, quæ tanti nominis dignitatem tueri minime poteſt. Dicit enim procul dubio Eccleſia reſpectum ad Chriſtum, qui corporis iſtius caput eſt. Fit autem artiſſima illa unio ſolo Spiritus amplexu, ac mutuo fidei ac amoris obſequio. Unde & membrorum omnium inter ſeſe communio oritur, & de communi Spiritu (qua tanquam magna mente magnum hoc corpus animatur) ſparſi in totum corpus charitatis, reliquorumque donorum, igniculi & radii; cunctarumque partium ſacrum inter ſeſe commercium. 1. Cor. 12: 4, 13, 14, 20, 25, 26, 27. *Unde illius forma exoritur.*

III. *Partes.*

VII. *Partes* Eccleſiæ quod ſpectat, ridicule Pontificii, uti olim in B. Virgine, ita nunc in ſolo Pontifice, conſiſtere eam ac abſoli poſſe nugantur, Ac ſi numerus in unitate conſiſtere, vel unus civis rempubl. ac cœtum facere poſſet. Ex Adamo autem ac Eva, quam Deus non minus viventium, quam mortalium, matrem fecit, ea olim veluti defonte profecto, porro omnes ſanctæ civitatis cives ambitu ſuo comprehendit.

An ad eam referendi Angeli?

VIII. *Angeli*, quanquam ad familiam Dei pertineant, & *electi* ſint, 1. Tim. 5:21. cum tamen è mundo non evocentur, nec de veteri labe purgari neceſſe habeant, nec denique Chriſto redemtore indigeant, ad hanc conſiderationem non ſpectant. Alium enim illi fatorum ordinem ſortiti ſunt, aliiſque ſub legibus ævum agitant, ac procul a terrenæ labis contagio ſemoti, in cœleſti aula deſtinato munere perfunguntur. Dicunturque fideles, poſtquam ſuum orbem impleverint, ac perpurgati fuerint, ad ſocietates ipſorum olim adducendi. *Acceſſiſtis ad montem Zion, & civitatem Dei vivi, Hierusalem cœleſtem, & myriadas angelorum, conventum univerſalem, & concionem primogenitorum, qui conſcripti ſunt in cœlis* &c. Hebr. 12:22.

An hypocritæ?

IX. *Homines* autem non omnes ad Eccleſiam pertinent, ſed electi ſolum, ac è mundo evocati. Unde & Eccleſia ſancta dicitur, utpote quæ cum ſacrificio, Hebr. 1:10. tum verbo ac Spiritu Chriſti, ſanctificata eſt 1. Cor. 6:11. Eph. 5:25, 26, 27. Nec in cenſum hunc veniunt reprobi & *hyprocritæ*: quos licet in Eccleſiæ atrio ſtantes reperias, Matth. 13:25, 26, 27. non tamen ſanctæ civitatis cives ſunt. Eccleſia enim Chriſti ſine Chriſto, ſine fide, ſine ſpe, ac charitate, cæteroque virtutum agmine, eſſe non poteſt. Ut male Pontificii, omiſſa eſſentiali Eccleſiæ forma, externam illam ac accidentalem nimis ſpectent; & in vero ac germano Eccleſiæ filio, nec fidem, nec charitatem, ſed ſolum externam fidei profeſſionem, & ſacramentorum uſum, ſub Romani Pontificis ducatu, æſtiment. Unde videas eos infideles, atheos, hæreticos occultos, quoſvis denique ſceleratos, Pontificis dictaturam agnoſcentes, Eccleſiæ ſuæ includere.

An infantes?

X. Ac eodem ex fonte peccant, cum infantes non-baptizatos, Catechumenos, ſciſmaticos, & excommunicatos quoſlibet, ſine diſcrimine, iſtis ſeptis excludunt. *Infantes* enim ac liberos Chriſtianorum, ad Dei familiam quoque pertinere, & pro Eccleſiæ ſobole haberi debere, ex Scripturis indubium eſt. Nec *Catechumeni*, etſi nondum omnibus ſacris initiati, nec in externis Eccleſiæ tabulis adſcripti ſunt, ideo a communi il-

Catechumeni, non baptizati,

Digitized by Google

ni illa Chriſtianorum ſocietate excludendi veniunt. Certe Eccleſiæ filius fuit ille in cruce pendens latro, atque in iſto vitæ articulo converſus. Nec etiam omnes, qui tempeſtate quadam ab Eccleſiæ alicujus corpore direpti aut ſeparati ſunt, atque extra caulas oberrant, civitatis quoque Dei exules & extorres habendi ſunt. Late enim patet Chriſtianum nomen; nec uno illud cœtu clauditur. Ac vera fides, & nominis Dei confeſſio, Chriſtianum eum ponunt; qui tamen non ſine culpa ab hoc vel illo fratrum cœtu diverterit, & de domo exiverit, aliaque forte ovilia conſectatus fuerit. Non enim in unico tantum cœtu Deus regnat: quanquam Eccleſia una ſit. Hoc vero nihilominus certum eſt, partes in Eccleſia facere, aut ſequi; eſſe, ſponſæ Chriſti contumeliam facere, ſacrumque ejus corpus lacerare, & dilaniare; quod non procul a ſacrilegio abeſt. Denique poteſt quis a cœtu aliquo per injuſtam ſententiam excluſus degere, ut tamen non ideo quoque rerum cœleſtium exors, cæteri autem ſoli eorum participes habendi ſint.

ab Eccleſia particulari ſeparati,

& excommunicati?

XI. Sequuntur Eccleſiæ *attributa*. Quorum 1. eſt *Unitas. Unica columba mea, integra mea, unica illa apud matrem ſuam.* Cant. 6: 8. Quæ unitas, non generica, vel ſpecifica, ſed individualis, eſt. Qualis in corporibus, ex multis membris aggregatis, conſpicitur. Ita enim Eccleſia conſideranda eſt; non uti idea Platonica, vel uti natura univerſalis, aut corpus aëreum, quod ſolo intellectus obtutu comprehendi poſſit; ſed ut unum fidelium corpus, ac ſodalitas, toto orbe ſparſa, eadem autem fide ac charitate conjuncta & combinata. Ut, ſicuti Deus unus eſt, ita quoque Eccleſia, quæ ipſum in mundo colit, non niſi una eſſe queat.

IV. Attributa: qualia ſunt 1. quod ſit una.

XII. Nec male hæc Eccleſiæ unitas *Catholicæ* titulo explicatur: qui dicit aliquid integraliter univerſale, ſive unum. Eſt enim Eccleſia nunc revera univerſalis & una. Nulli enim loco aut populo affixa, uti olim; non in familiis Patriarcharum dedicata, non in ſacra Judæorum gente collocata, non alii denique genti elocata, ac veluti in ſervitutem tradita; tota, qua patet, orbe jam ſparſa eſt; manetque ipſa communis omnium fidelium mater; quos, eodem lacte nutritos, eodem ſinu fovet, atque eandem in ſpem educatos, ejuſdem civitatis cives facit; mundumque hunc tandem univerſum commune veluti Dei templum reddit.

Quo etiam ſpectat, quod ſit Catholica.

XIII. Quæ cum nomenclaturæ illius ratio ſit, non niſi improprie ac ſynecdochice Eccleſia aliqua particularis Catholicæ nomen gerere poteſt: niſi illud de fidei Catholicæ profeſſione intelligas. Quomodo veteres cuivis orthodoxæ Eccleſiæ iſtud elogium tribuerunt. Peſſime autem

Qui titulus male Eccleſiæ Romanæ attributus eſt,

Digitized by Google

tem Romanenſes iſtum titulum ſibi ſolis vendicant; aliis autem omnibus Eccleſiis, ad quos tamen Catholicæ fidei hæreditas devoluta eſt, abrogant; ac ſoli iſto nomine cenſeri & cognoſci volunt. Cum eorum Eccleſia, nec Catholica, nec Catholicæ pars ſit. Nam uni loco & cathedræ affixa, Romam religionis matrem ac metropolim colit, iſtique urbi aſſurgere omnes jubet: quod Eccleſiæ Catholiciſmo vel maxime adverſum eſt; utpote quæ nullam amplius, in terris, uti olim in Vet. Teſtam. anguſtiis, religionis ſedem ac matrem novit. Quin eadem, Catholicæ præterea fidei deſertrix, ſacrum ac venerandum iſtud nomen jam diu decoxit; non ſponſa Chriſti, ſed æmula, & jam notæ libidinis ſcortum, & lupa, quæ, per tot ſæcula adulteria ſua toto orbe pervulgavit, nihilque ad ultimum dedecus reliquum fecit.

cum dicat Eccleſiam univerſalem, XIV. Complectitur autem Catholicæ vox omnes locorum, temporum, perſonarum, ac ſtatuum, differentias. Atque hæc latiſſima ejus acceptio eſt, qua univerſam Dei familiam, ſive olim, ſive nunc, in terris peregrinantem, perque omnia mundi tempora ac ſpatia diffuſam uno ambitu comprehendit: cum cæteroquin vox illa ſenſu magis reſtricto Eccleſiam pariter in terris militantem duntaxat dicat.

ratione temporum, locorum XV. Atque hinc variæ oriuntur Eccleſiæ diviſiones. Dum, *temporum* reſpectu, alia Veteris, alia Novi Teſtam. dicitur: &, pro *locorum* ratione, alia Occidentalis, alia Orientalis, eſt; aliaque præterea nomina, pro regnorum ac regionum ſpatiis, ſortitur. Nunquam enim Eccleſia Catholica uno loco concluſa fuit. Ut male Pontificii Concilia & canones Eccleſiæ univerſæ nomine venditent. *Statuum* autem Eccleſiæ diſcrimen dicit, dum alia militans, alia triumphans, appellatur; cui fabuloſe Pontificii tertium Eccleſiæ in purgatorio laborantis ſtatum ſuperaddunt.

& ſtatuum.

Quam univerſalitatem male negant Sociniani. XVI. Pleraſque autem Eccleſiæ partes negant *Sociniani*, ac regnum Chriſti non leviter circumcidunt: dum & in Veteri Teſtamento Eccleſiam Chriſti extitiſſe negant; & in Novo Teſt. eam non ſemper in terris ſupereſſe ajunt; denique & Eccleſiam piorum in cœlis pro non ente habent. Quæ theſes non multum de regno Dei ac Chriſti in mundo relinquunt. Eccleſiam autem & olim ſub Vet. Teſt. & exinde perpetuo in terris floruiſſe, atque etiam nunc partim in cœlo degere, clariſſima Scripturæ teſtimonia evincunt. *Tempore illo fuiſtis ſine Chriſto, abalienati a republ. Iſraëlis, hoſpites teſtamentorum promiſſionis* &c. Eph. 2: 12. *Super hanc Petram ædificabo meam Eccleſiam, & portæ inferorum non ſuperabunt*

Digitized by Google

perabunt eam. Matth. 16: 18. *Ecce, ego vobiſcum ſum, omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi* cap. 28:20. *Ego rogabo Patrem, & alium advocatum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in ſeculum.* Joh. 14:16. *Cupiditatem habeo, ad diſcedendum, & ut ſim cum Chriſto, quod multis partibus melius eſt.* Phil. 1:23. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, a nunc. Na, dicit Spiritus; ut requieſcant a laboribus ſuis. Opera autem eorum comitantur eos.* Apoc. 14:13.

Pars integrans Eccleſiæ Catholicæ eſt particularis,

XVII. Eccleſiæ univerſalis partes integrantes ſunt *Eccleſiæ particulares*, quæ certis in locis colliguntur: quæ de Eccleſiæ Catholicæ natura & privilegiis participant, cum in iis illa per ſeſe exiſtat. Non nimis autem illæ arctandæ ſunt: quæ Anglorum Browniſtarum ſuperſtitio eſt; qui, cogitationum anguſtias patientes, ſingulares Eccleſias unius auditorii ſepto concludunt; nec majores eſſe permittunt, quam quæ in unum locum coire, & ab uno Presbytero ſingulatim obiri poſſint. Sicut ab altera parte Pontificii novas Eccleſiæ particularis formas cudunt; ut univerſi orbis Eccleſiam ſub uno tandem capite, Pontifice Romano, componunt: atque, hoc fas ut doceant, nil putant eſſe nefas. Quas Eccleſiæ facies ac formas Scriptura ignorat.

ſeu inſtituta.

XVIII Conſtituitur autem Eccleſia particularis per externam Euangelii profeſſionem; qua multi fideles inter ſeſe conjuncti, ac in eandem diſciplinam aggregati, ſanctam inter ſeſe communionem colunt. Eſtque hæc publica & externa illius forma. Interna autem, qua ea Chriſto conjuncta eſt, quæ & eſſentiam dat toti corpori, & cuilibet corporis membro, occultior eſt, & ſola mente perſpicitur.

Quæ diverſo reſpectu eſt inviſibilis,

XIX. Atque ex duplici hac forma Eccleſia vel *viſibilis*, vel *inviſibilis*, appellatur. *Inviſibilis* enim eſt, quoad interiorem ſuam formam. Quomodo ſanctos tantum & electos continet; quos externo viſu dignoſcere certe impoſſibile eſt. *Tota glorioſa eſt filia regis introrſum.* Pſal. 45: 14. *Sed qui in occulto eſt Judæus — cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo.* Rom. 2: 29. *Qui vicerit, dabo ei edere de manna occultato, & dabo ei calculum album, & in calculo nomen novum ſcriptum; quod nemo novit, niſi qui accipit.* Apoc. 2:17. Ut male Pontificii Eccleſiam inviſibilem tanquam ideam Platonicam, quæ nullibi extet, irrideant. Ac ſi Eccleſiam prorſus nullam faceremus; aut, ſtulto errore, eam occultis ſignis non niſi a conſciis dignoſci poſſe ſtatueremus. Hoc enim diffiteri non poſſunt, quanquam externus cœtus, qui Eccleſiam conſtituit, videri poſſit; illud tamen, quod illam veram Dei Eccleſiam facit, fidem vi-

Digitized by Google

del. in Chriſtum, intimumque pietatis ſenſum, conſpici non poſſe. Sed & *viſibilis* eadem eſt, quoad externam fidei profeſſionem. Quanquam & hic gradus quidam notandi ſunt. Aliud enim eſt, Eccleſiam viſibilem eſſe, aliud eam conſpicuam & publicam ſe exhibere. Habet enim ea diverſa lucis tempora; prout, a Sole ſuo magis minuſve illuſtrata, purior vel impurior eſt; atque, pro temporum ſeu iniquitate, ſeu majore felicitate, aut in cœtus coëundi, ſeque orbi oſtendendi facultatem habet; aut, tyrannorum furore diſſipata, ſimul & congregari, & conſpici, deſinit. Quanquam etiam tum, de petrarum fiſſuris, gemitum ſaltem & planctum edere non ceſſet, & vel cruore ſuo ac martyrio ſeſe in mundo non ſolum notam, ſed & illuſtrem reddere geſtiat. Poſtremo & infirmiorum quorundam reſpectu ea inconſpicua ſæpe dicitur: qui, dum agrum dominicum a zizaniis occupatum, factumque inquinatiſſimum, vident, nihil bonæ frugis in eo ſupereſſe querulantur. Qualis Elianis temporibus Eccleſiæ facies erat.

Et viſibilis

Quæ nunquam in terris eſſe deſinet.

XX. Cæterum, quicquid horum in terris accidat, ſemper nihilominus viſibilis aliqua in mundo ſupereſt Eccleſia Chriſti. Nec unquam in eam univerſam diaboli fauces morſum adeo lethiferum ſunt impacturæ, ut ea de fama ac memoria hominum prorſus exeat. Matth. 16: 18. Contra autem clara ea ac illuſtris, diverſis Novi Teſt. temporibus, futura perhibetur. *Vos eſtis lux mundi. Non poteſt occultari urbs ſupra montem poſita.* Matth. 5: 14. *Et erit in extremo dierum, exaltatus erit mons domus Jehova in capite montium, & ſublatus præ collibus* &c. Jeſ. 2: 2, 3. conf. Mich. 4: 1, 2.

Errores circa eam I. Anabaptiſtarum & Socinianorum, nimis eam arctantium.

XXI. Peccant hic ab una parte *Anabaptiſtæ* & *Sociniani*, qui nimis anguſto fine Eccleſiam circumſcribunt; nec ſatis publicam eam eſſe ſinunt; cunctoſque cœtus, qui à ſcandalis nondum ſatis expurgati ſunt, Eccleſiæ nomine dedignantur: pios autem alibi oberrantes (inter quos etiam religioſiores ex gentibus, nullo externo verbo vocatos, numerant) in inviſibili Eccleſia collocant. Quomodo vel nullam, vel non aſpectabilem Chriſti in mundo Eccleſiam faciunt. Iis enim proprietatibus eam delineant, quæ ipſam penitus occultam, &, a publica cognitione dimotam, eorum ſolummodo viſui, qui, ſimiliter afflati, ſodalitatis hujus participes dignoſcere norunt, oſtendant.

II. Pontificiorum, in regnum terrenum

XXII. Ab altera parte modum non tenent Pontificii, qui Eccleſiam non claram ſolum & illuſtrem in mundo faciunt; ſed & in terreni regni formam aſſimilant; & viſibilem ei ſedem ac cathedram, & caput ac myſtar-

ſtarcham viſibilem, ac regimen denique monarchicum, longa ſucceſſorum ſerie ſtabilitum, inſtituerunt; externamque illam formam ac pompam ei eſſentialem eſſe urgent. Quod non Eccleſiæ regnum, ſed ſervitus; & non Chriſti, ſed hominum in ſacris imperium eſt. Ad quod illi ſua illa Eccleſiæ viſibilitate non occulte aurigantur. Cum *regnum Dei non veniat μετὰ παρατηρήσεως: neque dicturi ſint, ecce hic, aut, ecce illic, Ecce enim regnum Dei intus in vobis eſt.* Luc. 17: 20, 21. *cam convertentium.*

XXIII. Nec ducunt eo illuſtria illa de Chriſti ac Eccleſiæ regno ſub Novo T. vaticinia. Jeſ. 2: 2, 3. Mich. 4: 1, 2. Matth. 5: 14. &c. Illa enim, tum oppoſite ad Veteris Teſt. tempora, ubi in uno tantum populo regnabat Deus, intelligenda ſunt; atque eo, quod Eccleſia poſt Chriſti adventum jam publica reddita ſit, implentur: tum certa tempora ac periodos ſpectant, in quibus majorem Eccleſiæ pacem ac felicitatem prænunciant; quæ partim impleta ſunt, partim adhuc implenda reſtant. Nam & noctis, ac tenebrarum, tempora ſub Novo Teſt. prædicta extant. Matth 24: 24. Luc. 18: 8. 1. Tim. 4: 1, 2, 3. 2. Theſſ. 2: 3, 4. Denique aliud eſt Chriſti, aliud eſt hominum, ſub Chriſti ac Eccleſiæ nomine, in mundo regimen, quod illi tanto jam tempore obtinent.

Ubi fuerit Eccleſia ante Reformationem?

XXIV. Sed ut noſtris Eccleſiis invidiam faciant, quæſtionem illam potiſſimum agitant Pontificii. Nam & nuperas illas, ac poſt quindecim ſæcula demum natas, & a Zwinglio, Luthero Calvinoque demum conditas criminantur. Ac identidem quæſtiunculas iſtas movent, ubi ante Lutherum Eccleſiæ noſtræ fuerint? qua in regione, urbe, domo, quibus denique in latebris per tot ſæcula hæſerint? Quibus non una ratione ſatisfieri poteſt; præterquam enim quod 1. non fidei, ſed hiſtoriæ iſta quæſtio eſt; & ad fidem ac conſcientiæ ſecuritatem ſufficit, conſenſum noſtræ Eccleſiæ cum Apoſtolica, adeoque primam ac ſummam ejus antiquitatem, monſtrare: 2. nos & priora ſæcula, utpote incorruptiora, in ſolidum nobis vindicamus; & Ambroſios, Hieronymos, Auguſtinos, Chryſoſtomos, & quicquid ejus ætatis Patrum eſt, noſtræ Eccleſiæ filios fuiſſe aſſerimus. 3. Cumque poſt illa tempora Eccleſia paulatim exerraverit, & non amplius pura fuerit, ſed necdum prorſus impura, fere inſtar aquæ limpidæ, quam miſcere jam tempeſtas incipit; nondum tamen protinus Spiritus S. de Eccleſia exceſſit; ſed in media illa Eccleſia, adeoque in medio Papatu, vera Eccleſia tanquam captiva longo tempore latuit. 4. Nam & in mediis tenebris multi viri pii & ſancti, tanquam ſtellulæ quædam intermicabant; integrique cœtus, Deum purius colen-

 tes,

Digitized by Google

tes, hic ibi numerabantur; & in Alpium vallibus tota gens, melioris Eccleſiæ ſpes & ſeminium. 5. Quanquam anguſtias iſtas accuſare nihil attinet; cum non ſolo Occidente Dei regnum concluſum fuerit, ſed in Aſia & Africa patentiſſimæ, & tum, & ſequentibus porro temporibus, monſtrari potuerint Eccleſiæ. 6. Poſt longam autem noctem tandem reducta lux eſt; ac ſuperiori ſæculo per Euangelii ſermonem diſcuſſæ illæ nebulæ, quæ candidam Eccleſiæ faciem hactenus turpaverant. Cui Dei beneficio velle obſiſtere, hominum malignorum eſt, & tenebra magis amantium quam lucem.

2. Quod ſit infallibilis. XXV. Secundum Eccleſiæ attributum eſt *Infallibilitas:* quod tamen de Eccleſia, non quatenus publica eſt, ſed quatenus electorum cœtum dicit, intelligendum eſt. Iſta enim Spiritus S. cuſtodia eſt, ut illi in totum exerrare, & ſalute excidere non poſſint. *Qui virtutis Dei præſidio cuſtodimini, per fidem, ad ſalutem paratam revelari præſtituto ultimo tempore.* 1. Pet. 1: 5. *Super hanc Petram ædificabo meam Eccleſiam, & portæ inferorum non ſuperabunt eam.* Matth. 16: 18. *Quiſquis natus eſt ex Deo peccato non dat operam: quoniam ſemen Deo in eo manet. Nec poteſt peccare, eo quod ex Deo natus eſt.* 1. Joh. 3: 9.

XXVI. Cæteroquin particulares cœtus non errare ſolum, ſed & funditus labi ac extingui poſſunt. Ac publice quoque per univerſam Eccleſiam, quacunque illa patet, errores aliquos non letales obtinere adeo non repugnat, ut id olim factum fuiſſe puriorum ſæculorum experientia ſatis probet. Quæ autem pro Eccleſiæ ſuæ infallibilitate adferunt adverſarii, vel Apoſtolos præcipue ſpectant, ut Matth. 28: 20. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi.* Joh. 14: 17. *Vos autem cognoſcitis eum*, Spiritum veritatis, *quia apud vos manet, & in vobis erit:* vel præfectorum Eccleſiæ officium dicunt, non autem peculiare non errandi privilegium, ut Mal. 2: 7. *Labia ſacerdotis ſervant ſcientiam, ut legem requirant ex ore ejus. Nam Angelus Jehovæ Dei exercituum eſt.* Quæ & loci 1. Tim. 3: 15. ratio eſt: *Ut ſcias, quomodo oporteat in domo Dei verſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi; ςύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας columna & firmamentum veritatis.* Niſi quod ibi Eccleſiæ elogium ejuſque firmitas ſimul ſignificetur. Vel denique in genere Eccleſiam Chriſtianam, ac nomen Chriſtianum in mundo nunquam defecturum ſpondent. *Super hanc Petram ædificabo meam Eccleſiam, & portæ inferorum non ſuperabunt eam.* Matth. 16: 18. Quod tamen non omne errandi periculum excludit.

XXVII. Hoc

Digitized by Google

XXVII. Hoc enim tertium Eccleſiæ privilegium eſt, quod illa nunquam in totum de mundo *peritura* ſit; neque legitima ſacra ita publice exciſura; ut, victore Satana ac mundo, regnum Chriſti in totum extinguendum, ac nomen ejus toto orbe delendum ſit. Hoc enim contra expreſſa verbi divini promiſſa eſt. Quod Chriſtum ſemper in mundo regnaturum, & diabolum in Eccleſiam univerſam nunquam dentem letalem infixurum dixit. Pſal. 110: 1. Matth. 16: 18. Quin contra nomen ejus ſub N. T. & clarum & illuſtre futurum in mundo non ſemel legimus. Quod tamen de Eccleſia univerſim conſiderata accipiendum eſt; non autem de hoc vel illo cœtu. Particulares enim Eccleſiæ quoad hypocritas deficere, quoad fideles per obitum eorum deſinere poſſunt. Nec Eccleſia Romana ullam ſupra reliquas prærogativam oſtendere poteſt. Ut meræ fabulæ ſint, quæ paraſiti ejus de illa religionis videl. metropoli, deque urbe æterna, orbi venditare ſtudent. Cæterum quicquid horum accidit, ſemper tamen alicubi Chriſtus regnum, & ſemper Eccleſiam in mundo viſibilem & conſpicuam habet; quanquam ea purior aliquando, aliquando impurior, & ſemper, cum mundo collata, exigua, Matth. 7: 13, 14. Luc. 12: 32. 18: 8. Apoc. 13: 3. exiſtat. Quod contra Socinianos, Remonſtrantes, alioſque novatores, obſervandum; qui cœtus & Eccleſias nuper natas, quæ, temere compoſitæ, nullos tot retro ſæculis habuere parentes, in orbem introducere anniſi ſunt.

3. Quod ſit perpetua.

XXVIII. Prodigioſè ergo auctor nuperus, proxime poſt Apoſtolorum ætatem Spiritum S. de Eccleſia exceſſiſſe; atque ab iſto ævo ad hæc uſque tempora eam deſeruiſſe; omneſque exinde Eccleſias Apoſtaticas habendas, edito libello ſuadere anniſus eſt. Hoc ſolo argumento, quod extraordinarius ſancti Spir. ductus ac flatus tum defierit. Erigi autem dum nondum redit ad Eccleſiam Spiritus, interim Eccleſiam conniventiæ ac tolerantiæ jubet: in quo merum Dei verbum, ſine hominum interpretamentis, prælegatur, ac Spiritus adventus expectetur. Quo auſpicio reditura aurea illa ſæcula, viroſque rurſus Apoſtolicos, Eccleſiamque Apoſtolicam, ac puriorem Spiritus afflatum, vaticinatur. Quæ conſilia, ſub conciliandarum religionum, ac componendæ rei Chriſtianæ ſpecie, ad merum Scepticiſmum, Samaritaniſmum, Libertiniſmum, merumque religionis chaos, ſpectant; & præſentis ac præteriti temporis Eccleſias omnes criminantur; nec de futura ejus ætate recte judicant; ſed ſuavia Chiliaſtarum ſomnia nobis enarrant.

Quod tenendum, contra auctorem Eccleſiæ Apoſtaticæ,

XXIX. Male etiam Swenkfeldius, ex non diſſimili prætextu *&* *Swenk-*

 omnes

fidelium. omnes nunc Eccleſias ex æquo amandas & colendas, nec ullarum communionem temere fugiendam monet. Qui diſſimiles ejuſdem arboris fructus, parili noxa, radicis venenum ſatis teſtantur.

CAPUT II.

De NOTIS ECCLESIÆ.

Eccleſiæ particulares dignoſcuntur ſuis NOTIS. I. CUm fideles non temere vagari, ſed in cœtus coire, Chriſtique gregem in ovilia compelli oporteat; conſiderandæ ſunt Eccleſiæ notæ, quia viam ad caulas monſtrent, Chriſtique oves ab hircorum agmine ſeparent. Quæ notæ ac *γνωρίσματα* dum quæruntur, non de univerſali illa ac myſtica electorum Eccleſia; neque etiam de externa ac aſpectabili Chriſtiani nominis Eccleſia, quæ toto orbe diſperſa eſt, inque eo non exiguam partem facit, agitur: nam altera ſoli Deo cognita eſt, *Novit enim Dominus, qui ſui ſunt*, 2 Tim. 2:19. partimque externis virtutibus ſeſe prodit; altera autem vel ſola profeſſione dignoſcitur: ſed de particularibus Chriſtianorum cœtibus ac Eccleſiis, ut iis nos adjungamus, quæritur. Quæ cum vel puriores vel impuriores ſint, eodemque nomine veram Chriſti ſponſam, & Eccleſias meretricantes & adulteras complectantur; notis quibuſdam opus eſt, quibus ſponſam Chriſti ab iſto luparum grege, & caſtum ejus thalamum a meretricum ſellis & ſtabulis dignoſcamus.

Quæ petuntur ex vera confeſſione verbi divini, II. Cum autem verbum Dei Eccleſiam ejuſque puritatem proxime conſtituat: nam per verbum ea vocatur, eoque ſolo fides ejus nititur; ipſaque Eccleſia nihil aliud eſt, quam cœtus verbum Dei amplectens: conſtat puram verbi divini confeſſionem, ejuſque potentiæ per charitatem demonſtrationem, notam Eccleſiæ primariam eſſe; ex qua ea cognoſci, atque an vera an falſa ſit dignoſci ac probari queat. Eph. 2:20. Joh. 10:27. 13:35. A qua nota principali fluit alia ſecundaria; legitima *& ſacramentorum adminiſtratione.* nimirum ſacramentorum adminiſtratio. Marc. 16:16. Eph. 5:26. Quæ notæ quo purius in Eccleſiis elucent, eo puriores illæ habendæ ſunt. Ac nulli omnino cœtui Eccleſiæ nomen denegandum, qui caput ac fundamentum retineat, nec divini fœderis tabulas diruperit aut abnegaverit.

III. Quod Pontificii Eccleſiam Scripturis notiorem prædicant, ex ſoli-

ſolita ipſorum in Scripturas reverentia eſt; quas Eccleſiæ auctoritati ſubjici malunt, quam ut quæſtio de Eccleſia ex iis terminetur. Nec pretioſius eſt ipſorum cavillum, omnes hæreticos Scripturas jactare, adeoq; veræ Eccleſiæ eam notam eſſe non poſſe. Non enim de hominum maleſanorum ſomniis, aut temulento impetu, ſed de rei veritate quæritur.

Spuria Pontificiorum notæ.

IV. Quæ autem ab ipſis producuntur notæ, numero quindecim, ad pſeudo-Eccleſiæ ſuæ formam compoſitæ & aptatæ, partim mere humanæ rationes & ſuadelæ ſunt, quæ conſcientiæ ſatisfacere non poſſunt; partim etiam aliis cœtibus ac peregrinis cultibus conveniunt; partim ne in ipſam quidem Romanam Eccleſiam cadunt; & denique ſi quid veri habent, iſtud omne ad primariam illam veræ Eccleſiæ, omniſque in religione veritatis, notam, quam nos dedimus, reducitur: Ut prætermittam aliquas ex iis ita dubias & obſcuras eſſe, ut notarum nomen tueri nulla ratione poſſint.

I. Nomen Catholicæ.

V. Ac 1. quidem *Catholicæ nomen* quid niſi titulus eſt? quem & Ariani olim non minus quam orthodoxi uſurparunt. Si vero de re ipſa quæras, & de doctrina Catholica, illa ex ſolis Scripturis examinanda eſt.

II. Antiquitas.

2. *Antiquitas*, ſi de hominibus ſumatur, externaque Eccleſiæ ſpecie ac forma, fallax nota eſt; & quoad Romanenſes, magnam partem falſa. Dogmatum autem antiquitas ex ſola Scriptura æſtimari poteſt; adeoque ſi quid veri in hac nota ſit, illud ad noſtram referendum erit. Mirum autem eſt, eos pro publica Eccleſiæ nota illud adferre, quod adeo ſenſui expoſitum non eſt, ut vix a doctiſſimis per tot ſæculorum caliginem inveſtigari queat.

III. Duratio.

3. *Duratio* diuturna, nec interrupta, Eccleſiæ particulari promiſſa non eſt. Eccleſiæ autem univerſæ eam competere, fide potius ex Dei promiſſione agnoſcimus, quam ſenſu percipimus.

IV. Amplitudo.

4. *Amplitudo* credentium, pro temporum periodis, nunc major, nunc minor, Eccleſiæ promiſſa eſt. Sæpe etiam in anguſtias cogenda ea perhibetur. Adeoque perpetua ejus nota eſſe non poteſt. Sed & quinam vere credentes, & quænam vera fides ſit, non aliunde quam ex Scripturis conſtat.

V. Succeſſio Epiſcoporum.

5. *Succeſſio Epiſcoporum*, ſi mere perſonalis ſit, fallax nota eſt: nam &, rupta ac turbata paſtorum ſerie, ab Eccleſia abeſſe; & tyrannus Regi, ac latrones paſtoribus ſuccedere poſſunt. Si vero de doctrinæ ſucceſſione ac traduce intelligatur; illa rurſus non niſi ex verbo Dei, quod traditivæ hujus fons eſt, examinanda eſt.

VI. Conſpiratio cum Eccleſia antiqua.

6. *Conſpiratio in doctrina cum Eccleſia antiqua* ac puriori, ſi de doctrina a Deo tradita intelligitur, uti fas eſt; rurſus non niſi ex convenientia ejus cum verbo Dei intelligi poteſt;

Digitized by Google

VII. *Unio membrorum inter ſe & cum Capite.* teſt; quæ unica antiquiſſimæ doctrinæ formula eſt. 7. *Unio membrorum* inter ſe, & cum capite, cum hic non niſi externa intelligatur, ſub Papæ regno; non veræ, ſed falſæ Eccleſiæ nota, & beſtiæ character eſt. Myſtica autem fidelium inter ſeſe, & cum Chriſto, unio inviſibilis eſt.
VIII. *Sanctitas doctrinæ.* 8. *Sanctitas doctrinæ*, cum ex divina revelatione derivetur, atque ex ea ſola æſtimanda ſit; nota hæc a noſtra non differt. 9. Atque ejuſdem generis eſt divina *doctrinæ vis*, *& efficacia*.
IX. *Efficacia doctrinæ.* Cum autem & erroris quædam potentia ſit, & mirifica in hominum animos vis; inter ſatanæ ac divini Spiritus ſuadam, non melius quam verbi divini face diſcerni poteſt.
X. *Sanctitas vitæ.* 10. *Sanctitas vitæ primorum religionis auctorum*, cum illi dudum de Eccleſiæ ſtadio exceſſerint, hodiernæ Eccleſiæ notam facere non poteſt. Quæ, ut priſcam ſanctitatem, ita & doctrinæ veritatem jam dudum decoxit. Cumque etiam hypocritæ ſanctitatem mentiri poſſint, ac vera ſanctitas occulta ſit; non ex externa ſanctimonia doctrinæ veritas, ſed ex vera doctrina vitæ morumque ſanctitas æſtimari ac dijudicari debet.
XI. *Gloria miraculorum.* 11. *Miraculorum* gloria cum Eccleſia non ſemper coruſcet, & falſis quoque cœtibus, ac Antichriſti ſynagogæ eam lucem Deus nonnunquam circumdet, ordinaria ejus nota eſſe non poteſt. Sufficit, nos ex Apoſtolicis chartis eam tenere doctrinam, quam Apoſtoli tot ſtupendis operibus, tanquam manſuris notis, ſignavere; nec nova ſine fine ſignacula, iiſdem tabulis adhibenda, requirere opus.
XII. *Lumen Propheticum.* 12. Eadem *luminis prophetici* ratio eſt. Nec ſemper in Eccleſia iſta lux eſt. Et quid vetat Deum extra Eccleſiam aliquando loqui?
XIII. *Confeſſio adverſariorum.* 13. *Adverſariorum confeſſio* inter fortuita eſt. Nec ab eorum teſtimonio Eccleſiæ ſinceritas pendet.
XIV. *Infelix eorum exitus.* 14. Atque *infelix eorum exitus*,
XV. *Felicitas Eccleſiæ temporalis.* 15. Et *felicitas temporalis* eorum, qui Eccleſiam defenderunt, mere externa ſunt; à quibus veræ religionis judicium, & ſummæ rei arbitrium, ſuſpendere inſaniſſimum foret. Non enim ex fortuito eventu vir ſapiens judicat. Certe priorum ſæculorum Eccleſia, tot martyrum ſanguine purpurata, iſta nota caruit. Manentque, quandiu manebit Eccleſia, iſtæ ſententiæ: *Oportet per multas afflictiones nos ingredi in regnum Dei.* Act. 14: 12. *Et omnes volentes pie vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur.* 2. Tim. 3: 12.

VI. Atque hæ Romanæ Synagogæ notæ ſunt; atque hi adulteri illi fuci; quibus rugoſa meretrix, poſtquam ætatis lenocinium amiſit, ſeſe pingere adhuc ſolet; ut, ſi novos amatores allicere amplius non poſſit, veteres ſaltem vi conſuetudinis retineat. Quanquam & evanidi hi colores ſunt, meræque larvæ; cum nec in ipſa Romana Eccleſia, ſi propius inſpi-

Digitized by Google

inſpiciatur, hæ notæ hæreant. Adeo, præ vetuſtate, emarcida & ſtriata cute eſt, ut ea nulla pigmentorum ope incruſtari & lævigari amplius poſſit. *Tu autem quid facis, quod induis te dibapho, quod ornas te ornatu aureo, quod laceras fuco oculos tuos? in vanum reddis te pulchram, reſpuunt te amaſii.* Jer. 4: 30.

VII. Nec felicius Tirinus ex quatuor ſymboli elogiis, *Una, Sancta, Catholica, Apoſtolica*, totidem Eccleſiæ ſuæ notas extruere nititur. Quod non ſine aſſertione falſi peragere poteſt. Hæc enim veræ Eccleſiæ inſignia, non niſi proter fidem ac doctrinam veram, alicui Eccleſiæ conveniunt. Ut ea demum ſola Eccleſiæ nota ſit. Quantopere autem Pontificii a fide illa Una, Sancta, Catholica & Apoſtolica, aberrent, toto hoc opere oſtendimus. Unde nec vera Eccleſia, nec veræ Eccleſiæ pars ſunt. Non enim Romana Eccleſia Sancta, Catholica & Apoſtolica; ſed Apoſtatica, Idololatrica, & Tyrannica eſt. Quos titulos, pro furtivis illis titulis, ipſi reddere æquum eſt. Hæ tres enim falſæ iſtius Eccleſiæ notæ ſunt; quæ ſatis oſtendunt quam gravibus de cauſis divortium ab ea fecerimus: ut infra ſuo loco oſtendetur. *Aliæ Tirini notæ.*

VIII. In defectu peccant *Sociniani*: qui, uti Eccleſiam ſæpe ex hoc mundo, ita & Eccleſiæ notas tollunt; nec magnopere de iis laborandum putant. Generalibus autem verbis, ibi Eccleſiam eſſe ajunt, ubi Chriſtus rite colitur, & ſanctitatis ſtudium viget: de fidei autem articulis altum ſilent. Ut Eccleſia juxta ipſos eſſe poſſit, ubi fundamentalium Chriſtianæ fidei articulorum everſio eſt. *Socinianorum hic defectus,*

IX. Nec felicius *Anabaptiſtæ* propriam unicamque Eccleſiæ notam in vitæ ſanctimonia conſtituunt. Quo colore portentoſiſſima dogmata tegunt. Eamque præterea morum triſtitiam, & pietatem tam anxiam & horrentem interdum inducunt, ut non diu in aliquo cœtu nota iſta hærere poſſit. Hinc tot apud ipſos Eccleſiæ & ſectæ, quæ, crudelibus edictis inter ſeſe *ſævientes*, ſeſe ſolas rerum cœleſtium participes omnes credunt. Quod, ut & reliqua fere, quæ paſſim de illa ſecta obſervamus, præcipue de iſtis inter illos, qui Socinianiſmum Anabaptiſmo jungunt, dictum volumus: eſſe enim inter illos longe melioris commatis cœtus, veritatique multo propiores, novimus. *& Anabaptiſtarum.*

Digitized by Google

LOCUS QUADRAGESIMUS SEXTUS

DE

Regimine & diſciplina Eccleſiæ.

CAPUT III.

De CAPITE ECCLESIÆ.

Eccleſiæ N. F. regimen.

I. POſt naturam, notaſque Eccleſiæ traditas, ſequitur ejus regimen ſive miniſterium, ſub Nov. Teſt. ejuſque miniſtri.

Quæ ſoli Deo ſubeſt.

II. Eccleſiam, ſive electorum cœtum, condidit Deus Pater, in Filio, per Spirit. S. Atque ille ſolus immediate illam regit & perficit. Nullaque in hac re hominis poteſtas, aut auctoritas, eſt. *Fidelis eſt Deus, per quem vocati eſtis, in communionem filii ipſius, Jeſu Chriſti, Domini noſtri.* 1. Cor. 1: 9. *Deus, omnis gratiæ auctor, qui vocavit vos ad æternam ſuam gloriam in Chriſto Jeſu, is vos pauliſper afflictos perficiat, ſtabiliat, roboret.* 1. Pet. 5: 10. Quanquam, quatenus ea viſibilis ac externa eſt, hominum miniſterio indigeat. *Omnis namque domus paratur ab aliquo. Qui autem omnia paravit, Deus eſt. Et Moſes quidem fidelis in tota domo ipſius, ut famulus, in teſtimonium eorum, quæ poſtea dicenda erant.* Hebr. 3: 4, 5. *Sic de nobis reputet homo, ut de miniſtris Chriſti, & diſpenſatoribus myſteriorum Dei.* 1. Cor. 4: 1.

CAPUT illius eſt ſolus Chriſtus:

III. Peculiariter in Scripturis Chriſtus Eccleſiæ *Caput* dicitur. *Et omnia ſubjecit ſub pedes ejus: & eum dedit caput ſuper omnia Eccleſiæ.* Eph. 1: 22. *In charitate creſcamus in ipſum, quoad omnia; qui eſt caput, Chriſtus. Ex quo omne corpus coagmentatum, & compoſitum, per omnem juncturam ſuppeditationis, ſecundum operationem, in menſura uniuſcujuſque partis, incrementum corporis facit, ad ædificationem ſui in charitate.* cap. 4: 15, 16. *Vir eſt caput uxoris, ut eſt Chriſtus caput Eccleſiæ: & ipſe eſt Salvator corporis.* cap. 5: 23. *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principatus, primogenitus ex mortuis, ut fieret in omnibus ipſe primas tenens.* Col. 1: 18. *Et eſtis in ipſo completi, qui eſt caput*

omnis

Digitized by Google

omnis principatus & poteſtatis. cap. 2: 10. *Et non tenens caput, ex quo omne corpus, per juncturas & vincula, ſuppeditationem accipiens, & coagmentatum, creſcit, incrementum Dei.* com. 19.

IV. *Caput* autem dicit id quod ſummum & primum eſt. Col. 2: 10. Unde in meram creaturam convenire non poteſt.

non ſolum ratione principatus; verum etiam intimæ unionis.

V. Sed, in præſenti negotio, non ſolum Chriſti principatus, ſed præſertim arctiſſima ejus cum Eccleſiæ corpore unio, & ſancti Spiritus commeatus; ac ſublimis illa, qua fungitur, Eccleſiæ cura, hoc emblemate pingitur.

quæ varia dicit.

VI. Notat ergo *capitis* appellatio. 1. ejuſdem in Chriſto & Eccleſia *naturæ communionem.* *Quia pueri communem habent carnem & ſanguinem, & ipſe ſimiliter factus eſt particeps eorundem.* Hebr. 2: 14. conf. com. 11. 2. Intimam & arctiſſimam utriuſque *unionem*, ut nec filius Dei ſine Eccleſia ſua, nec Eccleſia ſine Chriſto ſit. Ut abnegare eam Chriſtus; hoc eſt, membra ſua projicere & calcare: aut Eccleſia Chriſto carere, ſimulque vitam ſperare non poſſit. Unde frequentata iſta in Novo Teſt. phraſis, *in Chriſto eſſe, manere, ſtare* &c. quod de homine iſtum in modum dici ſine ſacrilegio non poteſt. Non enim tanta in merum hominem cadunt. 3. Ex hac unione ſequitur *bonorum ac donorum* Chriſti *communio.* Ut & Chriſtus ea decenter communicare, & Eccleſia ſine ulla legis querela, accipere poſſit, tanquam hæreditatem *Ut eos, qui ſub lege erant, emtos, liberaret; ut adoptionem filiorum acciperemus.* Gal. 4: 5. conf. Eph. 1: 22. 4. Præcipue notatur ſacri Spiritus in membra influxus, & commercium; corporiſque univerſi a Chriſto dependentia, & vita, & regimen. Quæ præcipua capitis œconomia eſt. *Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non poteſt ferre fructum a ſemet ipſo, niſi manſerit in vite; ita nec vos, niſi in me manſeritis.* Joh. 15: 4 *Filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* 1. Joh. 4: 9. *Et ex plenitudine ipſius nos omnes accipimus, & gratiam pro gratia.* Joh. 1: 16. *Qui aſcendit ſupra omnes cœlos, ut adimpleat omnia.* Eph. 4: 10. *Diſtinctiones donorum, miniſteriorum & actionum ſunt; ſed idem Spiritus, idem Dominus, idem Deus, qui operatur omnia in omnibus.* 1. Cor. 12: 4, 5. 6. Unde univerſa Eccleſia Chriſti πλήρωμα dicitur, Eph. 1: 23. Conf. Eph. 3: 19. Quod latius exequitur Apoſtolus Eph. 4: 15, 16. ubi diſtincte memorat 1. membrorum per varia χαρίσματα & ἐνεργείας inter ſe *diſtinctionem*, perque ea corporis univerſi ornatum & καταρτισμὸν. 2. eorumque rurſus ἁρμογὴν, ſeu συναρμολόγησιν & coaptationem mu-

juxta Eph 4: 15, 16.

mutuam, ac veluti concinnationem; qua amice conjurant, ac ſibi mutuo operam præbent. 3. Hincque orientem corporis συμβιβασμὸν, & compaginationem, ac firmamentum, & corporis alioqui ruentis fulturam. 4. Porro perpetuam Spiritus ἐπιχορηγίαν, deque capite, tanquam perenni fonte, manantem veluti fluvium, uberem ac perennem, per ἀφῶν καὶ συνδέσμων miniſterium ad ultimas myſtici corporis partes propagatum. 5. denique Eccleſiæ, tam large nutritæ, deque capitis fonte inundatæ lætiſſimos auctus, & incrementa, αὔξησιν, *ad ædificationem ſui ipſius in caritate.* conf. Col. 2:19.

Ut Chriſtus perfectiſſima ratione Eccleſiæ caput ſit. VII. Quæ omnia cum in Chriſtum cadant, longe perfectius Eccleſiæ, tanquam comparis ſibi corporis, caput eſt; quam naturali in corpore ducatus capiti datus eſt; unde, non naturali ſolum capitis ſimilitudine; ſed & œconomica, Sponſi, Patris, Domini; & politica, Regis; ac artificiali denique, Petræ, fundamenti, & lapidis angularis, imagine in Scripturis occurrit. Ut ita ſumma ipſius in Eccleſiam poteſtas, & regimen, & artiſſima ac permeabilis unio, denotetur.

Quale præcipue factus eſt poſt exaltationem. VIII. Quanquam autem ſemper iſto axiomate effulſerit; tamen poſt peractos pro Eccleſia labores, poſtquam humilem in terris ſtatum abſolverat, præcipue iſtum honorem ſumſit; &, ad dextram Dei evectus, veluti regali in ſolio collocatus, tanquam ſummus Eccleſiæ dux, & rector, & caput, univerſo mundo oſtenſus eſt; ſubjectis ſibi etiam veteris Eccleſiæ Diis, everſiſque thronis illis, qui regnanti ipſi hactenus umbram fecerant. Ita ut nunc quidem & capitis, & domini, & ſponſi, nomen in Eccleſia uſurpare mortalium nullus ſine ſacrilegii crimine poſſit. *Dum collocavit eum ad dextram ſuam in ſuper-cœleſtibus, ſupra omnem principatum & poteſtatem — & omnia ſubjecit ſub pedes ejus, & eum dedit caput ſupra omnia Eccleſiæ.* Eph. 1:20, 21, 22. *Ego dico, dii eſtis, & filii excelſi omnes, at certe ut plebejus homo morituri eſtis.* Pſal. 82:6, 7. vide Deut. 32:42. *Gladius meus vorabit carnem; ſanguinem exanimati, & captivitatis, a capite cæſarierum inimici.* Pſal. 68:22. *Deus deprimat caput inimicorum ſuorum, verticem piloſum, qui pergit in reatibus ſuis.* 2. Theſſ. 2:4. *Seſe opponens & efferens ille ſupra quicquid dicitur Deus, aut numen; adeo ut in templo Dei tanquam Deus ſedeat, præ ſe ferens ſe eſſe Deum.* Hinc Eccleſia Chriſti ſub N. F. κατ' ἐξοχὴν *Eccleſia Dei vivi* dicitur 1. Tim. 3:15.

Neque alius, ut Papa, in IX. Unde ſequitur, unicum tantum eſſe Eccleſiæ caput, quod nominis iſtius vim & pondus ſuſtinere poſſit. Sicut Eccleſia unum tantum

tum

Digitized by Google

Iſtius honoris communionem venit.

tum eſt corpus, quod uno iſto capite tanquam unica animandum eſt mente. Nec magis alterum Eccleſiæ caput, quam alter Eccleſiæ ſponſus, vir, dominus, mediator denique, dari poteſt. Quod audent tamen magnæ meretricis amaſii; qui, Romanis poculis ebrii, iſtum ſuum pſeudo-Pontificem, & ſacrorum regem, veluti in cœleſti ſolio collocant; & Eccleſiæ caput, ſponſum, quin & fundamentum, appellare non verecundantur. Quo pacto partim ſublime ac ſacratiſſimum illud nomen infamant, deque ſenſu ejus minuunt; partim, iſto colore, quæ hominis ſortem ſupergrediuntur, Pontifici ſuo tribuunt; & Eccleſiam liberam ſervire iterum novis dominis faciunt.

Fruſtra adhibitis, inanibus diſtinctionibus,

X. Nec quicquam valent diſtinctionum latebræ: dum caput aliud dirigens, aliud influens; principale & miniſteriale; ut & fundamentum primarium & ſecundarium, jactant. Nam, & contradictoria illa ſunt; & meri fuci, tegendo Eccleſiæ ſuæ dedecori; quæ plus quam probe homini in Eccleſia regnanti ſeſe ſubſternit; cui interiorem poteſtatem, legeſque ad conſcientiam ferendi auctoritatem, adſcribunt. Nec ſecundaria iſta nomina rei invidiam minuunt. Non magis quam ſi quis ſecundarium in caſto conjugio conjugem invehat. Quicunque enim, præter Chriſtum, Eccleſiæ caput dici amat; non caput & ſponſus Eccleſiæ, ſed profanus ſolii Chriſti inſeſſor, & caſtiſſimi ejus thalami adulter & corruptor eſt.

aut vanis prætextibus.

XI. Nec proſunt vaniſſimi prætextus: mortalem illum Chriſti, ab Eccleſia abſentis, vice fungi: quin etiam, ſi Chriſto placet, gloriæ ejus intereſſe, quod in ampliſſimo regno ſuo pro-regem habeat; uti in terrenis regnis fieri conſuevit: nec eo majeſtatem ejus minui, cum prorex ille alio reſpectu ſubjectus & Eccleſiæ membrum ſit: tandem & Apoſtolum inter diverſa Eccleſiæ membra etiam caput numerare, 1. Cor. 12: 21. Nam, contra, Chriſtus ubique, majeſtate ſua præſens, ipſe Eccleſiæ ſuæ per omnes partes præ-eſt; nec in regno ſuo hominem regem vel pro-regem admittit. Nam ejus dignitatis illud munus eſt, atque eam in Eccleſiam poteſtatem etiam adverſarii illi tribuunt, ut in merum hominem cadere non poſſit. Tam longe aliter hic ſeſe res habet, quam inter homines; ubi Rex, ſummam ipſe rempubl. tractans, ex purpuratis aliquos ſuo ſolio propius admovere, & principalium curarum participes facere plerunque ſolet. Cum illa regis conditio ſit, ut rebus omnibus intereſſe nequeat; atque ea quoque præfecturarum iſtarum ſit ratio, ut a ſubjectis commodiſſime geri, atque illi principalis poteſtatis commiſ-

Digitized by Google

ſas ſibi partes exercere poſſint. Nullæ autem in Eccleſia ſunt præfecturæ, nulli præſides, nec quicquam de infinita illa Chriſti poteſtate delibari poteſt. In honorem vero Chriſti iſtam in Eccleſiam præfecturam erigere porro velle; idem eſt, ac ſi quis erecto idolo, tanquam viſibili divinæ majeſtatis imagine, ſeſe Deum honorare putaret. Tandem non facit huc Apoſtoli locus. Diverſa enim ibi capitis conſideratio eſt. Nam non formaliter iſta vox ibi uſurpatur; de quo ſenſu nunc diſputamus; ubi vel Chriſto a nobis, vel Papæ ab adverſariis tribuitur: ſed materialiter, pro nobiliori corporis membro, præcipuis quibuſdam donis prædito; cui opponuntur pedes, aliaque minoris dignationis membra.

CAPUT IV.

De Legibus Eccleſiaſticis.

Chriſtus, ut ſolus Eccleſiæ caput, ita LEGISLATOR *eſt*

I. UT ergo Chriſtus ſolus Eccleſiæ Caput; ita ſolus Eccleſiæ Rex & Legiſlator eſt. *Jehova eſt judex noſter, Jehova legiſlator noſter, Jehova eſt Rex noſter: ille ſalvat nos,* Eſai. 33:22. Qui autem præter eum leges Eccleſiæ ferre, eamque in illis quæ Chriſtus libera relinquit, judicare, majoremque aliquam in eam poteſtatem uſurpare nititur, iſte *caput non tenere* dicitur. Col. 2:19.

Quæ Eccleſiæ hic ſit poteſtas.

II. Cum autem res omnes non ejuſdem generis ſint; & in omnibus bonus ordo, ac decorum, ſervari debeat; præceptum autem illud ſpecificationem non habeat, &, pro temporum ac locorum occurſu, varium eſſe poſſit: explicandum porro eſt, quæ ſit Eccleſiæ, ſive cœtus fratrum, ubi ſolus ſuas res curat, iſto in rerum genere poteſtas ac arbitrium.

1. Circa res expreſſe præceptas.

III. Sunt autem in cultu Dei quædam adeo *expreſſa*, & *certa*, ac *neceſſaria*, ut nemini aliter agere vel loqui liceat. Quæ Apoſtolus μετὰ πάσης ἐπιταγῆς *cum omni præceptione*, inculcanda monet. Tit. 2:11. Atque illa quivis Chriſtianus, nedum cœtus fratrum præſides, ab aliis exigere poſſunt. Sunt vero illa adeo clara, &, tum in verbo Dei, tum in cordibus fidelium, cum maximorum, tum minimorum, expreſſa; ut non opus habeant eo in genere κανονίζεσθαι, & doceri, conditaſque ab aliis leges accipere: cum ſcripturarum ἀπόδειξις, a quolibet fratrum facta, & ſacra unctio ipſos planiſſime de iis edoceat & perſuadeat.

Digitized by Google

IV. Sunt vero & alia, *de quibus expreſſum Dei verbum non datur;* *11. vel*
quæ tamen alterutram in partem fieri debent. Ubi Eccleſiæ directio, *non*
& conſilium & διατάξεις de recto & bono ordine, locum habent. *expreſſe præceptas:*

V. Cumque ea ſint vel *prorſus indifferentia* & libera, ut contrahere nuptias; vel talia, ut *dubium* eſſe poſſit, an non aliquid de iis Dominus juſſerit, & generalibus regulis nobis viam commonſtraverit; qualis erat caſus ille, de quo Apoſtolus conſilium ſuum explicat, 1. Cor. 7: 10. &c. vel denique iſtius generis, ut quidem res ipſa ſit mandata, *modus* autem ejus exequendæ a Deo nulla lege determinatus; qui, cum varius eſſe poſſit, a pluribus tamen non niſi uno eodemque modo & more peragi debet; uti publici cultus ratio ac exercitia: de ſingulis videndum.

VI. Ac illa quidem, quæ *indifferentia* ſunt, per nullum Eccleſiæ *ſive ſint*
præceptum poſſunt reddi neceſſaria. Nec ulla talis in Eccleſia poteſtas *in-*
eſt. Hoc enim contra pretioſam illam libertatem eſt, quam Chriſtus no- *differen-*
bis ſanguine ſuo peperit; qua Eccleſiam ſuam nec hominibus, nec rebus *tes;*
ullis, amplius ſervire voluit. *Pretio emti eſtis, ne eſtote ſervi hominum.* 1. Cor. 7: 23. *Omnia mihi licent: at ego non redigar ſub ullius poteſtatem.* 1. Cor. 6: 12 conf. Gal. 4: 9. Ac appellat illa Scriptura *mandata hominum*, ac hoc nomine infamat; cum homini in Dei vivi cœtu, ac Eccleſia eorum, qui coram Deo ſuo ſedent, Pſal. 133. nullus imperandi locus ſit. Unde tam ſevere illa e regno Dei proſcribuntur. *Sed fruſtra me colunt, docentes doctrinas, quæ ſunt mandata hominum.* Matth. 15: 19. *Quæ rationem quidem habent ſapientiæ, in cultu voluntario, & ſubmiſſione animi, & in eo quod corpori non parcant; nec tamen ullius ſunt pretii.* Col. 2: 23. adde 1. Tim. 4: 3, 4, 5.

VII. Quæ *dubia* ſunt, & ambigua; & in quibus, aut conſilium, aut *ſive du-*
illatio ex verbo Dei, certiſque ejus regulis, locum habet; de iis Eccleſiæ *bia;*
vel fratrum judicium audire par eſt. Qui, ſi quod ex Scripturis verbum habent, tradere, omnique demonſtrationis vi roborare; in re autem incerta conſilium, juxta charitatis ac prudentiæ legem, in Domino explicare debent. Quod Apoſtolus facit, 1. Cor. 7: 12. *Reliquis autem ego dico, non Dominus* — &c. Eſt autem omnium, fratres docentes monentesque audire, ac ad factam e Scripturis demonſtrationem attendere. Quæ ſi proba & recta ſit, ac iſta luce, ut ab aliis quoque videri poſſit; tum ille, qui convictus fuerit, ad credendum & obtemperandum obligatur. Si quis vero ἀποκάλυψιν illam nondum habeat, nec de mente Dei perſuaſus ſit; ille, modo verba fundamenti retineat, ac verborum Dei metuens

depre-

Digitized by Google

deprehendatur, nec ex vana contentione aut ambitione quicquam faciat; iſta in re non-judicandus, nec ullo præcepto obligandus eſt. Nihil enim in Eccleſia, propter auctoritatem dicentis recipiendum eſt; nec talis in Eccleſia poteſtas exiſtit.

ſive generatim duntaxat determinatæ.

VIII. Quod attinet denique externas divini cultus circumſtantias, & *modum*, ſine quo ille decore & cum ædificatione exerceri non poteſt: ille a cœtu abſque dubio conſtitui debet. Habetque ille ſummum in ἐυταξίᾳ, juxta charitatis & prudentiæ leges, ordinanda arbitrium. Idque ex confœderata piorum diſciplina neceſſarium eſt. Ac pertinet huc canon Apoſtolicus: *Omnia decenter & ordine fiant.* 1. Cor. 14: 40. Nec cuiquam ordini iſti intercedere, aut per contemptum quicquam facere, licet. *Obedite ductoribus veſtris & cedite.* Hebr. 13: 17.

Quæ Patrum-familias ac Seniorum hic poteſtas ſit.

IX. In cœtu autem illo, ubi ille privatim convenit, præcipua *Patrum-familias*, eorumque, qui ſub aliorum poteſtate non ſunt, auctoritas eſt. Quibus reliqui, qui ſub eorum poteſtate ſunt, non ſolum boni ordinis, ſed & debitæ obedientiæ cauſa, obſequium debent. Sed & *Senioribus*, atque viris de cœtu delectis, publicam illam & communem Eccleſiæ curam tradere, ac ordini ab ipſis ſtatuto univerſum cœtum ſubjicere, non iniquum eſt. Ita tamen ut nullus fratrum a ſeſe abdicare poſſit illa officia, quæ ab ipſo, cum publice, tum privatim, reliquis fratribus debentur. Quæ varia ſunt. Atque ubi ita Eccleſia regitur, ſanctuſque ordo obſervatur, atque omnia amori ac ædificationi ſerviunt, nec dominatio aut tyrannis viget; ibi *ſedent fratres una, coram Domino,* tanquam unico legiſlatore & præceptore: ac *regnat Deus in Zione, & coram Senioribus ejus eſt gloria.* Pſal. 133: 1. Eſai. 24: 23.

Eccleſiæ poteſtas circa ritus ſignificativos.

X. Non pertinent autem ad boni ordinis præcepta, ea quæ prorſus libera ſunt; quæque, quomodocunque fiant, ad cultum Dei nullum magnopere momentum habent. Nec quicquam hic præſcribi poteſt. Multo minus ut illa *in ritus ſignificativos* mutari facile debeant. Ut ſi quis candida veſte, neſcio cujus myſterii cauſa, indui malit: aut in cultu divino multifarias geſticulationes adhibeat. Non enim Eccleſia oneranda; nec quiſquam in talibus judicandus; multo minus ſanctitas ac religio in rebus illis collocanda eſt. Cum pietas, & religio, & cultus Dei, ſine illis poſſit conſiſtere; atque illa leviculis iſtis aſtringi ab hominibus nullo modo poſſit. Nec alia *ſignorum ſacramentalium* apud Pontificios ratio eſt. De quibus idem judicium fieri debet.

An illa

XI. Atque ita patet, quid de Eccleſiæ poteſtate legiſlativa exiſtimandum

Digitized by Google

dum ſit; quod videl. ea in conſtituenda ἐυταξίᾳ, & cultus publici ordi- *leges ferre poſſit obligantes conſcientiam:* neac modo determinando, fere tota conſiſtat. Per quam tamen privatorum conſcientiæ non ultra obligantur, quam ut offendicula vitentur, nihilque proterve, ac per contemtum Eccleſiæ, cultuſve publici, peragatur. Qui vero ab Eccleſia conduntur *Canones* de fidei dogmatibus, illi ex ſola Scriptura auctoritatem habent. Ac reliqui porro miniſtrorum ſermones, traditæque ab ipſis vitæ & morum regulæ, admonitiones potius de verbo Dei depromptæ, quam veræ leges aut ἐντολαὶ habendæ ſunt.

XII. Ut Pontificiæ Eccleſiæ faſtum mirari liceat, quæ Epiſcopos in *juxta Pontificios;* diœceſibus ſuis, & Pontificem Romanum in Eccleſia univerſa, veros eſſe principes Eccleſiaſticos aſſerit; iiſque, inconſulta plebe, ac fratrum cœtu, ipſiſque etiam Presbyteris, pro arbitrio, leges quæ conſcientias obligent, ferendi, & coram judicio Dei obligandi auctoritatem tribuit; ac tandem in inobedientes non ſolum edictis ſævire, eoſque rebus cœleſtibus excludere, ſed & corporalibus pœnis coërcere, permittit. Quæ a vero non parum abeunt.

XIII. 1. Unus enim in Eccleſia dominus, ac unus legiſlator eſt. *qui refutantur.* *Jehova eſt judex noſter, Jehova legiſlator noſter, Jehova eſt Rex noſter. Ille ſalvat nos.* Jeſ. 33:22. *Unus eſt legiſlator, qui poteſt ſervare & perdere. Tu quis es, qui damnas alium?* Jac. 4:12. 2. Nec Euangelii miniſtri Eccleſiæ domini, ſed legis divinæ præcones, ac in regno iſto Chriſti miniſtri ſunt. Omni autem dominatu ipſis interdicitur. *Scitis principes gentium in eas dominari, & magnates poteſtatem exercere in eas. Verum non ita erit inter vos.* Matth. 20:25,26. *Paſcite gregem Dei, qui penes vos eſt; illius inſpectioni vacantes, non coacte, ſed libenter — neque ut dominantes cleris, ſed ut qui ſitis exemplaria gregis.* 1. Pet. 5:2,3. *Pretio emti eſtis. Ne eſtote ſervi hominum.* 1. Cor. 7:23. *Non quod dominemur veſtra fidei, ſed quod adminiſtri ſimus gaudii veſtri.* 2. Cor. 1:24. 3. Cumque Eccleſia Chriſti regnum ſit, nulla hominum mandata ibi locum habent; nec illa præſtare, eſt cultum Deo exhibere. *Sed fruſtra me colunt, docentes doctrinas, quæ ſunt mandata hominum.* Matth. 15:9. 4. Denique ex præhabito rerum omnium, quæ ſub Eccleſiæ curam cadunt, examine, patet nullum legibus proprie dictis locum ſupereſſe. Nam quæ neceſſaria ſunt, ea Dei lege jam comprehenſa ſunt: quæ libera ſunt & indifferentia, illa nulla humana lege coërceri debent.

XIV. Nec recte ad Leviticorum ſacerdotum exemplum provocant,

Digitized by Google

de quibus Deut. 17: 12. *Vir autem ille, qui commiſerit ſuperbe, ut non auſcultet ſacerdoti, conſtanter miniſtranti ibi Jehovæ Deo tuo, aut ſummo judici, utique morietur vir ille.* Quanquam enim Pædagogis illis (qui tamen non tam Eccleſiaſtici, quam politici hic inducuntur) privum quid in Eccleſia olim conceſſum fuerit, quod abrogatis eorum thronis una cum ipſis extinctum eſt; tamen ne ipſorum quidem mandata populum obligabant, niſi quatenus legem, a Deo traditam, docerent; cujus illi peculiariter, & non ſine imperio, a Deo conſtituti erant cuſtodes & vindices: *Ex præſtituto legis, quam docuerint te, & ſecundum judicium illud, quod dixerint tibi, facito* &c. ꝟs 11. Nec plus præſidii in Apoſtolis reperiunt. Mittuntur enim illi, *ſicut miſſus & Chriſtus*, Joh. 20: 21. non æquali poteſtate, nec ad leges ferendas, ſed ad Euangelium prædicandum. Nec *poteſtas ligandi*, quæ ipſis traditur Matth. 16: 19. eſt poteſtas nova onera, novaſque leges imponendi, ſed poteſtas clavium circa fideles exercenda. De qua deinceps. Denique Act. 15: 28. non novam legem ferunt Apoſtoli, ſed latam olim a Deo legem repetunt; ne ex improviſa libertate in recenti Eccleſia ſcandalum oriretur. Cui cavendo, ac Eccleſiæ paci ſervandæ, hæc διάταξις unice ſerviebat; neque ultra obligabat: ſicuti, mutatis illis circumſtantiis, tandem ultro obligare deſiit. Quanquam nec omnis illa poteſtas, quæ Apoſtolis ſingulariter, & extra ordinem, collata eſt, ad ordinarios Eccleſiæ miniſtros pertinet.

CAPUT V.

De Diſciplina Eccleſiaſtica.

Sequitur DISCIPLINA *Eccleſiaſtica, in poteſtate* CLAVIUM.

I. LEges Eccleſiaſticas excipit *Judicium* Eccleſiaſticum, quod in Diſciplina præcipue ſe exerit. Eccleſiæ enim mandatum eſt judicium, & diſciplinæ cuſtodia. *Sic dicit Jehova, ſervate judicium, & facite juſtitiam: nam propinqua eſt ſalus mea, ut veniat, & juſtitia mea, ut reveletur.* Eſai. 56: 1. Quæ *clavium* poteſtate in Nov. Teſt. exprimitur. Matth. 16. Similitudine ab œconomorum & adminiſtratorum domus, Eſai. 22: 22. aut a Doctorum legis, qui inter alia, clavium traditione creabantur, quo pertinet clavis cognitionis, Luc. 11: 32. aut etiam a janitorum templi officio, deducta.

Ad-

Digitized by Google

Adverte cor tuum ad introitum domus, cum omnibus exitibus ſanctuarii. Ezech. 44: 5. *Et populum meum docebunt diſtinguere ſanctum & commune, & internoſcere inter impurum ac purum.* com. 23.

quæ aliter diviſæ Pontificiis:

II. Dividunt eas Pontificii in claves *ordinis* & *juriſdictionis*. Quarum illas etiam Presbyteris, has ſolis Epiſcopis concedunt: quibus præter verbi & ſacramentorum poteſtatem, cauſarum præterea & controverſiarum cognitionem, & publicum Eccleſiæ regimen, deferunt. Sed Scriptura illud Presbyteri ac Epiſcopi diſcrimen ignorat.

aliter noſtris.

III. Noſtrorum quidam aliter diſtinguunt, inter *Clavem ſcientiæ*, & *regiminis*. Illius mentio occurrit Luc. 11: 52. ubi Scribis *πατροπαραδότου κατηχήσεως* corruptio, &, metaphora quadam, clavium ſibi creditarum vel adulteratio vel occultatio objicitur. Clavem *regiminis* rurſus triplicem faciunt: *Miniſterii*, in verbi & ſacramentorum adminiſtratione; *Ordinis*, tum in doctrinæ integritate conſervanda, per communes formulas, tum in Eccleſiæ *εὐταξίᾳ* conſtituenda; & *Correptionis*, quæ diſciplina Eccleſiaſtica dicitur. Sed hæc diviſio non uno incommodo laborat.

Ut ſint cum in prædicatione Evangelii; tum in exercitio diſciplinæ.

IV. Catecheſis duplicem ponit clavem, cum in *Evangelii prædicatione*, tum in *diſciplinæ exercitio*. Ac illa quidem magis publica eſt, dum credentibus, Chriſti nomine ac juſſu, ſalutis præconium perhibetur, & cœlum veluti aperitur; incredulis autem, quamdiu iſto in ſtatu manent, contemtæ ſalutis ſupplicia, ac diræ, ac divina Nemeſis, denunciantur. *Sic dilexit Deus mundum, ut filium unigenitum dederit, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, ut judicet mundum; ſed ut mundus ſalvetur per eum.* Joh. 3: 16. *Qui inobediens eſt filio, non videbit vitam; ſed ira Dei manet ſuper eum.* com. 36. Hæc autem magis perſonalis eſt, ac ſingularibus perſonis cœleſtes iſtas cenſuras, vel venias, ac redditam Dei ac Eccleſiæ pacem, annunciat. Non alia autem quam Evangelicæ prædicationis auctoritate nititur: quæ ſumma ac primaria, ſi non unica, miniſtrorum clavis eſt.

Quibus claves hæ commiſſæ ſint: proprie Petro & Apoſtolis;

V. Clavium & diſciplinæ ſub N. F. auctor eſt Chriſtus, Eccleſiæ Dominus. *Hæc dicit ſanctus & verax, qui habet clavem Davidis: qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.* Apoc. 3: 8. Qui iſtum in Eccleſia ſua ordinem, ac diſciplinæ vigorem, inſtituit; &, ne ſanctum limen ab impuris calcaretur, claves regni cœlorum, h. e. Eccleſiæ ſub N. F. Judæis Gentibuſque credentibus aperiendæ, incredulis autem clau-

diminuto ſenſu aliis miniſtris.

dendæ, Petro primum ac poſt eum Apoſtolorum collegio, ſingulari ac infallibili auctoritate,&, poſt eorum exceſſum, ordinariis Eccleſiæ miniſtris, inclinato licet ſenſu, minoreque auctoritate, concredidit. *Tibi dabo claves regni cœlorum: & quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in cœlis; & quicquid ſolveris in terra, erit ſolutum in cœlis.* Matth. 16: 19. Quin & diſcipulis omnibus privatiſque, qui læſi ſunt, dicit, *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata in cœlo: & quæcunque ſolveritis in terra, erunt ſoluta in cœlo.* cap. 18: 18. Iterumque Apoſtolis: *Si quarum remiſeritis peccata, remittuntur eis: ſi quorum retineatis, retinentur.* Joh. 20: 23. *Profecti, docete omnes gentes, baptizantes eos — Ecce ego vobiſcum omnibus diebus iis, quæ ad conſummationem ſeculi.* Matth. 28: 19, 20. Convenit autem illis ſolum miniſterium, tanquam familiæ divinæ œconomis: *Sic de nobis reputet homo, ut de miniſtris Chriſti, & diſpenſatoribus myſteriorum Dei,* 1. Cor. 4: 1.

Duæ præcipuæ circa diſciplinam controverſiæ.

VI. Hoc ut plenius intelligatur, breviter tractandæ ſunt duæ nobiles quæſtiones, quæ huic rei inſignem lucem fœnerabuntur, quæque Eccleſiam hodie exercent. De quibus paucis arbitrari æquum eſt. Ac 1. quæritur, an omnino talis aliqua vel diſciplina, vel judicatura in Eccleſia detur? & an juris ac inſtitutionis divinæ, an vero Eccleſiaſticæ duntaxat auctoritatis & conſuetudinis ſit? 2. Deinde a quibus eo exercenda ſit? anne ab Eccleſiæ miniſtris, an vero a Magiſtratu politico?

1. An illa in Eccleſia inſtituta ſit? Quod aſſeritur & probatur 1. Ex natura cœtus ſeu Eccleſiæ.

VII. Ad priorem quæſtionem reſpondemus: 1. dubitari non poſſe, quin, ut omni bene ordinatæ ſocietati ac hominum cœtui, ita etiam ſocietatibus Eccleſiaſticis poteſtas adſit, ſeparandi de ſuo grege homines incommodos & incongruos, ſuique cœtus maculas & probra. Hæc enim ſive poteſtas, ſive ordo, ſive diſciplina, ex mutua confœderatione neceſſario conſequitur. Nec ſine ea ullus cœtus ſubſiſtere poteſt. Ut Eccleſiæ nulla ratione fratrem inobedientem admonendi, corripiendi, vitandi, Eccleſiaſtica denique ſententia percutiendi, deque grege ejiciendi, poteſtas & auctoritas adimi poſſit.

2. Ex inſtitutione Chriſti.

VIII. 2. Neque ſolum naturaliter ea poteſtas (ita enim nunc appellare libet) Eccleſiæ, ut bene ordinato hominum cœtui, competit; ſed & Chriſtus ipſe iſtum ordinem, qui in Eccleſia Judaica jam obtinebat, in Eccleſia ſua quoque conſtituit & præſcripſit, iſtamque judicandi auctoritatem Eccleſiæ dedit. Ita enim Matth. 16: 19. mentio fit *clavium regni cœlorum*, Petro traditarum, quibus illud non reſeratur ſolum, ſed & clauditur, ne profanis eo aditus ſit. Et Matth. 18: 17. apert juſſit,

Matth. 16: 19. & 18: 17.

Dic

Digitized by Google

Dic Eccleſiæ: & peccatorem, poſt correptionum gradus, ac Scripturarum ἔλεγχον, Eccleſiaſtico judicio denique, prout & Judæis in more erat, notatum, dehinc a læſis evitari, & pro Ethnico ac publicano, quocum nullum ſacrorum commercium ſit, ac privatim quoque non magnus uſus intercedere debeat, haberi voluit.

IX. 3. Poſt Chriſti Domini auctoritatem, quam fruſtra diſciplinæ hujus contemtores ſollicitant, facit huc quoque Apoſtolicæ Eccleſiæ uſus; & ipſi Apoſtoli, diſciplinæ hujus cuſtodes & vindices acerrimi. Quo pertinent quæ ex epiſtolis Paulinis allegantur. Rom. 16:17. *Precor autem vos, fratres, ut obſervetis diſſidiorum & offendiculorum auctores, contra doctrinam, quam vos didiciſtis, & declinetis ab eis.* 1. Cor. 5: 11. & 13. *Tollite igitur iſtum improbum ex vobis ipſis.* Ubi reſpicit procul dubio ad loquendi illum modum, in lege frequentatum, de malo e medio populi auferendo, Deut. 17:7. & 19:9. & 21:21. & 22:21. & 24:7. *Quod ſi quis non auſcultat noſtro per epiſtolam ſermoni, hunc notate: & ne commercium habete cum eo, ut erubeſcat.* 2. Theſſ. 3: 14, 15. *Hæreticum hominem, poſt unam & alteram admonitionem repelle.* Tit. 3: 10. Ac referunt huc quoque, licet forte minus commode, quidam illud Gal. 5: 12. *Utinam etiam abſcindantur, qui vos inquietant!* Ac ſuccinit Johannes in epiſt. Catholica ſecunda, com. 10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, ne recipite eum domum, nec ave ei dicite.* *3. & Apoſtolorum praxi.*

X. Quod autem Apoſtolus habet 1. Cor. 5: 3. de probroſo quodam homine *Satanæ tradendo*, id proprie non de ordinaria diſciplina, ſed de majori quadam ac peculiari Apoſtoli poteſtate accipiendum eſt. Cum enim publicam cenſuram Eccleſiæ mandaſſet, com. 2. ſuperiorem hanc poteſtatem ſibi ſoli reſervat. Conf. 1. Tim. 1: 20. *Ex quibus eſt Hymenæus & Alexander, quos tradidi Satanæ, ut caſtigati diſcerent non blaſphemare.* Intelligit autem corpoream aliquam pœnam & vexationem, qua peccator ille caſtigatus & domitus, frenum tandem accipere, & Domino parere diſceret. Quod Apoſtolo dicitur, *ad interitum corporis, ut anima ſervetur in die Domini.*

XI. 4. Atque hæc quidem ſufficere poſſent ad iſtam Eccleſiæ judicaturam probandam. Quæ enim ex V. T. exempla petuntur, non per omnia ejuſdem generis ſunt, adeoque non ſatis commode ad hanc rem referri poſſunt. Quod enim huc referunt, ab ipſo mundi exordio, latum a Deo ipſo in Angelos apoſtatas judicium: & Adami extro Paradiſum *4. An recte ex V. T. hæc diſciplina probetur.*

 exilium,

exilium, procul a myſticæ arboris aſpectu aut contactu: & Caini a facie Dei fugam: hæc divini potius judicii, quam humani aut Eccleſiaſtici exempla ſunt.

Quando ſub eo introducta videatur: XII. Sub lege deinde incircumciſos, & legaliter immundos, templo ac cærimoniis prohibitos conſtat. Exod. 12:48. Ezech. 44:7, 9. Lev. 13:2, 3. 2. Chron. 26:20, 21. Lev. 5:2, 3. 12:2. Num. 9:6--10. De morum autem ac doctrinæ labe altum ibi ſilentium, nec tales ſacrificiis aut tabernaculo interdicti leguntur.

& quibus gradibus. XIII. Hoc certum eſt, labente paulatim republica & *αὐτονομίας* ſub exterorum imperio, ſub templo ſecundo excommunicationem inter Judæos audiri cœpiſſe; cujus primum exemplum videtur occurrere Ezr. 10: 7, 8. Ita deinceps de Synagoga leguntur ejecti, qui contra ſacrorum leges peccaverant. Quod in Novo Teſt. eſt, *ἀποσυνάγωγον ποιεῖν*, *ἀφορίζειν*, *ἐκβάλλειν*, Joh 9:22, 33, 34. & 11:22. & 16:2. Unde & in templo ſecundo peculiaris excommunicatorum porta. Ita & ſub eodem templo aliqui tres diſciplinæ gradus apud eos numerant, נדוי *Nidduï*, חרם *Cherem*, & שמתא *Shammatha*. Quorum illud aliquem male Eccleſia & promiſcuo convictu arcebat: iſtud peccatorem, ut profanum, ac a republ. Iſraëlis alienum, non ſine diris & maledictionibus, extra Eccleſiæ ac Reipublicæ illius pomæria relegabat; ne nemini ſine crimine cum eo eſſe & verſari, & edere ac bibere liceret; cum tanquam incircumciſus haberetur; hoc autem cum ſuprema tandem ſententia percellebat, ac extra Eccleſiam ejectum, ſine ulla impoſterum venia, horrendo carmine, congeſtiſque diris ac execrationibus, inter tubarum ſtrepitum, Dei tandem judicio relinquebat. Rectius tamen alii extremam iſtam ſententiam apud eos non agnoſcunt. Cum *Nidduï* & *Shammatha* fere alternent, nec ſignificatu, ſed gradu tantum, differant. Ita ut tantum duo excommunicationis gradus apud illos fuerint; qui in *Cherem*, quod exterminationem ex Iſraële dicebat, terminabantur. *Maranatha* autem, quod cum *Shammatha* quidam perperam comparant & confundunt, Syriace dicit, *Venit Dominus;* & pro confeſſionis Chriſtianæ, de qua 1. Joh. 4:2. ſymbolo adhiberi creditur ab Apoſtolo, 1. Cor. 16: 22. alluſione ad prophetiam Enochicam facta, de horrendo Dei judicio. De qua Jud. ℣s 14, 15. *Ecce venit Dominus, cum myriadibus ſanctis ſuis, ad faciendum judicium de omnibus, & ad redarguendum impios eorum, de omnibus operibus impietatis ſuæ:* ſeu potius eſt pronunciatio maledictionis ſeu anathematis in Judæos, Chriſti Euangeliique ejus oſores; juxta vati-

Digitized by Google

vaticinium Mal. 4. *Ne veniam & percutiam terram anathemate.*

XIV. Ex quibus omnibus non levis conjectura eſt, diſciplinam iſtam, è Judæorum Synagogis in Chriſtianorum Eccleſias introductam, & ad earum exemplum a Chriſto Apoſtoliſque efformatam. Quod & vocabulorum ſimilitudo ſuadet, ἀφορίζειν, ἐκβάλλειν, ἀναθεματίζειν, ἀποσυνάγωγον ποιεῖν. Et cum primæ Chriſtianorum Eccleſiæ ex Synagogarum Judaicarum ruinis potiſſimum creverint; omnino probabile eſt, primos fideles, patriam iſtam diſciplinam, qua tanquam legis & religionum ſepimento, ſub externis præcipue principibus, utebantur, etiam, ubi Chriſtum induiſſent, in cœtibus ſuis ſervaſſe. Iſta enim tum Eccleſiæ, ab Ethnicis principibus non neglectæ ſolum, ſed & exoſæ, ac undique exagitatæ, conditio erat, ut non niſi confœderata illa diſciplina magiſtra ſtare poſſet.

Hinc traducta videtur ad Eccleſiam N. F.

XV. Unde reſponſio quoque ad *alteram quæſtionem* patet; ad quos diſciplinæ hujus poteſtas & exercitium ſpectet; an ad Eccleſiam miniſtroſque ejus, an vero ad Magiſtratum? Nos enim a Chriſto Apoſtolis & Eccleſiæ traditas illas claves legimus, Matth. 16:18. & 18:17, 18. & Joh. 20:22. Chriſtus enim, ubi de corripiendo fratre agit, reique iſtius ordinem & diſciplinam pandit, *ad Eccleſiam* rem omnem deferri, atq; ab Eccleſia peccatorem admoneri, corripi & judicari denique jubet.

II. A quibus exercenda Eccleſia, an Magiſtratu civili? aſſeritur prius, & probatur.

XVI. Hoc vero ut clarius pateat, civilis ac ſacri regiminis diſcrimen breviter præmittendum eſt: inde de excommunicatione propius videbimus, quæ Eccleſiæ, quæ Magiſtratus Chriſtiani hic partes ſint, aut eſſe debeant.

XVII. Ac primum quod attinet, diſtinguunt communiter Theologi duo poteſtatum ſeu regiminum genera, eccleſiaſticam, ſive ſacram, & civilem. Atque illa, maxime ubi ſeparata ſunt, natura ſua differre volunt; cum objecto, fine, forma & modo, inter ſeſe fere differant. Illius enim *objectum* eſt fidelis & Eccleſiæ; hujus, Reipublicæ, civis. Illa circa res ſpirituales, & hominem internum; hæc circa res terrenas, & hominem externum multum verſatur. Illius *finis* eſt, ſancta Eccleſiæ ædificatio, & peccatoris emendatio; hujus, licet ſacrum quoque finem habeat, peculiaris tamen finis eſt Reipublicæ ſecuritas, & pacis conſervatio; quam vindice gladio tutari, malefериatos homines compeſcere debet. Unde diverſus ubique procedendi *modus*, Eccleſia etiam in leviora, magiſtratu in graviora tantum crimina, quæ publicam pacem turbant, animadvertente. Cumque Eccleſia pœnitenti peccatori ignoſcat,

Diſcrimen poteſtatis civilis & eccleſiaſticæ.

ſcat, quin & congratuletur; civiles tamen leges ei pœnas irrogare non deſinunt; quin &, cum vita, nonnunquam pœnitendi ſpatium & viam tollunt; quoniam ita publice intereſt; ac ignorant illæ moras iſtas, & gradus, & molimina, quibus Eccleſia peccatorem ad ſanitatem deducit. Denique & forma: civilis poteſtas eſt αὐτοκρατορικὴ, & cum imperio, ac cogendi auctoritate; cum Eccleſiæ nil niſi miniſterium relictum ſit; nec vi ac coactione, ſed ſolo verbi Dei elencho uti poſſit.

Controverſia de diſciplina Eccleſiæ præcipue mota ab Eraſto.

XVIII. De hac autem, quæ ſola Eccleſiæ ſupereſt, poteſtate quidam illi controverſiam movent; ac quicquid ejus generis eſt ad magiſtratum politicum pertinere contendunt. Quam de excommunicatione controverſiam movit ſuperiore ſæculo *Thomas Eraſtus*, Medicus Heidelbergenſis. Quem præiverat *Brunerus*, eadem in urbe Eccleſiæ Miniſter. Quibus Beza reſpondit. Cenſebant enim Helvetii, jam inde a Zuinglio, ſub Magiſtratu Chriſtiano, excommunicationis vix aliquem magnopere uſum eſſe: cum ille officium facere, ac ſceleratos civili auctoritate compeſcere debeat. Verum illi ulterius tendebant: Eccleſiæ nullam proprie excommunicandi poteſtatem a Chriſto datam eſſe: unde illam, ſub magiſtratu Chriſtiano, iſtam auctoritatem uſurpare, ex mera Magiſtratus delegatione: cum omnis politia externa, omne regimen, omniſque minorum cœtuum poteſtas in republica, a ſumma majeſtate derivari, inque eam refundi, debeat: unde nolunt quoque auctores illi, Magiſtratuum faſces Eccleſiaſticorum ſententiis obnoxios eſſe: non enim aliter quam per modum conſilii ipſos audiri: quæ etiam Clar. viri Riveti ſententia eſt. Similiter a ſententiis Eccleſiaſticis ad magiſtratuum tribunalia provocationem permittunt; utpote quibus ultimum ac ſupremum rerum omnium in reipubl. judicium conveniat. Imo improprie Eccleſiæ forum, & ſententiæ dictionem, attribui: cum non aliquam verbi prædicandi poteſtas ei conveniat, nec quiſquam, niſi volens, eam audire teneatur. Ac peccatorem quidem, qui ſalutis ſuæ cura ducitur, illam audire, deque ſcandalo ſatisfacere, atque Eccleſiæ nonnunquam publice reconciliari debere: non tamen iſtud forum aliquod Eccleſiæ inferre; cum illud vel minimo Chriſtiano, quem læſerit, hoc officium debeat; atque in omni hominum cœtu ac collegio iſtud locum habeat; quæ in totidem fora & tribunalia in republica erigere inauditum ſit.

Illius ſententia: (margin note beside the preceding paragraph)

ejuſque ἐπίκρισις.

XIX. Ita illi. Quibus nos brevem hanc ἐπίκρισιν ſubjungimus: 1. Aliud in diſciplina Chriſtiana eſſe ligationem & ſolutionem per verbum; aliud, excommunicationem. Atque in ea rurſus diſtingui debe-

re,

Digitized by Google

re, abſtentionem a Cœna, ſeparationem a cœtu, denique devotionem per diras. 2. Ligatio & ſolutio, per verbum, unicuique Chriſtiano, qui verbum illud in ore habet, competit. Nec erga fratrem pœnitentem vel impœnitentem iſta fraternitatis officia omitti debent. 3. Præcipua tamen diſciplinæ cuſtodia ad paſtores pertinet; qui ligant & ſolvunt ratione muneris. Unde ipſis ovilis cura data. 4. Ad diſciplinam hanc pertinet abſtentio a S. Cœna. Sanctiſſima enim Chriſtianorum pignora profanari non debent, neque indignis & ſcelerum manifeſtis communio Chriſti obſignari. Ac Eccleſiæ intereſt, ſceleroſum hominem, vel qui alioquin dato ſcandalo fraternitatem læſerit, a communi paſtu arceri. Cujus rei arbitrium ac judicium penes reliquas oves, oviumque magiſtros, eſt. 5. Eadem eſt ratio ſeparationis de cœtu. Quæ cura, tum Chriſti & Apoſtolorum juſſu, tum ex jure naturali, cuicunque hominum cœtui competente, Eccleſiæ commiſſa eſt. Sicuti corporis eſt, tabida ac fluentia membra, ne ultra noceant, de communi corpore ſeparare. 6. Atque ubi Eccleſia libera eſt, nec quicquam cum republica commercii habet, privo jure diſciplinam iſtam adminiſtrat. 7. Ubi vero magiſtratus de æterna ſubjectorum ſuorum felicitate ſollicitus, non rempublicam ſolum, ſed Eccleſiam quoque curat; tum ſub tutela illius, ac auſpiciis, Eccleſia res ſuas placide agit. 8. Et quanquam, ubi magiſtratus officium facit, in peccatis extirpandis, ulteriori Eccleſiæ cenſura non adeo opus ſit: attamen, cum nunquam ita beatæ ſint reſpublicæ, ut omnes temere loquentes, vel ambulantes, coërceantur; atque ea Eccleſiæ ſit ſanctitas, ut non ſufficiat intra leges publicas probum eſſe; cum aliæ Chriſti, aliæ Cæſaris ſint leges: ac aliud Paulus noſter, aliud Papinianus loquatur; ac longe plura in cœleſtis quam in terrenæ civitatis cive requirantur: equidem recte agunt magiſtratus, quod accuratiorem iſtam diſciplinæ cuſtodiam Eccleſiæ relinquant. 9. Eſt tamen eorundem advertere, ut Eccleſia ac miniſtri officium faciant; ne diſciplinæ prætextu regnum aliquod religionis agitent, aut immitibus ſententiis in gregem promiſcue graſſentur. 10. Quod vero excommunicationem ulteriorem attinet, qua quis ultimis diris configitur, &, lata quaſi ſententia, cum poteſtate, de rebus cœleſtibus excluditur; illam non agnoſcimus. Cum nulla talis in Eccleſia poteſtas ſit. Nec aliud quam verbi miniſterium hic agnoſcendum eſt, per quod peccator pœnitens, aut impœnitens, ſolutus aut ligatus declaratur. Eſtque hæc Pontificiæ Eccleſiæ arrogantia; qui in Eccleſia tribunal, judicia, judices, forum inter-

num &c. loquuntur; atque ejuſmodi poteſtatem mentiuntur, qua ſi quis Eccleſiæ ſententia percuſſus ſit, inſons alioquin & innocuus, tamen hoc ipſo deteriori apud Deum conditione ſit quam antea. Quæ ſæva & Antichriſtiana ſunt.

Quo modo Eccleſia diſciplinam exerceat.

XX. *Eccleſia* autem vox, qua Chriſtus Matth. 18: 17. utitur, reſpondet 1. τῷ קהל/ ac totius populi cœtum notat. *Hic eſt ὁ γενόμενος ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ in deſerto cum Angelo*, Act. 7: 38. Sunt ergo in hoc negotio aliquæ totius cœtus partes. Non enim de fraternitate, niſi fratrum conſenſu, quiſquam excludendus eſt. Atque omnes de redargutione, an rite facta ſit, judicare debent. Nec poteſt Eccleſia, vel ullus fratrum, a ſe abdicare judicium, quod ab ipſo vel privatim, vel publice, erga peccatorem contumacem exercendum eſt. 2. Veruntamen & hoc verum eſt, poſſe fratrum cœtum Senioribus, de corpore ſuo delectis, poteſtatem aliquam dare, ut præcipua cœtus cura fungantur, & ſeparatim ea tractent ac curent, quæ ad univerſam Eccleſiam pertinent; quæque ob nimiam fratrum frequentiam, utque confuſiones caveantur, coram toto cœtu agi non poſſunt. Atque huc ſpectant verba Catecheſeos, quæſt. 85. *Eccleſia indicantur, aut iis, qui ab Eccleſia ad iſtam curam conſtituti ſunt.* 3. Poſſe autem iſtud fieri, & in magnis quoque cœtibus fieri oportere, non ſolum honeſtas & decorum, quod in omnibus rebus obſervandum eſt, ſuadet: cum in populari judicio, ubi multi ad curam iſtam inepti ſunt, plerunque tumultu & partim ſtudiis omnia geri videamus: *Non* autem *eſt tumultus auctor Deus, ſed pacis, ut in omnibus Eccleſiis ſanctorum. Mulieres veſtræ in conventibus ſileant* &c. 1. Cor. 14: 33, 34. Sed & in Veteri olim T. ſacerdotum Leviticorum ea cura erat, quorum erat inter purum & impurum diſcernere, Lev. 10: 9, 10. Hagg. 2: 11, 12. Ezech. 44: 23. Et in Novo Teſt. Chriſtus, ubi diſciplinæ ordinem inſtituit, ut in pleriſque novæ Eccleſiæ inſtitutis, ita etiam hic, ad Eccleſiæ Judaicæ formam illam compoſuit. Ibi autem judicia, non ab univerſa plebe ſed a ſynedrio, ſelectiſque viris tractabantur. conf. Luc. 22:66. Act. 22: 5. Sicuti & in Novi Teſt. Eccleſia *Synedriorum* mentio occurrit, 1. Tim. 4: 14. dicunturque Apoſtoli *Seniores* convocaſſe, ut cum iis deliberarent, Act. 21: 18, 22. ac frequens *Seniorum*, 1. Tim. 5. προεστώτων, προϊσταμένων, Rom. 12: 8. κυβερνήσεων, 1. Cor. 12: 28. & *Ductorum* ac *Anteceſſorum*, Hebr. 13. in Scripturis appellatio. Qui Eccleſiæ *oculi* appellantur, 1. Cor. 12: 14, 31. & 14: 32. & *Angeli*, Apoc. 2: 2, 20. Ita ut ſatis pateat, Eccleſiæ gubernationem

nem non eſſe mere democraticam. Iſta enim Anabaptiſtarum moroſitas eſt, qui imperitæ & contentioſæ plebi, imo quidam ex iis ne fœminas quidem excipiunt, omnem hanc judicaturam deferunt. Sicuti ab altera parte Pontificii, ad ſolum Papam & Conſiſtorium ejus hoc judicium referentes, Eccleſiæ regimem monarchicum faciunt. Inter quæ extrema media eſt ſententia, quam explicuimus: quæ ita miniſtris hanc curam aſſignat, ut tamen, non niſi conſcio & acquieſcente cœtu, ea in re arbitrentur.

XXI. Nec morari nos debet difficultas, qualis hic intelligi debeat Eccleſia, an Judaica, an Chriſtiana? & cujuſnam judicandi in Eccleſia partes ſint, an univerſi cœtus, an primorum tantum? Et an non præcipuum quiddam Apoſtolis hic tribuatur? 1. Apparet enim ex loco cognato Matth. 16: 18. eam Eccleſiam intelligi, quam Chriſtus ſuper Petram ædificaturus erat. Proxime enim ad illam promiſſionem conſequuntur hæc verba, *Dabo tibi claves Eccleſiæ.* Ut novam Chriſti Eccleſiam facile intelligamus. Quanquam & Judæorum Eccleſias ac cœtus; quæ, primum converſæ, magna rei Chriſtianæ erant incrementa; ad iſtud uſque tempus, dum nondum publice ab iis diſcedere cogebantur fideles, eo nomine libenter comprehendamus. 2. Cum autem vox קהל / quæ cœtum notat, ut viſum, hic occurrat; apertum eſt, judicium hoc ad univerſum cœtum ſpectare; & partes ejus aliquas a ſingulis tractari debere & poſſe. Non ſolum dum cuncti publico Eccleſiæ judicio ſubſcribunt, ac peccatorem juſte damnatum non amplius fraternum in modum habent: ſed etiam dum & ipſi fratrem temere loquentem vel ambulantem certo in caſu aut ligant, aut ſolvunt; aut, ceſſante forte Eccleſia, pro Ethnico & profano habent. 3. Singulari autem modo iſtud judicium peragebant Apoſtoli: qui non ſolum prædicatione verbi regnum cœlorum & introitum in illud, hominibus aperiebant; ſed & nunquam fallente calculo, quos viſum erat, ſuprema auctoritate vel abſolvebant, val damnabant; eratque quicquid illi agebant, ratum protinus & firmum in cœlo; cum clave, uti appellant, non errante univerſum illud miniſterium peragerent. Quo pacto ſpeciali ac excellentiori quodam modo promiſſæ iis cœli claves. Matth. 16. Joh. 20. Nec hæreditatis iſtius ſucceſſio ad Pontificem Romanum, qui ſeſe portarum cœli calves de zona penſiles habere jactat, ullo modo pertinet. Ordinaria autem diſciplinæ cuſtodia univerſæ Eccleſiæ, cunctiſque ejus miniſtris, ex æquo incumbit.

Qualis hic Eccleſia intelligatur.

XXII. Denique immerito in dubium vocat Eraſtus, an verba, *Si tibi*

Digitized by Google

velut Ethnicus & Publicanus, peccatorem de cœtu exulem, & ſacris ac cærimoniis interdictum, notent. Conſtat enim ſatis, quid Judæi iſta phraſi velint; & quo in numero, ac qua in ſacrorum parte Ethnicos ac Publicanos habeant. Talis autem fratri læſo erat lædens: ſi admonitionibus locum non daret: talesque Synagogæ habebantur obſtinati peccatores; adeoque ad ejus exemplum, ita præſcribente Chriſto, eodem loco illi habendi ſunt Eccleſiæ Chriſtianæ.

Diſciplinæ objectum, perſonale, XXIII. *Objectum* diſciplinæ vel *perſonale* eſt, vel *reale*. *Perſonale* eſt frater peccans, Matth. 18: 15. 1. Cor. 5: 11. Qui enim extra Eccleſiæ limen eſt, extra hanc curam degit; ac incuſtoditæ inſtar ovis aberrat. Qui autem Eccleſiæ frater cenſeri vult, cujuſcunque dignitatis ac conditionis ſit, ad hanc curatelam pertinet. *Vos autem ne vocamini Rabbi. Unus eſt enim doctor veſter Chriſtus: omnes autem vos fratres eſtis.* Matth. 23: 8. *Simeon Petrus — τοῖς ἰσότιμον πίστιν λαχοῦσι, gratia.* 2. Pet. 1: 1, 2. *Non eſt ſervus, & liber — ſed omnia in omnibus Chriſtus.* Col. 3: 11. Ut male Pontificii Papam cenſuræ hujus immunem faciant, & à nullo judicari poſſe aſſerant. Quo ipſo illum Eccleſiæ civem & fratrem negant. Sed & perverſe iidem diſciplinam hanc nimium extendunt; & bruta animantia, mortuos, abſentes, ignotos & inauditos, quin integros populos, ſine diſcrimine, inceſto addentes integrum, ſententia iſta percutiunt.

reale. XXIV. Ojectum *reale* eſt tum vitæ, tum doctrinæ, labes. *Si vero peccaverit in te frater tuus, ito & argue eum* &c. Math. 18: 15. *Ne commiſceamini, ſi quis, quum frater nominetur, ſit ſcortator, aut alieni avidus, aut idololatra, aut conviciator, aut ebrioſus, aut rapax: cum ejuſmodi, inquam, ne edatis quidem.* 1. Cor. 5: 11. *Rogo vos, fratres, ut animadvertatis eos, qui diſſidia & ſcandala, præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt; & recedite ab iis.* Rom. 16: 17. *Quorum eſt Hymenæus & Alexander; quos tradidi Satanæ, ut caſtigati diſcant non blaſphemare.* 1. Tim. 1: 20. conf. Tit. 3: 10, 11. 2. Joh. com. 10. Ut male Remonſtrantes de hæreſi dubitent, nec facile quenquam propter illam devovendum exiſtiment. Cum tamen doctrinæ corruptio & venenum à Chriſto nos ſeparet: atque Chriſtus fermentum illud vitari, & expurgari jubeat, Matth. 16: 6, 12. ipſeque tandem Apoſtolus non vereatur talibus anathema dicere. Gal. 1: 18.

partes. XXV. Diſciplinæ partes ſunt, *Correptio fraterna*, & *Excommunicatio*.

XXVI. *Cor-*

XXVI. *Correptio* vel *privata* eſt, vel *publica*. Exprimuntur autem gradus ejus à Chriſto, Matth. 18: 15. &c *Si peccaverit in te frater tuus,* i. e. ſi te læſerit, vel quocunque crimine offenderit, *redargue ipſum, inter te, & ipſum.* Iſtud enim cujuſcunque Chriſtiani officium eſt; nec ulli a fraternis admonitionibus temperare licet. Prov. 27: 5, 6. Faciendæ autem illæ ſine contumelia, *ſine digiti extenſione*, Eſai. 58: 9. animo miti & placido; & cum Scripturarum demonſtratione ac ἐλέγχῳ; ne videamus nos ipſos, ac privatæ pietatis genium in fidei regulam erigere velle. Ac danda præſertim opera, ut qui opprobriis dignum latraverit, integer ipſe exiſtat, monente Chriſto, Matth. 7: 3, 4. Si privatum hoc charitatis officium non ſufficiat, adſciſcendus unus & alter de fratrum cœtu; ut pudor peccatori incutiatur, atque ille repetito amoris officio concedat; ſaltem ut conſcientiam teſtium illorum formidans peccare amplius deſinat. Si fraternis officiis victus eſt, ſalva res eſt, & peccatori condonandum, nec ullus in animo rancor ſervandus eſt. Quin gratulandum nobis de ovicula ad caulam reducta. Sin ſecus, ac incaſſum labor omnis ſumtus, publicandum ejus peccatum, & ad Eccleſiam reus adducendus: *Quod ſi neglexerit eos audire, dic Eccleſiæ.* Matth. 18: 17. Per Eccleſiam autem cœtum fratrum a Chriſto intelligi, atque illum lectis quibuſdam e ſuo numero judicium illud, vel partes ejus aliquas, committere poſſe, mox vidimus. Atque ille, poſt repetitas admonitiones, & Scripturarum ἔλεγχον (quæ eſt *objurgatio illa, facta* a pluribus, 2. Cor. 2: 7. conf. 4: 17. & Tit. 3: 10, 11.) ſi contumax permaneat, & tot officiis emolliri abnuat; tum quidem *habendus eſt pro publicano & gentili*; id eſt, pro eo, qui a fide alienus eſt, cui nulla *fraternitatis* officia præſtare poſſumus; ſed a quo recedendum potius eſt, uti ab impuro, & ſua contage noxio; & cui non collætandum, ſed congemendum eſt; Deuſque votis vocandus, ut pectoris iſtius duritiem, & robur, ſeveriori aliqua diſciplina dedolet, hominemque edomet, & acriori verbere, ſi opus eſt, & flagello admonitum ad Eccleſiæ ſinum reducat. Nam iſtud *charitatis* officium, & ſi quæ alia, ad converſionem ipſius facientia, ab Eccleſia negligi interim non debet. Vide Rom. 16: 17. *Rogo vos, fratres; ut animadvertatis eos, qui diſſidia & ſcandala, præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt: & recedite ab eis.* 1. Cor. 5: 11. *Nunc autem ſcripſi vobis, ne commiſceamini, ſi quis, quum frater nominetur, ſit ſcortator.— cum ejuſmodi inquam ne edatis quidem.* Tit. 3: 10. *Hæreticum hominem, poſt unam aut alteram admonitionem rejice; ſciens*

Correptio, ejuſque gradus.

Digitized by Google

quod everſus ſit talis, & peccet, a ſe ipſo damnatus., 2. Joh. com. 10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, ne ſuſcipite eum domum, & ave ei ne dicite. Nam qui ipſum jubet ſalvere, communicat cum operibus ejus malis.*

Ex communicatio, minor, XXVII. Habet autem hæc excommunicatio etiam gradus ſuos; cum alia ſit *excommunicatio minor*, alia *major*. Illa *abſtentio* dicitur, qua ad tempus a S. Cœna prohibetur peccator. Manet tamen cœtus membrum, nec protinus de fratrum ſocietate ejicitur. Cumque hæc ſit ſententia, nec definitiva, aut abſoluta, ſed interlocutoria, non difficulter liberari ab ea poteſt. Aliter ac Anabaptiſtæ cenſent. Videnturque de ea agere loca 2. Theſſ. 3: 14, 15. *Si quis non auſcultat noſtro per epiſtolam ſermoni, hunc notate, & ne commiſceamini cum eo, ut erubeſcat. Neque ut inimicum ducite, ſed admonete ut fratrem*, & 1. Cor. 5: 12. In majoribus autem delictis, accedente contumacia, adhibetur *excommunicatio major*. *major.* Qua flagitioſus peccator, de Eccleſiæ corpore, ut tabidum membrum, quod peſtem ſuam etiam partibus ſinceris afflare poſſet, ſpirituali enſe veluti exſecatur. Quanquam nec hic omne poſtliminii jus ipſi intercluditur, ſi quidem ad veram pœnitentiam, ac peccatorum ἐξομολόγησιν, redeat; per quam ſemper ad cœleſtem civitatem reditus datur. Supremam enim in peccatorem ſententiam ferre, & catholicis iſtis devotionibus uti, quibus peccatori omnis reditus ac veniæ ſpes in perpetuum auferatur, ac tantummodo horrendum ac dirum Anathema ac Maranatha ingeminare, penes hominem, vel aliquem hominum in Eccleſia conſeſſum, non eſt. Nec tale judicium Eccleſiæ datum eſt. Vid. Matth. 18: 17. 1. Cor. 5: 2. 2. Cor. 7: 12, 13.

officia interim præſtanda. XXVIII. Cum autem peccator a fidelium conſortio ſeparatus eſt; fidelium officium eſt, illum ut inceſtum & maculoſum vitare, nec *fratrum* officia cum ipſo colere; quanquam quæ communis *charitatis* ſunt, quæque tum natura, tum publica jura, & leges flagitant, ipſi deneganda non ſunt. Quin eum, non ut hoſtem haberi, ſed ut fratrem officii ſui identidem admoneri, neque ullam, ut rurſus Eccleſiæ lucrifiat, occaſionem prætermitti Apoſtolus jubet, 2. Theſſ. 3: 14, 15. 1. Cor. 5: 9, 10, 11. Canoniſtæ: *Os, orare, vale, communio, menſa, negatur.*

Diſcrimen diſciplinæ ſub V. & N. T. XXIX. Atque hinc jam patet, quomodo hoc Eccleſiæ judicium differat a judicio Seniorum Veteris Teſt. Si qui enim apud illos ab inſtitutis majorum diſcedebant, illi, florente olim republ. externis mulctis & pœnis, quin & morte, coercebantur: Deut. 17: 12. Sequentibus deinde tem-

Digitized by Google

temporibus, non ſine contumelia, ut profani, ac ſpei Iſraelis expertes, de Synagoga pellebantur. Eſai. 66: 5. Ezr. 10: 8. Joh. 9: 22. Nec adeo ad emendationem, quam ad vindictam, hæc diſciplina faciebat, Nam interim hypocritæ multi & ſceleſti, ac temeraria loquentes, modo adverſus publicas cærimonias non peccarent, tum quod potentes nimium eſſent, in populo Dei verſari permittebantur, nec religionibus interdicebantur. Ac tenebantur fideles cum tali hominum agmine idem templum, eadem ſacra quotidie obire, iiſque perpetuo ſeſe immiſcere; quæ non exigua luctus ac quærimoniarum ipſis cauſa erat. Ezech. 44: 7, 9. Aliter ac in Novo Teſt. fit, ubi quis, non de externo cultu & cærimoniis pro Eccleſiæ cive cenſetur, nec juxta δόγματα ſeu placita de eo ſtatuitur; ſed ex verbis fundamenti, ex fide in Chriſtum, vitaque tam eximia profeſſione digna, admittitur. Sicuti neque flagris ac mulctis externis in eos, qui de Eccleſiæ limine ſeſe proripiunt, ſævitur; ſed, ad patriæ diſciplinæ normam, crebris admonitionibus, omnique amoris ingenio, ad extremum luctu, & ſupremo veluti leſſu, fugitivum filium Eccleſia proſequitur.

XXX. Sequuntur *quæſtiones* quædam, quibus breviter occurrendum eſt. 1. *An auditu verbi arcendi excommunicati?* Quod negamus. Cum illud unicum ſit medium ad illos reducendos, quo Eccleſia unice ſpectat. Contra ac olim certo in caſu in pœnitentia veterum obſervatum. Nec facit huc Veteris Teſt. exemplum; ubi, qui impuri erant, tabernaculo & templo arcebantur, Conſtat enim hoc actum, ne cæromoniæ polluerentur. Non eadem autem auditoriorum ac cœtuum noſtrorum ſanctitas. Cum omnis locorum religio & ſanctitas nunc ceſſet, Joh. 4: 21, 23. *Quæſtiones circa diſciplinam 1. An excommunicati audiant verbi quoque arceantur?*

XXXI. Quæritur 2. *An omne civile commercium cum ipſis prohibitum?* Qui Anabaptiſtarum rigor eſt. Contra Chriſti exemplum, qui cum publicanis, quibus excommunicatos comparat, accubuiſſe legitur. Matth. 9: 20. Cum non latius hæc diſciplina pateat, quam patitur Eccleſiaſticæ communionis ratio. Eſt autem ſacrum omne commercium, atque arctio cum iis familiaritas & conſuetudo, interdicta. Quo ſpectant Apoſtoli loca: *Recedite ab iis.* Rom. 16: 17. *Ne commiſceamini — cum tali ne comedatis* 1. Cor. 5: 11. *Hunc notate, & ne commiſceamini ipſi, ut verecundia afficiatur.* 2. Theſſ. 3: 14. *Ne dicite ave,* 2. Joh. com. 10. *II. An civili commercio excludendi?*

XXXII. Sed ulterius tendunt quidam ex iſto grege, & ipſius naturæ jura, *III. An*

excommunicatio parentum ac liberorum, & conjugum officia aboleat? jura, ac parentum, & liberorum, & conjugum, inter ſeſe officia iſta ſententia extincta volunt. Quod revera eſt, legem Dei ſuperſtitione ſua evacuare: *Nam Deus mandavit, dicens, honora Patrem tuum, & matrem —ſed vos dicitis* — Matth. 15: 4, 5. ac apertiſſimis Apoſtoli verbis illudere, qui ſanctos eſſe conjugum amores, etiam ubi alteruter infidelis eſt, pronunciare non veretur, 1. Cor. 7: 12, 13, 16.

XXXIII. Ejuſdem erroris ſurculus eſt, quod Eccleſiaſtica ſententia percutiendum volunt, qui uxorem diverſa ſacra ſectantem induxerit. Nec culpæ ejus reis veniam concedunt; niſi vel nova nupta proſelytam ſeſe faciat, vel alioquin præmortua fuerit. Nos quidem *in Domino nubendum*, 1. Cor. 7: 39. nec facile *jugum cum extraneo ducendum*, 2. Cor. 6: 14. aut *peregrini numinis filiam* in tam arctum fœdus adſciſcendam, Mal. 2: 11. aſſentimur: nuptias tamen, cum infideli contractas, ratas; uſumque earum, quod fideles ſpectat, ſanctum, 1. Cor. 7: 12, 13. adeoque perpetuam excommunicationem minime mereri, cenſemus.

IV. An regum ſubjectorumque jura ac vincula tollat? XXXIV. Impia autem ſunt Pontificiorum fulmina, quibus reges ditionibus exuere, populos ſacramento ſolvere, omneque humanum commercium turbare ac extinguere præſumunt, contra doctrinam Euangelii, Rom. 13: 1. 1. Tim. 2: 1, 2. Quibus larvis, ac terriculamentis, & puerilibus prope *καταγραφαῖς*, rudioribus olim ſæculis, orbem infeſtabant: immani ſcelere magiſtratuum jura, omnemque jurisjurandi ſanctitatem, ipſum denique ſacræ diſciplinæ uſum contaminantes & conculcantes. Non enim bona temporalia, ſed ſpiritualia iſta cenſura ſpectat; nec mortalibus obruendis, ac proſundandis, ſed admonendis, ac reducendis, unice intenta, de iſtorum fulminum genere eſt, quæ percuſſi etiam adorant.

V. An legitime a Papa regna & populi interdicto ſubjiciantur? XXXV. Ac plus impietatis habent anathemata illa, ſententiæque terribiles Vejovis Capitolini; quibus integra regna, & provincias, ſine diſcrimine, interdicto involvere, ſacriſque omnibus per aliquod tempus arcere & interdicere ſolet. Quod cenſuræ genus primus uſurpavit Alexander III. circa Annum 1170. ſecutique eum Innocentius III. A. 1200. Gregorius IX. A. 1230. Innocentius IV. A. 1245. ac Bonifacius VIII. quanquam variis temperamentis; denique patrum memoria Paulus V. contra Venetos; non ſine publica Chriſtiani orbis indignatione, ſcriptiſque pro principe republica defenſionibus doctiſſimis ac juſtiſſimis. Et revera injuſtiſſimum ac ferale eſt hoc fulminum genus, hominibus non admonendis, ſed perdendis, ac, ceſſante cultu ſacro, vaſti-

rati

Digitized by Google

tati Eccleſiæ faciendæ, natum. Et, cum in tanto numero non omnes ſint ex æquo ſontes, non omnes contumaces, nec erga ſingulos omnes diſciplinæ gradus ac partes obſervari poſſint; quid hoc aliud eſt, quam juſtum cum injuſto perdere, Gen. 18:23. & calamum quaſſatum confringere, Matth. 12:20. & propter ſuccreſcentia forte zizania, univerſam meſſem perdere, Matth. 13:28. & agrum dominicum populari & devaſtare; denique diſciplina non ad ædificationem, ſed ad majorem Eccleſiæ ruinam uti; quæ ad illud ſacrorum omnium interſtitium, ac publicum Eccleſiæ veluti juſtitium, non poteſt non ſequi.

VI. An juſte excommunicatus proſcribatur de Eccleſia univerſa?

XXXVI. Ad quæſtionem, *an, qui excommunicatur, de univerſa Eccleſia; an vero tantum de parte ejus quadam proſcribatur?* Nos reſpondemus: cum omnium Eccleſiarum eadem doctrina ac ratio ſit, eum, qui juſtas ob cauſas, ob fidei videl. vel morum maculam, excluſus eſt, de Eccleſia Catholica merito exulare. Commune enim crimen eſt. Nec, qui talis eſt, pro fratre ullibi agnoſci poteſt. Cum nullus ei in regno Chriſti locus ſit. Atque hic diverſa Eccleſia ac rerumpublicarum ratio eſt; in quibus, propter diverſas ſingularum leges ac conſtitutiones, qui ab una civitate ejectus eſt, in alteram accipi & admitti ſæpe poteſt. Eccleſia autem una eſt, iiſdemque ubique legibus conſtat, & qui peccat in unam ejus partem, in eam peccat univerſam. *Unum corpus, & unus Spiritus: quemadmodum vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ. Unus Dominus, una fides, unum baptiſma. Unus Deus, & Pater omnium, qui eſt ſuper omnibus, & per omnes & in omnibus vobis.* Eph. 4:4, 5, 6.

Excommunicatio legitime peracta ligat:

XXXVII. Excommunicatio Eccleſiæ, poſt multiplices ac fraternas admonitiones, totque amoris circa fratrem laborantis ſpecimina, & formas, per Scripturarum ἔλεγχον tandem peracta, *ligat*; nec pro humano, ſed pro divino judicio habenda eſt. Juxta illud, *quicquid ligaveris in terra, ligatum erit in cœlo.* Non enim poteſt Deus non ratum habere, quod in nomine ipſius, ex verbo ipſius, tanta cum cura, & tam anxie, ex ſolo ac mero amore, erga fratrem peccantem actum eſt. Ut ita ab Eccleſiæ domo excluſus, merito quoque Deo cœloque exul vagetur, donec per pœnitentiam iterum ad Eccleſiæ ſinum redeat. *Amen dico, quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata in cœlo; & quæcunque ſolveritis in terra, erunt ſoluta in cœlo.* Matth. 18:18. *Si quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: ſi quorum retineatis, retinentur.* Joh. 20:23. *Nam benedicti ejus, juſti, hæreditant terram, & maledicti ejus exſcinduntur.* Pſal. 37:22.

Digitized by Google

(*etiam ipſos electos.*) XXXVIII. Quod etiam de eo, qui alioquin ad ſalutem electus eſt, intelligendum eſt; qui, iſta ſententia perculſus, & eccleſia externa ejectus, nec pacem animi, nec vitæ æternæ ſpem, ad illud tempus ſervare poteſt, cum, peccati merito, Dei amicitia ac communione ultra indignus ſit. Veluti in ſtripe palmas, vel ſurculus, maligne paſtus, jamque exareſcens, & jam jam de matre avellendus; niſi novo agricolæ ſtudio refoveatur, vitalemque rurſus ſuccum hauriat. Eſt autem ipſa excommunicatio non leve remedium, ad erronem filium in cœleſtis parentis domum rurſus reducendum.

(*qua ratione?*) XXXIX. Ligat autem Eccleſia ſolo miniſterio. Eodem modo, uti Levitici ſacerdotes leproſum dicebantur polluere vel inundare, ubi eum aut mundum, aut immundum, declarabant. Erant autem *ligandi* & *ſolvendi* voces, in ſcholis Judæorum frequentes, in magiſtris creandis; notabatq; illa tantundem ac *prohibere*, ſeu *prohibitum declarare*, hæc vero tantundem dicebat ac *permittere*, ſeu *licitum declarare*: quomodo ſpeciatim ad res, non vero ad perſonas referebantur. conf. Matth. 16: 19. Quo modo & Chriſtus diſcipulos ſuos magiſtros gentium inſtituit.

(*An ad pœnas externas?*) XL. Ac conſtat jam ſatis ex iis, quæ jam dicta ſunt, nullam infamiam, vel pœnam externam ex Eccleſiaſticis ſententiis ſequi; niſi crimen iſtiuſmodi ſit, ut aliquem etiam publice probroſum & inteſtabilem reddat; quod reſpectu Eccleſiæ per accidens eſt.

(*An etiam ad æternas?*) XLI. Tantum abeſt, ut, vel lata ſententia, vel voto, aliquem æternis pœnis adjudicet, ſine provocatione ac veniæ ſpe. Quod ſupra attigimus. Iſta enim diſciplinæ iſti repugnant; quæ non letalis, ſed ſalutifera, peccatori ſanando ac convertendo unice inſervit. Nec tantæ rei arbitrium ac judicium penes homines, vel cœtum aliquem eſt. *At Michael, Archangelus ille, cum, adverſus diabolum altercans, diſceptaret de corpore Moſis, non auſus eſt illi impingere notam maledicti; ſed dixit, increpet te Dominus.* Jud. com. 9. *Quod ſi quis non auſcultat noſtro per epiſtolam ſermoni, hunc notate — ut erubeſcat.* 2. Theſſ. 3: 14. *Ad interitum carnis, ut Spiritus ſalvus ſit die illo Domini.* 1. Cor. 5: 5. *Sufficit iſtiuſmodi homini iſta increpatio à pluribus illis profecta. Ut è contrario potius vos ei condonetis, eumque conſolemini, ne quo modo redundante triſtitia abſorbeatur. Quapropter precor vos, ut ratam faciatis in illum charitatem.* 2. Cor. 2: 6, 7, 8.

(*Quid ſit de locis Gal. 1: 8.*) XLII. Quæ autem in contrarium adferuntur ex Gal. 1: 8. *Etiamſi nos, aut Angelus è cœlo, Evangeliſet vobis præter id, quod vobis Evangeli-*

Digitized by Google

geliſavimus, anathema ſit. 1. Cor. 16: 22. *Si quis non amat Dominum Jeſum Chriſtum, eſto anathema, maranatha:* Eccleſiæ iſtam poteſtatem non tribuunt. Non enim de Eccleſiæ judicatura, ſed de Dei judicio ibi agitur. Et generalis doctrina traditur, quid Euangelii adulteratores, & Chriſti Domini hoſtes mereantur. Pariter Rom. 9: 3. *Optarim enim ego ipſo anathema eſſe, a Chriſto, pro fratribus meis:* Apoſtolus de ſe ipſo, in iſto orationis exceſſu, divinam proprie ſententiam reſpicit. Ubi autem vetat Johannes 1. epiſt. cap. 5: 16. *Orare pro eo, qui ad mortem peccaverit*, iterum, non Eccleſiæ, ſed Dei ſententia, damnatum introducit: Eccleſiam autem ſeſe non nimium affligtare tali in caſu', nec importunis precibus divinæ ſententiæ obſtrepere & obmurmurare, ſed ei potius ſubſcribere jubet. *Ne orato pro populo iſto in bonum.* Jer. 14: 11. Cumque iſta peccata vix diſcerni poſſint, nihil hic temere agendum; nec immiti ſententia aliquis facile confodiendus, aut ſupremis diris unquam devovendus eſt. Quod ne quidem in Judaica Eccleſia unquam factum. Damnamus ergo Anabaptiſtarum excommunicandi libidinem, qui excommunicationibus ſuis, levibus interdum de cauſis tanquam pueri talis, ludunt; &, cum in multas ſectas diſcebant, crudeliſſimis edictis inter ſeſe ſæpe deſæviunt; ſeque unos rerum cœleſtium participes, alios autem omnes exſortes, & Deo cœloque quaſi extorres miſerabiliter interdum credunt.

1. Cor. 16: 22. Rom. 9: 3. 1. Joh. 5: 16.

XLIII. Ligationem excipit *ſolutio*, ſive peccatoris abſolutio; quæ altera ſententiæ hujus pars eſt, publice adhibenda, ubi ille reſipuerit, & de errore ſuo ad Eccleſiæ ſinum redierit, ejuſque rei idoneam fidem fecerit. Matth. 16. & 18. Quæ & *peccatorum remiſſio*, Joh. 20: 22. & *condonatio*, 2. Cor. 2: 7, 10. & peccatoris *conſolatio*, ibid. & *charitatis exhibitio*, com. 8. appellatur. Quæ peccatori, ſub triſtitiæ onere fatiſcenti, deneganda non eſt. Et publice quoque, de reducta ad caulam ove, Eccleſiæ gratulandum eſt. Nec pietas iſta Deo diſplicet: cum de peccatore pœnitente etiam in cœlo gaudium ſit, Luc. 15. Unde Deus, quicquid iſtud eſt, ratum in cœlo quoque habet, atque iſtam Eccleſiæ ſententiam obſignat, Matth. 16. & 18. Joh. 20: 22. Mirum autem in re religioſa agunt Pontificii, cum & mortuos, & invitos, nonnunquam Eccleſiaſticis diris exſolvunt; cum iſtud ad pœnitentes ſolummodo pertineat.

Excommunicati ſolutio.

LOCUS QUADRAGESIMUS SEPTIMUS.

DE

Miniſtris Eccleſiæ Novi Teſtamenti.

CAPUT VI.

De Miniſtris N. F. extraordinariis.

Varia Eccleſiæ MINISTERIA, *juxta varia illius chariſmata.*

I. CUM Chriſtus Eccleſiam ſuam non regat interne tantum, verum etiam externe, varia dona & chariſmata in eam diſtribuit. *Quum aſcendit in ſublime — dedit dona hominibus — ad compactionem Sanctorum, ad opus miniſterii, ad ædificationem corporis Chriſti — Ex quo* (Chriſto) *totum corpus congruenter coagmentatum, & compactum per omnes ſuppeditatas commiſſuras, ex vi intus agente, pro menſura uniuſcujuſque membri, incrementum capit corpori conveniens* &c. Eph. 4: 6, 12, 16. Ex quibus varia enaſcuntur miniſteria & διακονίαι. *Diſtinctiones autem donorum ſunt, ſed idem Spiritus. Et diſtinctiones miniſteriorum ſunt, ſed idem Dominus.* 1. Cor. 12: 4, 5, 8, 9, 10.

Miniſterii deſcriptio,

II. Eſt autem miniſterium, functio Eccleſiaſtica, qua homo ſelectus, jure ſpeciali, ſacra myſteria diſpenſat. *Sic de nobis reputet homo, ut de miniſtris Chriſti, & diſpenſatoribus myſteriorum Dei.* 1. Cor. 4: 1. *Quum miniſterium hoc habeamus, prout miſericordiam conſequuti ſumus,* 2. Cor. 4: 1. Ut alteri ſacra iſta tractare non æque liceat. Cum ad iſtud non ſufficiat poteſtas abſoluta, ſive qualiſcunque aptitudo, ſed præterea opus ſit poteſtate relativa, ſeu juris, quæ præterea auctoritatem conciliat:

III. *Miniſterium* appellatur, quod, nulla propria auctoritate, & arbitrio, nullo in gregem dominatu, ex ſolius Chriſti præſcripto, gerendum ſit. *Verum non ita erit inter vos. Sed quicunque voluerit inter vos magnus fieri, eſto veſter miniſter.* Matth. 20: 26. Unde, cum mere perſonale ſit, vicariam alterius operam non admittit. Quæ Papatus corruptela eſt.

Digitized by Google

IV. Atque oritur hinc tertius Eccleſiæ ſtatus. Sicut enim illa per fidem ſtatum ac perfectionem ſuam eſſentialem habet;per confœderationem mutuam, integralem;ita per varia dona ac miniſteria acquirit perfectionem organicam, qua ſibi ipſi, membriſque ſuis omnibus ſufficere ac præeſſe commode poteſt.

& inde enata politia Eccleſiaſtica:

V. Miniſteriorum horum directio, *politica Eccleſiaſtica* vocatur; ac Eccleſiæ ordinem ac regimen conſtituit. Quod monarchicum eſt, reſpectu Eccleſiæ Chriſti, capitis inviſibilis; quoad externam autem formam, partim ariſtocraticum eſt, partim democraticum. Hierarchia enim, atque hominum in Eccleſia dominatus, Antichriſti partus eſt. *Reges gentium dominantur — Vos autem non ita eſtote: ſed qui maximus eſt inter vos, eſto ut qui minimus eſt; & qui ductor eſt, ſicut qui miniſtrat*. Luc. 22:25,26. conf. Matth. 20:26. Marc. 9:35. *Presbyteros, qui inter vos ſunt, precor ergo una Presbyter — Paſcite Dei gregem, qui penes vos eſt, illius inſpectioni vacantes — Non dominantes cleris, ſed ut qui ſitis exemplaria gregis*. 1. Pet. 5:1,2,3. De cætero externum Eccleſiæ regimen & olim magna diverſitate adminiſtratum fuit, & hodie, inter ipſos etiam Reformatos, adminiſtratur, pro multiplici nempe populorum locorumque genio, & reipublicæ varia forma: cum omnis ſæculorum experientia docuerit plerumque politi[.] [ſ]ecularis formam ſequi quoque eccleſiaſticam. Ut ſi reliqua in Eccleſia ſecus bene ſe habeant, non tanta contentione, maxime a privatis, hic laborandum ſit, nec adeo damnandi qui alia politiæ externæ forma, ac nos, utuntur: cum ſub rituum regiminiſque diverſitate eadem retineri poſſit fides ac veritas.

VI. Eſt autem miniſterium vel *extraordinarium*, vel *ordinarium*.

Eſt autem illud vel extraordinarium,

VII. *Illud*, vocatione, donis, & ductu denique atque afflatu Spiritus extraordinario inſtructum, triplici potiſſimum in caſu Eccleſiæ affulſit. Vel ad erigendam eam, ac primitus inſtituendam; vel ad eam peculiariter confirmandam; vel ad collapſam denique reſtituendam. Ac primo quidem in caſu ſemper conjuncta habuit miracula: *Conteſtificante Deo ſignis, & prodigiis, & variis virtutibus, & diſtributionibus Spiritus ſancti, ſecundum propriam voluntatem*, Hebr. 2:4. Non æque in reliquis. Ut injuria Pontificii à Reformationis ducibus miracula flagitarint.

vel ordinarium.

VIII. *Hoc*, ab extraordinariis illis miniſtris inſtitutum, continuo deinde ordine in Eccleſia ſervatur. Ut miniſtri ordinarii extraordinariorum ſucceſſores ſint; non quidem quoad ductum illum modumque infalli-

Digitized by Google

bilem, ſed quoad eſſentialia muneris. Cum, illorum ſit, Eccleſiam jam conſtitutam ædificare, ornare, & ad auctus & incrementa ejus attendere. Cumque omnis illa inſtitutio e verbo Dei, mediiſque ordinariis petenda veniat; nec ab ordine ſemel conſtituto deflectere liceat; ordinarium illud miniſterium appellatur.

Varii ſub Vet. Fœd. miniſtri;

IX. Prima olim Eccleſiæ inſtitutio penes *patresfamilas* erat; qui ſuæ familiæ, non ſolum quoad τὰ βιωτικὰ, verum etiam ad rem divinam duces erant. Qualis Noachus, Abrahamus &c. In Ægypto præerant populo *Seniores;* & ſacerdotium a familiarum *primogenitis* præcipue tenebatur, Exod. 19: 22, 24. & 24: 5. & 13: 2. Subſtituti iis deinceps *Levitæ.* Quæ tribus ſacrorum curam pro toto Iſraële accepit, Num. 8: 16, 17. Eratque ipſorum munus, præter ea, quæ in Tabernaculo apud Deum agenda erant, etiam populum divinam legem edocere. *Quum labia ſacerdotis obſervarent ſcientiam, & lex requireretur ex ore ipſius: nam Angelus Jehovæ exercituum eſt.* Mal. 2: 6. Quod factum ab ipſis, tum in omnibus portis; tum præcipuis in loco, quem elegerat Dominus, Deut. 17: 9, 12. Utque non niſi digni ad curam iſtam adhiberentur, per χειροθεσίαν in magiſtros, ac legis vindices, & cuſtodes, ordinabantur. Ac legebantur ex iſto genere cantores, quæſtores, Scribæ ſeu νομοδιδάσκαλοι, aliique publici miniſtri; quin & Judices municipales; & ex parte ſummi conſilii Hieroſolymitani aſſeſſores. Phariſæi autem, & Sadducæi, ſectarum nomina erant. Act. 22: 6. 7.

inter quos & Prophetæ.

X. Extraordinarii autem miniſtri erant *Prophetæ.* Qui, a Deo immediate vocati, vel externa voce, vel intrinſeco afflatu, vel etiam adhibitis internuntiis (quorum erat, expreſſo Dei juſſu, perſonas deſignare. Exod. 4: 14. 1. Reg. 19: 19.) tum futura prædicebant, tum primariam de Meſſia promiſſionem repetebant, tum etiam Eccleſiæ neceſſitatibus extra ordinem conſulebant. Prophetandi autem auctoritatem, non a Synedrio, aut conſeſſu humano, ſed a Deo accipiebant. Ac revelationis ſuæ certitudinem, & veluti ſignaculum, ipſi quidem in cordibus ſuis habebant; aliis autem eam per miracula, aut eventuum fidem, faciebant. Quæ omnia accuratius ſub prima temporum œconomia executi ſumus.

Sub Novo Fœd. Iohannes Baptiſta,

XI. Novum Teſtamentum aperuit *Johannes Baptiſtes*, pœnitentiæ præco, ac Meſſiæ Regis anteambulo. Cujus miniſterium, quanquam ſub veteris temporis fine, maximam tamen partem Euangelicum fuit, ut initio œconomiæ N. F. vidimus.

XII. Hunc

Digitized by Google

& ipſe Dominus:

XII. Hunc excepit ipſe *Dominus*, Euangelii auctor & promulgator. Fuitque hoc tempus Eccleſiæ longe beatiſſimum, cum ipſe Dei Filius, humano in corpore, inter homines verſaretur; & humano ore *verba Dei*, non ulli hactenus exaudita, reſonaret. Deut. 18: 18. Hebr. 1: 1, 2, 3.

a quo conſtituti ſunt XII APOSTOLI.

XIII. Cumque ipſe, paracto miniſterio terras relicturus foret, duodecim legit *Apoſtolos*, novæ Eccleſiæ duces, ampliſſima poteſtate inſtructos. Ac juxta hos *Prophetas*, *Euangeliſtas*, *Paſtores* & *Doctores* dedit, *ad compactionem Sanctorum, ad opus miniſterii, ad ædificationem corporis Chriſti.* Eph. 4: 11, 12. conf. 1. Cor. 12: 28, 29. Rom. 12: 5. Quod Apoſtolicum munus cum omnium excellentiſſimum fuerit, qua poterimus brevitate, paulo accuratius delineabimus.

Qui deſcribuntur.

XIV. *Apoſtoli* ergo teſtes per orbem eorum erant, quæ Chriſtus fecerat, & paſſus erat, ac potiſſimum miraculoſæ ejus poſt mortem reſurrectionis. Erantque hi publici mundi magiſtri, quem omnem Euangelio, miraculis, ſcriptis denique ſuis, in ſequentis Eccleſiæ uſum, implere, ac pleniſſimam de Chriſto fidem facere debebant. De quibus Eſai. 52: 7. *Quam decori ſunt in montibus pedes nunciantis Euangelium, qui facit audiri pacem?* &c.

Illorum prærogativæ.
I. Dominum vidiſſe.

XV. Illorum autem notæ & prærogativæ hæ fuerunt: 1. quod *Chriſtum* in carne *viderunt*, ejuſque conſortio ac diſciplina uſi ſunt, ut miraculorum ac doctrinæ, præcipue autem reſurrectionis ipſius, eſſent vivi & *αὐτόπται* teſtes. *Teſtes mihi eritis in tota Judæa, Samaria & uſque ad ultimos mundi fines.* Act. 1: 8. conf. com. 21, 22. c. 10: 41. 22: 15. 1. Cor. 9: 1.

II. Ab ipſo immediate vocari.

XVI. 2. Quod ab ipſo *immediate* ad munus iſtud *vocati* ac ablegati fuerunt: *Quemadmodum me miſit Pater, & ego mitto vos.* Joh. 20: 21. conf. c. 17: 18. Gal. 1: 1. Non enim humano ſuffragio in ſublimi hoc miniſterio locus erat. Quare & Matthias ſorte oſtenſus legitur. Act. 1: 26.

III. Ipſius legatum eſſe.

XVI. 3. Hinc dicuntur *legati Dei*, 2. Cor. 5: 20. Eph. 6: 2. Ut *qui illos audiret, Chriſtum audiret*, Luc. 10: 16. Utpote quos Deus *fideles judicaverat*, 1 Tim. 1: 2. quique ſigna miſſionis, ſeu tabulas legationis habebant; quæ erant *ſigna Apoſtoli* 2 Cor. 12: 12. Quæ ordinariis miniſtris, niſi ſenſu admodum diminuto, non conveniunt.

IV. Immediata ipſius revelatione imbui.

XVIII. 4. Quod immediata Chriſti Spirituſque S. *revelatione* cognitionem Euangelii myſteriorumque divinorum hauſerint. *Tunc aperuit illorum mentem, ut intelligerent Scripturas.* Luc. 24: 45. *Quum hæc dixiſſet, afflavit eos; & dixit eis, accipite Spiritum S.* Joh. 20: 22.

Digitized by Google

20:22. *Neque enim ego ab homine accepi Euangelium, ſed per revelationem Jeſu Chriſti.* Gal. 1:12. Vid. Luc. 24:49. Act. 1: 4, 5, 8. 2:1. & ſeqq.

v. In fide infallibilem eſſe. XIX. 5. Hanc divinam inſpirationem conſequebatur ἀναμαρτησία, & in Eccleſia docenda *infallibilitas*, quæ ipſis non minus aderat; quam veteris Eccleſiæ doctoribus ac Prophetis. Unde eadem auctoritate cum ipſis pollebant ac loquebantur. *Ille* Spiritus *vos docebit omnia, & faciet vos commeminiſſe omnium, quæ dixi vobis.* Joh. 14:26. *Cum vero ille venerit Spiritus veritatis, ille vos in omnem veritatem ducet.* Joh. 16:13. Qui tamen Spiritus ductus per gradus ac partes ipſis acceſſit, prout Eccleſiæ tempora ac diverſus profectus ſuadebant. Unde non niſi poſt idoneum ſpatium de Gentium vocatione, ac rituum abolitione, moniti ſunt. Act. 10. & 15.

XX. Utque rerum nonnullarum ignorantia & hæſitatio, de quibus idoneo poſtea tempore erudiendi erant, de univerſæ ipſorum doctrinæ fide nihil deterebat; ita nec obſtabat divino illi dictui Petri Apoſtoli factum Gal. 2. non magis quam reliqui Apoſtolorum lapſus ac peccata, quæ ſine Eccleſiæ noxa tranſire fecit Dominus. Aliud enim erat, facere quiddam ex humana infirmitate; qualis hæc in Petro perplexitas erat; aliud, ex revelatione, quam acceperant, Eccleſiam docere: quam ubi præ ſe ferebant, fidem omnem indubie merebantur.

XXI. Atque idem veritatis Spiritus illo tempore & reliquis Eccleſiæ doctoribus, ac Apoſtolorum συνέργοις, Marco, Lucæ, Stephano, aliiſque adfuit; qui ad novas Eccleſias condendas, mundumque Euangelii ſermone primitus imbuendum dimiſſi, eodem ſpiritu accincti fuere. Qua Eccleſiæ ætate circumacta, & conſtituto ac uberrime confirmato fidei canone, nec eadem amplius extraordinarii ductus neceſſitate extante, non ſine mendacio ille jam prætexi poteſt; omniſque ſpiritus ad Scripturarum plenitudinem, & fundatiſſimam Euangelii veritatem, ut Auguſtinus loquebatur, examinandus venit. Ut non ferendum ſit, Romano Pontifici illum adſcribere velle, eaque larva univerſam Dei Eccleſiam ei obnoxiam facere. Cum ille nullo ſigno infallibilem iſtum ſpiritum oſtendat; multiſque contra rationibus illum deſtruat.

vi. Accepiſſe claves regni cœlorum. XXII. 6. Commiſſæ illis ſunt *claves regni cœlorum*, ſeu Eccleſiæ Meſſiæ, ut Judæis Gentilibuſque Euangelii prædicatione illud aperirent. Quod ſicut primitus & ſingulari modo à Petro factum eſt, Act. 2:41. 10: 44. 15:7. ita illi *claves* iſtæ promiſſæ leguntur. Matth. 16:19. quo etiam perti-

Digitized by Google

pertinet poteſtas *remittendi & retinendi peccata*, reliquis Apoſtolis conceſſa. Joh. 20: 23. & poteſtas *ligandi ſolvendique*. Matth. 18: 18. Quæ omnia Apoſtolis proprio & genuino, reliquis autem Euangelii miniſtris inclinato duntaxat ſenſu conveniunt.

XXIII. 7. Quod ſingularibus hiſce *Spiritus* S. donis ornati, ac ingenti ejus flumine inundati, illius latices *per impoſitionem manuum*, fuſaſque preces, etiam in alios largiſſime *derivarunt*. *Tunc impoſuerunt illis manus, & acceperunt Spir. S.* Act. 8: 6, 7, 15, 16, 17, 18, 19. & 19: 6. Quod neque Moſi, neque ulli veterum fuit conceſſum. *VII. Spiritum S. aliis impertire.*

XXIV. 8. Spectabat huc quoque imprimis donum *miraculorum*, quibus ea Eccleſiæ tempora erant celebria. *Ipſi prædicabant — Domino verbum confirmante per ſubſequentia miracula.* Marc. 16: 20. conf. Hebr. 2: 3, 4. Rom. 15: 18, 19. Joh. 14: 12. quo imprimis donum ſanationis ægrorum faciebat. Matth. 10: 1. Marc. 16: 18. Eccleſiæ enim infantiæ ac tenellæ ætati ea veluti ſuperaſtra conveniebant, quibus jam adulta ac firmior non amplius indiget. *VIII. Patratio ſignorum:*

XXV. Exerebant autem ea non ſolum ad hominum ſalutem, ſed & ad terrorem nonnunquam, ad hoſtes ac adverſarios veritatis compeſcendos; quanquam rarius. A. 5. & 13. Eratque ejus quoque generis virga illa Apoſtolica, ac traditio in manum Satanæ, in ipſa Eccleſia primitus uſurpata; ubi ſeveriore diſciplina opus erat, ad inſana & tabentia ejus membra ſecanda, & acriori remedio corrigenda: quod corporis ſæpe noxa, immiſſiſque morbis, ac Satanæ denique vexationibus fiebat, ut anima ſervaretur. Unde iſta poteſtas ſolis Apoſtolis adſcribitur: *Quid vultis? cum virga ad vos veniam?* 1. Cor. 4: 21. *Ob id hæc abſens ſcribo, ne præſens ſeveritate utar, ſecundum poteſtatem, quam mihi dedit Dominus.* 2. Cor. 13: 10. com. 2. coll. cap. 10: 6. *Quos tradidi ego Satanæ, ut caſtigati diſcant non blaſphemare.* 1. Tim. 1: 20. *Ego — judicavi — talem tradere Satanæ, ad perniciem carnis, ut Spiritus ſervetur in die Domini Jeſu.* 1. Cor. 5: 3, 5. Omnem autem eam facultatem, non proprio lubitu, ſed ex ſapientiſſimo Dei conſilio, prout gloriæ ejus ac Euangelii propagationi conduceret, explicabant. *etiam in pœnam infidelium.*

XXVI. 9. Apoſtolicæ *prædicationis potentia & efficacia*, præſentem ſemper Spiritum oſtendens: unde tanta primæ Eccleſiæ incrementa. *Et Eccleſiæ adjuncta ſunt illo die animarum tanquam tria millia*, Act. 2: 41. *IX. Prædicationis efficacia.*

XXVII. 10. Quod non uni Eccleſiæ affixi, *communes mundi doctores* conſtituti erant. *Euntes ad diſcipulatum vocate omnes gentes.* Matth. *X. Nulli loco affixum eſſe.*

Digitized by Google

Matth. 28: 19. conf. Marc. 16: 15. *Præter ea, quæ extra ſunt — cura omnium Eccleſiarum,* 2. Cor. 11: 28. *Ita ut ab Hieroſolyma, & circumjacentibus, uſque ad Illyricum impleverim Euangelium Chriſti.* Rom. 15: 19. Non pugnat vero cum eo, quod certo canone, 2. Cor. 10: 13, 15, 16. partitoque veluti orbe, eum univerſum permenſi, opus Domini abſolverint. *Gentibus, dico, in quantum ſum gentium Apoſtolus.* Rom. 11: 13. *Videntes, mihi concreditum eſſe Euangelium præputii, ſicut Petro circumciſionis.* Gal. 2: 7.

XI. Succeſſorem non habere. XXVIII. 11. Cumque novæ Eccleſiæ proceres forent, eique condendæ a Deo ſingulariter electi, peracto opere nullos eo in munere *ſucceſſores* reliquerunt. Cum enim per eos lex Dei jam publicata, & *in medio* omnium *poſita* ſit, Jer. 31: 33. aliud poſt illos verbum, aliudve Euangelium, expectari non debet; nec Apoſtolis poſt Apoſtolos opus eſt. Unde nullus poſtea tanta donorum copia, nec tanta in Eccleſia auctoritate fuit, ut nomen iſtud tueri poſſet. Quod enim Epiſcopi nonnunquam Apoſtolorum ſucceſſores, vel Apoſtolici appellati ſint, id latiori ſenſu intelligendum eſt.

XII. Omnem aliam functionem ſupergredi. XXIX. 12. Ex quibus omnibus ſurgit Apoſtolici muneris, *ſupra omnia alia excellentia;* ut nullum eo in terra fuerit majus, cum omnes alias functiones ſacras dignitate & eminentia ſua complecteretur: quibus ideo præponitur Eph. 4: 11. 1. Cor. 12: 28. quo etiam pertinet ſpecialis promiſſio illis facta, quod *ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ ſeſſuri eſſent ſuper duodecim thronis, judicantes duodecim tribus Iſrael.* Matth. 19: 28. Luc. 22: 29, 30. Preter has autem Apoſtolorum omnium præ reliquis Eccleſiæ Doctoribus prærogativas, an Petro præterea quidquam præ reliquis Apoſtolis tribuendum ſit, ſuo deinceps loco commodius videbimus.

Apoſtoli ad XII. allecti. XXX. Allectus autem in eorum numerum, ac veluti poſthumus ſacro iſti collegio adſcriptus quoque fuit Paulus; antea Saulus appellatus; quod nomen Benjaminitis uſitatum erat; deinde in Apoſtolatu Paulus dictus, Act. 13: 9. Ad quem quidam referunt vaticinium Jacobi de Benjamine, *Benjamin lupus, qui rapit: mane comedet prædam, & veſperi diſtribuet ſpolia.* Gen. 49: 27. Paulo vero comes, ſeu collega potius in Apoſtolatu ſimul adjunctus fuit Barnabas, juſſu Sp. ſancti, dicentis: *Separate mihi Barnabam & Saulum ad opus ad quod eos vocavi.* Act. 13: 2. conf. Act. 14: 13. Gal. 2: 9.

Quo tempore munere ſuo fun- XXXI. Cœpit autem Apoſtolorum munus, *tum ante Chriſti mortem*, quando procurſu veluti in Eccleſiæ campum facto, cui deinde laborando

rando

Digitized by Google

rando ſeſe totos impenſuri erant, Euangelii ſermone per **Judæam** ac *Si cœpe-rint.*
Galilæam diffuderunt, Matth. 10:7. reliquum autem tempus, haurien-
dæ Chriſti diſciplinæ, ad latus ejus aſſidui ac indivulſi egerunt: *tum*
præſertim *poſt mortem* ac aſcenſum ejus, quando, à fuga ſua in Chriſti
morte recollecti, proprie ἀποϛολὴν ac miſſionem ſuam acceperunt; non
ad Judæos ſolum, ſed ad gentis quoque; qui Apoſtolatus præcipuus
character erat: *Dicit autem eis iterum, pax vobis: ſicut miſit me Pater,
ita & ego mitto vos.* Joh. 20:21. *Profecti ergo, docete omnes gentes, bapti-
zantes eos* &c. Matth. 28: 19.

XXXII. Munus obierunt tum *docendo*, tum *ſcribendo*, prout divina *Quæ mo-do.*
providentia varias ad id occaſiones ſuppeditabat. *Omne ſtudium adhi-
bens, de communi ſalute neceſſe habui ſcribere vobis*, Jud. com. 3. *Tenete
traditiones, quas edocti eſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.*
2. Theſſ. 2: 15. Nec confuſo ordine, ſed unuſquiſque juxta canonem
ac lineam Apoſtolatus ſui, ſingulis à Deo dimenſam. *Secundum menſu-
ram canonis, quam diſtribuit nobis Deus.* 2. Cor. 10: 13. *non in alterius ca-
none.* com. 16.

XXXIII. Ac primo quidem Hieroſolymis Euangelii ſermo auditus *Quo ordi-ne.*
eſt, Eſai. 2. Act. 2. Inde in Samariam pervenit, Act. 8. Quod auſpicio
(erant enim Samaritani, ut gente, ita & religione hybridæ, nec de Ju-
dæis prorſus cenſeri poterant (deinceps in reliquum orbem diſperſus,
primo Aſiam; deinde, mare ac inſulas pervagatus, Europam implevit;
Græciam, Illyricum, Italiam, Hiſpaniam, continuo ordine permenſus.
Moxque etiam Africæ affuſus; extremis denique temporibus Indiam
utramque luſtravit; ultimoſque Orientis receſſus, & Japonum ac Se-
rum divites inſulas ac terras Chriſtianæ fidei guſtu imbuit. Quæ vero
de Apoſtolorum ſortibus, quibus Thomæ Parthi, Andræ Scythæ,
Marco Ægyptus, reliquiſque Apoſtolis reliquæ orbis partes obvene-
runt narrantur, apocrypha ſunt.

XXXIV. Miſit autem Chriſtus, dum adhuc in terris verſaretur, non *Miſſi*
longe ante exceſſum ſuum, poſt inſtitutos jam Apoſtolos, de comitatu *quoque a Chri-*
ſuo LXX *diſcipulos*; qui, brevi itinere Judæam peragrarent, eam univer- *ſto* LXX
ſam Meſſiæ jam præſentis fama implerent, *regnumque* ejus *appropinqua-* DISCIPU-
re nunciarent. Luc. 9: 2. & 10: 1. LI.

XXXV. Apoſtolis adjunguntur Prophetæ, Eph. 2: 20. 3: 5. 4: 11. *Iuxta*
1. Cor. 12:28. Act. 13:1. 15:32. tales autem ſub N. F. appellaban- *Apoſtolos fuerunt*
tur, qui, peculiari chariſmate veteres Scripturas explanabant; & pro- PROPHE-
 pheta- TÆ,

phetarum interpretes, per Dei Spiritum, divinorum operum myſteria, necdum intellecta, evolvebant. 1. Cor. 14. futuraque prædicebant. Act. 11:27,28. & 20:10,11. 1. Tim. 1:18. 4:14.

EUANGELISTÆ. XXXVII. *Euangeliſtæ*, Apoſtolorum comites, & συνεργοί, ipſis volentibus & jubentibus, ad plantandum ubivis Euangelium mittebantur, inconverſis illud prædicantes, converſos autem baptizantes, ſimulque miraculorum chariſmate aliquando donati. De quo ordine erant Marcus, Lucas, Philippus &c.

Functiones extraordinariæ aliæ. XXXVII. Præter jam dictis functiones extraordinarias recenſentur ab Apoſtolo dona 1. Cor. 12. extraordinaria, functioneſque iis correſpondentes, nimir. χαρίσματα ἰαμάτων, ἐνεργήματα δυνάμεων, διάκρισις πνευμάτων *dona ſanationum, operationes virtutum, diſcretio ſpirituum*, com. 9. γένη γλωσσῶν, ἑρμηνεία γλωσσῶν, *genera linguarum, interpretatio linguarum*, com. 10. Item δυνάμεις *virtutes*, χαρίσματα ἰαμάτων *dona ſanationum*, (conf. Marc. 6: 5. & 16: 17, 18.) ἀντιλήψεις *opitulationes*, κυβερνήσεις *gubernationes* (aut *profunda ſolertia*) γένη γλωσσῶν *genera linguarum*, com. 28, 29. quibus adduntur διερμηνεύοντες *interpretantes*, com. 29. De quibus omnibus ſingulatim nunc non agemus.

CAPUT VII.

De Miniſtris N. F. ordinariis.

Miniſtri ordinarii, PASTORES, I. SEquuntur ordinarii Eccleſiæ N. F. miniſtri, *Paſtores*, ἡγούμενοι, προεστῶτες, ἐπίσκοποι, πρεσβύτεροι, promiſcue dicti; nullo nominum aut officiorum in Scripturis, ac primæva antiquitate, ſecundum communiorem orthodoxorum ſententiam, diſcrimine, Vide Act. 20:17. *Miſſis autem Mileto nunciis Epheſum, accerſivit Presbyteros Eccleſiæ.* com. 28. *Attendite ad totum gregem, in quo vos Spiritus ille ſanctus conſtituit epiſcopos.* 1. Tim. 3:1. *Si quis* ἐπισκοπῆς *inſpectionem deſiderat, bonum opus deſiderat.* com. 2. *Oportet igitur* τὸν ἐπίσκοπον *inſpectorem eſſe irreprehenſibilem.* Phil. 1: 1. *Paulus — ſanctis in Chriſto Jeſu, qui ſunt Philippis, cum epiſcopis & Diaconis.* Tit. 1: 5. *Dereliqui te in Creta, ut quæ deſunt corrigas, & conſtituas oppidatim presbyteros.* com. 7. *oportet enim Epiſcopum incul-*

culpatum eſſe. 1. Pet. 5: 1, 2, 3, *Presbyteros, qui inter vos ſunt, precor ego una — presbyter — paſcite gregem, qui penes vos eſt,* ἐπισκοποῦντες *illius inſpectioni vacantes, non coacte, ſed libenter* &c.

II. Paſtoribus adjunguntur Eph. 4: 11. *Doctores.* Quos quidam exiſtimant diſtinctos fuiſſe a Paſtoribus; cumque ab Apoſtolis per Eccleſias conſtituti non legantur, ut alii miniſtri, Act. 13:1. 1.Cor. 12:28,29. & 14: 6, 26. Rom. 12: 6. cenſent eos miniſtros extraordinarios fuiſſe, viros nempe extraordinariis doctrinæ donis præditos, qui alios miniſtros informarent & ad Eccleſiarum miniſterium prædararent ac inſtituerent. At vero longe rectius iidem ſtatuuntur eſſe cum Paſtoribus; tum quia Eph. 4: 11. ab iiſdem non disjunguntur; tum quia, omiſſo paſtorum nomine 1. Cor. 12: 28, 29. ſoli exprimuntur; ut videantur iidem qui διδάσκαλοι ſunt quoque ποιμένες fuiſſe. Hi ergo ut ab una officii parte dicebantur ποιμένες & ἐπίσκοποι, ita ab alia appellabantur διδάσκαλοι, quatenus docebant Eccleſiam Dei, non ad primam fidei plantationem (quod aliorum erat) ſed ad fidei confirmationem, per νουθεσίαν, παράκλησιν, *inſtructionem, exhortationem,* quibus Eccleſias jam plantatas jugi doctrinæ rore amplius irrigabant & perficiebant. Quod enim ad Doctorum aut Profeſſorum in Scholis gradus attinet, quales nunc ſunt, ii longe recentiores ſunt, quam ut in ſcriptis Apoſtolicis occurrant. Licet quantum ad rem ipſam attinet, nunquam in Eccleſia, etſi vario modo, defuerint Doctores, ſive κατηχήσεων magiſtri, qui doctrinam ſacram per manus tradebant, non promiſcuo fidelium vulgo, ſed præcipue aliis, qui & ipſi Eccleſiæ paſtores aut magiſtri futuri erant.

III. Semper enim munus illud in Eccleſia viguit. In Veteri enim Teſtam. Prophetæ, ac prophetarum filii; ac poſtremis temporibus Scribæ, νομικοὶ dicti, illud exercuerunt. Qui peculiari quoque ritu creabantur. Ac convenit ipſum Doctorum nomen cum magiſtrorum Hebræorum titulo Rabbi: qui iis peculiariter tribuebatur, qui, legis divinæ periti, eam alios docendi auctoritatem habebant. Quales Gamaliel, Act. 5. & Nicodemus, Joh. 3. Unde & Chriſto nomen iſtud ſæpe datum legimus; & a Paulo quoque aſſumtum, quod publicus orbis magiſter foret. 1. Tim. 2: 7. 2. Tim. 1: 2. Celebratur autem inde à Chriſtianiſmi exordio potiſſimum hoc nomine Eccleſia Alexandrina: ubi frequentes tales διατριβαὶ & Scholæ; præfectique iis Catechetæ, Pantænus, Clemens Alexandrinus, Origines &c. Ut omnino ab iſtis retro ſæculis diverſum hoc a Presbyteris ſeu Epiſcopis, in Eccleſia munus fuerit.

Et Doctores.

Digitized by Google

rit. Quin & tanto gravius Doctoribus incumbit onus, quanto majus eſt ad clerum, quam ad plebem loqui: unde paſtoris partes ſatis recte multi explent, qui tamen doctoris muneri pares non ſint. Neque repugnat locus Matth. 23: 8, 10. *Vos ne vocamini Rabbi.* Nam, ut alia mittamus, non ibi munus, aut titulus, ſed magiſtrale ſupercilium, & faſtus, aliaque pædagogorum iſtorum crimina, notantur.

IV. Eſt autem munus illud paſtorum & doctorum in Eccleſia ordinarium & perpetuum; contra ac Libertinorum cohors, Zwenkfeldiani, ac Enthuſiaſtæ, furunt. Hoc enim requirit Eccleſiæ ædificatio; ut ne ordinario verbi ac doctrinæ paſtu fraudetur; vel ſine rectore ac regimine, naufragæ pupis inſtar, jactetur & fluctuet. *Fides ex auditu. Auditus autem per verbum* Dei Rom. 10: 17. *Ipſe dedit alios Apoſtolos, alios autem Euangeliſtas, alios vero paſtores & doctores; ad concinnationem ſanctorum; ad opus miniſterii, ad ædificationem corporis Chriſti; donec perveniamus omnes ad unicatem fidei* &c. Eph. 4: 11, 12, 13. *Dereliqui te in Creta, ut quæ deſunt corrigas, & conſtituas oppidatim presbyteros.* Tit. 1: 5. *Quumque ipſis per ſuffragia creaſſent per ſingulas Eccleſias presbyteros, precatique eſſent cum jejuniis, commendarunt eos Domino.* Act. 14: 23. De loco autem Jer. 31: 34. de Spiritu, ut illi putant, doctore, abſque externo miniſterio, ſupra reſpondimus lib. v. cap. 11. §. 11.

In illis conſiderandum 1. munus.

V. Munus paſtorum, tum in publico verbi, precum ac Sacramentorum, miniſterio; tum in reliqua gregis cura conſiſtit. *καλὸν ἔργον* Apoſtolus vocat, 1. Tim. 3: 1. Quod aſpernantur illi magnæ meretricis amaſii, qui, in epiſcopatu non tam opus, quam opes, & dignitatem, ſpectantes, alii, commiſſos ſibi populos ſuffraganeis & vicariis regendos tradunt; alii titulares, ac revera ſolo titulo epiſcopi ſunt.

An verbum prædicandi munus promiſcue ab omnibus exerceri debeat?

VI. Ac perperam quidem nonnulli primitivæ Eccleſiæ paſtores ad regimen potiſſimum electos; verbi autem prædicandi poteſtatem promiſcuam, & a cunctis, qui modo donis pollerent, exercitam ajunt. Quo referunt 1. Pet. 4: 10. *Ut quiſque accepit donum, ita alius in alium illud ſubminiſtrantes, ut boni diſpenſatores variæ Dei gratiæ. Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei.* Col. 3: 16. *Sermo Chriſti habitet in vobis copioſe, in omni ſapientia: docentes & monentes vos invicem.* Eph. 5: 18. *Et ne inebriamini vino, in quo eſt luxuria; ſed implemini Spiritu.* 1. Theſſ. 5: 11. *Quapropter adhortamini alii alios, & ædificate ſinguli ſingulos, ſicut facitis.* Ac præſertim Corinthiacæ plebis exemplum. 1. Cor. 14. Ex

Judai-

Judaicarum Synagogarum inſtituto, ubi & in imo ſubſellio ſedenti ſurgendi, ac publice bonum verbum proloquendi facultas fuerit. Act. 13: 14, 15, 16. *Venerunt Antiochiam Piſidiæ, & ingreſſi Synagogam die Sabbati, conſederunt. Poſt lectionem autem legis & prophetarum, miſerunt præfecti Synagogæ ad eos, dicentes: viri fratres, ſi quis eſt in vobis ſermo exhortationis ad populum, dicite. Aſſurgens igitur Paulus* &c. conf. c. 18: 24. & 11: 20. & Luc. 4: 15. *Et ipſe docebat in Synagogis eorum, omnibus ipſum glorificantibus.* Quod autem hodie pauci in concionem prodeant, id in majoribus cœtibus ſervandi ſolum ordinis cauſa fieri.

VII. Contra autem eſt, quod Scriptura tam ſæpe, & tam expreſſe, in epiſcopis & paſtoribus requirit docendi donum. *Oportet igitur inſpectorem eſſe — διδακτικὸν docendi peritum*, 1. Tim. 3: 2. *Affixum ſermoni fideli, ſecundum doctrinam, ut valeat & adhortari in doctrina ſana, & contradicentes redarguere.* Tit. 1: 9. *Qui laborant in ſermone, & doctrina* &c. 1. Tim. 5: 17. Ut in Apoſtolica Eccleſia presbyteros non magis ad regendum quam ad docendum inſtitutos pateat. Imo hoc publicum ac peculiare ipſorum munus erat, dicente Apoſtolo, Chriſtum, ubi terras relinqueret, dediſſe *alios Apoſtolos, alios Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores: ad concinnationem ſanctorum, ad opus miniſterii, ad ædificationem corporis Chriſti, donec perveniamus omnes ad unitatem fidei* &c. Eph. 4: 11, 12, 13. Quod autem Corinthiacæ Eccleſiæ προφήτειαν ſpectat, illa magna ex parte extraordinaria fuit; in quantum vero ordinaria fuit, in minoribus quidem cœtibus certo ordine inſtitui, vix autem in publica frequentia ac panegyri exerceri poſſet. Omnia enim ex ordine & decoro peragi, Apoſtolus eodem capite juſſit. Intereſt autem ut publice nemo loquatur niſi ad illud vocatus, & ab Eccleſia probatus. De Synagogis vero Judæorum, omnique illorum diſciplina, alibi reſpondemus.

VIII. Ulterius tendit nuperus auctor; qui, edito libello, Eccleſias Chriſtianas multis ſæculis Apoſtaticas fuiſſe criminatur, quod verbum Dei infallibile à miniſtris fallibilibus Dei nomine ac auctoritate, publice exponi faciant; inque eo non parvam religionis ac cultus divini partem conſtituant. Suadet autem ipſe, dum novi orbis Doctores expectantur, novuſque Apoſtolatus oriatur, nudum Scripturæ textum, ſine ulla explicatione, in cœtibus proponi; idque unum pro omni catecheſi haberi. Quod etiam Adolphi Venatoris, A. C. 1617. conſilium erat. Quod quam latam Libertiniſmo, ac teterrimis hæreſibus, portam aperiat, ſupra

An verbum Dei publice exponendum ſit, an vero potius nude prælegendum.

pra

pra vidimus; ac talem Eccleſiæ noxam longe abominati ſumus. Nec magnum crimen eſt, ab hominibus fallibilibus infallibile Dei verbum exponi. Quaſi non & in Veteri Teſt. hoc factum: & non ipſe Chriſtus, poſt Apoſtolos, fallibiles Eccleſiæ Paſtores & Doctores dederit, Eph. 4. atque omnia ſapientiæ, prophetiæ, & interpretationis, dona in Eccleſia inutilia jacere debeant, quod infallibilitatis privilegio careant: nec aliter denique verbum Dei tractari, vel Eccleſia ædificari poſſit, quam per Doctores infallibiles. Nec peccant tandem qui in cœtu loquuntur, ſi loquantur ὡς λόγια θεοῦ 1. Pet. 4: 11. imo omnem operam ad eam rem dare debent. Debetque univerſus cœtus coire in nomine Dei, Matth. 18: 20. utque omnia, ita præſertim ſacra, & verbi ac ſacramentorum adminiſtrationem, in ſancto ejus nomine peragere. Matth. 28: 19. Col. 3: 17. *Et omne quod facitis, in ſermone aut in opere, omnia facite in nomine Domini Jeſu, gratias agentes Deo & Patri per ipſum.* Manere ergo debet in Eccleſia publica Scripturarum ſcrutatio, & *παραγγελία annunciatio,* 1. Tim. 1: 5. Quæ ut rite fiat, in enucleandis illis quatuor illa capita, quæ Apoſtolus refert, præcipue attendenda ſunt. *Omnis Scriptura à Deo inſpirata etiam utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad regendum in juſtitia.* 2. Tim. 3: 16.

An ſacramentorum adminiſtratio promiſcua ſit?

IX. Præter verbum, etiam *Sacramenta* tractare paſtorum eſt. Conjungit enim illa Chriſtus Matth. 28: 19, 20. *Profecti docete omnes gentes, baptiſantes eos in nomen Patris, & Filii, & Spiritus S. docentes eos ſervare omnia quæ mandavi vobis.* Quanquam nullum peculiarem characterem, aut poteſtatem, qualem Pontificii in conficiendis ſacramentis ſacerdotibus ſuis tribuunt, in illis agnoſcamus. Hæc enim ad Veteris Teſtam. inaugurationes, & conſecrationes ac cærimonialem perſonarum ſanctitatem pertinent. Turbant autem ab alia parte ordinem illum Sociniani; qui, ut verbi, ita & ſacramentorum, poteſtatem omnibus fidelibus ex æquo faciunt. Quod ad mulieres, ſed innuptas, Epiſcopius ratione Cœnæ extendit. Contra Apoſtolum, 1. Cor. 14: 34, 35. *Mulieris veſtræ in conventibus ſileant. Nec enim permiſſum eſt eis ut loquantur, ſed oportet ut ſubditæ ſint, ſicut & Lex dicit. Quod ſi quid diſcere volunt, domi ſuos viros interrogent: Nam turpe eſt mulieribus in Eccleſia loqui.* & 1. Tim. 2: 12. *Mulieri vero docere non permitto.*

X. Reliqua, quæ privatim ad presbyterorum officium ſpectant; utque illi gregem curare & obire; & languentes oves erigere; feroculas & petulantes coërcere; ac devias denique quærere, & ad caulas compellere debeant;

debeant; Apoſtolus totis ad Timotheum & Titum epiſtolis exequitur. Ac pertinet huc 1. Pet. 5. Ezech. 34. Joh. 10. Act. 20. 1. Cor. 9. Opera hic maxime danda, ut *gregem Dei paſcant illiuſque inſpectioni vacent, μὴ ἀναγκαστῶς, ἀλλ᾽ ἑκουσίως, non coacte, ſed libenter: non turpiter affectantes lucrum, ſed promto animo: neque ὡς κατακυριεύοντες ut dominantes cleris, ſed ut facti exemplaria gregis.* 1. Pet. 5:2, 3. Regimen enim Eccleſiæ miniſtris conceſſum non eſt coactivum, non debet enim Epiſcopus eſſe *πλήκτης percuſſor*, Tit. 1:7. ſed directivum duntaxat.

XI. Neceſſaria ad hanc curam eſt paſtoris præſentia, ſeu *reſidentia. Quemadmodum rogavi te manere Epheſi, quum proficiſcerer in Macedoniam; ut denunciares quibuſdam non aliter docere.* 1. Tim. 1:3. Quam mille artificiis in Concilio Tridentino eludere tentavere Epiſcopi Itali: connivente ad eam labem Urbico Epiſcopo. *Paſtorum reſidentia*

XII. Poteſt tamen, ſæviente perſecutione, ſi non tam grex, quam gregis cuſtos petatur, pauliſper de Eccleſia ſecedere, & ad meliora tempora ſeſe ſervare. *Quum autem perſequentur vos in ea urbe, fugite in aliam.* Matth. 10:23. 2. Cor. 11:32, 33. Quod & Cyprianum Carthagine feciſſe legimus. Cæteroquin, in communi periculo, non fugere, ſed pro grege animam ponere debet. *Bonus paſtor animam deponit pro ovibus. Mercenarius vero, quique non eſt paſtor, cujus non ſunt oves propriæ, videt lupum venientem, & omittet oves, & fugit: & lupus rapit eas, & diſſipat oves.* Joh. 10:11, 12. Quod & in peſtilentiæ, aliorumque morborum contage faciendum, ſi aliter Eccleſiæ proſpici non poteſt; nec unquam illa Paſtoris abitu deſolanda.

XII. Divellunt autem ſacra munia, & ſacros ordines, ſine cauſa, multiplicant Anabaptiſtæ; dum in cœtibus ſuis alios Epiſcopos, alios Paracletos, habent. Quorum hi, nulla magnopere auctoritate in gregem pollentes, ſolo verbi miniſterio funguntur; illi vero, præcipuam Eccleſiarum curam gerentes, ſacramenta adminiſtrandi, cunctaſque Eccleſias regendi ex æquo poteſtatem habent. Quæ contra ordinem ab Apoſtolis inſtitutum ſunt. Eam & presbyterorum *ἰσοτιμίαν*, communemque illum epiſcopatum, cujus ſinguli partem poſſident, tollunt, contra Act. 20:28. *Attendite — ad gregem totum, in quo vos Spiritus ille S. conſtituit Epiſcopos ad paſcendum Eccleſiam Dei.* coll. com. 17. *Miſſis autem Mileto nunciis Epheſum, accerſivit presbyteros Eccleſiæ.* & unum hominem pluribus Eccleſiis imponunt; contra Tit. 1:5. — *Et* *Anabaptiſtarum hic error.*

Digitized by Google

conſtituas oppidatim presbyteros — oportet autem Epiſcopum inculpatum eſſe. ac denique ſacramentorum & verbi adminiſtrationem perverſe nimis diſcerpunt; atque hanc illi poſtponunt. contra 1. Cor. 1: 17. *Non enim miſit me Chriſtus ut baptiſarem, ſed ut Euangeliſarem* &c.

11. Vocatio. XIV. Poſt miniſtrorum officium, ſequitur miniſtri *vocatio*; vocati *ſuſtentatio*; & indigni *abdicatio*.

Illius neceſſitas, XV. Eſt enim omnino vocatio, ad hoc munus gerendum, neceſſaria. *Et non ſibi quis ſumit honorem hunc, ſed qui vocatur a Deo, ut & Aaron.* Hebr. 5:4. *Quomodo vero prædicabunt, niſi miſſi fuerint? quemadmodum ſcriptum eſt, quam ſpecioſi pedes Euangeliſantium pacem?* Rom. 10: 15. *Non miſi Prophetas, & illi cucurrerunt; non locutus ſum ad ipſos, & illi vaticinati ſunt.* Jer. 23: 2.

requiſita, XVI. Eſt autem ea tum legitima, ubi vir Dei, cum aptitudinem, tum charitatem, ad paſcendum gregem, ſufficientem habens, piorum deſideriis ad iſtam curam vocatur; & univerſæ Eccleſiæ, eorumque quorum hoc eſt, conſenſu, dominico ovili præficitur; &, ſollemni denique ritu, inauguratur.

auctoritas, XVII. Cum autem miniſterium, ſeu functio, a Deo ſit: hominum quidem eſt, perſonam deſignare; muneris autem auctoritas ac poteſtas omnis a ſolo Deo derivanda eſt.

XVIII. Unde pendet quoque vocatio originaliter a Domino, cujus eſt miniſtros legere, inque arvum Eccleſiæ immittere. *Et diſtinctiones miniſteriorum ſunt, ſed idem Dominus.* 1. Cor. 12: 5. *Et alios quidem conſtituit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos, deinde Prophetas, tertio Doctores* &c. com. 28. *Rogate igitur Dominum meſſis, ut emittat operarios in meſſem ſuam.* Matth. 9: 38.

jus. XIX. Ordinatio autem iſtam curam Eccleſiæ mandavit; quæ, divinæ vocationi morem gerens, certos homines, e reliquo cœtu electos, ſupremo in gradu, tanquam in ſpecula, collocat, ad res Eccleſiæ curandas. Ut videlicet qui Eccleſiæ miniſtraturus eſt, id non niſi auctoritate ejus faciat; ac, conſcia ea, ac ſuffragante, miniſterium accipiat. Quod Apoſtolos, quanquam ſumma poteſtate præditos, ſervaſſe ſemper legimus: qui non niſi populi auctoritate & conſenſu Eccleſiaſtica munera mandare ſoliti erant. Vide Act. 1: 15, 23 & 6: 2, 5, 6. & 13: 1. &c. & 14: 23. Tit. 1: 5. Ne autem in magnis cœtibus ſeditioſe quidpiam agatur, rectorum judicia reliquo populo præire non incongruum eſt: cui tamen, ad concionem vocato, rogationi factæ vel annuere, vel abnue-

re,

re, integrum ſemper manere debet. Suntque hic etiam peculiares magiſtratui partes; cujus eſt, de vocatione facta arbitrari, eamque vel accipere vel improbare. Cujus etiam eſt miniſtris Eccleſiæ in ſuo territorio publice docendi poteſtatem facere: ſicuti & docentibus honoraria conſtituere, iiſque de cibariis proſpicere, debet. Quin & in variis reformati orbis partibus majus quippiam pollet, ac inſtar patris familias, ſui fundi Eccleſiis de ſacrorum miniſtris proſpicit, doctoreſque invitat: quorum vocationem eo nomine tanquam illegitimam taxare velle, hominis eſſet, ſeipſum Eccleſiæque ſuæ ordinem, ut molliſſime dicam, nimium amantis. Ubi vero Magiſtratus non eſt Eccleſiæ filius, illiuſque curam abjicit, ibi ipſa Eccleſia confœderata diſciplina omnia ſupplet, ipſumque magiſtratus jus exercet.

XX. De *jure patronatus* hic etiam quæri ſolet. Cum autem antiqua valde ſit beneficiorum, in electiva & collativa diſtinctio; ac juri iſti multæ Eccleſiæ reformationem ſuam debeant: ubi illud publice agnitum & receptum eſt, intempeſtive nimis obſtrepere ei ac obluctari velle, ac litigiis iſtis Eccleſiæ pacem quatere, temerarium eſt. *Jus patronatus.*

XXI. Cum autem Eccleſia dotes neceſſarias miniſtris largiri non poſſit, vocationem præcedere debet vocandorum exploratio. *Et hi vero probentur prius, poſtea miniſtrent, vacantes accuſatione.* 1. Tim. 3: 10. Qui morum ac doctrinæ teſtimonio ornati, & muneri, ad quod vocantur, pares ac inſigni quadam charitate ardentes eſſe debent; juxta canones Apoſtolicos, 1. Tim. 3. Tit. 1. Non enim temere cuiquam manus imponendæ, 1. Tim. 5: 22 Sicuti, ab alia parte, inviti, uti aliquando factum, ad ambonem rapiendi, & ad ſacram veſtem ſumendam cogendi non ſunt. Ad ſacrorum autem opprobrium vergeret, florente ac delicato hoc ſæculo, illiteratis ac ἀμυήτοις, ſine diſcrimine, ſacra munera tradere velle; quod temporum neceſſitate olim excuſatum fuit. *Vocandorum exploratio:*

XXII. Nec digni ſolum, ſed digniſſimi eligendi, ac cæteris præferendi ſunt. Omniſque ab Eccleſia exulare debet προσωποληψία, Jac. 2: 1. Quæ tum committitur, cum externam perſonam æſtimantes, inque rebus quibuſdam, quæ ad rem non pertinent, hærentes, iſto fuco capti, indignioribus ſuffragamur; alioſque, quanquam dignos, eo ſolo, quod iſtam in mundo perſonam non præferant, ac inanibus illis æque non valeant, viliores habemus. *in qua vitanda προσωποληψία,*

XXIII. Vitanda etiam *Simonia*, ac turpe in re ſacra mercimonium. Quod malum ex ſacerdotiorum opulentia, immenſiſque reditibus, *& Simonia.*

 olim

Digitized by Google

olim profluxit. Quæ ſine pretio acquiri, in tanta captatorum turba, non poterant. Ac inventus color eſt, non pro officio ac cura ſpirituali, ſed pro temporali ei annexo illam qualemcunque remunerationem dari. Sicuti in Papatu ſacri ordines gratis quidem conferri; pro titulo autem & Epiſcopatu aliove honore collato merces perſolvi ſolet. Quo Pallii Annatarum, aliaque exactionum nomina ſpectant. Nec hydra illa, utcunque ſæpius repreſſa, extirpari penitus potuit. In Tridentino enim Concilio, utcunque multus ea de re ſermo, nihil ſerio actum.

De lege Cœlibatus.

XXIV. Poſuit præter hæc Romana Eccleſia miniſtris Cœlibatus legem. De Cœlibatu enim votivo, in quem Monachorum familiæ jurant, alibi agimus. Eſt autem hæc Eccleſiæ Romanæ lex, nemini, niſi in caſtimoniam voto, ſacra tractare licere. Quo pacto & nuptias prohibent: cum amores conjugum, Deo ipſi probatos, inceſtos eſſe jubent: & Spiritus chariſmata in conjugatis coërcent: ac denique, contra Judaicæ, Apoſtolicæ, & primævæ Chriſtianorum Eccleſiæ exempla, ac Apoſtolorum ipſorum monita præſcribere, iſtiſque omnibus lege illa ſua obrogare præſumunt. Eſtque hoc poteſtatis ipſorum legiſlatoriæ in Eccleſia immane ſpecimen. Vide loca ſequentia, Dan. 11: 37. *Et non habebit rationem Deorum patrum ſuorum; & non habebit rationem deſiderii mulierum; & non habebit rationem ullius Dei; quia ſupra omnia magnificabit ſe.* 1. Tim. 4: 1, 3 *Spiritus diſerte dicit, attenturos quoſdam ſpiritibus ſeductoribus, & doctrinis dæmoniorum, videlicet vetantium uxores ducere* &c. cap. 5: 14. *Volo igitur juniores nubere, liberos parere, domos regere, nullam anſam dare adverſario convitii cauſa.* Matth. 19: 12. *Qui poteſt capere, capiat.* 1. Cor. 7: 2. *Propter ſcortationes quiſque ſuam conjugem habeat.* & com. 5, 6. *Ne fraudate alter alterum, niſi ſi quid ex conſenſu ad tempus — & rurſum ſimul convenite, ne tentet vos Satanas — hoc autem dico ex conceſſione, non ex imperio.* com. 25. *De virginibus autem imperium non habeo.* com. 37. *Qui vero ſtabilis perſtat in corde, nec adigitur neceſſitate, ſed in poteſtate habet propriam voluntatem, & hoc decrevit in corde ſuo, ut ſervet ſuam virginem, bene facit.* Hebr. 13: 4. *Honorata nuptiæ ſunt in omnibus, & lectus impollutus eſt: ſcortatores vero & adulteros judicabit Deus.* Col. 2: 21. *Quid ut viventes in mundo dogmata ſuſcipitis? ne tangas* (ex. gr. mulierem conf. 1. Cor. 7: 1.) *neque guſtes, neque contrectes.* 1. Tim. 3: 2. *Oportet inſpectorem eſſe irreprehenſibilem, unius uxoris virum.* com. 4. *domui ſuæ bene conſulentem, liberos habentem in ſubjectione, cum omni hone-*

Digitized by Google

honeſtate Tit. 1:6. *Si quis inculpatus, unius uxoris vir, liberos habens fideles, qui non ſint obnoxii crimini luxus, aut ſubjici neſcii.* 1.Cor. 9:5. *An non habemus facultatem, ſororem uxorem circumducendi, ut & reliqui Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas?*

XXV. Agnoverunt illud meliores inter Pontificios. Ac in ipſo Concilio Tridentino acriter huic legi reclamatum. Ac poſt illud Imperator Ferdinandus, ac Bavarus, litteris ad Pium IV. datis, ſeveritatem canonum hac in parte relaxari, & conjugatos ad ſacros ordines admitti, magnopere petebant. Addebaturque litteris libellus memorialis Theologorum Pontificiæ communionis in Germania; in quo diſſerebant, *negari non poſſe, ſacram utriuſque Teſtamenti Scripturam uxores Sacerdotibus permittere: Apoſtolos, paucis exceptis, uxoratos fuiſſe: in Eccleſia primitiva, tam Orientali, quam Occidentali, matrimonia ſacerdotum fuiſſe libera, & licita, uſque ad Papam Calixtum: propter naturæ fragilitatem, & ſervandæ continentiæ difficultatem, paucos reperiri, qui ſtimulos carnis non ſentiant: Paphnutium, in concilio Niceno, dicentem, caſtitatem eſſe cum propria uxore concubitum, perſuaſiſſe concilio, ne talem de cœlibatu legem ſciſceret: & ſextam Synodum Conſtantinopolitanam non prohibuiſſe uxoris conſortium, niſi quo tempore offerendum erat ſacrificium: quod ſi Eccleſia unquam cauſa fuit permittendi Clericis conjugium, hoc ſæculo eſſe: ex quinquaginta Sacerdotibus vix unum reperiri, qui non ſit ſcortator notorius: neque Sacerdotes tantum matrimonium expetere, ſed etiam ſæculares, ne illam vitæ turpitudinem in Clericis videant* &c. vide hiſtoriam Conc. Trid. lib. 7. & 8. Manſit tamen obſcœna illa lex. Et quanquam religioſo prætextu caſtimonias iſtas Eccleſiaſticis præſcriberent, revera tamen non niſi humanis rationibus adducti in veterum canonum rigore perſtabant. Unde, matrimonium presbyteris concedere, nihil aliud eſſe, quam Hierarchiam Eccleſiaſticam deſtruere, & Pontificem ad Romæ ſolius Epiſcopatum redigere, eati homines diſſerebant. Hiſt. Conc. Trid.

XXVI. Miniſtorum vocationi obtrectant *Sociniani*, qui eam non neceſſariam eſſe aſſerunt: de cætero unumquemque, qui ſibi aptitudinis ſuæ conſcius ſit, id muneris poſſe ſumere. Quæ contra Veteris Novique Teſtamenti exempla, ac miniſterii dignitatem & ordinem ſunt; & omnem poteſtatem Eccleſiaſticam tollunt; ac meram denique in Eccleſia confuſionem invehunt. Non intercedimus autem, quin, turbatis Eccleſiæ rebus, ac ordine nondum conſtituto; vel ubi Eccleſia aliqua Pa- *Circa vocationem errores Socinianorum.*

 ſtore

ſtore orbata, ac in locis ſolis deſtituta, eſt; eo in caſu illa de ſuo cœtu aptiſſimum eligere, & miniſtrum conſtituere, omnique poteſtate Eccleſiaſtica induere poſſit. Quod legitimæ vocationis eſt.

& Pontificiorum. XXVII. Errant ab altera parte *Pontificii*, plebi in eligendis miniſtris jus omne eripientes. Contra Apoſtolicæ ac primitivæ Eccleſiæ exemplum. Act. 14:23. De qua conſuetudine eſt, quod ipſi adhuc hodie, in ordinandis miniſtris, populi ſuffragia, licet per hiſtrioniam, exquirant. Ac de Apoſtolis, qui olim peculiari jure præditi erant, ſupra vidimus, eos ne quidem in minoris momenti negotiis, uti in legatione aliqua Eccleſiaſtica mandanda, quicquam citra Eccleſiæ conſenſum factitaſſe, Act. 15:22. 2. Cor. 8: 19. Veteris autem Eccleſiæ conſuetudinis teſtes ſunt, inter Pontificios, Cardinalis Cuſanus, Azorius &c. ac clarius in eam rem præſertim eſt Cyprianus in epiſtolis.

XXVIII. Quod autem Apoſtolus Timotheo mandat, ut fidis hominibus doctrinæ depoſitum commendet, 2. Tim. 2:2. id miniſterii honorem ſi ſpectet, illum non niſi Eccleſia arbitra & conſcia mandare potuit. Sicuti Titus, a Paulo juſſus Cretenſibus Paſtores dare, Tit. 1: 5. id de fidelium conſenſu facere debuit; ſi idoneus eorum numerus eſſet. Alia enim res eſt, ubi Eccleſia demum plantanda eſt, ubi nulli adhuc fideles degunt: ibi enim expectari non poteſt conſenſus plebis; ſed in ſilveſcentia ac horrentia arva immitti debent gnavi operarii, qui illa ſubigant, & Euangelii ſemente miteſcere tandem cogant.

Ordinatio vocati. XXIX. Vocationem ſequitur *Ordinatio*, ſeu confirmatio; qua electus, ac probatus, per ſollemnem ritum in muneris poſſeſſionem immittitur, ac Eccleſiæ mancipatur. Unde ab electione dependet. Χειροθεσία autem, ac externus ille ritus, à presbytereris ſolis peragitur; quanquam nomine Eccleſiæ. Juxta 1. Tim. 4: 14. *Ne negligas donum, quod eſt in te, quod tibi datum eſt per Prophetiam, cum impoſitione manus presbyterii.* & 5:22. *Manus cito nemini impone, neque communica cum peccatis alienis.* & 2. Tim. 1:6. *Propter quam cauſam commonefacio te, ut exſuſſies donum Dei, quod eſt in te, per impoſitionem manuum mearum.* adde Act. 13. Nec Doctores ſolum, ſed & Diaconi, iſto modo inaugurati leguntur, Act. 6:6. Statu vero Eccleſiæ collapſo, aliunde ritus ille ſuppletur, vel omititur. Non enim de eſſentia miniſterii eſt. Ut male Bellarm. nullo modo pro paſtoribus habeat, qui per manuum impoſitionem ab Epiſcopo ſacrati non ſunt.

Illius ori- XXX. Ortus autem fuit hic ritus à Judæis, qui inter alia in Doctoribus

ribus creandis illum uſurpabant. Nec aliam ſanctitatem habet, quam *go & uſus.* quod iſta ſollenni veluti cærimonia Euangelii miniſter in munus introducitur; &, ne quis privatim illud uſurpare audeat, Eccleſiæ publice addicitur; ac denique fauſtis precibus, advocata divina benedictione, ab univerſa concione cumulatur & conſecratur. Nulla tamen inde peculiaris conſecratio aut ſanctitas adhæret miniſtris N. F. ut olim ſub V. F. Nulla enim nunc datur cultus divini pars, quæ in peculiari appropinquatione ad Deum conſiſtat, quæque non ab unoquoque Chriſtiano, legitime ad id vocato, adminiſtrari poſſit, imo debeat: omnes enim *regale ſacerdotium* ſumus. 1. Pet. 2: 5, 9. Apoc. 1: 6. Ut nunc diſcrimine illo Levitico ſublato, vere *totus cœtus ſanctus ſit*, Num. 16: 3. neque aliud diſcrimen ſit inter perſonam quæ cultu ſacro defungitur, & alias, niſi ordinis duntaxat; dum ordinis cauſa cultus publici adminiſtratio illis committitur, quæ cæteroquin unicuique fratrum, neceſſariis requiſitis inſtructo, pariter quoque imponi poſſet.

XXXI. Cum ergo duobus hiſce Eccleſiaſtica vocatio abſolvatur, e- *Pervertunt & deturpant illam Pontificii.* lectione & confirmatione; cui addi poteſt publice loquendi libertas, ac facultas, a magiſtratu data: male *Pontificii* ad creationem Epiſcopi tria requirunt, electionem, ordinationem, & vocationem, ſeu miſſionem, quæ ultima ipſis proprie juriſdictionem tribuit. Nam electio à vocatione non differt. Ac nimium etiam vocationem & ordinationem ſeparant, dum frequentes adeo ordinationes abſolutas, Chalcedonenſi Concilio vetitas, ſine vero titulo, ac Eccleſia, celebrant. Sine grege enim nemo miniſter ordinari poteſt: quamvis grege ad tempus deſtitutus, honorem tamen & gradum miniſterii certo modo retinere poſſit. Sed & ordinationem variis peregrinis ritibus contaminarunt; nec presbyteris ullas in ea partes relinquunt; ſed omnia ad Epiſcopos, tandemque ad unum Epiſcopum Romanum, tranſtulerunt.

XXXII. Injuria autem noſtræ Eccleſiæ miniſterium ſugillant; no- *Qui injuſte criminantur noſtram:* ſtrorumque ordinationes omnes vitio factas, & irritas, calumniantur, Quod videlicet unctis Epiſcopis, qui ſacrum ordinem propagent, careamus. Unde porro univerſum miniſterium noſtrum omni poteſtate ac vi exſpoliant; & tandem nec miniſterium, adeoque nec Eccleſiam apud nos ſupereſſe, concludunt. Quæ quam vere dicantur, ex jam dictis videre licet. Nam & munera, quæ exercemus, à Chriſto inſtituta ſunt: & legitima Eccleſiæ vocatione ad iſtum gradum pervenimus. Iſta enim ſola legitimæ vocationis in Scripturis expreſſa ratio eſt; cum idonei

Digitized by Google

nei homines, a tota Eccleſia lecti & probati, a presbyterio confirmantur, & fauſta manuum impoſitione, non ſine univerſæ concionis precibus, inaugurantur. Quæ illi de ſacris iſtis Eccleſiæ ſuæ Ordinibus, Papæ, Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, denique immenſæ illius ſacrificulorum turbæ, nunquam probare poterunt. Contra Scripturas autem eſt, ſolis Epiſcopis presbyteros creandi poteſtatem dare. Ac non ſine ſacrilegio tandem Pontifex Rom. ſupremum creandorum Epiſcoporum omnium jus ſibi ſoli arrogat.

præcipue vero Reformatorum noſtrorum. XXXIII. Sed de Reformationis Ducibus præcipuam litem movent: quos nulla auctoritate ad opus illud inſtructos fuiſſe ajunt; atque omne illud a Monachis, a Laicis, & ſeditioſa denique plebecula cœptum ac peractum clamitant. Atque hic miris verborum incendiis ſæviunt, & immani invidia reformatas Eccleſias pulſant. Qui tamen inanes ſtrepitus ſunt. Nam non uno modo clamoribus illis reſponderi poteſt. Ac I. quidem plurimi ex Reformatoribus Eccleſiaſticam vocationem in ipſo Papatu habuerunt. Qui, abſterſis ſordibus, ac emaculato, quo fungebantur, munere, illo ad Dei gloriam, & Eccleſiæ ædificationem, ac Papiſmi ipſius deſtructionem, uti debuerunt: nec, ejurato licet Papiſmo, ulla nova vocatione opus habuerunt. II. Conſtitutis deinde Eccleſiis, ab iis, juxta ordinem in Scriptura inſtitutum, lecti Paſtores. Quæ vocatio profecto ſanctior erat, quam quæ in Romana Eccleſia ſperari poterat. III. Fuit ergo vocatio illorum ordinaria: nec enim miſſione extraordinaria, aut miraculis, opus erat, ad Eccleſiæ errores corrigendos, eamque priſtinæ luci ac nitori reſtituendam, & de Babylonis denique portis educendam. Sufficiebat enim mandatum conveniendi in nomine Domini (quod ubique, & quavis occaſione, fieri debet) ac verbum ejus, ſine commentis humanis, publice in mundo proloquendi (quod omnibus ſuo modo datum eſt) ac præſertim auribus inſonabat magnum iſtud Apocalypticæ meretricis judicium; & verba illa, *Exite ex ea populi mi*! quæ quibuſvis exeundi poteſtatem dabant. Miniſtrorum autem erat tanta in re duces ſeſe præbere, & Romani ſcorti turpitudinem nudare, vulgataſque ejus toto orbe libidines oſtendere, denique univerſam iſtam pſeudo-Eccleſiam vitare, portaſque exeuntibus aperire. Nec illa ab ordinario ipſorum munere aliena erant. Ut fruſtra ſpecialem miſſionem, & miracula, ab iis petant adverſarii; quæ ne quidem extraordinariis Doctoribus ſemper adfuerunt. IV. Quæ de Laicis (ita enim Magiſtratus appellant) aliiſque, qui ſanctiſſimo

Digitized by Google

mo huic operi manum admoverunt, objectant, adeo nobis non obſunt, ut merito pudorem ipſis incutere debeant. Ita enim deploratæ res erant, ut ab Eccleſiaſtico ordine ſani nihil expectari potuerit. Fruſtra enim à lenonum, & luparum cinædorumque principibus, non ab ædili vel prætore, aliquis coërceri lupanaria & meretricum ſellas expectet. Quod ad alios autem ſpectat, commune ad Chriſtianos omnes mandatum extabat, de deſerenda Babylone. Nec ſi quid in tanto rerum motu extra ordinem geſtum eſt, ideo opus Dei culpari debet. Quicquid autem iſta in re deſiderari potuit, tandem conſtituto Eccleſiarum ordine recompoſitum fuit. v. Denique quod indignantur, nos illos, qui ab ipſis ſacris ordinibus initiati ſunt, hodie reordinare; cum tamen collatum ab iis baptiſma novis aquis non eluamus: id diverſam rationem habet. Quia baptiſmus iterandus non eſt, ubi eſſentialia baptiſmi ſervantur. Aliter autem in ordinationibus ipſorum ſeſe res habet; quæ nihil niſi inaugurationes ad Miſſæ ſacerdotium ſunt. Quod nos profanum ac ſacrilegum habemus, & præſtigioſum illum ac magicum characterem, quem myſtis ſuis imprimunt, inducto meliori delemus.

XXXIV. Sequitur miniſtrorum conſtitutorum *ſuſtentatio*. Quam divino jure ipſis deberi Apoſtolus probat, 1. Cor. 9: 7-13. *Quis militat propriis ſtipendiis unquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit aut quis paſcit gregem, & de lacte gregis non edit? — Si vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt ſi nos veſtra carnalia meſſuerimus? — an neſcitis, eos, qui ſacris operantur, ea qui ex ſacrario ſunt edere? & qua altari aſſident, cum altare participare.* Conf. Matth. 10: 10. *Nam dignus eſt operarius alimento ſuo.* 1. Tim. 5: 17, 18. *Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore afficiuntur, maxime qua laborant in ſermone & doctrina. Dicit enim Scriptura: bovem triturantem non capiſtrabis: &, dignus eſt operarius mercede ſua.* Quæ miniſterii ſtipendia ſtata & certa eſſe, Sacerdotum ac Levitarum exemplo, nihil vetat; utque liberius in ſacro opere verſentur, ἀμερίμνας eos & de cibariis ſecuros reddit. *Nullus militans implicat ſe vitæ negotiis.* 2. Tim. 2: 4. *III. Suſtentatio.*

XXXV. Ubi ab una parte culpanda *Anabaptiſtarum* anxietas, qui illiberale ac mercenarium putant, annuas mercedes pro Eccleſiaſticis laboribus ex publico accipere. Unde ditioribus iſta laborum præmia non permittunt; tenuioribus autem, non annuam, ſed quotidianam ſtipem, prout neceſſitas eorum flagitat, aſſignant. Faciunt autem hoc majoris ſanctimoniæ cauſa. Quod & Apoſtolus ſuo tempore falſorum fratrum *Anabaptiſtarum circa illam defectus,*

Digitized by Google

inſtitutum fuiſſe dicit, 2. Cor. 11: 12, 13. Cum tamen ipſi aliunde rem facere, & vel ſacculis charitatis, vel aliis obventionibus, ac potiſſimum uberi mercatura civium bona inuncare interdum noverint.

XXXVI. Quantopere autem Pauli exemplum ipſos non juvet, vel ex ipſo illo, quem adferunt, loco, ſatis patet. Specialibus enim de cauſis Corinthiacæ Eccleſiæ Euangelium ἀδάπανον præſtare volebat. Non quod nullum poſtulandæ mercedis jus haberet (vide 1. Cor. 9:4,5,6,12.) ſed ne infirmos offenderet; & ut falſorum fratrum gloriationem minueret; quibus, naſcentibus primum Eccleſiis, concedere non volebat. vide Act. 20:35.

& Pontificiorum exceſſus.

XXXVII. Ab altera autem parte *Pontificii* Eccleſiaſticas opes, præter fas & æquum, in immenſum auxerunt: dum, per privatas publicaſque largitiones, non decimas ſolum (quæ, juxta Levitarum inſtitutum, fovendo miniſterio pendebantur) ſed agros, & pecunias, & vectigalia, & Comitatus ac Principatus, religionis titulo poſſident; iſtiſque firmamentis monarchiam ſuam Eccleſiaſticam fundaverunt. Quæ res quibus gradibus, quibuſve artibus ac aucupii generibus, in monachis, Epiſcopis, ipſoque Papa, proceſſerit, longum foret diſſerere. Ne de teſtamentorum corruptione, de legatorum ſpoliis aliiſque artibus patriciis dicam. Exundabant autem tandem omnes hi rivi in Romanæ Eccleſiæ alveum: quæ, urbis ditioniſque Romanæ poſſeſſione non contenta, mille prædationum nominibus ac formis, in reliquas orbis Eccleſias graſſabatur.

Illorum luxus & bona Eccleſiaſtica quomodo repurganda?

XXXVIII. Qui inſani Clericorum reditus, per prædas & rapinas magnam partem congeſti, nunc ab Eccleſiis reformatis vindicari non poſſunt. Ejectis enim, ac migrare juſſis, qui auro iſti incubabant, illud vacuæ manus factum, fiſcoque merito addictum eſt. Non enim Eccleſia tanta gaza eget. Nec refodere iſtos theſauros, & luxus ac avaritiæ irritamenta conquirere, magnopere intereſt. Sicut & collegia, ad pompam, vel cultus idololatricos, inſtituta, ac titulo iſto magnam bonorum iſtorum partem poſſidentia, pro arbitrio magiſtratuum, vel diſſolvi, vel, ejuratis Papatus ſordibus, ac inducto meliori axiomate, porro bonorum iſtorum curam gerere, atque inde aliquem in Republ. ordinem conſtituere poſſunt. Ante omnia autem Eccleſiæ, & Scholarum, ac pauperum neceſſitatibus exinde proſpiciendum eſt. Contra ac Browniſtæ & Anabaptiſtæ cenſent. Sicuti iſta præcipua fundatorum fuit intentio, quanquam multa ſuperſtitione corrupta, religioſo fini, & Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiæ, vel uſui, vel ſplendori, donaria iſta dedicare. Quicunque autem prætextus adhibeantur, à ſacrorum ſpoliis ſummopere cavendum eſt: ne, dum collatas ad pauperum vel ad exulum levamen ſtipes, vel olim ad ſincerum Dei cultum, & Eccleſiarum neceſſitates, dicatas opes invadimus, hæreditatem Dei accidere, patrimonium Chriſto diſſipare, depeculari denique ac devaſtare Eccleſias deprehendamur.

XXXIX. Miniſter, miniſterio aptus & habilis, miniſterio abire, & ſtationem ſuam deſerere, non niſi gravi de cauſa, poteſt, *Nemo qui, manu ſua admota aratro, reſpexerit ad ea quæ retro ſunt, appoſitus eſt ad regnum Dei.* Luc. 9:62. Si autem, vel doctrinæ, vel morum probro, ſeſe indignum præſtet, ad tempus munere interdici, vel in totum removeri debet. Eſtque iſtius rei jus & poteſtas penes eos qui illum admiſerunt, hoc eſt Eccleſiam, quæ à Deo non-credendi pſeudo-Prophetis, iiſque contradicendi, mandatum habet. *IV. Abdicatio.*

XL. Difficilem autem nimis reddunt indigni miniſtri exauctorationem Pontificii, ſuperſtitioſis ac multifariis degradationis ritibus. Qui in veteri Eccleſia olim, ad exemplum militiæ armatæ, uſurpati, ad Eccleſiaſtici ordinis decus, ſi quis de Clero ad ſæcularem ſtatum redire vellet; quo non ſine nota abire poterat; vel ſi alioquin ob delictum ſeculari poteſtati tradendus erat. Poſtea autem illud in majoribus ordinibus tantummodo uſurpatum, quando aliqui judici ſæculari tradendi forent, multiſque cærimoniis auctum & impeditum fuit. Quæ non alio ſpectabant, quam ad magnam de Eccleſiaſticis opinionem populo ingenerandam, iſtiſque inanibus juris exequutionem fruſtrandam. *Exauctoratio Pontificia.*

XLI. Presbyteris, in verbo laborantibus, adjungunt alii in verbo non-laborantes; qui regimini præſunt, in noſtris Eccleſiis *Seniores* dicti. Quo referunt 1. Tim. 5:17. *Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore afficiuntor: maxime qui laborant in ſermone & doctrina.* 1. Cor. 12:28. *Conſtituit Deus in Eccleſia — κυβερνήσεις gubernationes* &c. Rom. 12: 8. *Qui præeſt, cum diligentia.* Habebant & Judæi in cœtibus ac Synagogis ſuis tales presbyteros: unde in Eccleſiam Chriſtianam quibuſdam traducti videntur. Hoc tam diſcrimine, quod illi judicia, & politicum regimen quoque tractarent. In Novo autem Teſtam. primo Eccleſiæ presbyterorum mentio fit. Act. 11:30. *Mittentes ad Seniores πρὸς τοὺς πρεσβυτέρους per manum Barnabæ & Sauli.* tum, c. 14: 23. *Cumque ipſis per ſuffragia creaſſent per ſingulas Eccleſias presbyteros* &c. Tit. 1:5. aliiſque locis. *Miniſtri alii; Presbyteri in verbo non laborantes,*

Digitized by Google

XLII. Hoc tamen merito dubitari poteſt: an illi Apoſtolicæ Eccleſiæ presbyteri, qui in verbo non laborabant, peculiarem in Eccleſia ordinem conſtituerint? & an, de cætero Eccleſiæ miniſterio & regimini in perpetuum non addicti, de populo tantum in curarum partem allecti, ac presbyteri quidam Laici fuerint? Certe in Novi Teſt. Scripturis Epiſcopis & Presbyteris, tum docendi, tum gubernandi, poteſtas ex æquo tribuitur; iſtæque partes ipſis non ſemel mandantur. Vide 2. Tim. 2: 2. & 4: 3. Tit. 1: 9. Unde potius videtur, de eodem presbyterorum ordine utroſque fuiſſe: quod autem, regimini intenti, de docendo non laboraverint, tum aliis de cauſis, tum ex donorum defectu contigiſſe. Utcunque ſit, utilem Eccleſiæ eſſe hunc Laicorum, uti appellant, presbyteratum; iſtoſque, de reliquo populo lectos, ſeniores, paſtoribus non immerito aſſidere, Eccleſiamque curare; tum ex veteris Eccleſiæ conſuetudine, cujus teſtis eſt Ambroſius, tum hodiernæ quoque experientia patet.

& poteſtas iis collata. XLIII. Hi ergo Seniores laici, Paſtorum veluti aſſeſſores, cum iis Senatum Eccleſiæ conſtituunt. Poteſt vero aut cœtus, aut civitas, ubi vera ſacra in publicum accepit, majorem aliquam poteſtatem, & civilis cognitionis partem, aut particulam, Senatui iſti tradere: eoſque erigere in pædagogos, 1. Cor. 4: 15. thronoſque & judicium iis dare. Quam tamen poteſtatem cum ab hominibus habeant, non a Deo; moderate ea uti, & magis patres, quam pædagogos in Chriſto ſeſe oſtendere debent. Quantopere autem illorum judicium & auctoritas a poteſtate Seniorum, in Cathedra Moſis ſedentium, differat, ſupra vidimus.

qui per vices præeſſe poſſunt. XLIV. Tandem, quanquam non inutile foret, eoſdem ſemper, de cœtu delectos, ſummis Eccleſiæ rebus adeſſe; ſi tamen aliter ſuadeat, aut temporum anguſtia, aut peculiaris Eccleſiæ ratio, aut tyrannidis denique metus; ſine perpetuo nexu, alternis regere, ac per vices alii aliis ſuccedere poſſunt. Quales Levitarum & Sacerdotum in templis vices & ſtationes legimus. Ut ita omnes tanquam fratres coram Domino ſint, alternis ſtantes & conſidentes, ſine imperio aut dominatu ullo. Pſal. 133: 1. *Ecce! quam bonum & quam jucundum, habitare fratres etiam una.* Eſai. 23: 18. *Sed ſedentibus coram Jehovah cedet mercimonium ejus* &c. Tales Ezech. 39: 14. אנשי תמיד ἄνθρωποι ἐνδελεχισμοῦ dicuntur.

Diaconi; eorumque munus: XLV. Corporalium, ſeu τῶν βιωτικῶν, adminiſtri ſunt *Diaconi*; qui Eccleſiæ theſauros in hoſpitum ac egenorum ſolatium curant. Inſtitutio eorum occurrit Act. 6. Ac in epiſtolis Apoſtolorum frequens

corum.

eorum mentio eſt. Rom. 12: 7,8. 1. Cor. 12: 28. 1. Tim. 3: 8. Quin & Diaconiſſæ, ac miniſtræ, ad curam iſtam adhibebantur. 1. Tim. 5: 9, 10. Rom. 16: 1. Varia autem eorum curatio erat; dum alii ægris, alii ſenibus, alii hoſpitibus, alii orphanis, alii pauperibus &c. adhiberentur. Quæ omnia, in primis illis Eccleſiæ anguſtiis, liberali miniſterio peracta, nunc, auctis Eccleſiarum rebus, eleemoſynarum erogatione commode præſtari poſſunt. In quarum cum collectione, tum diſtributione, munus eorum abſolvitur.

XLVI. Crevit autem ſenſim eorum dignitas: ac verbi & ſacramentorum miniſterium apud veteres eos obiiſſe, ſatis conſtat. Quo ſenſu in hiſtoria Eccleſiaſtica ordinario occurrunt. Sicuti in Papatu, in miſſatico dramate, adhibentur. Nam & ſacrificulo miniſtrant; &, identidem reſpondentes, ſic ejus verba cadentia tollunt, ut credas mimum partes tractare ſecundas. Quod a prima eorum origine alienum eſt. Impoſitio autem manuum, de qua Act. 6: in eorum creatione, communiſſimus apud veteres ritus erat, qui etiam in inferioribus muneribus mandandis adhibebatur. Quin omnes Chriſtiani hoc ritu in baptiſmo olim obſignabantur. *an circa verbi miniſterium verſetur?*

XLVII. *Anabaptiſtæ* vero, ut duplicem tantum Eccleſiæ ordinem agnoſcunt, eos, qui verbum prædicant, & qui pauperum neceſſitatibus præſunt ita immerito poſterioribus etiam Doctorum, Seniorum, & Rectorum nomina, in Scripturis attributa volunt. Quod contra eſt. Vide 1. Tim. 5: 17. Tit. 1: 5. Act. 6: 2, 3, 4. *Non eſt æquum, nos, derelicto ſermone Dei, miniſtrare menſis. Deligite ergo, fratres, ex vobis viros ſeptem — quos huic uſui præficiamus. Nos vero in precibus, & adminiſtratione ſermonis, perdurabimus.* *Anabaptiſtarum hic error.*

CAPUT VIII.

De Eccleſiarum unione, earumque Conciliis & Synodis.

I. Hactenus de miniſtris Eccleſiæ ſingulatim; nunc de communi eorum Concilio ac ſenatu agemus: ubi, ad communes Eccleſiæ res gerendas, in majores minoreſve conventus ac Synodos congregantur. Uti enim una eſt Dei in. *Eccleſiarum UNIO externa.*

Digitized by Google

in terris Eccleſia, ita Eccleſiarum unio omni ope tuenda, omniaque ordine & decore in ea gerenda ſunt. *Ibit una gens ad aliam dicendo: Eamus eundo ad ſupplicandum Jehovæ, & ad quærendum Jehovam.* Zach. 8:21. Ita Eccleſia Hieroſolymitana cum Apoſtolis, reliquis Eccleſiis tum præcepta Spiritus S. tum fidele ſuum conſilium fraterne expoſuit, Act. 15:27, 28. miſeruntque, cum illa ad Antiochenos, com. 30. tum hi ad Eccleſias, qui traderent ea obſervanda, com. 40. cujus communicationis fructus fuit: ut *Eccleſiæ conſtabilirentur fide*. c. 16:4, 5.

non eſt de jure divino;

II. Sic autem de iſta re habendum. Singulas Eccleſias de jure divino liberas, nec ulli alii obnoxias eſſe; & Chriſtum ſolum agnoſcendum dominum, nullam autem Eccleſiam dominam. Si quæ autem plurium Eccleſiarum datur coadunatio, & ad communes cauſas, communibus conſiliis gerendas, confœderatio: illa partim a magiſtratus auctoritate eſt, qui iſtis conventibus judicandi, & de cauſis Eccleſiaſticis ſtatuendi poteſtatem in ſuis terris facit; partim a mutuo Eccleſiarum pacto & diſciplina confœderata; quarum intereſt ut in cunctis Eccleſiis una veritas ſonet, nec irrepente hæreſi vel ſciſmate formoſum illud corpus deturpetur aut laceretur: denique ex generali præcepto, & germano Apoſtolorum canone, qui omnia decenter & ordine in Eccleſia Dei fieri jubet, 1. Cor. 14:40. Quo imprimis conſiliorum communicationes, & plurium Eccleſiarum in unum locum legationes ſpectant; tum ad commune periculum arcendum, tum ad communibus commodis providendum; tum ut parti laboranti ab univerſo corpore ſuccurratur.

præcipue quantum ad ſpecialem unionis formam.

III. Specialem autem iſtum conventuum ordinem, & politiam, & regimen, & poteſtatem, aliaque hujuſmodi, Chriſtum particulatim inſtituiſſe non legimus: cum ſatis foret iſta, communi charitatis ac prudentiæ præcepto comprehenſa, Eccleſiæ ipſius ordini ac prudentiæ relinquere. Unde neque aliam Synodorum poteſtatem agnoſcimus, quam aut in Eccleſiarum εὐταξίᾳ conſtituenda, ex mutuo illo nexu earum, ac ordine mere poſitivo; aut in fide ex verbo Dei explicanda, erroribuſque rejiciendis; ad quod aperta Scripturarum demonſtratione opus eſt. Quæ autem Eccleſiæ idem ex verbo Dei ſentiunt, atque ad eandem regulam incedunt; illæ in eo, ad quod pervenerunt, ambulare, ſeſeque arcte unire, & pertinaciter diſſentientes communi conſilio vitare & excludere juſte poſſunt: *Tantum, ad quod pervenimus, eadem incedamus regula, idem ſentiamus.* Phil. 3:16.

IV. At-

Digitized by Google

IV. Atque hac ratione ἀτάκτοις illis, qui vulgo Independentes ſeſe jactant, reſpondemus. Illi enim homines, ubi crudius loquuntur (rectius enim ſentientes inter ipſos hiſce non notamus) omnem Eccleſiarum unionem ac ordinem rejiciunt; Concilia ac Synodos, ut Antichriſti characterem, repudiant; ipſorum decretis audacter obnunciant; in ſuis autem favis ac Eccleſiolis, quæ pauciſſimis perſonis, vix denis aut duodenis, perſæpe conſtant, ſeſe continent, omnemque Eccleſiam concludunt; nec vel cunctarum univerſi orbis Eccleſiarum in ſeſe arbitrium aut judicium, niſi ad conſulendum, ferunt vel admittunt; ac nullo denique modo, ab ullo mortali, iſta ſua alvearia ac ceras conturbari ferunt. Vocant autem Eccleſias illas *congregationales*; quas definito numero, nec eo adeo magno, uni paſtori regendas tradunt: atque iſto ſepto ſe includunt, extra omne aliarum Eccleſiarum commercium.

Qualis ergo Eccleſiarum detur a ſe invicem dependentia.

V. Quæ quomodo accipienda ſint, jam patet. I. Hoc enim certum eſt, quoad conſcientiam, omnem cœtum, imo omnem hominem, ſoli Deo ſubjacere. II. Nec eò minus certum eſt, & ſingulos homines, & Eccleſias, aliorum fratrum ἐλέγχῳ, & demonſtrationi ex Scripturis petitæ, ſubeſſe. Atque iſta quidem fratrum omnium in ſe mutuo poteſtas eſt; quæ ne Eccleſiis quidem erga alias Eccleſias deneganda eſt. Nam & ibi fraterna officia, & ſacra diverſorum ejuſdem corporis membrorum communio vigere debet. III. Eccleſiarum autem diverſarum non quidem ſubordinatio, ſed propior unio, & commune vinculum ac nexus, adeo divino ordini non repugnat; ut non aliter ille melius conſervari, & offendicula vitari, & doctrinæ puritas retineri, poſſint. IV. Si autem illa unio inſtituta ſit; &, vel magiſtratuum auctoritate, vel mutuo Eccleſiarum fœdere, collegio alicui judicium delatum ſit; boni ordinis eſt, poſitivo ac externo illi Eccleſiarum ordini parere: nec Eccleſiæ, quæ in fœdus venerunt, iſtud juſte detrectare poſſunt.

VI. V. Multa autem ſunt, quæ ordinem iſtum ſuadent. Non ſolum Veteris Teſt. inſtitutum in majoribus minoribuſque ſynedriis, Deut. 17:8,9. & ſeqq. 2. Chron. 19:8. Pſal. 122: 1,5. & primævæ Eccleſiæ uſus; ubi quæſtiones, in aliis Eccleſiis exortæ, ad Hieroſolymitanam matrem, ubi Apoſtoli diutule præſidebant, delatæ leguntur; ut in illo Apoſtolorum ac presbyterorum cœtu finirentur, Act. 15: 1,2,4. &c. & 16: 4. ac ſequentis deinde ætatis conſtans ac perpetua praxis. Sed & graviſſimæ rationes pro eo militant. Nam & ſanctorum communio, quæ latiſſime coli debet; & Eccleſiæ viſibilis unitas; & fidei ſinceritas,

Quæ aſſeritur.

Digitized by Google

ritas; & externæ diſciplinæ vigor; & communis Eccleſiarum cauſa ac ſalus; earumque incrementa & auctus; Euangeliique in aliis partibus promotio; ac Reipublicæ denique tranquillitas; non alio modo melius procurantur.

VII. vi. Nec aliud æque promtum contra ſectas, & hæreſes, ac lapſus quoſque graviores remedium; quæ alioquin, nullo intercedente, quin aliis aſpectantibus Eccleſiis, integros cœtus depaſcere & devaſtare poſſent. Sicuti experientia teſtis eſt, non alibi tetriores hæreſes enatas, & innumera ſectarum examina magis ferbuiſſe, quam in nidis iſtis, & congregationalium ſeptis, nullo ad arcendam ſtragem in promtu auxilio; cum cæterarum Eccleſiarum arbitrium aut judicium non admitterent. Quod enim de conſulendi auctoritate addunt, adeo leve eſt, ut malis iſtis ſuccurre non poſſit. Quid enim ſi integræ iſtæ congregationes, hæretica labe infectæ, non magis conſilia quam judicia aliorum ferant? &, ab aliis Eccleſiis à fraternitate ejectæ, contrariis edictis ſæviant; &, miſerabili erorre, ſeſe ſolos Dei peculium, cæteraſque omnes Eccleſias Deo exſortes ſtatuant. vii. Neque vero ab altera parte periculum eſt, ne Eccleſiaſtica illa unione ſingulorum cœtuum libertas pereat. Eſt enim Synodorum poteſtas, non deſtructiva, ſed cumulativa. Nam & communia tantum in illis tractantur, quæque ad univerſum corpus pertinent, relicto ſingulis cœtibus propriarum rerum arbitrio; & ipſi illi cœtus Synodos conſtituunt, ac ſinguli dicendæ in iis ſententiæ jus habent. Uti in liberis nationibus, mutuo fœdere unitis, fieri videmus. Quæ adeo libertati & auctoritati ſingularum Eccleſiarum non repugnant, ut eam magis firment & ſtibiliant. Cum alioqui verendum ſit, ne, dum ſinguli ſeparatim paſcunt, ſpargatur ovile Domini, ac luporum præda fiat. Zeph. 3: 19. Eſai. 25: 23.

Quid ſtatuendum ſit de cœtuum amplitudine.

VIII. viii. Nec levior labes eſt, quod hi homines adeo parvulos cœtus inſtituant; quos etiam congregationales appellant, quod unum in locum, eumque non adeo magnum, coire, omneſque cultus partes obire, atque ab uno paſtore regi poſſint. Tam exiguis enim finibus illas ſuas Eccleſias circumſcribunt. Frequentiores autem Eccleſias vix Eccleſiæ nomine dignantur; & turbam magis ac colluviem, quam fidelium cœtum æſtimant. Quæ ipſorum præciſitas quomodo cum Apoſtolicarum Eccleſiarum exemplo conveniat, ex Actis, & epiſtolis Apoſtolicis, videre eſt. Ac Hieroſolymitana quidem Eccleſia multa fidelium millia comprehendebat, Act. 1: 15. & 2: 41. & 4: 4. & 5: 14, 26. De

An-

Digitized by Google

Antiochena autem, ubi ob diſcipulorum frequentiam Chriſtianum nomen primum natum eſt, ex Act. 13: 1,43,44. & 14: 1. judicari poteſt. Nec Romanæ, Corinthiacæ, Epheſinæ, aliarumque, ad quas tum Apoſtolorum epiſtolæ extant, tum in excolendis iis labores in Actis referuntur, minor ratio fuit. Ut præteream, & plures Eccleſias ſingulare Eccleſiæ nomen in Novo Teſt. ferre, Act. 8: 13. conf. Act. 9: 1, 2 & 12: 1, 5. 1. Cor. 15: 9. Phil. 3: 6. & Judæorum Græcorumque Eccleſiam memorari, 1. Cor. 10: 32. quin & totius orbis fideles & cœtus uno illo nomine comprehendi, 1. Cor. 12: 28. Ut tam arctis unius parœciæ finibus Eccleſiæ ſub Novo Teſt. unitatem concludere, totidemque Eccleſias, quot cœtus in majori aliqua urbe ſunt, erigere, nefas ſit.

Unionis hujus ratio in SYNODIS.

IX. Videamus autem propius unionis hujus rationem in Synodis & Conciliis, Hebr. כנישה Gr. *συνέδριον*, *σύνοδος*, dictis. Quæ, pro Eccleſiarum convenientium numero, vel *provincialia*, vel *nationalia*, vel *œcumenica*, dicuntur. Unius autem Eccleſiæ rectorum conventus ſpecialius *πρεσβυτέριον* appellatur.

Illarum I. *congregatio.*

X. Conſideranda autem hæc quatuor. I. Conciliorum *cauſa* veluti efficiens, & eorum convocatio. II. *Materia*, ſive membra, ex quibus conſtant. III. *Forma*, quoad ſuffragia, ordinemque externum. IV. Denique *effecta*, eorumque judicium & auctoritas.

Quæ non legitur facta, Act. 13.

XI. Ac primæ quidem Synodis exemplum adferunt ex Eccleſia Apoſtolica Act. 15. Ubi conventum fuiſſe rectorum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, tum Apoſtolorum, ibi tunc temporis præſentium, tum Preſbyterorum, ac reliquæ deinceps plebis; ac conſilium ab ipſis Antiochenæ Eccleſiæ datum agnoſcimus: non autem variarum Eccleſiarum, per legatos coëuntium, Synodum, ſingularumque ſuffragia, ac judicia, aliaque in Synodis obſervari ſolita, videmus. Ut Colloquium potius vocandum ſit, quam Concilium. Recte enim judicabat Eccleſia Antiochena, cujus doctores ibi comparebant, non melius litem illam, quæ naſcentem fidem infeſtabat, componi poſſe, quam auditis Apoſtolis, ac conſulta Eccleſia illa, unde fidei tradux ad reliquos promanaſſet.

ſed ſequentibus ſeculis, *tum pro-*

XII. Sequentibus autem ætatibus, poſt Apoſtolorum exceſſum, ſolebant Eccleſiæ, ad obortas difficultates componendas, per legationes coire, & in medium conſulere. Mittebanturque eam in rem Epiſcopi, & viri inſigniores. Quæ Eccleſiarum unio, ob crebras perſecutiones, exiguis tum finibus concluſa; poſt pacem a Conſtantino datam, immenſum aucta fuit. Nec provincialia tantum, uti hactenus, ſed univer-

Digitized by Google

vincialium tum univerſalium. ſalia & œcumenica, in quantum videl. Romanus patebat orbis, Concilia haberi cœpta ſunt. Quod, diviſo deinde imperio, aliquandiu duravit. Poſtea autem, divulſo ac collapſo, aliter ea a Græcis, aliter à Latinis inſtituta, & nomine illo habita ſunt.

Quibus auctoribus? XIII. Conveniebant autem primis temporibus *Epiſcopi*, non alia quam charitatis ac εὐταξίας lege jubente, ad ſuborientes Eccleſiarum neceſſitates. Deinde ad unum ea res delata; qui, primæ ſedis dignitate in provincia illa, Synodi convocandæ ac ei moderandæ auctoritatem habebat. Quem *Metropolitanum* appellabant. Auctis deinde Chriſtianorum rebus, cum *Imperatores* Eccleſiarum curam ſumerent, eorum auctoritate Synodi convocatæ ac habitæ ſunt. Præſertim ubi ex univerſo imperio illæ convenire deberent. Solebantque, aut ipſi, aut per præfectos ac comites, univerſæ actioni moderari; relictis Epiſcopis ſolis conſulendi partibus. Donec tandem, excluſis Imperatoribus ab Eccleſia, omnem illam poteſtatem *Papa* ſumſit. Qui adeo ſui arbitrii fecit, Concilia ex Chriſtiano orbe convocare, eademque per legatos ſuos regere; ut iſtam neceſſariam Conciliorum formam faciant, atque abſque eo nullum Concilium legitimum eſſe, aſſentatores ejus tueri audeant: Imperatores vero ſummi beneficii nunc loco habeant, ſi vel Concilii larvam ac umbram longis precibus ab eo poſſint eblandiri. Quod non leve imperatoriæ poteſtatis ſpolium; & mera in Eccleſiam tyrannis eſt; ac denique veterum Conciliorum exemplis repugnat.

XIV. Quod enim Bellarminus objicit, nullum unquam Concilium ſine Papæ auctoritate convocatum: id, ſi ita intelligatur, ut Imperatores, ad Epiſcoporum preces & poſtulata, Eccleſias e Romana ditione convocaverint; non Papam magis, quem alios Epiſcopos, quorum conſiliis in hac re Imperator quoque uſus eſt, juvat. Nos autem, non de iis qui Synodos poſtularent, & quorum conſiliis Imperatores uterentur; ſed de earum auctore, ac proxima indictionis cauſa, quærimus.

11. Membra. XV. *Membra* Conciliorum erant perſonæ, cum *Eccleſiaſtica*, tum *Politica*. Solebant enim imperatores, vel legati eorum, veteribus Conciliis, multa cum auctoritate, intereſſe. Ex Eccleſiis autem conveniebant Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi; quin & Laici nonnunquam. Adeſſe vero tenebantur omnes Provinciæ Epiſcopi, ſub ſegregationis pœna. Sæpe etiam abſentium ſententiæ audiebantur. Invitabantur quoque, ac multo cum honore admittebantur, aliarum Provinciarum ac nationum Legati. Ac præter hos aderant Notarii, Synodorum Actis componen-

Digitized by Google

nendis. Qualium tum frequens in Eccleſia uſus.

XVI. Coibant ordinario in templi celebrioris conclave, ſeu ſecretarium. Quanquam & in imperiali Palatio, quod Trullum vocabatur, Synodum Quini-ſextam habitam legimus. Ac diſtinctum illud erat ſedilibus ac ſubſelliis. Primuſque locum capiebat Imperator, cum ſuis; tum Epiſcopi; quos, corona veluti facta, incingebant Presbyteri. Adſtabant autem Diaconi. Ac ſequebantur denique Laici. In medio autem poſitus erat Codex Euangelicus; tum religionis cauſa; tum ut iſtam fidei regulam omnes ſequerentur: ac juxta eum canonum Eccleſiaſticorum liber. *Locus.*

XVII. Præſidem agebat, in Synodo provinciali, provinciæ Metropolitanus; aut loci, in quo Synodus agebatur, Epiſcopus. In Conciliis autem œcumenicis duplex erat præſidentiæ ratio. *Politicus* præſes erat Imperator, aut præfecti ejus. *Eccleſiaſticus* vero, vel peculiari imperatoris auctoritate conſtituebatur; vel communi conſenſu ad fratrum conſeſſum regendum eligebatur. Nullum autem Pontificis Romani, vel legatorum ejus, in antiquiſſimis illis conciliis præſidendi fuit jus. Ut nulla ratione gnathones ejus pro perpetua ejus in conciliis *προεδρίᾳ* adeo pugnent, atque abſque ea illa omni auctoritate deprivent. Nulli enim Epiſcopo perpetuum præſidendi jus in Eccleſia competit. Multo minus ut talis alicui poteſtas concedenda ſit, ex qua ſola omne concilii robur ac auctoritas dependeat. *Præſes.*

XVIII. Sequitur *ſuffragandi ratio*, & modus, aliaque ad externum ordinem ſpectantia. Ac in primo quidem illo Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Concilio, non ſolum Apoſtoli, ſed & presbyteri, ac univerſus fratrum cœtus, conveniſſe legitur; ac de communi omnium ſententia conſilium, Antiochenſibus mittendum, formatum fuit; ac de omnibus uſurpantur verba iſta. *Viſum eſt Spiritui S. & nobis.* vide Act. 15:2, 4, 6. 12, 22, 23 & 16:4. Mirum autem in modum ineptit Bellarminus, dum Apoſtolici ævi ſimplicitatem ad hodiernam Pontificiorum Concilorum formam, & typum, exigere nititur. *III. Modus & ſuffragandi ratio.*

XIX. Hodie autem Pontificii, ut judiciorum Eccleſiaſticorum compotes ſint, quod non leve arcanum eſt, ſolis Epiſcopis de jure; Cardinalibus autem, & Abbatibus, & Generalibus Ordinum, ex privilegio & conſuetudine, jus ſententiæ in concilio dicendæ tribuunt. Cumque ſola natio Italica Epiſcoporum numero reliquas orbis nationes facile vincat, in eo Pontifex auctoritatis ſuæ non parvum præſidium habet. Eſt *(immutata hodie à Pontificiis)*

Digitized by Google

hæc mera tyrannis,cum revera omnibus verbi miniſtris, ac doctoribus, quin & quibuſlibet viris piis, & rerum intelligentibus,ab Eccleſiis miſſis, ſuffragii jus competat. Eſt enim religionis negotium publicum, & ad omnes ex æquo pertinens; ac nemo prohiberi poteſt publice de ea loqui, ſi cum poteſtate ab Eccleſiis ad rem eam miſſus ſit. Solis autem Epiſcopis, ob Pontificiæ dignitatis teſſeram,vel majorum inſularum præſidium, iſtam auctoritatem dare, alioſque omnes a ſynodali cognitione arcere, eſt, religionem ac Eccleſiam paucorum hominum peculium facere; ac Spiritus S. chariſmata prohibere eumque & cathedræ & perſonis quibuſdam, rurſus alligare velle. Quod in Novo Teſt. ſcelus eſt. Et ſane ſi per rerum humanarum infirmitatem fieri poſſet, conſultius eſſet per amica colloquia & conſultationes veritatem in conciliis eruere, quam ſententiarum ac ſuffragiorum rigore omnia figere ac decidere.

& ordo in ea. XX. Veterum autem Conciliorum hic ordo erat. Initium capiebatur a precibus, præmiſſo plerunque jejunio. Conſidentibus deinde patribus, prima de fide tractatio erat; ſive ea exponenda, ſive vindicanda foret. Tum veterum Synodorum canones relegebantur,& diſciplinam ac regimen ſpectantia,ultimo denique loco particulares cauſæ, quæ ſingulas Eccleſias concernebant tractabantur. Ac, ſi quis ſingulare quid exponendum haberet, in medium prodibat. Per varias autem ſeſſiones Conciliũ trahebatur; ac ſequenti conſeſſu acta præterita relegebantur. Ferebanturque ſententiæ,vel apertis ſuffragiis, vel manuum porrectione. Uſitatæ etiam erant acclamationes, ſi quæ ſententia impenſe placuiſſet. Si vero quis in contrarium diſſerebat,præſidis erat rem componere, atque ex iſto conflictu latentem veritatem eruere Ac concluſio denique formabatur,non ex ſolius Epiſcopi vel præſidis ſententia,ſed ex plurium vel omnium ſuffragatione. Quæ omnia, ad quæſtionem propoſitam pertinentia,omneque illud examen ac judicium, Concilii Acta dicebantur. Contra ac in Concilio Tridentino, ubi ſola decreta, quæ publice edebantur, & inani meraque cærimonia conſtabant, Concilii Acta appellabantur. Denique apud veteres, finita Synodo, aliæ audiebantur acclamationes,& gratulationes,de aſſerta fide, triumphato errore; additis & votis,pro imperio & Eccleſia. Subſcribebant porro omnes conditis a Synodo articulis,&anathematiſmis(quibus tamen plerumque rectius abſtineretur) ſervato eo, quem in Synodo obtinuerant, ordine. Quæ omnia tandem conſequebatur confirmatio imperialis, per quam fides

Digitized by Google

fides, a Synodo ſtabilita, in legem ibat. Quam ubi adepti erant, litteris encyclicis ſeu circularibus, quæ in Synodo acta erant, per Eccleſias vulgabantur, atque obſervanda tradebantur.

XXI. Sequitur tandem, ut de *Synodorum auctoritate* & judicio ſtatuamus. Quod non prætorium & abſolutum eſt; ac ſi homines alii qui fidei domini & arbitri forent; qualem definiendi auctoritatem in conſeſſibus politicis eſſe neceſſe eſt: ſed miniſteriale, in Scripturarum explicatione, ac demonſtratione, ſitum. Cujus exemplum in colloquio Hieroſolymitano patet; ubi ex Scripturis prophetarum, ex publico Dei teſtimonio, quod opere ipſo gentibus perhibuerat, denique ex Spiritus, qui Apoſtolos ducebat, ſententia, univerſa res determinata legitur. Unde ſynodalia judicia, licet quoad ordinem externum ligent, apud conſcientiam non plus valent, quam rationes, quibus ſuffulta ſunt; quæ ideo plerunque decretis ſynodicis adduntur. Dicunt autem ſententiam Eccleſiarum legati, non tanquam judices, ſed tanquam ſuffragatores, & conſiliarii; explicantes, quid ex Scriptura didicerint, & quouſque una pervenerint. *IV. Auctoritas.*

XXII. Neque iis major aliqua auctoritas accedit ex Pontificis Romani approbatione; quam adeo impudenter urgent Jeſuitæ, ut ſine ea Synodorum auctoritatem nullam ſtatuant, ab eo autem approbatas demum ratas & infallibiles eſſe conſtituant. Unde illum Concilio quovis majorem ſtatuunt; &, ne volentem quidem ac aſſentientem, coactivæ ejus poteſtati ſubdi patiuntur. Quæ ſacrilega ſunt, & ne ipſis quidem Pontificiis per omnia probata. Nos autem, & conciliis per ſeſe, & præſertim Papæ, infallibilitatem omnem abrogamus. Nam & ſub Vet. Teſt. exerraſſe concilia, patuit. Sub Novo autem Teſt. multo minus Spiritus S. aut collegio alicui, aut cathedræ, aut homini denique ſingulari, adfigi aut obſtringi debet. Certe ad conciliabula illa, quæ ipſi nonnunquam agitant; ubi omnia patriciis artibus plena, reſque Eccleſiæ tam anxie librari, & tam arcanis conſiliis gubernari videmus, ut ſumma regnorum ac rerumpublicarum momenta majori calliditate procurari non poſſint; quæ imprimis Tridenti viſa ſunt; venire Spiritum S. tenebriſque iſtis lucem ſuam immittere, neſcio an vel ipſi quidem credant adverſarii. Quod vero de Papæ confirmatione addunt, quis ferat ſupremam ac infallibilem decernendi poteſtatem ipſi ſoli dari, logoſque ejus divinis reſponſis æquari? certe, ſi ex ejus oraculo cuncta pendeant, hoc modo non ſolum Concilium generale, ſed & Concilium diœceſanum, imo doctor *Quæ non pendet a Papa.*

quilibet privatus infallibilis reddi poſſit. Imo ne quidem Concilio ullo opus erit; cum Papa tantum pectoris ſui adytum conſulere, atque inde veras demum voces expromere, familiariſque Spiritus ope cunctas Eccleſiæ difficultates enodare poſſet.

Neque infallibilia ſunt ulla Concilia.

XXIII. Nec eſt, quod, pro conciliorum ſuorum infallibilitate, illam Apoſtolorum ac fratrum Hieroſolymitanorum formulam, *viſum eſt Spiritui S. & nobis*, adferant: aut alioqui univerſæ Eccleſiæ apoſtaſiam vereantur, ſi ſumma concilia errare poſſint. Jam enim annotavimus, Hieroſolymitanum conventum proprie dictum concilium non fuiſſe. Quanquam Apoſtoli, non ſine fratrum conſilio tantam rem tractantes, ſequenti Eccleſiæ, in rebus gravibus, coeundi & in commune conſulendi exemplum dederint. Male autem ab infallibili Apoſtolorum auctoritate ad ordinarios eorum ſucceſſores concluditur. Quanquam nec ipſi Apoſtoli propriam auctoritatem & infallibilitatem prætexuere; ſed rationibus & Scripturis egere. Ut ex conventus ejus actis conſtat. Unde quicquid iſtud erat, Spirui S. viſum merito dicere poterant. Quod autem & ſuum nomen judicio illi ſubſcribebant, peculiarem cauſam habebat; & ad conſenſum teſtandum cum eo, quod docuerat Paulus, faciebat; qui falſo apud Eccleſias ab Apoſtolica regula diſceſſiſſe accuſabatur.

XXIV. Inanis denique metus eſt de Eccleſiæ univerſæ prolapſu & interitu; niſi proceres ac Epiſcopi ejus in conciliis non errandi privilegium habeant. Alii enim Eccleſiæ, alii conciliorum fines ſunt. Nec ſi ea publice defœdetur, ac rectores ejus in graves errores conſentiant, ideo de univerſæ Eccleſiæ fide actum erit. Habent enim nihilominus, qui vere fideles ſunt, non letaliter prolabendi promiſſionem: qua etiam mediis in tenebris, dumque publice errores graſſantur, gaudent. Ad externam autem conciliorum pompam ac ſcenam, Spiritus S. flatum adſtringere, & promiſſum Eccleſiæ Spiritum publicæ iſti frequentiæ ex ſolido addicere velle, & Scripturæ, & experientiæ adverſum eſt.

L O-

LOCUS QUADRAGESIMUS OCTAVUS

DE

MAGISTRATU.

CAPUT IX.

De magiſtratu, ejuſque jure & munere circa civilia.

I. CUm fideles, dum in terris agunt, in reſpublicas ac politias coire, & magiſtratuum curam & tutelam ambire, & non ſecus ac alii homines regnari quoque debeant; ad Eccleſiæ conſiderationem ſpectat quoque Magiſtratus politicus. Cujus tum *originem*, tum *munus*, partim in ſæculo, partim in ipſa Eccleſia, ſequentibus lineis deſcribemus. *Ad Eccleſiam quoque referendus* MAGISTRATUS.

II. Ac primum in genus humanum non leviter injurii ſunt, qui cœtus ac ſocietates hominum a mutuo metu originem ſumſiſſe ſciſcunt, atque ex eo fundamento cuncta hominum inter ſeſe officia, periculo nimium errore, metiuntur. Contrarium enim ex ipſa rerum experientia, mundique conditi ac ordinati hiſtoria patet. Hominem enim integrum amore Dei ac proximi plenum fuiſſe, dubitari non poteſt. Ac ſpecimen ejus, longe pulcherrimum, in renaſcentis Eccleſiæ exordio patuit, Act. 4:32. Surrepente autem peccati labe, adeo non omnes amoris illius ſcintillæ extinctæ ſunt, ut quicquid exinde in mundo pulchri ac ordinati extitit, ex illo fonte unice enituerit. Neque enim adeo humanam gentem deſeruit protinus Deus, ut omne amoris ac charitatis commercium, cunctaque inde pullulantia officia, de mundo tolleret. Conjugia enim, ſequentis mundi ſpes & ſeminarium, ex amore procul dubio coaluerunt. Ex conjugiis autem familiæ; ex familiis civitates, reſpublicæ, principatus, regna denique, orta ac formata ſunt. Quæ, novo adhuc orbe, ac univerſo hominum genere propinquo ſanguinis vinculo inter ſeſe adhuc devincto & cognato, non magis metu quam amore duce conſtituta ſunt. Ex quo fonte quo plus retinuerunt, eo ordinatiora & bea- *Illius ortus,*

Digitized by Google

beatiora fuerunt. Quanquam cito diſcordias, vim, ambitionem, aliaque mala, invaluiſſe, ac imperia majori auctoritate ac terrore circumdari paulatim cœpiſſe non negamus.

ante diluvium;

III. Ac fuit hic civitatum ortus. Primum mundum rexit Adamus, hominum omnium parens & conditor, qui diu poſteritati ſuæ interfuit. Docebat autem natura homines, ſeſe parentum eſſe; nihilque jucundius eſſe amore fraterno. Unde erga communem illum generis ſui parentem cultus & veneratio, & erga cognatos homines fraterna officia. Quamvis, parvis adhuc rebus humanis, amorem iſtum non leviter pollutum per Caini ſcelus legamus. Atque ex illo tempore, præ metu, urbium condendarum initium ab eo factum; cum hactenus patresfamilias, cum liberis ac pecoribus ſuis, arva colerent.

poſt illud.

IV. Poſt diluvim Noachus præfuit, alterius mundi princeps. Diuque homines una fuere, donec, diviſi linguis, ij ſi quoque inter ſeſe diſpergerentur, & in varias civitates ac regna coirent. Dederat autem Deus ipſi Noacho mandatum, de judiciis exercendis, ac necando homine, qui fraternum ſanguinem fudiſſet. Ut Deo ac natura duce ſocietates conditas, ac principatus ortos, conſtet.

Primitus fuit penes patres & ſeniores.

V. Ac erat initio principalis poteſtas penes *patres*. Quos, multiplicatis familiis, ſæpiuſcule inter ſeſe conveniſſe, &, vel ſacra, vel profana, communi conſilio peregiſſe, non dubium videtur. Qui &, neceſſitate urgente, *ſeniores* ex ſuo numero conſtituerunt, ad leges conſtituendas, & judicia exercenda. Quorum apud Iſraëlitas, in Ægypto degentes, cum e duodecim Patriarcharum familiis, tanquam e duodecim fontibus, proxime emerſiſſent, mentio occurrit. Diuque poſtea, cum in gentem jam redacti, & in rempublicam compoſiti eſſent, iſtud regiminis genus apud ipſos uſitatum fuit: inſtituto etiam *ſacerdotio*, quod hactenus penes ſingulas familias fuerat: excitatiſque nonnunquam extra ordinem *principibus* ac *judicibus*, qui ad bellum duces, & libertatis vindices eſſent. Quæ forma reipubl., per gradus e Patriarcharum familiis ſeſe protollens, a Deo ipſo inſtituta, & naturæ convenientiſſima, fuit.

Inde in populo Dei conſtituta reipub. forma,

& tandem regni.

VI. Unde cum populus, regiminis dominici pertæſus, *regem* poſceret; qui δεσποτικῶς ipſum regeret, ad inſtar reliqui orientis, qui addictius regnari amabat, valde Deo iſtud conſilium diſplicuit. Cum ipſe enim populi ac reipubl. illius conditor, legumque ac univerſi ordinis in ea auctor foret; unde politia illa θεοκράτεια merito vocabatur, ſeſe equidem ſuumque regimen ſperni non mediocriter indignabatur. 1. Sam. 8:7.

VII. Ne-

Digitized by Google

VII. Neque tamen populum ſuum vel ſic deſeruit Deus; ac poſtulantibus regem annuit. Cujus ne infinita poteſtas foret, certis legibus imperium ejus circumſcripſit; juxta legem regiam, quam Deus jam olim in deſerto tradiderat, Deut. 17: 14-20. Ac primum quidem regem conſtituit Saulum, in ira ſua, poſt hunc Davidem, virum ſecundum cor ſuum; in cujus familia imperii decus per longa ſæcula ſervare decreverat. Cum autem filii cito a paterna pietate degenerarent, regnum primo in duos principatus diviſit, tandemque per captivitatem Babylonicam ſuſtulit. Poſtque illa tempora rurſus judices, ac ſeniores, ac primam illam reipublicæ formam, pupulo reddidit. *Et reſtituam judices tuos ut primitus: & conſiliarios tuos ut initio. Poſt illa appellaberis urbs juſtitiæ, civitas fidelis.* Eſai. 1: 26. Fueruntque res eorum tum longe florentiſſimæ.

Ut Magiſtratus omnis a Deo ſit.

VIII. Ex quibus omnibus jam patet, quid de magiſtratuum, ac regum inſtitutione dicendum ſit. Et quomodo ſupremus ille ordo, in rebus humanis, a Deo auctore & conditore ſit: juxta ſacras ſententias: *Per me reges regnant, & dominatores decernunt juſtitiam. Per me principes gerunt principatum, & ingenui omnes judices terræ.* Prov. 8: 15, 16. *Et ipſe mutat opportunitates, & tempora; transfert reges, & erigit reges, dat ſapientiam ſapientibus, & cognitionem cognoſcentibus diſtincte.* Dan. 2: 21. *Tu, Rex regum, cui Deus cœlorum regnum, opes, & robur, & dignitatem dedit.* com. 37. *Ut cognoſcant viventes, quod poteſtatem habeat altiſſimus in regno hominum, & cui vult det illud, & humillimum hominum conſtituat ſuper eo.* cap. 4: 17, 25. *Edicens judicibus; videte quid facturi ſitis. Non enim pro homine judicaturi eſtis, ſed pro Jehova.* 2. Chron. 16: 9. Ac ſpectant huc vaticinia, ad Novum Teſtamentum pertinentia, Eſai. 49: 23. *Et exiſtent reges geruli tui, & principes fœminæ illorum lactatrices tuæ.* Quibus concinunt Apoſtolorum præcepta, Rom. 13: 1. *Omnis anima poteſtatibus ſuperioribus ſubjiciatur. Non eſt enim poteſtas niſi a Deo. Quæ autem ſunt poteſtates, a Deo ordinatæ ſunt.* 1. Pet. 2: 13. *Proinde ſubjecti eſtote omni humanæ ordinationi, propter dominum; ſive regi, ut ſupereminenti* &c. 1. Tim. 2: 2. *Fiant petitiones — pro regibus, & omnibus qui in eminentia ſunt; ut quietam & tranquillam vitam tranſigamus, in omni pietate & gravitate.* conf. Tit. 3: 2 Jud. com. 8. & 2. Pet. 2: 10. δόξας οὐ τρέμουσι βλασφημοῦντες. Ac ſimilia apud veteres Eccleſiæ doctores extant.

(licet eum diſignante populo) IX. Neque ideo populo omnem conſtituendi regiminis poteſtatem abrogamus. Ille enim, ubi liber ac ſui juris eſt, quamcumque principatus formam eligere, ac inſtituere poteſt. Ita tamen, ut ipſa magiſtratuum auctoritas a Deo ſit; populi autem ſit, reipubl. formam, modumque, ac denique perſonas eligere, & deſignare, quibus iſtam rerum molem credat.

etiam durior. X. Quin &, peccatis populi ita promerentibus, imperia herilia & deſpotica a Deo quoque ſunt. Quando integros ſæpe populos, ad ſcelera eorum caſtiganda, non regibus, ſed tyrannis, in ſervitutem dedit. Quæ imperantium iræ, ac immania ingenia, eo in caſu ferenda ſunt; nec frenum iſtud admordendum, aut excutiendum; niſi Deus ipſe certiſſimus ad libertatem dux ſit. Nec alia tum populi arma ſunt, quam lacrymæ & preces. Ubi vero liberam rempublicam habet populus, magiſtratuum ac Ephororum eſt omni modo libertatem tueri, nec novis dominis eam ſervire jubere. Quod non levius foret, quam ſi quis hominem liberum, ſine cauſa, ad diriſſimam ſervitutem damnaret.

Cui Ordini injurii ſunt Pontificii. XI. Non ferendi autem Pontificii monarcho-maſtiges, canoniſtæ præſertim, aliique Papalis omnipotentiæ patroni: qui, dare jura leonibus auſi, non ſolum regnorum jura ac leges ſuis tabulis incluſere; ſed ipſa regum diademata, ac coronas, atque omnem ſceptrorum dignitatem, Archimyſtæ ſui pedibus ſubjecerunt: hoc uſi colore, quod temporalia ſpiritualibus ſervire debeant. Cui fundamento baſce porro theſes inædificarunt Pontifices; ſeſe unos reges eligendi, ac deponendi, potaſtatem habere; reges non niſi precario, ac ſub eorum nutu, dominari; & cuncta denique regna ipſis obnoxia, ac tantum non tributaria, eſſe. Quæ non ſolum dici, ſed & agi in mundo potuiſſe, præterita ſæcula viderunt. Ac non ſemel ingemuit orbis, inermem illum paſtorem, inter aras & altaria, terrarum dominos calcantem, conatumque truces ſine vi frenare potentes. Verum ab hac labe orta cum reformatione lux reges jam abſolvit. Ac immemores ſunt illi myſtæ dictorum Chriſti, Joh. 18. *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* conf. Luc. 22:25. *Scitis principes gentium in eas dominari, & magnates poteſtatem exercere in eas. Verum non ita erit inter vos.* adde Rom. 13: 1. *Omnis anima poteſtatibus ſuperioribus ſubjiciatur* &c.

& ab altera parte Anabaptiſtæ. XII. Peccant ab altera parte contra hunc Ordinem Anabaptiſtæ; qui nullos in Eccleſia magiſtratus ferunt: & quanquam a Deo illi in mundo inſtituti ſint, tamen Chriſtiani hominis modeſtiam a munere

iſto

Digitized by Google

iſto abhorrere ajunt. Unde Magiſtratus inter *eos qui extra ſunt*, *quos Deus judicat*, 1. Cor. 5: 13. numerant. Nec ullam eis in ſacra poteſtatem concedunt. Qui perniciosus in republica error eſt. Cui nos breviter opponimus 1. Dei inſtitutionem, quam mox vidimus: quamque ipſi adverſarii non diffitentur. 2. Veteris Novique Teſtamenti auctoritates, quas modo adduximus. 3. Piorum in utraque Eccleſia exempla, Joſephi, Moſis, Davidis, Nicodemi, Joſephi ſenatoris, Cornelii Romanæ cohortis ducis, Sergii Pauli pro-conſulis. Quorum humilitati iſte honos adverſatus non eſt. 4. Ipſius magiſtratus officium: quod cum generi humano imprimis ſalutare ſit, ac ſine multarum virtutum ſtipatu geri non poſſit, nullis melius quam Chriſtianis credi poteſt. 5. Ne addam, Chriſtianiſmum dominorum & ſervorum diſcrimina non tollere, juxta Eph. 6. Col. 4. Quod non minus in republica, quam privata locum habet. 7. Unde pro regibus principibuſque potius preces fundere Apoſtolus Chriſtianos jubet, ut vitam in terris piam pacatamque degant. 1. Tim. 2: 1.

XIII. Nec quicquam magnopere habent imperiti homines, quod contra hunc Ordinem objiciant. Non enim de omni ſimpliciter dominatu, Nimrodicum illum ac Titanicum ſupra alios inſurgendi conatum eſſe, verum eſt. Nec Deum regem ſpernunt ac repudiant, qui Magiſtratus legunt. Neque huc facit locus 1. Sam. 8: 7. de quo ſupra reſpondimus. Hoſeæ autem cap. 8: 4. *Conſtituerunt reges, at non ex me*, de Jerobeami regno, per rebellionem quæſito, agitur. Quod vero Chriſtus in Nov. Teſt., & ipſe magiſtratu abſtinuerit, Luc. 12: 14. Joh. 9: 15. 18: 36. & diſcipulis illum interdixerit, Luc. 22: 25, 26. non illum ideo profanum reddit. Privatus enim, ac humilis in mundo, Chriſtus vivere; nec ut aliquis de ſæculo Rex, ſed tanquam alterius regni dominus, agnoſci debuit. Apoſtolis autem ſuis diſcipulatum, alteriuſque generis miniſterium, non dominatum, dederat; nec debitas altaribus manus ſceptra condecere poterant. Nec magiſtratui parere Apoſtolus vetat, 1. Cor. 7: 23. *Ne ſitis ſervi hominum*. Quod ne ipſi quidem adverſarii recuſant. Limitate enim loquitur, ut ex loci nexu, aliiſque locis collatis patet; & cœcam hominum ſervitutem, & vilem ſervilemque animum, quibuſvis dominis paratum, idque in re præſertim divina ac ſacra, damnat. Contemptim denique magiſtratum *ἀνθρωπίνην κτίσιν* appellant, ex 1. Pet. 2: 13. Eſſe enim poteſtatem illam a Deo manifeſtis verbis Paulus aſſerit. Rom. 13: 1. Ut iſtius loci alia mens ſit.

Illorum exceptiones.

Digitized by Google

& locorum Scripturæ παρερμηνεία. XIV. Præcipue autem nituntur locis quibuſdam Novi Teſt. male intellectis, Matth. 5: 40. *Et ei, qui velit tecum contendere, ac tunicam tuam capere, dimitte illi etiam pallium.* 1. Cor. 6: 4. *Itaque ſi judicia habeatis de iis, quæ ad hujus vitæ uſum pertinent, eos, qui nullo loco habentur in Eccleſia, in ſubſelliis collocate.* & Rom. 12: 19. *Non voſmet ipſos vindicantes, dilecti; ſed date locum iræ. Scriptum eſt enim, mea vindicta, ego retribuam, dicit Dominus.* Quorum παρερμήνεια primus ac præcipuus errorum iſtorum fons eſt. Non enim Magiſtratus, aut judicia, omnemque juris ordinem, aut quamcunque vindictam de rebus humanis tollit Chriſtus, aut Apoſtolus. Sed privatas hominum iras, & injurias, & odia, vetat; multaque tolerare, ac charitatis velo obtegere, nec ad quaſvis injurias commoveri jubet. Ac ſpeciatim iſtam litigandi ſcabiem compeſcit Apoſtolus, qua, leviſſimis de cauſis, ob damnum quodlibet vel contumeliam acceptam, Chriſtiani non ſine ſcandalo Ethnicorum tribunalia obibant. Erat enim hoc ipſis Judæis deteſtabile ac ab inſtitutis eorum alienum. In rebus autem gravioribus, vindictam quam privatis hominibus eripit, non ſolum Deo, ſed & magiſtratui aperte tranſcribit. conf. Rom. 12: 19, 20, 21. & 13: 1, 2, 3, 4, 5.

Magiſtratus munus XV. Stabilito Magiſtratus munere, videndæ muneris partes, ac magiſtratuum officia. Quæ ſequentia ſunt.

1. Ius dicere. XVI. 1. Jus inter partes dicere, ac juſtitiam ſancte adminiſtrare *Judices, & moderatores, conſtituito tibi, in ſingulis portis — qui judicent populum judicio juſto.* Deut. 16: 18. *Juſtiſſimam juſtitiam ſectare, ut vivas.* com. 20. Quod, niſi Judici privatim contrarium conſtet, juxta leges, atque acta & probata, in judicio, fieri debet.

Quod proinde petere licet. XVII. Quare & civibus jura petere a Magiſtratu licet. Nam & inſtitutum a Deo judiciorum ordinem, legibuſque definitum, conſtat. Deut. 16: 18. 17: 9 19: 17, 18. 2. Chron. 19: 6. Nec abrogavit illum Chriſtus, & Apoſtoli, ſub Novo T., ſed confirmavit potius. Vide Matth. 5: 25, 26. *Eſto amicus adverſario tuo cito — ne quando te tradat adverſarius judici, & judex te tradat miniſtro, & in cuſtodiam conjiciaris.* Act. 25: 11. *Cæſarem appello.* Rom. 13: 3, 4. *Nam principes non ſunt metus bonorum operum. Vis autem non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex ea. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim fruſtra gladium portat. Dei enim miniſter eſt; vindex in iram ei, qui malum agit.* Adeoque neceſſaria illa in genere humano ſunt, ut hominum ſocietates abſque illis im-

mera.

Digitized by Google

mera latrocinia degeneratura ſint. Cuncta enim potentiorum præda erunt; & nec pauper, nec vidua, nec pupillus jus ſuum tueri poterunt.

XVIII. Ut ſcrupuloſe nimis Anabaptiſtæ, Sociniani, Weigeliani iſtum juris ordinem ſub Novo Teſt. damnent; ac de rebus terrenis coram judice contendi vetent. Quæ enim charitatis ac amoris officia Chriſtus commendat Matth. 5. ea publica judicia non tollunt; cum eadem quoque ſub Veteri Teſt. injuncta fuerint. Quod & de offenſarum remiſſione, Matth. 6. & alibi a Salvatore mandata, reſpondemus. Hæc enim juris ordinem non evertunt. Et 1. Cor. 6. Apoſtolus non quascunque lites, ſed ſolam litigandi pruriginem ac inſaniam damnat. Quæ res leviſſimas, quæ prudentiorum arbitrio componi poterant, temere in forum producit, longis ibi nexibus impediendas, ac prolixo & inutili labore vix ſero ad exitum perducendas. Quem dementem fori ambitum, non ſine Chriſtiani nominis infamia, apud Ethnicos quoque judices, exercitum, Apoſtolus merito caſtigat, & prohibet. *Sublatis Anabaptiſtarum objectionibus.*

XIX. 11. Ad Magiſtratus quoque ſpectat, judicia capitalia in ſontes exercere. Quæ iidem ſectarii negant, & ut Chriſtianæ manſuetudini adverſa traducunt. Cum iſto pacto peccator non corrigatur, ſed omni emendationis ſpatio erepto, de vita quoque æterna periclitetur. Ac furtum imprimis morte vindicari non ferunt. Atque eandem ob rationem bella quoque, omnemque armorum diſciplinam, a Chriſtiana Republ. proſcribunt. *11. Iudicia capitalia exercere.*

XX. De judiciis autem capitalibus expreſſa Dei Lex eſt, Noachidis lata, in ipſa mundi παλιγγενεσίᾳ: *Qui effundit ſanguinem hominis, per hominem ſanguis ejus effundetur; quia in imagine Dei fecit hominem.* Gen. 9: 6. Quam Moſaicam, & tanquam ad veterem diſciplinam pertinentem criminari non poſſunt. Cum longe ante illa tempora data, atque univerſo humano generi, in ipſis ejus initiis, tradita ſit; ac communi æquitate nitatur: niſi Deo dicas placuiſſe, ut cædibus omnia ac latrociniis, in novo mundo, complerentur; dum una cædes alia non tam vindicatur, quam cumulatur; atque iſta rurſum altera: quo pacto nullus cædium finis foret. *quod aſſeritur, ex V. Fœd..*

XXI. De lege Moſaica conſtat ex Exod. 21: 12. *Qui percutit quenquam ut moriatur, omnino morte plectitor.* coll. Lev. 24: 17. Num. 35: 16. ubi loquendi modus idem, qui Gen. 9: 6. Eſt autem lex hæc non juris particularis, qualia multa apud Hebræos; ſed juris publici ac communis, atque æquitate ſua omnibus hominibus ex æquo ſeſe probans.

Digitized by Google

& Novo. XXII. Cum autem à Veteris Teſtam. reverentia dudum receſſerint adverſarii, nec eo ſeſe urgeri ferant; ſimilia ex Nov. Teſta. adferre licet. Quale eſt, Matth. 26:26. *Qui gladium accepit, gladio peribit.* Quæ generalia verba non niſi ad magiſtratum ſpectant, cum Chriſtus ad veterem legem ibi reſpiciat, quam de novo repetit ac ſancit. Ac aperte Paulus Rom. 13:4. Magiſtratum gladio accingit, quem & ſtringi ad flagitia vindicanda jubet. *Non enim fruſtra gladium gerit. nam Dei miniſter eſt, vindex ad iram ei, qui quod malum eſt fecerit.* Idque omne ne quis humani inſtituti eſſe, aut alioqui vitio vel nævo non carere, calumnietur, à divina inſtitutione derivat: *non eſt poteſtas niſi a Deo:* ac magiſtratum Dei *διάκονον* vocat, ad bonorum tutelam, & improborum terrorem.

Exemtis Anabaptiſtarum ſcrupulis. XXIII. Repetunt autem adverſarii hic tantum ſollemne ſuum: *Ne obſiſtite improbo* &c. Matth. 5:39, 40. De qua pericopa jam reſpondimus. Adeo enim Chriſtus iſtis præceptionibus legitimum judiciorum ordinem non evertit, ut illo eodem capite potius confirmet & ſtabiliat. cõm. 22. —*tenebitur judicio — tenebitur conſeſſu — tenebitur gehenna ignis.* Neque enim legem corrigit, quæ capitalia judicia aperte probat: ſed Phariſæos, perverſos legum magiſtros, omnemque iſtam legulejorum turbam ac colluviem, perſtringit; ſordeſque ipſorum, quas divinæ legi intulerant, expurgat. Quale imprimis erat vindictæ privatæ ſtudium, quod decerptis quibuſdam legis divinæ particulis tegebant. Religione autem quadam adverſarii a ſanguine fundendo abſtinent, quaſi hoc pacto, demto reſipiſcendi tempore, reorum ſalus quoque æterna periclitetur. Cum tamen in judiciis capitalibus ſemper mora aliqua reo indulgeri, ac Chriſtiano ritu anima ejus ad exitum præparari, atque a maculis a flagitiis, ſi pote expiari ſoleat; quo illa judiciorum ſeveritas non parum conducit. Qua peccator domitus, quandoque felicius in ferali pegmate, quam in lectulo, expirat. De furti autem pœna alibi agetur. Nec iſtam diſquiſitionem nunc ingredimur; an fures, carceribus ac flagris ſæpe admoniti, nec ad frugem redire volentes, tandem, ob perpetua flagitia, ultimo ſupplicio affici, ac e republica exterminari poſſint: ad exemplum filii prodigi; de quo Deut. 21.

III. Bellum gerere. XXIV. III. Ad magiſtratum pertinet, neceſſitate urgente, juſtis de cauſis, & legitimo modo, ac fine, bella gerere. Quæ publica in publicos hoſtes vindicta eſt. Quam crudelem diſciplinam a Chriſtianis abeſſe debere, Manichæi olim, & inter veteres Tertullianus; hodie au-

tem

Digitized by Google

tem Weigeliani, Sociniani, & Anabaptiſtæ, ſtatuunt.

XXV. Contra autem militant bella Jehovæ, in Veteri Teſtam. non probata ſolum, ſed & juſſa, & Spiritu S. impulſore ſuſcepta. Num. 21: 14. 1. Sam. 25: 28. Jud. 3: 9. 10. & 6: 34. & 11: 31. & 15: 14, 15. Ut omne armorum ſtudium toto genere malum non eſſe conſtet. Ac in Novo Teſt. Johannes militibus baptiſma largitus eſt; nec eos arma ponere, ſed mercedibus ſuis contentos eſſe juſſit. Luc. 3: 14. Similiter iſtud vitæ genus, nec a Chriſto, nec ab Apoſtolis, improbatum eſt. Ac celebrantur imprimis duorum Centurionum, ob pietatem & fidem, exempla. Matth 8: 5. Act. 10: 1, 2, 35. Ac laudat etiam Paulus Hebr. 11: 32. veteris ſæculi heroas ac bellatores; quos, inſigni fide auctos, Deo duce & auſpice bella geſſiſſe, & regna regeſque deleviſſe prædicat. Sed & Magiſtratus officium id ſuadet; quod Paulus in eo ponit, ut ſit *Dei miniſter, in* bonorum *bonum, ad iram ei* qui quod *malum eſt fecerit*, Rom. 13. Quod ſi contra privatos pacis publicæ turbatores facere teneatur; cur non & idem contra publicos hoſtes liceat; quibus certe Rempubl. prodere, & creditos ſibi cives in prædam exponere, non licet. Sed & natura denique ipſa jus illud belli confirmat; cum ſui defenſionem ſuadeat, ac ſe ſuaque tutari jubeat. Quæ per legem Euangelicam mutata minime ſunt. *quod iidem adſtruunt.*

XXVI. Ad ratiunculas ipſorum reſpondemus: Iſraëlitarum duces, quos, confecto bello Midianitico, pro animabus ſuis piamina obtuliſſe legimus, Num. 31: 50. non in ſuſcipiendo, ſed in gerendo bello peccaſſe; quod contra interdictum Midianitidas ſervaſſent. vide com. 14-17. 2. Ac peculiarem cauſam habebat, quod non Davidi bellatori, ſed Salomoni Regi pacifico, templi ædificandi provincia daretur. Typum enim ac myſterium illa habent. 3. Pax autem, quæ ſub Chriſti regno promittitur, ſpiritualis eſt; ac veterem illam in mundo inimicitiam ſpectat, quam, extructa inter Judæos reliquumque mundum maceria, Moſes condiderat. Chriſtus autem ſeptum illud ſolvit, & pacem Gentibus dedit. Manebant tamen Eccleſiam adhuc altera bella, aliaque certamina, novique ſemper hoſtes: nec certa pax promittitur, niſi ſublato Antichriſto. Vide Matth. 10: 34. *Ne exiſtimate m veniſſe, immiſſurum pacem in terram: non veni immiſſurus pacem, ſed gladium.* Joh. 16: 33. *Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo afflictionem habebitis. Sed confidite, ego vici mundum,* Apoc. 20: 7, 8. *Et quum finiti fuerint mille anni illi, ſolvetur Satanas ex cuſtodia ſua. Et exibit,* *remotis eorum ratiunculis.*

ad

Digitized by Google

ad ſeducendum gentes, in quatuor angulos terræ: Gog & Magog, ut congreget eos in bellum, quorum numerus ut ſabulum maris. 4. Apoſtolus autem 2. Cor. 10: 4. *arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia*: alia arma cogitat. De ſuo enim Apoſtolatu agit, quem non humanis præſidiis, aut ſæculari ſapientia vel facundia, ſed divina Euangelii virtute niti ait.

An religio armis defendi queat? XXVII. Ad quæſtionem: an non res ſolum externas, ſed etiam religionem & ſacra armis tutari liceat? Reſp. licite id fieri, ubi legitimus modus adhibetur. Neque enim minus fas eſt, pro aris, quam pro focis, dimicare. Eſt etenim religio bonum maximum & pretioſiſſimum. Cujus pignoris cuſtodia magiſtratui vel præcipue credita eſt. Ac valet hic regula Apoſtolica Rom. 13: 4. Magiſtratum ſubjectorum *bono* eſſe: quod non de corporibus magis, & externis ſubjectorum fortunis, quam de animis intelligitur; quos idololatria, & teterrimis erroribus, pollui, Deique cultum contaminari, ferendum non eſt. Ac pertinet huc Eſai. 49: 23. *Et erunt reges nutricii tui, & fœminæ principes eorum nutrices tuæ.* Nec abludit Iſraëlitarum exemplum, quos ſincerum Dei cultum bello, contra fraternas tribus, tutari decreviſſe legimus. Joſ. 22: 13. Quod vero de Chriſto, & Apoſtolis, objiciunt, illos non armis, ſed Euangelii prædicatione, Chriſtianam fidem condidiſſe, & propria potius morte illam firmaviſſe; illud alienum eſt: cum hic non de fide plantanda vel propaganda, ſed tutanda; nec de hominibus privatis, quales in hiſce Chriſtus & Apoſtoli erant, ſed de publica poteſtate, quæ ſola gladio armata eſt, agatur. Adeo autem cum charitate hoc pugnat, quam primariam religionis notam voluit Chriſtus, Joh. 13: 35. ut charitatis potius ſit, fidem ſanctis ſemel traditam conſervare, & ſubjectis pignus iſtud illibatum tueri.

IV. Fœdera inire. XXVIII. IV. Ad jus belli & pacis ſpectat quoque fœderum faciendorum poteſtas. Quæ cum externis quoque ac idololatris legitime jungi poſſunt; modo fides extra hoc commercium ſit; nec religio pactis illis lædatur, ſed juvetur potius. Fruſtra obnitentibus, atque commune iſtud generis humani vinculum abrumpentibus Jeſuitis. Vide Gen. 14: 13, 14. & 21: 32. 2. Sam. 5: 11. 1. Reg. 5: 12.

V. Tributa imponere. XXIX. V. Magiſtratus quoque eſt, ad publica onera ferenda, tributa populis imponere; & domos, agros, homineſque ipſos, reipubl. vectigales facere. Nec redituum publicorum collectores, modo prædis ac rapinis abſtineant, infamia notandi ſunt. Qua in re tamen ſumma moderatio & æquitas adhibenda eſt. Vide Matth. 22: 21. *Reddite Cæſari, qua*

Digitized by Google

quæ ſunt Cæſaris. Rom. 13: 6, 7. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.* Mich. 3: 2. *Nonne veſtrum eſt noſſe judicium? odio habentes bonum, & amantes malum, deripientes pellem eorum ab ipſis, & carnem ipſorum ab oſſibus ipſorum.* Ezech. 34: 3, 4. *Adipem comeditis, lana veſtimini pinguem mactatis: oves non paſcitis: infirmatas non roboraſtis, & fractas non obligaſtis, & depulſas non reduxiſtis, & perditas non quæſiviſtis, ſed cum vi dominati eſtis in eas, & cum ſævitia.* Amos. 6: 3, 4. *Qui ſeponunt diem mali, & admovetis ſeſſionem violentiæ.*

XXX. Non ſolum autem propter iram, ſed & propter conſcientiam ea pendenda ſunt. Lex enim de tributis non eſt mere pœnalis; ut ſubjectus legi & officio ſuo faciat ſatis, ſi paratus ſit pœnam lege conſtitutam ſubire, nullo autem modo peccati reus ſit, etſi legis præceptum non obſervet. Cum enim Magiſtratus ſcopus ſit, tributa ſubjectis indicere; iſtamque præceptionem adjunctis in tranſgreſſores pœnis corroboret: lex illa pœnalis mixta dicenda eſt; atque ejus generis, ut & ad culpam, & ad pœnam ſimul obliget: ita ut, qui legi non ſatisfacit, pœnam, ſi qua inde redundet, ſubire paratus, nec legi ſatisfaciat, nec conſcientiæ. *Quæ quomodo pendenda ſint.*

XXXI. Sed quid ſi tributa ſint immodica, nec ex fide ærarium adminiſtretur? Reſp. Non tamen idoneam recuſandi cauſam eſſe. Nunquam enim querulis hominibus prætextus deerunt. In gravioribus autem exactionibus, aut pro moderatione impetranda intercedendum, aut ferendæ illæ, aut alio demigrandum; nunquam autem civibus eo obtentu turbandum aut rebellandum eſt. In omnibus vero agnoſcenda Dei providentia, cui aliquando iſto etiam pacto partas opes repetere a nobis libet.

XXXII. VI. Denique penes principem eſt leges jubendi auctoritas. Princeps vero ipſe legibus ſolutus eſt: non divinis, aut naturalibus, Deut. 17: 18, 19, 20. ſed poſitivis duntaxat; ſaltem quoad vim earum cogentem. Subjectorum autem eſt, parere propter conſcientiam. *Neceſſe eſt ſubjici, non tantum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Rom. 13: 5. *Subjecti eſtote cuivis humanæ ordinationi propter Dominum.* 1. Pet. 2: 13. Non quod leges illæ per ſeſe conſcientiam obſtringant (conſcientiæ enim imperare ſolius Dei eſt; nec alium judicem illa audit) ſed quod lex divina externum hominem ſub Magiſtratus imperio conſtituerit, & ad parendum conſcientiam ejus obliget. Nec legibus tantum æquis ac bonis, *VI. Leges jubere.*

Digitized by Google

bonis, ſed & durioribus, ac de iniquo aliquid trahentibus, obtemperandum eſt. *Servi, ſubjecti eſtote cum omni timore Dominis, non ſolum bonis & æquis, ſed etiam pravis.* 1. Pet. 2: 18. Quamvis enim acerbi illi juſſus principem non deceant; qui rempubl., uti familiam ſuam, curare, mitibuſque imperiis regere debet; ſubjectorum tamen eſt parere, ac principum, uti parentum, iras ferre. Niſi palam iniqua, ac cum divinis tabulis pugnantia jubeant. Quo in genere tenenda eſt egregia Apoſtolorum regula, *Judicate ipſi an juſtum ſit in conſpectu Dei, vobis potius auſcultare, quam Deo.* Act. 4: 19. & 5: 24. Eſt autem magiſtratuum æquos mitteſque ſe præbere, cum & ipſi ſub majore domino ſint; &, ad inſtar famuli atrienſis, in conſervos imperent; imo in eos, quos Deus imagine ſua decoravit; quoſque, tanquam herilem familiam, benigne curare, non vero ſuperbe & contumelioſe habere debent.

XXXIII. Poteſt tandem princeps libertatem ſubjectorum quibuſdam in rebus circumcidere, & quædam quaſi regalia ſibi reſervare; ut ex. gr. venandi jus: itemque monetæ, rebus promercalibus, uſuris, aliiſque rebus, modum & pretium ſtatuere: res autem ſuo genere malas, ut promiſcuam libidinem, lenonum luparumque greges, aliaque probra, permittere non poteſt.

An jus Romanum in remp. Chriſtianam admitti poſſit.

XXXIV. Non magnæ difficultatis quæſtio eſt, an apud Chriſtianos jus Romanum, in jure dicundo, auctoritatem habere poſſit; quod ex nimia ſuperſtitione negant Weigeliani, & Anabaptiſtæ, qui, Romanas ſoliti contemnere leges, Judaicum ediſcunt, & ſervant, & metuunt jus, tradidit arcano quodcunque volumine Moſes. Cum autem magiſtratus poteſtatem legiſlatoriam habeat; non dubium eſt, quin vel novum jus condere, vel latas olim a viris ſapientiſſimis leges in rempublicam accipere poſſit. Certe Judæos olim Ægyptiorum & Babyloniorum jura agnoviſſe; & veteres Chriſtianos Romanis legibus paruiſſe; Paulumque Apoſtolum illarum beneficio non ſemel ſervatum, conſtat. Act. 22: 25. & 25: 10. Nec ullus Chriſtianos ſcrupulus tenere debet, ubi eæ cum Chriſtiana lege non pugnant. Tum enim illæ nihil aliud ſunt, quam latex aut rivulus, e communi æquitatis fonte derivatus. Ubi autem pugnare deprehenduntur, auctoribus ſuis relinquendæ ſunt.

C A-

Digitized by Google

CAPUT X.

De jure & munere Magiſtratus circa Sacra.

I. CUm autem Magiſtratus, quod a Deo acceperunt, imperium non in corpora ſolum & brutam hominis partem exercere, ſed etiam de æterna ſubjectorum ſalute præcipue ſolliciti eſſe debeant; ſequitur altera officii ipſorum pars, quæ ſacra & religiones ſpectat; quas ipſi publica auctoritate conſtituere & curare debent. *Ius Magiſtratus circa* SACRA;

II. Et hinc quidem primo loco diſcernendum eſt inter ipſam ſacrorum functionem, & juriſdictionem ſeu imperium circa illa. Functionem quod attinet, dubia eſt quæſtio, ac functio ſacra & civilis toto genere diſtinctæ ſunt: an vero duæ illæ adminiſtrationes, in uno homine conjungi poſſint? Et hoc quidem in renaſcentis mundi ac Eccleſiæ initiis factum olim eſſe, ex *Melchiſedeco* & *Patriarcharum* hiſtoriis, liquet. Quid vero noſtris temporibus fieri debeat, ac factu optimum ſit, non aliunde melius, quam ex temporum ſerie, & inſtituto a Deo ipſo tum in Veteri, tum in Novo Teſt. ordine, patet. *An functio ſacra & civilis in uno homine conjungi poſſint. Ita factum ante legem.*

III. Ac *Moſen* quidem, populi principem, ſacerdotio quoque extra ordinem functum conſtat: nec hoc a munere ejus alienum erat; cum non ſolum Propheta, ſed & legiſlator, & ſacræ ac civilis Judæorum Reipublicæ unicus formator foret: unde cura iſta ad ipſum ex æquo pertinebat. Functiones autem protinus ab eo diſcretas videmus. Ac, rebus conſtitutis, poſt conſecratum Aaronem fratrem, nullas ille amplius ſacerdotii partes attigit. Peculiarem autem ſacerdotum ordinem inſtituit, cui cæremoniarum curam mandavit. Legimus etiam inſtitutum ab ipſo LXX ſenum conſeſſum, qui de ſumma republica judicaret. Num. 11:16. *aliter poſt latam legem;*

IV. Quænam autem *Synedrii* hujus foret juriſdictio non æque convenit: quibuſdam omnem poteſtatem, tum civilem, tum eccleſiaſticam, iis deferentibus. Quam cauſam præ reliquis operoſe agit Doctiſſ. Seldenus. Aliis autem neſcio qua *Synagogam magnam* ſimileſque conſeſſus Eccleſiaſticos erigentibus, quibus Pontificem M. tanquam præſidem imponunt; eoque in conſeſſu cauſas omnes Eccleſiaſticas examinatas volunt. Quos duos ſupremos conſeſſus, & perſonis, & cauſis, & actio- *(quando Synedrium Judaicum obtinuit:)*

 nibus

Digitized by Google

nibus, diſtinctos, ex Deut. 17:8,9. ubi præter ſacerdotem etiam Judicis occurrit mentio, conf. 2. Chron. 19:5,8,11. Jer. 19:1. & 26:8, 16. exſculpunt. Quod tamen probum non videtur. Nam omnino unius tantum ſupremi apud Judæos judicii conſtans in S. Scriptura, ac apud Judæos, mentio eſt. Quod ad ultima reipubl. illius tempora duravit, autem ſaltem extitit: quodque omnibus de rebus, tam ſacris, quam civilibus, judicabat. Allegebantur autem in hunc Ordinem, tum Judæorum nobiliſſimi, tum ſacerdotum præcipue primores; qui, propter patriæ legis peritiam, non raro univerſo collegio moderabantur; Maccabæorum præſertim temporibus: cum illud tamen natura ſua, ac imperandi modo, & auctoritate, mere civile foret.

& deinceps ſub N. Fœdere.

V. Simile quoque ſacræ civiliſque functionis diſcrimen ſub Nov. Fœdere inſtituit, ſeu potius jam dudum inſtitutum, confirmavit Dominus noſter; atque illam non tam poteſtate & imperio, quam admonitione & diſciplina quadam, ſine qua nullus cœtus, & ne domus quidem ulla, conſiſtere poteſt, abſolvit. Cujus ordinem ſupra vidimus. Donec labentibus Eccleſiæ rebus, in merum imperium ac tyrannidem eam commutarunt Romani Pontifices: qui, conſcientiis imperitare non contenti, ſacrorum obtentu, in res omnes, reges etiam & principes, ſummum dominatum invaſere; &, religioſi judices, ex univerſo orbe immanes prædas egerunt. Quæ per Reformationem mutata reſque ad priſtinam ſimplicitatem rurſus reducta eſt. Debentque reformatæ doctrinæ luci hoc ipſi, inter Pontificios, reges & principes, quod nudatis latronum iſtorum foveis & cubilibus, pateant jam mendaciorum & fraudium Romanarum inſidiæ, & Caci domus atra, abjurata que rapinæ; nec ſceptra ipſorum amplius Eccleſiæ iſtius Pontificium carmen horrere, atque inermis Paſtoris pedo ſervire neceſſe habeant.

Aliud autem eſt juriſdictio circa ſacra; quæ Principis eſt.

VI. Ita ergo diſcretæ ſunt hæ functiones; non tanquam ſibi invicem adverſæ, ſed potius propter grave utriuſque onus, & incommodum quod illarum conſociatio ſecum ferret, Dei Chriſtique juſſu diſtinctæ. Utcunque autem munera ac functiones ipſæ diſtinctæ ſint, ac manere debeant; de imperio tamen ac gubernatione alia ratio eſt. Neque enim repugnat, civili poteſtate etiam ſacra procurari; & non corpora ſolum, ſed & animas ſubjectorum religionum freno compeſci & cicurari. Ac contra certiſſimum eſt, cum ſummum imperium non niſi unum ſit, ac non niſi penes unum ſolummodo eſſe poſſit, etiam ſupremam

mam

Digitized by Google

mam ſacrorum curam & arbitrium, ac ſummum in Eccleſiam & Eccleſiaſticos imperium, in Republ. penes principem eſſe. Neque enim Chriſti regnum humano ordini adverſatur. Joh. 18: 36. Nec a principe alienum eſt, etſi in Eccleſia Rex aut Princeps eſſe nequeat; ſed potius ſceptrum ac diadema ibi ponere, & pro fratre ſe gerere debeat (cum nullus ibi dominatus aut principatus locum habeat, aut habere poſſit, ſi interiora ejus ſpectes:) externum tamen ejus ordinem curare & fovere, idque ſumma ac principali poteſtate & auctoritate. Quod & Veteris Teſtam. reges feciſſe conſtat; & de Chriſtianis principibus prædictum legimus Eſai. 49: 23. *Et erunt reges nutricii tui, & fœminæ principes eorum nutrices tuæ* &c.

VII. Quod ut diſtinctius pateat, primum de jure Magiſtratus circa ſacra in genere quæremus; tum varias officii eorum partes in ſpecie attingemus.

VIII. Ac primo quidem, ubi Eccleſiam non ſolum non in publicum accipi, ſed contra à principibus vexari, & continuis perſecutionibus agitari, contingit; tum illa ſui juris reddita, ſe ipſam & ſacra ſua curare, ac pleniſſimo jure conſtituere poteſt. Quod naturali quadam poteſtate facit, quæ omni hominum ſocietati competit; quæ ordine ſuo ac regimine carere nullo modo poteſt. Unde in cœtus conveniendi, rectores conſtituendi, leges ferendi, Synodos cogendi, diſciplinam exercendi, cunctaque pro arbitrio gerendi ac adminiſtrandi, tum ſummam ipſa poteſtatem habet. Quin & civiles controverſias, eo in caſu, lectis de cœtu arbitris, committi ab ea poſſe, Paulus auctor eſt 1. Cor. 6. *Quod oſtenditur 1. in genere.*

IX. Aliter autem ſeſe res habet, ubi Magiſtratus Chriſti fidem accepit, ac Eccleſiæ quoque curam ex officio ſuſcipit. Tum enim illa illius curæ ac regimini ſe permittere in univerſum debet. Habetque Magiſtratus poteſtatem ſummam religiones conſtituendi & curandi. Quam ne tum quidem, cum infidelis erat, abjecerat; quanquam in Chriſtiana Eccleſia, quam perditum ibat, eam exercere nec volebat, nec poterat.

X. Conſtat autem hoc magiſtratuum jus 1. ex ipſa *civilis poteſtatis* natura. Cum enim naturaliter unuſquiſque ſeſe ipſum, animæque ſuæ ſtatum, componendi, ac religionem, qua Deum propitiare vult, conſtituendi, abſolutum jus habeat; illam certe cultus formam, quam tanquam optimam probat, etiam iis, qui ſub ejus poteſtate ſunt, præſcribere *& firmatur variis argumentis.*

bere tenetur. Cumque illud, ante conſtitutas civitates, patrumfamilias in ſuis domibus officium fuerit; *Nam cognovi ipſum (* Abrahamum*) ut præcipiat filiis ſuis & domui ſuæ poſt ſe, ut obſervent viam Jehovæ.* Gen. 18: 17, 18, 19. certe iiſdem in Rempubl. jam compoſitis, & multarum familiarum conſtitutis dominis ac patribus, idem officium incumbet. 2. Sed & *officii ſanctitas* hanc a Magiſtratu curam poſtulat. Non minus enim æternæ ſubjectorum felicitati, quam temporali, providere debet. Unde religiones, quas in animo ſuo veriſſimas judicat, in terris ſuis introducere, & publice curare debet. Illius autem rei judicium penes ipſum ſolum eſt; niſi cœca obedientia fidem ſuam alteri gratificari, & obſtringere, ac denique aberrare velit. Quanquam prudentiorum conſilia audire, ſeque modis omnibus de rei veritate certum reddere debet. 3. Nulli enim *collegio* vel *conſeſſui* Deus ullibi conceſſit infallibibilem de religione arbitrandi poteſtatem; a cujus oraculo mortales omnes, ipſique etiam Magiſtratus & Principes, in religione conſtituenda, dependere debeant. Pontificiorum enim Cathedram de Novi Teſt. Eccleſia non ſemel removimus. Nec ſatis recte alii de religione definiendi poteſtatem Eccleſiæ datam ſciſcunt (ſuam autem unuſquiſque Eccleſiam & cœtus cogitat;) ejuſque judicium definitivum publicam apud Chriſtianos auctoritatem habere debere urgent. Nulla enim definiendi poteſtas eſt, ubi juriſdictio nulla eſt. Juriſdictio autem vocanda non eſt, cui quis non niſi propria voluntate, & judicio, ac cognita ſententiæ veritate, parere cogitur. Ut hæc mera vocabula ſint, quibus nec veritas, nec ſenſus ullus, ſubeſt. Et, ſi collegium ac conſeſſum aliquem Deus inſtituiſſet, cui omnes, atque ipſos quoque terrarum dominos, de religione credere juſſiſſet; illud certe quale, & ubi foret, diſtincte inſinuaſſet. De eo autem nihil in divinis tabulis extat. Unde omnes cœtus, omneſque Eccleſias, privilegium iſtud temere ad ſeſe rapere videas. Quod ſatis oſtendit, merum illum prætextum eſſe. Unde conſequitur, cum ad aliam aliquam poteſtatem non pertineat, publice cum auctoritate de religione ſtatuere; & tamen in Republ. hoc neceſſarium ſit; ad ſolum Magiſtratum iſtud pertinere; qui iſtam ſibi curam publice ſumere & poteſt, & debet. Quanquam & ille, adhibitis omnibus mediis, rem diſcernere, &, ne falſas religiones pro veris invehat, attendere ſummopere debet. Veritati enim, ac veritatis doctoribus, ſemper manus tradere, ac tanta in re morem gerere, æquum eſt. Quod tamen rurſus collegio illi quod veritatem ſeſe tradere ac docere profitetur, nul-
Digitized by Google

nullum imperium aut juriſdictionem largitur: cum omni veritati, omnique ſapienti qualiſcunque ſit, ille honos habendus ſit. 4. Sed & conſideranda tandem eſt ipſius *Eccleſiæ natura*. Illa enim cum nobiliſſima hominum ſocietas, ac cœtus, & permagna Reipubl. pars ſit, non magis a Magiſtratu negligi poteſt, quam alia civium, Doctorum, mercatorum &c. collegia. Et cum cœtus hic reliquis omnibus dignior ſit, illam non curare foret pleramque Rempublicam deſerere, & nec principis, nec Chriſtiani partes implere.

XI. Ex quibus omnibus patet, Magiſtratum æque leges ferre poſſe de rebus Eccleſiaſticis, ac politicis; & pios fidelium cœtus non minus quam reliquos civium conventus & ſocietates regere ac moderari debere. Quæ leges quanquam Eccleſiaſticæ ſint ratione objecti, diverſa tamen ratione politicæ ſunt. Nihil enim repugnat eandem legem politicam & divinam eſſe. Imo, Magiſtratu edictis ſuis divinas leges firmante, proque lege civitatis haberi eas jubente, ipſum præceptum divinum in jus politium ac civile commutatur. Illa enim optime conveniunt.

XII. Occaſio autem magni illius inter Eccleſiam & politiam divortii; quodque Eccleſia non pro ſocietate politica, ſed pro alterius generis cœtu, a poteſtate politica non dependente, haberi cœpta eſt, ex Gentilium Imperatorum perſecutionibus profluxit. (In Eccleſia enim Vet. Teſt., ſub piis regibus, aliter fuit.) Quando nim. pii, urgente conſcientia, in publicis ſacris, a principum idololatria deſciſcere, ac alia ſacra, alioſque cœtus, erigere coacti; in rebus tamen aliis fidem ſervaverunt. Tunc enim illi proprio arbitrio in cœtus coire, Eccleſias conſtituere, ac ſacra curare, cœperunt. Quæ ſocietates cum a Magiſtratibus Ethnicis inſtitutæ non forent, ac potius ab iis turbarentur, inde conſideratæ ſunt tanquam ſocietates alterius naturæ, ab iis non dependentes, & cum politia commune nihil habentes. Pace deinde Eccleſiis reddita, ac emergente Antichriſto; ille prætextu illo non ſegniter uſus eſt; conſtitutumque olim in Eccleſiis, perſecutionum temporibus, ordinem, ſeſe ſuaque omnia, ſine ulla magiſtratuum cura aut inſpectione, privatim curandi, non ſolum ſervavit, ſed & immenſum amplificavit; nec quicquam principibus in Eccleſia permiſit, ſed ut profanos ab altari abſiſtere juſſit, ingeminatis, ad terrorem, Dathanis, Abironis, Uſſiæ, aliorumque exemplis & diris. Solummodo eos Eccleſiæ nutricios eſſe, h. e. de farina iis & cibariis proſpicere, & otioſorum hominum luxum alere juſſit. Quod injuſtiſſimum erat.

Occaſio divortii inter Eccleſiam & temp.

XIII. Ex

Digitized by Google

& duplicis juriſdictionis, civilis & eccleſiaſticæ. XIII. Ex quibus hæc duo patent. 1. nullam eſſe conſequentiam a primæ Eccleſiæ regimine ad omnem ejus ſtatum & ætates. Aliter enim ſub Ethnicis, aliter ſub Chriſtiano Magiſtratu ea degit. Ac multa præterea alia in externo regimine, ſalva Eccleſiæ ſubſtantia, mutari potuiſſe experientia variis in rebus oſtendit. Non enim Chriſtus ſpecialem, aut potius ſpecialiſſimam regiminis formam inſtituit, nec minutiſſima quæque circumſcripſit; ſed omni in re ordinem ac decorum obſervare jubens, multa Eccleſiæ libertati permiſit. 1. Cor. 14: 40. 2. Non dari proprie loquendo diſtinctionem veram inter juriſdictionem civilem & Eccleſiaſticam. Eamque omnem a Papatu eſſe. Omnis enim juriſdictio, rigide ſumendo, in civitate eſt. Nec quicquam in Republ. uti obſervandum ac ſequendum cum auctoritate imponi poteſt, niſi a civili poteſtate. Eccleſiæ autem ſolum eſt, monere, hortari, docere verbo Dei; nec quiſquam ei obſequi tenetur, quam qui ipſe de rerum veritate e verbo Dei perſuaſus eſt. Publice autem, atque in Republ. ſententiæ ac canones ejus vim legum non habent, niſi magiſtratuum edictis firmata & roborata. Unde omnis eorum poteſtas.

Objectamenta in contrarium ſublata. XIV. Quod quidam pro cœtuum Eccleſiaſticorum independentia, & diviſa ſocietatis politicæ Eccleſiaſticæ poteſtate, objiciunt, non magni ponderis eſt. Quanquam enim Eccleſiæ fides & regimen non a Magiſtratu, ſed a Chriſto dependeant, non ideo omne Magiſtratus imperium & cura ab ea eliminanda eſt. Nam & conjugum, & liberorum parentumque, aliorumque hominum, erga ſe mutuo officia Dei lege definita ſunt. Qui tamen omnes magiſtratuum curatelæ & imperio ſubſunt. Ut de aliarum artium regulis taceam. Non majoris momenti eſt, regnum Chriſti non eſſe de hoc mundo. Interiora enim regni Dei ad noſtram quæſtionem non pertinent; iſtoque in genere Eccleſiam non hominibus, ſed ſoli Deo ſubjectam eſſe concedimus. Quatenus tamen fidelium cœtus externum in Republ. ordinem conſtituunt, ea ratione Magiſtratus regimini ſubſunt. Nec ille, cum pro æterna civium ſalute excubare quoque debeat, curam iſtam defugere poteſt. Quod addunt, Magiſtratum non poſſe Theologorum & Paſtorum munia gerere, ſacramenta adminiſtrare &c. cum omnis iſta cura rebus civilibus intentis nimis longa & impedita ſit: ita eſt, ſi de functione ac muneribus ipſis agas; illo tamen prætextu imperio ac juriſdictioni ejus illa omnia ſubducenda non ſunt. Nam & leges circa illa ferre, utque omnis ordo officium faciat, nec quicquam præpoſtere agat,

Digitized by Google

agat, accurare & attendere omni ope debet.

XV. Nunc præcipuas officii eorum partes luſtrabimus. Quæ in *II. in*
hiſce fere conſiſtunt. I. Eorum eſt religiones & cærimonias publicas *ſpecie of-*
rite conſtituere & ordinare, ut omnia juxta verbum Dei ſe ſe habeant; *ficii Ma-*
inſtitutis ad exercendas eas locis temporibuſque idoneis; aliiſque cir- *giſtratus*
cumſtantiis, in verbo Dei non definitis, moderandis; impedimenta *circa ſa-*
autem divini cultus tollere, ac imprimis operam dare; ne nomen Dei *cra par-*
in terris ſuis blaſphemetur, vel publice obtineant ſententiæ hæreticæ & *tes.*
probroſæ. II. Publicum miniſterium, miniſtroſque curare; ut illud purum ac integrum ſit, hi autem officium faciant. Etſi enim miniſtri in munere ſuo magiſtratuum vicarii non ſunt; non magis quam paterfamilias in regenda domo; cum a Chriſto illud inſtitutum ſit, atque ab eo auctoritatem habeat: tamen publica ejus cura magiſtratui data eſt, nec miniſtri in munere exercendo inſpectioni ejus ſubtrahendi ſunt. III. Quin & vocationibus eorum præeſſe debet, & in mandandis iſtis muneribus proſpicere, ut non niſi digni cœtibus præficiantur; nec alios in territorio ſuo tolerare; fideles autem doctores honorare, & mercedibus de publico conſtitutis fovere debet. IV. Huc etiam ſpectat miniſtrum, tum ob alia crimina, tum ob doctrinæ aut morum labem, exauctorandi poteſtas. Salomonis regis exemplo, I. Reg. 2: 26, 27, 28, 35, 36. Eſt enim exauctoratio, & de publico munere abdicatio, juriſdictionis pars. V. Ejuſdem eſt Synodos, ad Eccleſiaſticas cauſas diſceptandas, indicere: ac paſtorum deliberationibus intereſſe, eaſdemque moderari: denique decretis eorum auctoritatem ſuam commodare, utque in leges publicas abeant, edictis ſuis firmare. VI. Quin & eorum, qui ſeſe Eccleſiaſticis ſententiis læſos conqueruntur, querelas admittere, novamque cauſæ cognitionem mandare, alioſque judices dare, poteſt. Tandemque, ubi quem factione opprimi viderit, ipſe de tota re judicare poteſt, VII. Scholas quoque, & publicas bonæ mentis ædes, ac Chriſtianæ doctrinæ ſeminaria erigere, & pro viribus ornare ac tueri tenetur. Neque enim in rebuſpublicis Chriſtianis illud ad Pontificem Rom. proprie ſpectat. VIII. Religione autem corrupta, ac ſtatu Eccleſiæ collapſo, ejuſdem repurgandæ ac priſtino nitori reſtituendæ cura vel præcipue ad Magiſtratus pertinet. Ac faciunt huc laudatorum regum ſub Vet. Teſt. exempla. Quos pii principes, inſtitutæ præcedenti ſæculo inſtaurationis duces, feliciter imitati ſunt. IX. Cumque una Chriſti ſponſa ac Eccleſia ſit, cujus univerſæ cuſtodia, ac veluti epiſcopatus, non uni ſin-

gulatim, ſed omnibus ſingulisque in commune credita eſt; principum eſt, non ſolum ſuæ ditionis Eccleſiis providere, ſed vexatis oppreſſiſque alibi fratribus ope, conſilio, interceſſione, aliiſque modis ſuccurrere. Ut ab Imperatoribus Chriſtianis olim factum. In delicatos enim illos, qui, ipſi montibus ac littoribus ſuis tuti, fratrum labores immoti deſpectant, conveniunt diræ illæ propheticæ, Jud. 5:23. Amos 6:1--7.

Particulatim circa heterodoxos & hæreticos. XVI. x. Tandem & erga heterodoxos ac hæreticos officium facere debet, tum ad ſanandos illos, tum ad compeſcendos & coercendos, ac ſerpentem tabem ab Eccleſiis arcendam. Adhibenda autem cautio, ne peſſimi nominis invidia ipſa veritas petatur ac proſcribatur. Et diſtingui debet inter eos, qui lenius, & qui obſtinatius errant; tum illos, qui privatim, & qui publice peccant, ac nomen ſectamque ſibi ſuperſtitem moliuntur. Quod genus acrius caſtigandum eſt. Quanquam invaleſcente factione, ac ubi ſine motu aut detrimento publico res tranſigi non poteſt, ſectarios tolerare, atque cœtus & Eccleſias iis permittere nonnunquam expediat. Quod Chriſtiani Imperatores Arianis olim conceſſere. Sunt autem illi omnes Chriſtiana inſtitutione ad meliores ſententias adducendi; non autem vi & ferro ad fidem adigendi (ſicuti nec in exteros ac infideles illa juſta belli cauſa eſt) ſiquidem verbo, non ferro, plantatur fides. Neque innocuus error, aut diverſus de numine ſenſus, capite luendus eſt. Quanquam gravius in eos animadvertere liceat, qui eo prætextu turbas & ſeditiones in Repub. movent; aut, moniti ſæpius & increpiti, infandis blaſphemiis cœlum terramque polluere non deſinunt. In omnibus autem ſumma prudentia ac moderatio adhibenda.

Circa quos Pontificiorum eſt exceſſus; XVII. Errant hic ab una parte Pontificii, nimium in hæreticos ſævientes: *Neſcientes*, ut pulchre Auguſtinus, *cum quo labore verum inveniatur, & quam difficile caveantur errores: quam rarum & arduum ſit, carnalia phantaſmata præ mentis ſerenitate ſuperare: quanta difficultate ſanetur oculus interioris hominis, ut poſſit intueri ſolem ſuum: & quantis denique ſuſpiriis & gemitibus fiat, ut ex quantulacunque parte poſſit intelligi Deus.* Hæreſeos autem nomine infamant quicquid ad Romanæ curiæ palatum non eſt. Eſtque hoc proprium Antichriſto, cruces, carceres & exilia, veritatis profeſſoribus minari; atque hiant adhuc vulnera & cicatrices, quæ ab illo prædone inflicta etiam hodie Chriſti Eccleſia præfert. In Scriptura autem nullibi pœna capitalis in hære-

Digitized by Google

hæreticos ſtatuta legitur. Lex enim Deut. 13. non de hæretico proprie, ſed de apoſtata & ſeductore agit; & peculiarem in iſta Republ. rationem habebat. Diſpar autem aliorum populorum ac regnorum conditio eſt; nec Deo communes adeo cum iis rationes ſunt, ac olim cum populo Iſraelitico. Veteres autem Chriſtiani quantopere ab hæreticis necandis abſuerint, ex Eccleſiaſticis auctoribus videre eſt.

XVIII. Peccant ab altera parte, & nimium hæreticis indulgent Sociniani. Qui eos miſeratione & venia potius dignos cenſent, nec quicquam gravius in illos, aut libros illorum, ſtatui ferunt; adducta Chriſti auctoritate Matth. 13:30. *Sine creſcere zizania, uſque ad meſſem.* Cum & Apoſtolum ſubjungunt, 1. Cor. 11:19. *oportet hæreſes eſſe.* Denique Gamalielis conſilium impenſe probant. *Nunc itaque dico vobis, abſcedite ab hominibus iſtis, & miſſos ipſos facite: quoniam ſi eſt ex hominibus conſilium hoc, ſive opus iſtud, diſſolvetur. Sin ex Deo eſt, non poteſtis illud diſſolvere; & videte ne etiam cum Deo pugnare deprehendamini.* Act. 5:38, 39. Quibus Reſpond. Chriſti ac Apoſtoli verba prædictionem continere, quid in Eccleſia eventurum ſit. Toto enim illo capite Chriſtus Eccleſiæ fata, & diverſas periodos, ſub parabolarum involucris proponit. Ac Apoſtolus præterea cauſas explicat, ac Deum ſapienti conſilio Eccleſiam ſuam iſtum in modum exercere decet. Hæc autem cum magiſtratuum officio non pugnant. Solummodo moderamen adhiberi Servator ſuadet, ne cum malis herbis etiam bonæ eradicentur. Gamalielis autem conſilium in re dubia ac perplexa laudabile eſt, Ne doctrina aliqua, nondum ſatis excuſſa, quæ tamen multam ſpeciem præ ſe fert, temere cum auctoribus ſuis damnetur. Explorandum enim ante omnia eſt, an ea ex Deo, an vero ex hominibus ſit; ne renaſcens forte veritas, temerariis ſuffragiis confoſſa, in ipſa herba enecetur. Nitebatur autem non obſcure Gamaliel media iſta ſententia Apoſtolos, quos viros bonos & innoxios judicabat, a præſenti periculo liberare. Quod & præſtitit.

Socinianorum contra defectus.

XIX. Ad Quæſt. an hæreticis a Chriſtiano principe fides ſervanda ſit? Negative reſpondent Jeſuitæ. Atque ita in Concilio Conſtantienſi, in cauſa Johannis Huſſi, & Hieronymi Pragenſis, judicatum; ac, tegendo dedecori, hæreticis nullam ſervandam fidem, condito canone, ſancitum fuit. Quæ quantopere jurisjurandi ſanctitatem, omnemque fœderum religionem evertant, ac de rebus humanis veritatem & juſtitiam, ac omne humanum commercium tollant, quivis videt. Ut ſine

An fides hæretico ſervanda?

 inſi-

Digitized by Google

inſigni probro Chriſtiani nominis talia dogmatum portenta audiri nequeant. Nec obſtat, quod fides ea data ſit hæreticis; iis autem, qui fidem fregerunt Deo, nullo modo ea ſervanda ſit ab hominibus. Nam & Joſua fidem Gibeonitis idololatris datam præſtitit, Joſ. 9: 18, 19, 26. & 10: 5-7. conf. 2. Sam. 21: 5. Nec eo quod hæretici ſunt, humana omnia ac naturalia jura amiſerunt. Niſi & quemvis, qui graviori peccato erga Deum ſe obſtringit, iſto in gradu ponas. Aliud autem eſt, ſi quis fidem datam prior frangat, nec ea, quæ utrinque convenerunt, præſtet: tum enim & alteram partem exſolvi, nec ad pacta teneri, certum eſt.

Ius hoc omnis ſupremæ poteſtatis eſt. XX. Atque hæ principalis officii, juriſque eorum erga res ſacras & Eccleſiaſticas præcipuæ partes ſunt. Quæ ad omnes ſupremas poteſtates ex æquo ſpectant. Nec Ethnico magiſtratui minus juris eſt, quam Chriſtiano & orthodoxo. Quanquam ille plerunque jure iſto uti dedignetur, & Eccleſias potius odio habeat, ac perſequatur, ac res ſuas ſibi habere ac curare jubeat.

Quo tamen moderamine exercendum. XXI. Debet autem Magiſtratus Chriſtianus, in officio iſto exercendo, omni moderatione uti. Eſt enim Eccleſia ſocietas fratrum. Ac princeps ipſe in Eccleſia, quæ mundana civitas non eſt, non niſi fratris locum occupat. Ac ſicuti ille, in privati domum cœnatum veniens, privati propemodum perſonam ſumit, nec alienæ familiæ imperare præſumit: ita, ubi in Eccleſiam faſces ac diadema ſuum intulerit, cœtus iſtius libertatem, & ordinem, & Seniorum auctoritatem, non tollere, ſed augere & tueri debet. 2. Conducit etiam ſupenumero, ut non omni auctoritate, quam alioquin de jure habet, utatur. Nam & cauſæ Eccleſiaſticæ plerunque melius & accuratius ab Eccleſiaſtico judicio tractantur; & Eccleſiæ ac rectorum ejus eſt, operam dare, ne magiſtratuum faſtigium concutiant, aut alioqui temere eos offendant, vel juſtos iis metus faciant. 3 Iſtis autem in locis, ubi vel conſuetudine, vel liberali magiſtratuum conceſſione, factiſque eam in rem decretis publicis, Eccleſiæ pluſculum libertatis ac poteſtatis habent, ad res ſuas proprio arbitrio moderandas (ſicuti olim ab Imperatoribus Chriſtianis Epiſcopis multa poteſtas data eſt: atque hodie Reformatæ Eccleſiæ ſua quædam jura, & libertates, & ordinem, in rebuſpublicis multis in locis, maxime hiſce, habent) eam princeps, niſi maximus abuſus intercedat, revocare non poteſt: ſed potius operam dare debet, ut Eccleſiæ rectores officium faciant, ac poteſtate illa recte, & ad bonum Eccleſiæ, utantur; ut illa, amo-

Digitized by Google

amotis ſcandalis, pura & intaminata permaneat.

XXII. Poſt jura magiſtratuum ſequitur viciſſim Eccleſiæ erga illos officium, & cura, ac auctoritas. Cum enim princeps Eccleſiæ pars, ac in cœtu iſto frater ſit, rectorum officium agnoſcere, ac monitionibus eorum parere tenetur. Quæ tamen ejus ſubjectio, non imperii aut juriſdictionis, ſed directionis & conſilii duntaxat eſt; ac miniſtrorum reſpectu accidentalis mere eſt, cum omnis illa reverentia divino verbo, quod in ore gerit Eccleſia, habeatur. Aliter enim Magiſtratus, aliter Eccleſia, imperat. Ille, poteſtate & imperio; hæc ſuaſu & hortatu, factiſque ex verbo Dei increpationibus. Qua ratione Magiſtratus, qui Eccleſiaſticis imperat, iiſdem quoque monentibus ſubjicere ſeſe poteſt. *Eccleſiæ erga Magiſtratum officium,*

XXIII. Eſt ergo miniſtrorum Eccleſiæ, magiſtratum libere & prudenter officii admonere; quin &, magna in neceſſitate, Eccleſiaſticis cenſuris quantum fieri poteſt, ad meliorem mentem revocare. Iſto autem prætextu majeſtatem ejus imminuere aut populum Sacramento, Magiſtratum imperio, ſolvere nunquam poſſunt. *prudenter & moderate exercendum.*

XXIV. Atque adhibenda hac in parte maxima prudentia & moderatio. Neque crimina eorum licenter in vulgus efferenda; nec publicis invectivis ſceptrorum majeſtas facile laceſſenda eſt. *Magiſtratus ne execrator; & principi in populo tuo ne maledicito.* Exod. 22:28. Nec temere etiam, in ſermone ad populum; regnorum momenta nudanda ac libranda ſunt. Habent enim illa plerunque ſecretum ſuum, quod explorare, ac audacius evolvere velle, intempeſtivæ cujuſdam ſapientiæ foret. Unde fœdera, & facta magiſtratuum ambigua, & dubiæ interpretationis, quæque arcanis rationibus & circumſtantiis nituntur, non facile publice vexanda aut traducenda ſunt. Alia enim fuit olim prophetarum ratio; quos, uti regum cenſores ac ephoros, in iſta ſua Republica Deus olim ſingulari cum imperio mittere ſolebat; iiſque & res, & verba, quibus uti eos volebat, in ore ponebat. Vide Jer. 26: 12. Amos 7: 10. & ſeqq. Eſai. 26: 2. Num. 22: 38. & 23: 12. Quam prudenter autem Nathan Davidem, ac Samuel Saulem increpuerit, in utriuſque regis rebus videre eſt. 2. Sam. 12. 1. Sam. 15. Ac Chriſtum ipſum, Dominum, rarius objurgationibus, plerunque autem inſtructionibus & admonitionibus, uſum legimus. Cumque Paulus ſenem, ut patrem, modeſte & reverenter increpari jubeat, 1. Tim. 5: 1. certe longe major faſcibus debebitur reverentia. Ac prudentiæ eſt, ita rem moderari, ne facile accuſationū acrimonia terrarum dominos Eccleſiæ inconciliemus.

 XXV. Pec-

Digitized by Google

Error Anabaptiſtarum, XXV. Peccant ergo Anabaptiſtæ; qui, uti ſcularem Magiſtratum cum Chriſtiana profeſſione congruere negant, ita, cum Donatiſtis, Imperatori nihil cum Eccleſia commune eſſe volunt.

Pontificiorum, XXVI. Ulterius tendunt Pontificii; qui, uti perperam Chriſtianum populum in Laicos & Clericos diſtinguunt; quos, inſtar duarum civitatum, a ſe mutuo longe diſtinctarum, in Eccleſia concipiunt: ita Clerum ſuum magiſtratuũ juriſdictioni ſubtrahunt; contra expreſſum mandatum Apoſtoli Rom. 13: 1. *Omnis anima poteſtatibus ſuperioribus ſubjiciatur.* nec fundos ac terras eorum Reipubl. vectigales eſſe ſinunt. Quod uti in re miniſtrorum exigua, ac tenui Scholaſticorum ſuppellectile, locum habere poſſit; ita ad opulentas Eccleſiaſticorum poſſeſſiones, & latifundia, non ſine publicæ rei detrimento, extendi poteſt. Falſus enim color eſt, bona ipſorum ſacra, & Deo conſecrata eſſe, nec ſæculari uſui ſervire oportere. Iſtam enim rerum externarum ſanctimoniam nunc non agnoſcimus. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.* com. 7.

aliorumque. XXVII. Nec denique plane probandi aliorum canones: 1. Eccleſiæ regimen & ordinem nullo modo ὑπάλληλον ſubordinatum eſſe magiſtratui. 2. Magiſtratus imperium ſolum incorpora, & brutam hominis partem, ac circa res externas verſari; Eccleſiæ autem unius eſſe, divinum cultum ac felicitatem hominum æternam, procurare. 3. judicium de rebus divinis *apprehenſivum* eſſe Laicorum; *diſcretivum*, Magiſtratuum; *definitivum*; Paſtorum; *pretorium* & infallibile, Dei. Quæ perplexa ſunt.

LO-

LOCUS QUADRAGESIMUS NONUS

DE

CORRUPTA ECCLESIA N. F.

CAPUT XI.

De corrupta doctrina ſub Novo Fœdere.

Eccleſia, poſt Apoſtolorum tempora, corruptio prima, circa DOCTRINAM;

I. ATque hic quidem fuit Eccleſiæ Novi Teſt. modus, & forma, ad quam deſcribi & componi eam voluit Chriſtus. Verum licet felix ſit, ſuo capite, Eccleſia; quod eam tutiſſime tueatur & conſervet; non tamen eadem eſt membrorum, dum in hoc mundo verſantur, ratio, quibus ſimili cum fato, & iiſdem ſæpe calamitatibus, ac res omnes humanæ, colluctandum eſt. Indeque non mutationibus tantum, ſed & vitiis non exiguis ſæpe, obnoxia eſt Eccleſia; tam circa ipſam doctrinam, quam mores & regimen. Fideles enim, in hac terra degunt, valde infirmi ſunt, imo plerique *νήπιοι*, *pueri*. 1. Cor. 3: 1. qui cum multa ignorent, facile decipi & deduci poſſunt a ſola & anguſta veritatis ſemita, ad latam & celebrem errorum viam. Quod maxime uſu evenit, poſt Apoſtolorum obitus, quorum magna erat etiam apud improbos, dignatio; quibus veluti tibicinibus ſubrutis, mox in deterius lapſa eſt Eccleſia, & ab ingruentibus hæreſibus, & irrepente Antichriſto, magna, tum in *doctrinam*, tum in *regimen* invecta eſt mutatio.

prædicta, & ſuo tempore inſecuta.

II. Non vero inopinatum illud aut novum Eccleſiæ fatum eſt; verum ab ipſo Chriſto jam prædictum. Matth. 18: 7. *Neceſſe eſt ut veniant ſcandala*. & 14: 10. *Tunc offendentur multi — & multi pſeudoprophetæ excitabuntur, & ſeducent multos.* Luc. 17: 1. *Impoſſibile eſt ut non veniant ſcandala.* Ita & prædicuntur *hæreſes*; earumque neceſſitas & uſus, tanquam abſceſſuum in corpore affecto, demonſtratur. 1. Cor. 11: 19. *Oportet enim etiam hæreſes inter vos eſſe, ut qui probi ſunt, manifeſti fiant inter vos.* Speciatim illas deſignavit Petrus Epiſt. 2. cap. 2: 1. quod in ipſam Chriſti Deitatem involaturæ eſſent, *negantes eam, & do-*

& dominium ejus tollentes, ἀρνύμενοι δεσπότην τὸν ἀγοράσαντα αὐτοὺς; *qui emerat eos.* De eadem abnegatione futura loquitur Judas com. 4. Quæ Judæorum primo fuit hæreſis; deinde Ebionitarum, Cerinthianorum, Arianorum, Samoſatenianorum, Photinianorum, & ſimilium, quibus annumerandi Sabelliani. Iis omnibus poſtmodum ſucceſſerunt Muſelmanni. Hinc porro ſubſecutæ ſunt hæreſes circa gratiam ſanctificantem & liberum arbitrium, qualis Pelagianorum & Semipelagianorum. Magnum etiam Donatiſtarum & Novatianorum ſchiſma fuit.

III. Alias etiam corruptelas inducendas fore, ſub emblemate illo zizaniorum docuit Chriſtus Matth. 13: 25, 26, 38. ubi *frumentum* ſunt filii regni, & *zizania* filii mali; hoc eſt ii, qui externa ſpecie, ſimilitudinem mentiebantur filiorum regni, intus tamem zizania erant, vel omni fructu caſſa, vel non niſi peſſimæ frugis. Quales erant filii mali, id eſt, gentes in Eccleſiam introductæ, vel introactæ potius, ſed non regenitæ. Hæc vero zizania cum tolerari juberentur in agro Domini, hinc fieri neceſſe fuit, ut, in tam læto zizaniorum proventu, & tanta multitudine, illud toti Eccleſiæ commune videretur, quod errantes dicerent ac facerent; illud vero, quod ſervi Dei ſentirent, qui zizania deprehenſa a vero frumento diſtinguerent, haberetur, tanquam ſingularis aliqua, & non niſi paucorum quorundam opinatio. Quo factum eſt, ut frequentiſſima Chriſtianorum multitudo, *pueri* demum eſſent in Chriſto, cum adolere non poſſent, preſſi nimium zizaniis, qui fere omnem ſolidum doctrinæ ſuccum intervertebant. Quo vero modo, & quibus ſpeciatim gradibus, res eo devenerit, videndum nunc eſt nobis.

Cujus mutationis initium factum eſt a ritibus:

IV. Mutatio omnis circa doctrinam Chriſtianam facta eſt; vel in *ritibus* illius; vel in *cultu*; vel in doctrina ipſa *& dogmatis*. Atque eo ferme ordine omnis corruptela in Eccleſiam invecta eſt, ut, cum cœperit in ritibus; ex iis derivata ſit in cultum cumque ibi adoleverit; ipſam deinde arcem doctrinæ invaſit.

V. In *ritibus* ergo, utpote unicuique obviis prima reſedit mali origo, quando luxurioſi nimium florentis Eccleſiæ ritus, vel in vegrandem molem excreverunt; vel interpolati ſunt pro arbitrio humano, per jejunia, peregrinationes religioſas, Monachatum, ejuſque vota, aliaſque ſimiles ἐθελοθρησκείας: quæ præcipuum robur ſuum acceperunt ſub Gregorio Magno, qui pleraſque eas cerimonias, quæ nunc in Eccleſia Romana obtinent, introduxit. Quando ciborum, dierum, & veſtium diſcrimina haberi cœperunt; & poſtliminio revocatum fuit quicquid

quid olim fere, ſub Veteri Teſt. umbrarum nomine Judæorum cervicibus imminuerat; adjectis iis, quæ Gentilium vana ſuperſtitio quondam effinxerat.

Unde progreſſus factus ad cultum.

VI. Itum inde eſt ad *cultus* adulterationem. Quomodo Gregorius Magnus, mortuos invocari juſſit; ſacrificia pro iis inſtituit, & oſſibus eorum templa dedicavit. Ita aſſumpta eſt in partem honoris divini, ſupra ipſum filium, Virgo mater, ſimulque tota cohors demortuorum, & commentitiorum ſæpe, ſanctorum. Donec & cadaveribus, cineribus, imaginibus, lignis, lapidibuſque, cultus divinus ſit præſtitus. Quod præcipue invaluit, poſt Synodos Pariſienſem & Francofurtenſem, ſub Carolo Magno.

& tandem ad ipſam doctrinam.

Quæ primitus corrupta eſt per ſtudium propriæ juſtitiæ.

VII. Externis hiſce religionis Chriſtanæ monumentis, & quaſi teſſeris, vel ſublatis vel adulteratis, nihil in proclivi magis erat, quam ut eadem etiam corruptelæ contagio in doctrinam & *dogmata* dimanaret: quæ cum magnam partem ex cerimoniis ſpectentur & diſcantur; ubi illæ turbatæ ſunt, neceſſe eſt ut lutulenta etam fluat doctrina. Fundus hujus calamitatis, & origo omnis corruptelæ in doctrina, eſt ſtudium propriæ juſtitiæ; quod ſicut omni homini naturale eſt, & Judæos perdiderat; ita Papiſmi unica & princeps eſt cauſa: hi enim cum juſtitiæ Chriſti ſe ſubjicere nollent eamque recipere, aliunde juſtitiam ſuam arceſſere conati ſunt. Cum vero ſe nulla ſpes, aut via ad juſtitiam acquirendam offerret, delapſi ſunt ad ἐθελοθρησκείας, ad commenta & opera humana, quibus merita & ſatisfactionem aſſcripſerunt; ut per ea defectum propriæ juſtitiæ reſarcire & explere poſſent. Quare Chriſtianiſmum & pietatem transformarunt in γυμνασίαν σωματικήν, & priſtina mundi elementa cærimoniaſque revocarunt, illiſque omnem fere ſalutis vim traſcripſerunt.

Hinc Chriſto adjuncti ſunt Sancti, eorumque imagines,

VIII. Suffecti ita ſunt Chriſti loco, aut ſaltem ſuccenturiati, & quaſi tanto oneri impar eſſet, adjuncti varii comites, a quibus itidem ſalutem ſuam peterent homines, *Sancti* nimirum & *Virgo mater*; quos plebs, ut advocatos ſuos venerari edocta eſt: quin ut eorum animis ſemper obverſarentur, etiam oculis præſentes fecerunt, & *imagines* introductæ ſunt primo; deinceps & cultæ: quem in honoris partem etiam venerunt *crux*, *Eucharistia*, aliæque res conſecratæ, quæ ad ſalutem non parum conferre poſſe credebantur.

corruptis ſimul gratiæ ſymbolis.

IX. Ex mutilata ergo doctrina de Chriſto, cjuſque juſtitia, conſequens fuit neceſſario *Sacramentorum* corruptio; quando iis, gratiæ infuſio-

fuſionem ex *opere operato*, uti loquuntur, tribuerunt; habitaque ſunt, non tanquam juſtitiæ ſigna & ſigilla, quæ teſtandi & confirmandi uſum haberent; ſed tanquam organa operantia, quibus aliquam juſtitiæ afficientiam adſcribebant, modo nullus oppeſſulatus eſſet obex pecati mortalis: ita ut hac ſola cautione adhibita, ſacramentorum uſu & obſervatione abſolvi omnia, merito quis credere poſſet; quæ tamen aliunde vana prorſus & inutilia reddunt.

Ita tamen, ut, ex oppoſito errore, omnia tribuerentur operum meritis, propriiſque ſatisfactionibus;

X. Ex alia enim parte, quæ inſignis eorum eſt *δυσκρασία* & intemperies, *bonorum operum meritis*, ſalutem imputarunt, eamque ex illis univerſam ſuſpenderunt; ut fruſtra fuiſſe prorſus videatur, quicquid de ſacramentorum efficacia tanto hiatu promitterent. Eodem pertinent *ſatisfactiones propria*: cum enim diſcernerent, miro, ſed unice in hanc rem apto acumine, inter *culpam & pœnam*; eamque iterum in *temporariam*, & *æternam* diſpeſcerent; ita ſtatuerunt, remitti poſſe *culpam*, non remiſſa tamen omni *pœna*; ſpeciatim quoque eorum peccatorum, quæ poſt Baptiſmum admittebantur, gratiam poſſe fieri, quoad pœnam æternam, ut tamen reliquæ maneant temporales pœnæ, partim in hac, partim in futura vita perſolvendæ. Atque inde opus eſſe pœnitentia, per quam pœna æterna ſolvatur; temporariam vero pœnam redimi poſſe & compenſari *actionibus pœnariis*, ut jejunio, eleemoſyna, oratione &c. Quibus modis effectum eſt, ut *pœnitentia* quæ animi virtus eſt, converſa ſit in *laborem* pœnalem: & cum olim ſatisfieret Eccleſiæ, antequam abſolveretur peccator: & ubi culpæ venia illi facta eſſet, pœnis ullis non amplius teneretur; hic ordine præpoſtero, cum culpa peccatori eſt remiſſa, tum demum adhuc pœna ſatisfactoria exigitur.

adhibitis indulgentiarum ſubſidiis,

XI. In ſubſidium ergo vocatæ ſunt, *indulgentiarum* quaſi auxiliares copiæ, quæ à foro diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ſiniſtra nimium manu repetitæ ſunt. Unde conflatus eſt ille theſaurus Eccleſiæ, ex infinitate nempe meritorum Chriſti, & abundantia operum & pietatis ſupererogatoriæ Sanctorum: qui theſaurus ſola clave Eccleſiæ recludendus, & non niſi ad diſpenſationem Papæ, tanquam promicondi, per indulgentias illas, in ſolutionem & abſolutionem pœnarum temporalium, effundendus venit. Quaſi vero, meritum Chriſti, quod æternæ pœnæ reſtinguendæ par fuerat, temporariam pœnam reſtinguere nequiret: quod etiam ne fieret, probe cautum fuit ne omnes pœnæ temporales in hac vita perſolvi poſſent; partem earum præcipuam, futuræ vitæ exhauriendam relinquentes. Ex hoc carioſo fundamento, excitatum eſt inſanum illud

ædi-

ædificium *purgatorii*, in quod, tanquam in excelſam turrim, aureus imber quotidie depluit, unde Eccleſia Romana inundatur. *& Purgatorii ſolamine.*

XII. Atque hæc eſt genuina Papiſmi facies & deſcriptio, a prima origine repetita & deducta; qui Eccleſiam omnem Chriſtianam, tanquam dirus hydrops invaſit, & in modum fœdi abſceſſus corpore excreti, deturpavit. Qui cum omnem ſolidum pietatis ſuccum depaſceretur, antiquum revocavit Phariſaiſmum, cum præcipua ſimul Judaiſmi parte; ut hoc adeo eſſet, *mutare tempora & legem*. Dan. 7:25. id eſt, tempora gratiæ & legem Chriſti commutare cum tempore ſervitutis & lege veteri. Quomodo tandem omnes explevit partes beſtiæ illius, *quæ fuit & non eſt, & tamen eſt*. Apoc. 17:8. Unde nata eſt Eccleſia falſa, quæ in Scripturis appellatur *Civitas magna & Babylon*, quæ erat commiſcenda cum civitate ſancta & vera Eccleſia. *Ex quibus omnibus tandem efformatus eſt Papiſmus.*

CAPUT XII.

De corrupta regiminis forma ſub N. Fœdere.

I. Cum itaque doctrinæ veritas ſtuprum paſſa eſſet, violata per omne nefas domina, neceſſe fuit, ut idem etiam in ancilla committeretur ſcelus. Corruptam igitur doctrinam, continuo comitata vel conſecuta eſt regiminis adulteratio, & invecta eſt in Eccleſiam conſummatiſſima *Hierarchia*, quæ oneroſa pompa & phantaſia hierarchiam Veteris Teſt. & omnem ſeculi politiam; dolis & artibus regendi, omnem politicorum aſtum longe ſuperat; utpote quæ ex fundamentis prudenter jactis, ſumma cum vafritie per varias contignationes, paulatim in ſupremum illud faſtigium excitata eſt. Quam ut accuratius paulo contemplemur, ab ovo, ut ajunt, ordiendum eſt. Semina hujus hierarchiæ jacta ſunt, 1. introducto diſcrimine inter *Clericos* & *Laicos*. 2. invecto *Monachatu*. 3. conſtitutis *Ordinibus ſacris*. *Corruptio altera fuit in forma* REGIMINIS; *invecta Hierarchia.*

II. Digna igitur hoc molimine & prima merito erat cura, ut novo regno de ſubjectis proſpiceretur; quod ut fieret, & ut omnes dein ſubjugarentur, aliqui honoris titulo, & ſpeciali nomine erant mancipandi. Atque hinc natum eſt diſcrimen, primo ſæculo incognitum, inter *Clericos* & *Laicos*; non ſine grandi in populum Dei contumelia, & injuria ſub *Cui gradum ſtruxit 1. diſcrimen* CLERICORUM

Digitized by Google

ET LAICORUM.

Novo Teſt. non ferenda; quando divulſus fuit populus a miniſtris; ac ſi non ejuſdem corporis membra, licet hæc pluribus inſervirent; aut domus lapides, eſſent, ſed uterque corpus & ædificium ſingulare conſtitueret; & huic *Laicorum*, illis *Clericorum* nomen daretur. Quod diſcrimen ſicut res ipſa non patitur, ita nec verba ferunt. Nomen enim *Laici* cum honorificum ſit per ſe, 1. Pet. 2: 10. hic in ignominiam convertitur, quaſi populus non eſſet ſimul ſors hæreditatis Domini; præter quam Petrus docet, qui 1. Ep. 5: 3. monet prebyteros, *ne dominentur Cleris*: aut vox illa ſolum conveniret miniſtris Eccleſiæ; quod confundit ibidem Petrus, cum eoſdem & τῦς κλήρυς & τὸ ποίμνιον vocet.

II. MONACHATUS: *cujus nulla in Scriptura fundamenta.*

III. Diſcriminato à Laicis Clero, acceſſit tertius ordo *Monachorum*; qui olim non inter Clericos, ſed inter ſeculares & Laicos reputabantur; de quibus nunc agendum. Chriſti & Apoſtolorum tempore Monachos fuiſſe, nec vola nec veſtigium ullum apparet: quin imo otioſum illud genus condemnat Scriptura, Matth. 6: 33. *Quærite primo regnum Dei & juſtitiam ejus, & iſta omnia adjicientur vobis:* omnem etiam meriti & perfectionis præſumptionem profligat, Luc. 17: 10. *Ita & vos quum feceritis omnia quæ edicta ſunt vobis, dicite, ſervi inutiles ſumus: nam quod debuimus facere fecimus:* inſtitutiones & regulas humanas & quicquid ἐθελοθρησκείαν ſapit, procul amandat Matth. 15: 9. *Fruſtra me colunt, docentes doctrinas quæ ſunt præcepta hominum.* Col, 2: 20, 21. *Quid ut viventes in mundo ritibus oneramini, Ne ederis, neque guſtaris, neque attigeris?*

IV. Nec huic inſtituto favet locus Matth. 19: 21. *Si vis perfectus eſſe, abi, vende quæ habes & da pauperibus.* Nam 1. omne illud extra vitam monachalem præſtari poterat. 2. Non conſilium, ſed præceptum datur huic juveni, quod ad omnes etiam illos pertinet, a quibus Chriſtus illud ſpeciatim exiget. conf. Luc. 14: 33. *Sic ergo quiſquis veſtrum non valedicit omnibus bonis ſuis, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* 3. Non eo animo a Chriſto datur, ac ſi vellet juveni monſtrare viam ad adipiſcendam perfectionem; verum ut, oſtendendo rigorem & poſtulatum legis, ſuam ipſi imperfectionem exprobraret & in apricum proferret. com. 23, 24. Nec Monachus fuit Joh. Baptiſta, qui in deſerto quidem vixit, ſed celebri & ab hominibus frequentato, non ſolo, non inculto; quin & alibi egit, nec ubicunque erat, otioſus fuit, at baptiſmum prædicabat; nec tam ſingulari, ſaltem non opinione meriti, cibo aut veſte utebatur, quam alii homines; niſi forte quam aulici & ſacerdotes. Matth. 11: 8.

Quid

Quid exiiſtis videre hominem mollibus veſtibus amictum, qui — in domibus regum ſunt: ut eo magis Prophetam, & ſpeciatim Eliam, referret Malach. 4: 5. 2. Reg. 1: 8. conf. Matth. 3: 4. Luc. 1: 17.

V. Nec ullum Monachatus indicium apparet in Eccleſia Apoſtolica, Act. 4: 34. quamvis inſignis ibi charitas, & concordia, & beneficientia, extra omne tamen votum, eluceat: cum ibi alacritas & promptitudo prædicetur, non coacta per votum beneficentia. Et fallitur Euſebius, cum Monachorum in Ægypto, mentionem factam vult a Philone Judæo: non enim Chriſtianos, ſed Eſſæos, ſaltem Judæos, deſcribit Philo.

VI. Prima igitur Monachorum (licet antiquiores fuiſſe Aſcetas non negemus) origo referenda eſt ad medium ſeculi tertii, & reddenda auctori ſuo Paulo Thebæo, qui Eremita primum, dein Monachus in Ægypto factus eſt, occaſione decimæ perſecutionis. Hujus veſtigia preſſit Antonius itidem in Ægypto, qui plures etiam alios ad idem vitæ genus transduxit; ex quibus fuit Hilarion, quem cum multi porro inſequerentur; ita hiſce primum auctoribus, duo prodierunt Monachorum genera, *Eremitarum* & *Cœnobitarum*. *Illius prima origo,*

VII. Ex Ægypto brevi tempore propagatum eſt hoc Monachatus inſtitutum, in Palæſtinam, per Hilarionem: per alios item in Armeniam, Paphlagoniam, Pontum: in Græciam tranſlatus eſt ab Athanaſio, qui inter Monachos Ægyptios egerat: eum ſecutus eſt Gregorius Nazianzenus, cui ſe adjunxit Achates ejus, Baſilius Magnus, monaſteriorum in Oriente ſtrenuiſſimus propagator. In Occidentem ſerius paulo monachatus fuit introductus, annitente maxime Hieronymo, in Syriam prope Bethlehemum eo nomine ſe conferente. Auguſtinus etiam vitam hanc alicubi commendat; quamvis nec ipſe Monachus fuerit, nec regulas iis tradiderit. *incrementa,*

VIII. Nec ſequior ſexus, qui hiſce in rebus ſæpe primas tenere ſolet, huic inſtituto defuit. Virginum quippe in eo ſtatu ad finem vitæ perſeverantium, & illibatam virginitatem ſervantium, jam Tertullianus & Cyprianus meminere. Monaſteria vero eorum & collegia primitus deprehenduntur ſub Athanaſio in Ægypto; unde ingruentibus mox Arianorum perſecutionibus, ab exulibus Ægyptiis Romam inſtitutum hoc delatum eſt; impellente præcipue Hieronymo Romam reverſo, qui Marcellam, aliaſque potentes & illuſtres fœminas, animo forſan non malo, ſed inſtituto parum convenienti, in Orientem ad Monachatum

 ſecum

Digitized by Google

ſecum abduxit, & ſcriptis inſuper ſuis in Occidente longe lateque eundem propagavit.

ac diſcrimen ab hodierno monachatu.

IX. Longe autem alia hujus Monachatus, tum Eremitici, tum Cœnobitici, tunc erat ratio, ac illius quæ poſteris demum temporibus invaluit. Non enim ſolitudo quærebatur, niſi ut ſanctitati unice operam darent; & monaſteria illa alio nomine erant Scholæ, in quibus omnimoda eruditio ingenti ſtudio tradebatur; nec inerti otio diffluebant Monachi, ſed manuum labore vitam tolerabant; idque citra omne votum, aut ciborum veſtiumque diſcrimen, aut humanarum regularum περιεργίαν & anxias doloſaſque cautiones. Quare eximii etiam viri ex monaſteriis illis prodierunt. Virgines quoque votis & legibus humanis non tenebantur, ſed Pſalmis Deum laudabant, & verbum ejus vernaculo ſermone legebant.

Monachorum per Occidentem propagatio, eorumque variæ familiæ.

X. In Occidente Monachorum collegia primo erecta legimus a *Benedicto Nurſino*; qui Monachorum vitam tribus etiam votis illis, ut tribus clauſtris adſtrinxit. Ad exemplum *Nurſini*, fœminis & virginibus ejuſdem facti dux fuit fœmina, ſoror ejus, *Scholaſtica* nomine: quæ inſtituti ratio brevi tempore per totum Occidentem diminavit; ut ab hiſce mox temporibus, non interrupta ſerie, ad nonum uſque ſeculum floruerit *Benedictinorum ordo*.

XI. Qui deinceps ordo in varias familias diviſus eſt, circa decimum admodum ſeculum: quibus ſeculo duodecimo acceſſerunt varii ordines equeſtres, ut *Sanctæ Crucis* &c. Per quæ incrementa increvit omnino & collapſa eſt, ſi qua adhuc ſupererat, prioris Monachatus integritas, & ex Monachis facti fabri & architecti variarum ſuperſtitionum, & falſarum opinionum de propria juſtitia & meritis operum; atque porro prolapſi in omnia vitia: ut monaſteria degenerarint in officinas omnis impietatis, ubi otium & ignorantia regnum obtinebat.

XII. Exorti ergo ſeculo medio duodecimo *Ordines mendicantium:* quorum quatuor præcipue ſunt familæ; *Auguſtinianorum*, *Carmelitarum*, *Dominicanorum* ſeu *Prædicatorum*, & *Franciſcanorum* ſeu *Minoritarum*. Qui licet ordine poſtremi, fœcunditate primi fuerunt, & immenſum in numerum excreverunt commentitia Franciſci miracula, & blaſphemam inter Chriſtum & illum ſimilitudinem, & utriuſque comparationem. Nato deinceps inter Dominicanos & Franciſcanos ſchiſmate, poſteriores hi, in varias ſectas ſciſſi ſunt, quorum tres hæ principes ſunt: *Conventualium*, *fratrum de Obſervantia* & *Capucinorum*.

Ex

Digitized by Google

Ex hiſce vero ſectis, tanquam variis Hydræ capitibus, licet aliquæ magnam ſæpe inter ſe ſimultatem exercerent, in id unum tamen omnes conſpirarunt, ut ſtrenuam Papæ navarent operam, præcipuoſque Papiſmi errores & Theologiam Scholaſticam inveherent.

XIII. *Apollyon* itaque per hoſce ſuos ſatellites & ſacras acies late tyrannus, cum jam orbem fere totum opprimeret, non diu poſtquam novum illud Reformationis lumen emicuiſſet, ultimum tandem cicadarum genus e puteo abyſſi excluſit. Apoc. 9: 3, 11. Prodiit autem illud ſuperioris ſeculi, anno 35. quando *Jeſuitarum* ordo ab Ignatio Lojola, nobili Hiſpano, inſtitutus eſt; qui infeliciter aliquandiu militem profeſſus, ad auſterius vitæ genus ſe contulit, & tribus ordinariis votis, quartum de cœca & ſpeciali erga Papam obedientia, adjecit. Qui poſtremi, quam dignos ſe undequaque præſtiterint, regi ſuo *Abaddoni*, jam pridem orbis magno ſuo malo didicit, & quotidiana docet experientia.

XIV. Facile hinc conſpicuum eſt, quanto intervallo hodiernus Monachatus ab antiquo diſterminetur; ut, cum olim inſtitutus ſit, in prætextum vincendi Satanam, ſubigendi carnem & mundum deſerendi; poſtea converſus ſit, in aptiſſimum Satanæ inſtrumentum, quo fines imperii longe protendit, caro dominata eſt, & univerſus pene mundus a Satana inſeſſus eſt.

XV. Vidimus, qui & quales huic regno dati ſint milites; operæ pretium erit ſcire quodnam regiminis genus inter illos ſit ſtabilitum: conveniebat utique ſacris hiſce ordinibus ſacrum regimen & *Hierarchia*, dignum patella operculum. De hac vero hierarchia anxie diſquiſitum eſt in Concilio Tridentino; an in ordinibus ſolis; an etiam in juriſdictione conſiſtat; an vero in utriuſque commixtione, quæ vulgaris eſt ſententia. De forma ejus laboratum quoque eſt. Dictum autem anathema negantibus hierarchiam in Eccleſia firmatam inſtitutione divina, quæ conſtat Epiſcopis, Presbyteris & diaconis; cum tamen Scriptura ſacra & Eccleſia primæva, nec vocem hanc, nec rem ipſam, quin imo contrarium, ſcilicet ἱεροδιακονίαν doceat. III. Ordines ſacri.

XVI. Circa ipſos Ordines quæſitum porro fuit; num ordo ſit Sacramentum, & num unum tantum, quod per varios gradus in ſacerdotium aſcendat: ubi alii contendebant, ſeptem tantum eſſe ordines; alii duos addebant, tonſuram & epiſcopatum. Quæ omnia generalibus verbis in decreto iſtius conventus intricata fuerunt. Vulgariter ergo in Papatu functiones ſacras diſtribuunt in *ordines* & *dignitates*. *Ordines* vel

mi-

Digitized by Google

minores ſunt, ut Oſtiariorum, Acoluthorum, Lectorum & Exorciſtarum, qui per ſolam tonſuram conſtituuntur: vel *majores*, quibus annexus eſt cœlibatus, nempe Subdiaconorum, Diaconorum & Sacerdotum, horumque iterum vel ſecularium vel regularium. *Dignitates* ſunt Epiſcoporum, Metropolitanorum, Archiepiſcoporum, Patriarcharum, Cardinalium & Papæ.

XVII. Quæ inſana hierarchiæ moles non ab una parte laborat. Nam 1. Tota hæc ordinum & dignitatum ſeries in Scriptura non occurrit. 2. Eadem hæc ordinum colluvies, ad nullum alium uſum ſpectat, quam ad firmandum ſacerdotium miſſaticum. quod idololatricum eſſe ſcimus. 3. Ordines minores non conferuntur in exercitium; verum in præviam ſaltem diſpoſitionem, uti vocant, ad vanum & imaginarium illud ſacerdotium. 4. Characterem indelebilem huic ordinis ſacramento tribuunt, quem tamen qualis ſit, ignorant. 5. Ordinatos omnes, vi tonſuræ, civili juriſdictioni eximunt. 6. Irregularitates (ut eorum verbis utamur) multas fictitias comminiſcuntur; & ordinibus hiſce majoribus, a matrimonio, inſtitutione divina ſancito, obicem & impedimentum poni, ſtatuunt. 7. Denique, ſpeciatim Exorciſtarum ordinarium munus faciunt, quod extraordinarium eſt Spiritus ſancti chariſma. Quæ omnia verbo Dei non ſolum adverſantur, ſed & ſibi invicem; adeo ut univerſus hic apparatus & pompa, mole ſua protinus rueret, niſi vi doliſque humanis ſuſtineretur.

CAPUT XIII.

De Epiſcopis, Archiepiſcopis, Patriarchis & Cardinalibus.

Inter Dignitates Eccleſiaſticas primas tenent EPISCOPI: *quos jure divino*

I. Dictum eſt aliquid de *Ordinibus* Pontificiorum; percenſeamus nunc eorundem *Dignitates*. Inter quas primum ſibi locum vendicant *Epiſcopi*. De quibus anquiritur; num ex jure divino diſtincti ſint a Presbyteris. Cum enim Epiſcoporum nomen & origo in Scriptura inveniatur; non eſt quod in illis arguamus, præter abuſum rei & vocabuli, qui nunc eſt ſpe-

Digitized by Google

ſpectandus. Nos igitur contra Pontificios tenemus, eoſdem Presbyteros & Epiſcopos eſſe, perſuaſi his argumentis.

non eſſe diſtinctos a presbyteris oſtenditur.

II. 1. Act. 11:29,30. eleemoſynæ mittuntur ad Seniores in Judæa, ſeu Presbyteros, nulla Epiſcoporum mentione facta 2. Act. 14:23. creantur in Eccleſiis ſingulis presbyteri, de epiſcopo vero tacetur. 3. Act. 15:2. mittuntur Paulus & Barnabas ad Apoſtolos & Presbyteros Jeroſolymam. vide com. 6. nihil vero de Epiſcopo. conf. com. 22,23. 4. Act. 20:17. Arceſcuntur Presbyteri Epheſini; qui tamen com. 28. vocantur Epiſcopi, & quidem plures unius Eccleſiæ. 5. Eph. 4:11. enumerantur *Apoſtoli* &c. *Paſtores & Doctores;* non autem Epiſcopi ab his diſtincti. 6. Phil. 1:1. nominantur Epiſcopi & Diaconi unius urbis, omiſſis presbyteris, eodem ſenſu. 7. Nec aliter 1. Tim. 3:2,8. ab Epiſcopis tranſitur ad Diaconos.

III. 8. 1. Tim. 4:14. *Presbyterium* dicitur *impoſuiſſe manus* Timotheo; qui cum Pontificiis ſit Epiſcopus, inextricabilis hic ſuboritur difficultas; quando ſecundum leges hodiernas Pontificiorum, Presbyteri Epiſcopum creare nequeant. nemo enim ibi dare poteſt, quod non habet. 9. 1. Tim. 5:17. *Presbyteri in ſermone laborantes duplici honore digni* judicantur, ubi de Epiſcopo qui illis præcellentior, altum ſilentum. 10. Tit. 1:5. conſtituuntur oppidatim *Presbyteri*, qui com. 7. vocantur *Epiſcopi.* vide & com. 9. 11. 1. Pet. 5:1. 2. Petrus *συμπρεσβύτερος* alloquitur *πρεσβυτέρους*; quos com. 2. jubet *ἐπισκοπεῖν non coacte, ſed libenter.* id eſt, epiſcopum agere; idcirco illi duo erant iidem. 12. 2. Joh. 1. & 3. Joh. 1. Johannes ſe ipſum *presbyterum* vocat; qui etiam com. 9. Epiſt. 3 carpit *primatum ambientem inter illos Diotrephen: ὁ φιλοπρωτεύων αὐτῶν Διοτρεφὴς οὐκ ἐπιδέχεται ἡμᾶς.*

IV. Ab altera vero parte, ne deſint loca, quæ ad ſe trahant Pontificii, duo potiſſimum nobis objiciunt, & Epiſcopos Presbyteris majores eſſe inde probant; nempe quod 1. Tim. 5:19. dum dicitur, *adverſus presbyterum accuſationem ne admittito;* Timotheo tribuatur juriſdictio in presbyteros; & eidem, ut & Tito, *Presbyterorum conſtitutio* Tit. 1:5. Verum Timotheus & Titus non tam habendi ſunt pro Epiſcopis, quales hodie; quam pro ſui gradus & modi Apoſtolis; nimirum qui ab Apoſtolis ipſis miſſi erant ad prædicandum euangelium, & conſtituendas Eccleſias; quorum mentio fit Act. 19:22. Phil. 2:25. & 4:3. Hac ergo auctoritate presbyteros conſtituebant eoſque peccantes corrigebant. Tit. 1:5.

V. Nul-

Digitized by Google

Quale vero ex ordine humano inter Presbyteros & Epiſcopos diſcrimen invectum ſit: & quibus gradibus.

V. Nullum igitur Epiſcopos inter & Presbyteros diſcrimen in Scriptura apparet; uti nec apud antiquos: quod apertiſſime teſtantur, Hieronymus, Ambroſius, Chryſoſtomus, Auguſtinus, & recentiores alii plurimi. Si qua tamen forte fuerit inter hoſce prærogativa, ſummum nihil fuit, niſi primatus quidam ordinis inter presbyteros, ut primus concederetur locus presbytero, ſeu ætate, ſeu miniſterio primo; quemadmodum & Synagogæ Judæorum ſuos προεςῶτας ſeu præſides habebant.

VI. Exinde paulum mutata eſt primatus ratio; ſic ut qui antea illum ordine obtinebant, deinde electione primi conſtituerentur; quo deventum eſſe refert Ambroſius, ob reliquorum presbyterorum imperitiam: Hieronymus vero ad tollenda ſchimata factum eſſe teſtatur, ad Epiſt. ad Tit. 1. forte utrumque concurrit: quamvis remedium morbo pejus eſſet; hoc enim modo non obviam itum eſt ſchiſmatis, ſed fundamenta jacta ſunt Antichriſtianæ dominationis, uno presbytero ſupra cæteros evecto; unde tandem *ſtultus* ille *paſtor* natus eſt. Zach. 11: 15. Factum id jam altero, ut videtur, poſt Chriſtum ſæculo.

VII. Ne vero Epiſcopus fruſtra & ſolo nomine elatus eſſe videretur; poteſtas & cura Eccleſiæ, quæ ante penes omnes presbyteros ſteterat, illi ferme ſoli demandata; ſeu ab eo arrepta eſt. Præcipue ipſi peculiare factum eſt jus ordinationis presbyterorum, ad conſilium tamen eorum & ſocietatem, ut ſimul cum Epiſcopo, ordinarent etiam presbyteri, & in thronis ſederent; teſte Epiphanio. Quomodo & jus ordinationis in Scriptura etiam presbyteris tribuitur; ut vidimus ex 1. Tim. 4: 14. 2. Tim. 1: 6. Act. 13: 1, 2, 3.

Quid ergo de hodierno Epiſcopatu ſtatuendum ſit.

VIII. Epiſcopus itaque ſupra collegas ſuos evectus, iis præſtans; primo, ordine; deinde, electione; tertio, ordinandi jure & Eccleſiæ gubernandæ poteſtate, presbyteros oppreſſit: & quo poteſtatem ſuam fundaret & ſtabiliret, mutata etiam ſunt reliqua Eccleſiæ miniſteria, & introducti, Subdiaconi, Acolythi, Exorciſtæ, Lectores & Oſtiarii, quos ſupra enumeravimus: unde degeneravit Epiſcopatus, & peſſimæ tandem notæ factus eſt. Quocirca in hodierno Epiſcopatu tria diſcernenda ſunt. 1. Aliquid divini, quod habet qua Presbyter. 2. Aliquid humani, quod habet ex prærogatis humanis. 3. Aliquid tyrannici & Anti-Chriſtiani, quod illi deinceps acceſſit. Ita ut hodiernus Epiſcopatus cum primæva illius inſtitutione minus conveniat, & hactenus minus probandus ſit; quamvis pro vario populorum genio, humanus pædagogiæ alicujus

Digitized by Google

cujus uſus non ubique æque incommodus ſit, adeoque hac ratione inter ipſos retineri poſſit.

IX. Tria hæc hodierno Epiſcopatui ineſſe, undequaque claret. Sic Bellarminus & Pontificii omnes Epiſcopatum hodie conſiderant, non tanquam miniſterium, ſed tanquam poteſtatem regendi in ſpiritualibus, & proinde imperandi & puniendi: cum omnis Epiſcopus merus tantum ſit mandatarius, ſine ullo imperio vel dominio. Idem Bellarminus Epiſcopum Presbyteris majorem vult, tum *ordinis poteſtate*, tum *juriſdictione*: ſed cum ordine major non ſit; ordinis etiam poteſtate major eſſe non poteſt: omnis enim ordinis poteſtas, clavium eſt; quæ presbyteris omnibus pari modo data eſt. *De eo lis inter ipſos Pontificios.*

X. Plerunque vero volunt Pontificii, Presbyteros Epiſcopis inferiores eſſe, juriſdictione tum interna conſcientiæ, tum externa: per quam primam regitur populus in foro interiori conſcientiæ; per alteram, in foro exteriori. Sed contra hæc facit. 1. Quod Scholaſtici juriſdictionem interiorem omnibus ſacerdotibus immediate a Chriſto collatam, recte cenſeant. 2. Utraque hæc juriſdictio etiam ad poteſtatem clavium pertinet: eadem enim eſt poteſtas ſolvendi & ligandi, in foro pœnitentiali; quæ eſt in foro judiciali: & ridiculum fingere, conceſſam Sacerdotibus a Chriſto poteſtatem hanc privatim, in aure confitentis; non vero publice coram tota Eccleſia. Quicquid ergo ex jure divino habet Epiſcopus, idem habet & Presbyter.

XI. Similiter in Tridentino Concilio vexatum eſt acerrime; an Epiſcopatus juris divini ſit; quod ut dijudicaretur vehementiſſime urgebant Hiſpani, graviter tum Papæ imminentes: legatorum vero Papæ ſtudio declinata & cohibita res eſt. Speciatim præpoſitus generalis Jeſuitarum diſtinctionem fabricabatur, inter *jus divinum* & *ordinationem divinam*. Illa ex *jure divino* eſſe dicens, quæ non ſolum in genere; verum etiam in ſpecie a Deo ſunt: quæ vero in genere tantum a Deo ſunt; in ſpecie autem ab hominibus conſtituta, illa *ordinationis divinæ* eſſe volebat; & hujus divinæ ordinationis cenſebat eſſe Hierarchiam & inſtitutionem Epiſcoporum. Quod diſtinctionis commentum, rem omnem tum compoſuit; licet revera per eam res eodem redeat, & ex ea æque cogi poſſit, Epiſcopos qua paſtores a Deo eſſe; qua paſtores vero majores, ab hominibus & Papa. *& in Concilio Tridentino.*

XII. Et ſane juriſdictionem externam, quam nunc uſurpant Epiſcopi, ex hominibus tantum originem trahere, docet liquido hiſtoria *Eorum juriſdictio unde nata.*

 Eccle-

Eccleſiaſticæ: cum enim olim Chriſtiani, litium ſuarum judicium ad paſtores tanquam arbitros maxime deferrent, occaſione monitionis Pauli 1. Cor. 6: 1,4. mos hic perennavit non ſolum prioribus ſeculis, dum ſub cruce gemeret Eccleſia; verum etiam deinceps ab Imperatoribus prorogatus, quinimo auctus & ſollemniter ſtabilitus fuit. Imperio vero collapſo omnem porro juriſdictionem in Clerum, ſibi arrogarunt; etiam in Laicos, eo ferme prætextu; quod cauſa vel Eccleſiaſtica eſſet, vel Magiſtratus officio ſuo deeſſent. Poſt annum milleſimum eo impudentiæ proceſſerunt, ut jus hoc Imperatorum conniventia ſibi conceſſum, a Chriſto ad ſe profectum affirmare ſuſtinerent. Denique anno MCCC. univerſum illud Epiſcoporum jus Papæ aſſertum eſt, prætextu verborum Chriſti, Petro dictorum; *Paſce oves meas.* Cum tamen revera, quicquid unquam habuerunt juriſdictonis Epiſcopi, ex permiſſione principum acceperunt; ut nempe pœnis temporalibus Clericos diſciplinæ gratia coërcere poſſent; quod poſtea in immenſam tyrannidem extenderunt. Irrepſit etiam ſequioribus temporibus aliud vitium in Epiſcopatum; quando infantes non ſolum Epiſcopi ſunt ordinati, verum & titulares ſeu nomine tenus; cum olim Epiſcopus non foret ſine Eccleſia, ſicut non eſt maritus, ſine uxore: Epiſcopatu enim qui caret, Epiſcopus non eſt.

Epiſcoporum juriſdictio variè deinceps acciſa.

XIII. Sicut Clerum inferiorem oppreſſit Epiſcopus; ita viciſſim Epiſcopos alii. Nam 1. illorum juriſdictioni ſequioribus ſæculis maxime exempti Monachi 2. Libera etiam reddita & eadem juriſdictione ſoluta fuerunt Capitula plurima Eccleſiarum Cathedralium. 3. Multæ cauſæ, quæ ad illos ſpectabant, Romam pertractæ ſunt, per reſervationes, aliaſque formulas. Hac vero ratione Romanus Pontifex juriſdictionem eorum circumcidit, ſibique eos ſubjecit.

Iiſque ſuper impoſiti METROPOLITANI;

XIV. Non vero hic ſeſe ſtetit ſuccreſcens per hoſce gradus Hierarchia: verum ſicut antea ab Ariſtocratica, qua communi presbyterorum conſilio regebatur Eccleſia, mutata eſt in Epiſcopalem; ita & huic aliæ ſuperacceſſere formulæ. Cum enim primi Epiſcopi pares eſſent, & unum haberent Epiſcopatum, & a communi concilio Eccleſiæ ejuſdem provinciæ per Synodos regerentur; dein *Metropolitarum* Archiepiſcoporum nomina nata ſunt. Erat autem *Metropolitanus*, Epiſcopus iſtius urbis, quæ provinciæ erat caput ſeu metropolis; cujus officium erat, Synodos provinciales convocare, iiſque præſidere, & recens electos epiſcopos confirmare: ut primitus honore potius quam poteſtate reli-

quis

Digitized by Google

quis Epiſcopis major eſſet. Sicuti autem Epiſcopos, ita & Archiepiſcopos inique preſſit Papa, quibus varias juriſdictionis partes ſurripuit.

XV. Cum vero a Conſtantino plures provinciæ in unam diœceſin redigerentur; ſupra Metropolitanos conſtituti etiam ſunt ſuperiores *Patriarchæ*, ſeu primates, *Exarchi Diœceſium* dicti. Primus autem Patriarcha fuit Epiſcopus Alexandrinus, qui jam ante hoc nomine gaudebat; licet duntaxat, tanquam Epiſcopus Metropolitanus, reliquis Epiſcopis major eſſet. Cum vero poſterioribus temporibus plurimi legantur Patriarchæ; primitus tantum κατ' ἐξοχὴν datum eſt id jus tribus Epiſcopis, Romano nempe (licet ille iſt hoc titulo parum delectaretur; aliud affectans) Alexandrino & Antiocheno; quæ præcipuæ erant imperii præfecturæ, ſeu diœceſes. Acceſſerunt deinde alii duo, juxta politicæ dignitatis ordinem adſciti, Conſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus. Denique etiam minorum præfecturarum, Græce ἐπαρχίαι dictarum, Epiſcopi, Patriarchæ dicti ſunt. *& his* PATRIARCHÆ;

XVI. Sequentibus ſeculis aliud natum eſt dignitatis genus, quod a Sciptura prorſus alienum, & antiquitati vix cognitum, aut tenui ſaltem notitia, & vili fere nomine; cum maxime vero ſplendidiſſimum; *Cardinalium* nempe munus: illi enim Epiſcopis & Archiepiſcopis longe præminentes, olim tantum Presbyteri vel Diaconi ſeptem regionum, ſeu cardinum Eccleſiæ Romanæ erant. Ut ridicule nimis Pontificii, eos a cardinibus terræ denominatos velint. *recentioreſque.* CARDINALES.

XVII. Uſque ad decimum, imo duodecimum ſeculum, Cardinales hi Epiſcopis minores erant, donec tandem iis ſe etiam præpoſuerint; unde & Epiſcopatus iis ſunt dati: quare hodieque obtinet triplex Cardinalium Ordo, Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum. Quin & unus ſæpe pluribus fungitur Epiſcopatibus; ſed & regna gubernant, quæ Romæ nimirum protectioni & curæ eorum demandata ſunt; unde & bella gerunt & ordines ducunt: quodque olim toti Senatui, Clero & populo Romano conveniebat, Epiſcopum Romanum deligere; id labentibus annis, ſibi ſolis vendicarunt.

XVIII. Hæc ab ultima origine repetita, ſunt Hierarchiæ Eccleſiaſticæ incunabula & incrementum: quæ ingens moles ex tenuibus valde initiis excitata eſt, & paulatim in illam altitudinem & honoris culmen ſurrexit. Mittimus nunc reliquam functionum illius farraginem, ut Archidiaconatus, Suffraganeorum, Vicariatus, Decanatus: quæ una cum jam dictis Pontificiæ tyrannidi vel facilem viam pararunt, vel prom-

Digitized by Google

ptum præſtiterunt miniſterium. Iter nunc properamus ad ipſum Papam, omnium horum faſtigium & quaſi complementum.

LOCUS QUINQUAGESIMUS

DE

PAPA & ANTI-CHRISTO.

CAPUT XIV.

De PAPA, ejuſque provectione.

Hierarchiæ apex fuit PAPA.

I. DEerat adhuc Hierarchiæ, poſt tot ordines, ſibi invicem inſtar montium ſuperimpoſitos, culmen & faſtigium; niſi acceſſiſſet Papa, dignus huic operi colophon & apex; cujus monſtri hiſtoriam, nunc ab ipſa nativitate, per adoleſcentiam & maturam ætatem, ad hanc ſenectutem deducamus.

Qui quomodo Epiſcopi univerſalis titulum exambiverit.

II. Primitus ergo Patriarchæ cum Papa, quo nomine nobis nunc venit Romanus Epiſcopus, ejuſdem juris & auctoritatis erant; nullo, niſi ordinis tantum habito diſcrimine; ut Romanus primus, Conſtantinopolitanus ſecundus eſſet. Allaborarunt autem præcipue duo hi primarii Patriarchæ, & id operam dederunt, ut *univerſales* fierent *Epiſcopi;* quem titulum primus uſurpavit Johannes Epiſcopus Conſtantinopolitanus, eam ipſam ob cauſam a Gregorio Magno Antichriſti præcurſor dictus.

III. Quam ſceleſti tituli uſurpationem, quamvis tam acriter in alio argueret Gregorius, & multum diverſo nomine propterea ſe *Servum Servorum* dici vellet; ipſam tamen rem per occultos cuniculos variis modis ad ſe pertrahere nitebatur. Qua in contentione Romanus tandem prævaluit. Bonifacius III. enim, Gregorii ſucceſſor, continuis prenſationibus & ambitionibus, anno admodum 606. titulum hunc impetravit; adeoque Eccleſiarum omnium Orientis & Occidentis caput conſtitutus fuit: poſtquam enim adulationibus ferventem ſibi Phocæ gratiam conciliaſſent Gregorius & Bonifacius, a parricida illo facile, quod clam prius, demum aperte ambiebant, obtinuerunt. Et inde prærogativa

Digitized by Google

tiva hæc in Synodo Lateranenſi confirmata eſt. Univerſalis autem Epiſcopi nomen licet jam uſurparet Romanus, non tamen univerſali conſenſu id adeptus eſt, uti factum oportuerat; ſed objecerunt ſe magno conatu Orientales; unde perpetuum Orienti cum Occidente intercesſit certamen & ſchiſma; nec in ipſo quidem Occidente omnium calculos tulit: varii enim Epiſcopi reſtiterunt, ſed irrito molimine.

IV. Epiſcopis ſic omnibus ſupereminens Papa, & ſupremus orbis hierarchici dominator, *Imperatoris* etiam jugum ſenſim excuſſit. Benedictus enim ſecundus, ab Imperatore Conſtantino circa An. 684. exoravit remiſſionem confirmationis imperatoriæ, circa electionem Papæ; unde variæ deinceps turbæ exortæ. Nec flagrans cupido dominandi hic ceſſavit; quin ſecularem etiam poteſtatem & principatum appetierit. Quam acquiſivit etiam, primo, ut fertur, ab *Ariperto* Longobardorum rege; qui, ut maxima ſcelera elueret, Papæ *Johanni* VII. An 705. donavit *Alpes Cottias*: mox Anno 730. Gregorius II. Romam & univerſam Italiam ſubtraxit obedientiæ Leonis III. Ita ergo Papa urbis Romæ, regioniſque ſuburbicariæ, ſecularis etiam dominus factus eſt. Atque hac ratione, quod diu jam meditati erant, plane tandem ab Imperatoribus deſciverunt Papæ.

Inde Imperatoris jugo collum ſubduxerit:

V. Quo ſpecimine exhibito, non tantum ſe legibus Imperatoris exſolvit, ſed tanquam ſigno erecto, ipſis Principibus gravis imminuit. Quod auſpicatus eſt in *Hilderico* Francorum Rege, quem *Zacharias* Papa regno movit, Pipino, ejuſque poſteris Carolinis ipſi ſubſtitutis. Sic & Longobardorum regnum in Italia oppreſſit, & ad Francos tranſtulit, ad quos Occidentis etiam imperium devolviſſe viſus eſt Leo III. coronato *Carolo magno*; a quo fidelitatis juramentum accepit, quæ deceſſorum veſtigia poſteriores Papæ ſtrenuo preſſerunt. Donec præcipue Anno 1076. a *Gregorio* VII. anathemate percuſſus, & regno abdicatus Imperator *Henricus*, inſigne teſtimonium dedit toti mundo, ſupra omnem ſecularem poteſtatem, & *omnem dictum Deum aut quod* ut Deus *colitur*, ſe evehere Papam. 2. Theſſ. 2: 4.

mox poteſtatibus ſeculi gravis factus,

VI. Hinc omnibus modis ſupra Principes & Magiſtratus, nec uno nomine ſe extulit. 1. Quoad regnorum tranſlationem; quando *Leo* III. Imperium Conſtantinopolitanum Carolo donat: *Zacharias*, deturbato Hilderico, regnum Galliæ Pipino concedit: *Gregorius* V. Germaniæ Electores conſtituit: *Bonifacius* VIII. Carolo Valeſio Orientis imperium titulo tenus dedit: *Alexander* VI. Indiam Occidentalem

Supra quas non uno modo ſe extulit.

Fer-

Digitized by Google

Ferdinando Arragoni liberaliter largitus eſt. 2. Quoad fidelitatis ſacramentum; ut in verba eorum jurarent, Imperatores adegerunt; & jus coronationis, quaſi citra eam Imperator eſſe nequiret, ſibi attribuerunt. Unde *Innocentius* II. Lotharium Imperatorem vaſallum ſuum, ſeu hominem Papæ obnoxium, vocavit: & *Cæleſtinus* coronam de capite Henrici V. pedibus deturbavit.

VII. 3. Spectat huc, quod nomina ſua Imperatorum nominibus præponi voluerint; atque hoc cum non obſervaſſet Fredericus Barbaroſa Imperator, ſuccenſuit illi valde *Adrianus* IV. Quid quod & ad turpiſſimum miniſterium in cœna Papali adegerint Imperatores; & ſtapetem ſibi porrigere, quin & ejus vice fungi juſſerint, & ad pedum Papæ oſculum damnaverint; ad imitationem ſceleſtiſſimorum & tyrannicorum olim Imperatorum. 4. Denique, utrumque ſibi gladium arrogarunt, & univerſi orbis imperium, ſive palam & directe, ſive per ambages ad ſe pertinere arbitrati ſunt. Quamobrem & jura ſua Canonica, in opprobrium & vilipendium juris civilis & Cæſarei, cuderunt, & orbi obtruſerunt. Ita Papa Imperatoribus ſubjectus, eos ſibi ſubjecit; & qui ab illis olim conſtituebatur & confirmabatur, verſis rerum vicibus, nunc calculo ſuo, & quidem ante humiliter exoratus, eos approbat, & confirmat.

Populum quomodo oppreſſerit;

VIII. Non minori artificio & ſucceſſu reliqua etiam omnia ſibi ſubjecit & peſſum dedit; tum plebem, tum Doctores ejus, tum denique Eccleſiam univerſam. *Populum* barbararum gentium invaſionibus & inundationibus rudem ignarumque factum, in ignorantia illa fovit; & ſciendi deſiderium per fidem implicitam, aliaſque rationes vel ſufflaminavit, vel illi prorſus excuſſit. Porro Scripturæ infallibilem & indubium interpretem ſe fecit; eamque populo eripuit; traditionibus & verbo ἀγράφῳ ſubſtitutis; quin & mutis imaginibus docendi officio commiſſo, Baaliſmum in Eccleſiam invexit: tum cultus omnis ignota lingua peractus eſt; dominicæ Cœnæ altera pars populo ſurrepta; jus eligendi & conſtituendi paſtores alio tranſlatum, & Laicorum nomen plebi Chriſtianæ per contemptum impoſitum eſt. Acceſſit præterea jugum ciborum & dierum; innumeræ populi expilationes, variis prætextibus factæ; per ſatisfactiones, diſpenſationes, impetrationes, taxas pœnitentiarias, indulgentias, jubilæos & ſimiles exactiones; quibus colophonem impoſuit, futuræ pœnæ metum, ex fatuo purgatorii igne. Reſiſtentibus denique apertam etiam vim & perſecutiones acerrimas para-

Digitized by Google

paravit, quibus a *Gregorii* VII. tempore per ſecula ſequentia maxime graſſati ſunt. Atque ita myſterium illud iniquitatis, jam ab omni parte impleri & matureſcere incipiebat; dum eo jam redacta erat res; ac ſi ad Deum accedere, nec cœlo potiri, abſque ſacerdotibus parariis & proxenetis non liceret populo, cujus collo tam arcte jugum illud Papatus imminebat, ut vix ſuſpirare poſſet.

IX. A plebe ad *Doctores* & Paſtores tranſitum eſt; quos omnes in verba ſua jurare & mandatis ſuis obedientiam præſtare coëgit; quamvis licentiam aliquam & libertatis ſpeciem illis permitteret; ita tamen, ut ipſe omnium eſſet arbiter. Quos ſerios magis & graviores invenit, objecta offa, ad ſilentium redegit. Academias Epiſcopis exemtas, ſibi ſoli proxime obnoxias fecit; idemque illud multis etiam monachis & monaſteriis conceſſit; quod beneficii loco reputabatur, cum interea loci id unum egit, ut omnes eo arctius ſibi devinciret, ut licet inter ipſos ſæpe non bene conveniret, ſibi tamen omnes ſtrenue militarent.

& Doctores,

X. Injurius itaque cœpit eſſe in *Paſtores* & Sacerdotes, jus eorum arctando, per caſus ſibi reſervatos, & diſpenſationes ab ipſo ſolo concedendas. Nihil autem iniquius in Clerum & Paſtores attentari potuit, quam impurus ille cœlibatus, omnibus mera vi obtruſus.

nec non Paſtores;

XI. *Epiſcoporum* juriſdictionem accidit, Monachos & Academias, uti jam dictum, iis ſubtrahendo; Eccleſias etiam commendatariis committendo, qui ab omni Epiſcopi inſpectione liberi, ſolius Papæ examini & poteſtati ſubjecti erant. Cauſas etiam & judicia Epiſcoporum per reſervationes & appellationes ad ſe devolvit; multiſque aliis modis dominium in Epiſcopos exercuit.

ut & Epiſcopos,

XII. *Metropolitanis* etiam & Archiepiſcopis non pepercit; dum illos a ſeſe confirmari contendit, & Pallium Epiſcopale accipere voluit; quod non niſi cariſſimo pretio manibus ejus extorqueri debebat: quomodo & menſes Papales & Annatæ introductæ ſunt. Jus in Synodos Provinciales ad ſeſe traxit, & Suffraganeos Archiepiſcoporum juriſdictioni exemit. Omnes denique Eccleſiarum ſummas prærogativas, in miniſtros ſuos Datarios, Cancellarios, aliaque familiaria & domeſtica officia tranſtulit.

Metropolitanos,

XIII. Nec deerant hiſce omnibus prætextus & colores, etiam non ſine ſplendore aliquo. Urbis ipſius magnitudo omnes percellebat, & tantam illi dignitatem ſponte præbere videbatur: divitiis ſuis ingentibus, egenis Epiſcopis; & potentia ſua, oppreſſis ſuccurrere, ſibique devincire

Digitized by Google

poterat; prætexta Petri ſucceſſio, ipſiuſque Petri primatu, omnium oculos offuſcabat: primorum presbyterorum & Epiſcoporum Romanorum probitas & eruditio, magnam ipſi auctoritatem conciliaverat; ut & longa ſedis Romanæ orthodoxia, circa præcipua fidei capita, quæ in Oriente detorta erant; unde nomine illius libenter utebatur; illudque præ ſe ferebat totus Occidens. Ignorantia etiam & ignavia aliorum Epiſcoporum fecit, ut primo ſibi obnoxios redderet, dein & ſubjiceret. Prudentiores & ſagaciores, aut vi reprimebantur aut honoris ſpecie ipſi conciliabantur; quando, tanquam vicarii & legati Papæ illa agebant, quæ ipſi, ex jure ſuo agere debuiſſent.

& denique ipſa Concilia. XIV. Illud unum denique reſtabat, ut tota etiam Eccleſia, per *Concilium* generale ibi repræſentata, ipſi tandem ſubjiceretur: quod variis artibus tentatum, ſucceſſit demum ultimis temporibus, contra fas & æquum, & omnem antiquitatis experientiam. Nam cum olim concilia œcumenica ex ſolo imperio Romano convocarentur; Romani Pontificis poteſtas extra illud non fuiſſet extenſa, etiamſi vel illis conciliis major fuiſſet. Verum nec ulla ipſi auctoritas in concilia unquam conceſſa fuit; quin denegarunt ipſi eam Patres Chalcedonenſes; ut a veritate omnino alienum ſit, quod de hoc concilio prædicarunt Gregorius Magnus, aliique Pontificii. Chalcedonenſi concilio eadem in ſententia præiverat concilium Conſtantinopolitanum; quod utriuſque decretum ſecutum eſt concilium ſextum. Recentioribus temporibus, Concilium Piſanum ſine Pontifice congregatum fuit, imo duos Pontifices abdicavit, & Alexandrum V. elegit. Concilium Conſtantienſe, in quo mille Patres, diſerte ſancivit, concilium ſupra Papam eſſe: cujus concilii legitimam auctoritatem agnoverunt Papæ, Johannes XXIII. Gregorius XII. & Martinus V. & cujus decretum de calice Laicis neganda, Tridentinum concilium approbavit. In Concilio Baſileenſi definitum eſt, Papam concilio inferiorem eſſe; quod tamen confirmatum eſt a Papa Eugenio. Ut hactenus Papa Conciliis major non appareat.

XV. Primum ergo, infinitus hic Papæ primatus ſtabilitus eſt a Leone X. in Concilio Lateranenſi, paulo ante exortum Lutherum; quod concilium paucorum duntaxat erat Epiſcoporum, eorumque Papæ addictorum; qui tamen priorum conciliorum decreta abrogare conati ſunt: tam parum vero facinus illud ſuum probare potuerunt; ut a præcipuis Academiis, nominatim Pariſienſi, non fuerit agnitum hoc concilium. Quare nec in Tridentino concilio quæſtionem hanc patribus

com-

Digitized by Google

committere auſi ſunt Paulus III. & Pius V. ſed omni modo caverunt, ne de auctoritate Pontificis quæſtio inſtitueretur. Hinc etiamnum a conciliis ſibi metuit Papa, eorumque coactioni intercedit.

XVI. Licet vero nondum univerſo cum aſſenſu, voti compos ſit factus Papa, tantos tamen, per has molitiones fecit progreſſus; ut quæ ſententia, tempore concilii Baſilienſis, teſte Ænea Sylvio, nova eſſet; jam Bellarmini tempore fere communis ſit facta; & conciliorum convocationem, ad ſe pertraxerit: conciliiſque præſidendi, eaque confirmandi auctoritatem uſurpaverit: quo factum eſt, ut non ſolum ab ipſo concilia dependeant, ſed & ſine eo concilium non ſit, quin & per eum, cum ſolus errare nequeat, nullo concilio opus ſit.

XVII. Quibus fundamentis innixa eſt illa extremæ blaſphemiæ vox, quam eructavit *Bonifacius* VIII. Omni creaturæ de neceſſitate ſalutis eſſe, ut Romano Pontifici ſubſit. Quo ipſo univerſam Eccleſiam ſibi omnimodo ſubjecit. Huc etiam pertinet blaſphema illa, quam ſibi arrogat, in fidei rebus, infallibilitas: quod proprium Apoſtolorum privilegium fuit; illamque nunc ſibi tribuere certiſſima eſt Anti-Chriſti nota, & verum illud *blaſphemiæ nomen*. Apoc. 17: 3.

Quo pertinet prætenſa ipſius infallibilitas.

XVIII. Hac vero infallibilitate opus nequaquam eſſe, res ipſa evincit; ſatis enim eſt infallibilis fidei norma, quam nobis exhibet S. Scriptura; non inſuper requiritur, ut miniſtri, ex illa judicantes, in omni judicio ſint infallibiles & errare neſcii: quod & œconomiæ illi, quam Deus inter homines obſervat, & quæ rebus humanis optime convenit, maxime repugnaret: & ſi Deus tales miniſtros hominibus indulſerit, ſupervacua erit hæc norma.

Quæ refutatur.

XIX. Tum præcipue contrarium hujus rei clamat omnium ſæculorum experientia; tam ſub Veteri, quam Novo Teſt. Errarunt enim olim Pontifices, *Aaron*. Exod. 32. *Urias*. 1. Reg. 16. *Cajaphas*. Joh. 11: 50. Matth. 26: 65, 66. Imo etiam multi Pontifices Romani, ut Marcellinus, Liberius, Honorius, ſpeciatim Johannes XXII. Tum quoque Gregorius ſeptimus & Bonifacius, aliique, quos vel Pontificum numero expungas oportet; vel errorum & ſcelerum omnium voragines, & propudia humani generis, Papas quoſdam fuiſſe fatearis. Præterea necdum liquet, penes quos infallibilitatis hujus ſit ſedes penes Papamne, an concilium Hoc totum infallibile eſſe nequit, cum nulla ejus pars ſit infallibilis: & ſi vel ſpeciali Sp. ſancti privilegio illud cœtui illi cautum eſſet, nunquam tamen conſtat, an legitime congregatum ſit conci-

 lium,

lium: ſicut nec de illo unquam indubitate conſtare potuit, an verus ſit Pontifex; adeoque ejus infallibilitati nullius fides inniti poteſt, aut in eam reſolvi.

XX. Regerunt hiſce Pontificii, I. Largientes nobis, Pontificem cum concilio generali errare poſſe, in controverſiis facti, non vero juris. At nos reſpondemus; ergo & in jure, cum jus ſæpe ex facto judicandum ſit; quinimo errare ſic poterit circa totam ferme Theologiam, quæ maxima ex parte hiſtorica eſt. II. Largiuntur etiam, poſſe errare Pontificem in quæſtione juris, ut doctorem privatum, non vero ut Papam. Verum urgemus; ergo & ut Papa, cum ille etiam privatim docere teneatur. 2. Poſſet ſic eſſe hæreticus, qui privatim falſa doceat. 3. Non gaudebit tum prærogativa Apoſtolica, qui nec privatim docentes, falli poterant. 4. Et vanum eſt illud disjungere, ut aliquis qua Papa ſit orthodoxus, & qua homo hæreticus; quod tantum in cerebro pingi poteſt.

XXI. III. Fatentur item, Papam errare poſſe in moribus, non autem in fide. At non inſtamus item; qui errare poteſt in moribus, poteſt fallere & mentiri, hoc enim ad mores ſpectat, adeoque decipere populum. Nec etiam plus hac ratione Papæ tribuitur, quam Diabolo. Sed majus robur cauſæ ſuæ afferre videntur ex S. Scriptura, quando magno conatu objiciunt Luc. 22: 32. ubi Petro Chriſtus dicit: *Ego oravi pro te, ne fides tua deficiat;* ubi tantum promittit Chriſtus conſtantiam in fide interiori; quæ licet hic ſpeciatim Petro in memoriam revocetur, omnibus tamen fidelibus communis eſt; ut nihil hinc pro Papæ infallibilitate poſſit confici.

XXII. Verum ab ipſis cauſæ hujus propugnatoribus ſubruitur totum hoc negotium. Ita cum Bellarminus non ſolum Pontificem Romanum in fide non poſſe errare contendat; ſed & ab Eccleſia Romana particulari, etiam perſonalem errorem procul removeat, ut tota illa Eccleſia non poſſit fieri Apoſtatica; eo ipſo plus tribuit illi Eccleſiæ quam Papæ; qui tantum judicialiter, ut loquuntur, non vero perſonaliter errare poſſe negatur. Præterea ſuo ſe indicio prodit pudendum hoc infallibilitatis commentum, dum tam variis limitationibus tam anxie definitur, & tot ſententiarum divortiis, in diverſa prorſus abeuntibus, defenditur; uti apud Bellarminum alioſque videre eſt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XV.

De Regimine Eccleſiæ Monarchico.

I. VIdimus eluctantem tenuibus initiis, & ſenſim per aliquot ſeculorum orbes emergentem, tandem in illud culmen elatum Papam; quo vero jure, quave injuria, id nunc videndum nobis reſtat: quod omne tribus hiſce capitibus abſolvemus. I. An regimen Eccleſiæ *Monarchicum*, quod ipſe uſurpat, juris divini ſit. II. An illud *Petro* præ reliquis Apoſtolis commiſſum ſit. III. An Petro *Papa* ſucceſſerit, & prærogativæ ejus in illum devolutæ ſint. *Regimen Eccleſiæ* MONARCHICUM *an juris divini ſit.*

II. Quod ad primam quæſtionem attinet, de qua nunc agendum; certo certius eſt, nullum aliud in Eccleſiam introduci poſſe regimen, quam quale ipſe Chriſtus conſtituit. Sicut enim graviſſime peccavit Iſraël, & non ſine contumelia in Deum peregrinam regiminis formam petiit. 1. Sam. 8. Ita non ſine graviſſima in Chriſtum injuria, novum & alienum regiminis genus Eccleſiæ, Novi præſertim Teſt., obtruderetur. Cujus peccati reos ſe manifeſte faciunt Pontificii, iiſdem ferme argumentis perſuaſi, quibus carnalis olim Iſraël: ut eundem in utroque ſpiritum agnoſcas: & quemadmodum, quæ ibi, ſub ſenioribus & judicibus fuerat *Theocratia*, Jud. 8:23. 1. Sam. 8:7. per reges immutata eſt; quamvis iterum promiſſa Eſai. 1:26. *Et reſtituam judices tuos ſicut in principio, & conſiliarios tuos ſicut in initio*: & præſtita ſub Novo Teſt. ita & hic, loco regni cœlorum & divinæ illius œconomiæ, quam Chriſtus per paſtores & miniſtros inſtituit, revocatum eſt regnum mundi, quando Papa regnare incepit.

III. Regimen hoc Monarchicum tam neceſſarium habent Pontificii, ut in eo ſummam rei Chriſtianæ collocent. Quod tamen noluerunt olim, nec permittunt etiamnum, qui Eccleſiam Papa ſuperiorem agnoſcunt, ut ſine eo integra eſſe queat Eccleſia; quem in finem ſtatum quidem Eccleſiæ Monarchicum eſſe cenſent, regimen vero ejus Ariſtocraticum, ita ut poteſtas tantum miniſterialis & executiva, penes Papam ſit. Dominatus ille Monarchicus Papæ aſſertus tamen eſt in concilio Lateranenſi, ſub Leone X. Anno 1516. quamvis totum negotium valde in ambiguo ſit; tum propter controverſias, uti jam vidi- *Ut cenſent fere Pontificii.*

mus, de re ipſa; tum ſpeciatim de hoc etiam concilio.

Contrarium vero oſtenditur.

IV. Nos quod ſpectat; internum Eccleſiæ regimen *monarchicum* eſſe fatemur libenter, & contendimus, propter *caput* ejus *Chriſtum*. Eph. 4: 15, 16. Col. 2: 19. externum vero ejus regimen *democraticum* item non eſſe contra fanaticos facile agnoſcimus; cum tot in eo obtineant chariſmata & miniſteria, de quibus videre eſt 1. Cor. 12: 28. Eph. 4: 11, 12. ſed illud, ut *ariſtocraticum* in Scriptura deſcribi, cum per Seniores & Paſtores adminiſtretur, pertendimus; ita tamen, ut potius miniſterium, quam regimen ſit. Speciatim vero nullum, præpter jam dictum, certum regiminis Eccleſiaſtici ſchema, in Scriptura extat, aut exhibetur, præter certam & generalem hanc amuſſim 1. Cor. 14: 40. *Πάντα εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω.*

V. Aliam igitur, præter ſpiritualem unius Chriſti, monarchiam Eccleſiæ ſuperinduere, tyrannicum non modo eſt, ſed & Antichriſtianum, & Scripturæ omnimodo contrarium; quæ Chriſtum caput noſtrum affirmat, nec alterius meminit, niſi quod ad mundanum aliquod regnum pertineat, hypocritarum cervicibus imponendum, & cum Eccleſia conflictaturum; quod Beſtiæ, Anti-Chriſti, aliiſque nominibus venit. Nec ulla vel levia hujus hierarchiæ veſtigia apparent in Scriptura; cum tamen, ſi res, ut illi volunt, comparata eſſet, non minori ſane cura, ac ſub Veteri Teſt. Pontifex erat deſcriptus, ſub Novo Teſtamento, Papa hic, cum omnibus quæ ad eum ſpectant, conſtitui, & diligenter depingi debuerat. Imo vero, non patitur tale regnum, ſtatus Eccleſiæ Novi Teſt. utpote ubi ſolus *audiendus* eſt *filius* Luc. 9: 35. & in qua nullus nunc ſit, qui ſe *magiſtrum* vocare poſſit. Matth. 23: 8. non enim *Angelis ſubjecta eſt hac Eccleſia.* Hebr. 2: 5. nedum hominibus & *Patribus carnis*, Hebr. 12: 9. aut certæ cathedræ & congregationi eorum; multo minus uni alicui Epiſcopo, tanquam infallibili ejus doctori.

Adverſariorum pro monarchico Eccleſiæ regimine objectiones.

VI. Præcipuum vero eſt ut occurramus adverſariorum objectionibus, quas fabricati ſunt non paucas. 1. Igitur regiminis illius ſplendore nos percellere conantur; quod omnium optimum & præſtantiſſimum eſſe prædicant. Sed non tam facile oculos nobis perſtringi patimur; cum in rebus hiſce non ita generatim definiri poſſit, quid ſit optimum. Verum, ſi vel optimum illud eſſet, non idcirco univerſus orbis ita regi poſſet, quod ſicuti nunquam factum, ita nec unquam fiet. Præterea, alia prorſus eſt ratio Eccleſiæ, alia Politiæ; nec inter has duas ullus eſt nexus; nam in Eccleſia miniſterium tantum eſt. *Sic nos exiſtimet homo*, *ut*

Digitized by Google

ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. 1. Cor. 4: 1. nec in illa locum habet ulla vis, aut violentum regimen; nec tam æqualiter conſpicua eſt univerſalis Eccleſiæ unio & ſocietas, ut ab uno capite regi queat.

VII. 2. Monarchiam hanc eliciunt ex ſimilitudine, quam habet, cum Eccleſia Angelorum, ad quam etiam exigendam volunt: ſed irrito conamine; nam de Angelorum hierarchia nihil certi; de monarchia vero eorum nihil veri perhibetur: nec Angelorum rempublicam nobis deſcribere voluit Deus, multo minus ut normam proponere; cum nec eadem Angelorum & hominum ſit ratio; in illis enim nullus poteſtatis ſuæ metuendus eſt abuſus; ſicut in hiſce. 3. Nec conſtat ſimilitudo, inter Eccleſiæ & humani corporis conſpicuum & viſibile caput, cum in corpore noſtro etiam duo ſint pedes & aures &c. quas, ſi literam urgere velint, ut eo etiam modo in Eccleſia oſtendant, neceſſe erit. Tum quoque ex illa ſimilitudine non conſequitur monarchia, cum & in ariſtocratia caput ſit. Accedit, quod caput illud ſit Chriſtus, qui unicus Eccleſiæ Rex, Ezech. 37: 22. *Et rex unus erit univerſis ipſis in regem*: & Paſtor, Joh. 10: 16. *Et erit unus grex, unus Paſtor.* ita & unicum Eccleſiæ eſt *caput.* Eph. 4: 15. Col. 2: 19. 4. Urgent alias etiam ſimilitudines, ut unum eſſe in exercitu imperatorem, in domo dominum & œconomum; atque hiſce aſſimulari Eccleſiam: cujus quidem argumenti vim ſicut facile agnoſcimus quatenus per id efficitur, imperatorem & dominum Eccleſiæ ſolum eſſe Chriſtum; ita in ipſos haud difficulter retorquemus; ut, ſicut idem rex variis exercitibus, varios deligit imperatores; & in magna domo plures ſunt œconomi; ſic inde pateat, variis Eccleſiis, varios etiam præeſſe Paſtores, directores & œconomos. 1. Cor. 4: 1, 2.

VIII. 5. Propius aliquanto rem tangere videntur, cum in Pontifice Veteris Teſt. qui totius mundi ſynagogas gubernabat, præfiguratum eſſe regimen Novi Teſt. oggerunt. At reſpondemus 1. Licet varia in V. Teſt. acciderint, quæ futuros ſtatus Eccleſiæ, etiam in N. Teſt. delineaverint; non tamen Eccleſia Vet. Teſt. in omnibus figura fuit Novi, cum eadem ſit Eccleſia: nec, ſi vel hoc daretur, ullus foret nexus inter Pontificem Veteris & regimen Novi Teſt. cum & in aliis Pontifex a miniſtris N. T. diſcrepet. 2. Alia longe eſt ratio univerſi orbis, alia unius populi. 3. Nec Pontifex fuit figura Papæ, ſed Chriſti, & quidem quoad munus ejus, non regium, ſed ſacerdotale. 4. Pontifex non fuit monarcha,

Digitized by Google

narcha, ſuberat enim concilio magno. Adde quod nulla ſit neceſſitas argumenti, ab illis temporibus ad Novum Teſt.

IX. 6. Pergunt; Chriſtum dum in terra degeret, viſibile fuiſſe Eccleſiæ caput; ergo etiamnum tale eſſe oportet. Quod dum magna contentione urgent, non vident ſe intricatos magnæ difficultati; nimirum cum Eccleſia Chriſtiana demum ceperit poſt aſcenſionem Chriſti, & hactenus Eccleſia Judaica obtinuerit, toto tempore vitæ Chriſti, duo fuiſſe viſibilia Eccleſiæ capita neceſſe eſt, Chriſtum & Pontificem Judaicum. Sed Chriſtus, verum & unum illud caput, dum hic egit, non conſpicuum majeſtate & gloria monarcham, ſed contemptum præ vilitate ſervum ſe geſſit.

X. Urgent 7. non poſſe Eccleſiam cæteroquin propagari, niſi univerſalis ſit Epiſcopus, qui totius orbis curam gerat. Sed liberant illos hac ſollicitudine Apoſtoli, qui tales Epiſcopi non fuerunt, & Eccleſiam tamen tam longe lateque propagarunt: propagari poteſt Euangelium a quovis Chriſtiano & miniſtro, quoties occaſio datur illud prædicandi inter infideles. Inſtant autem, neminem prædicare poſſe niſi mittatur. Rom. 10: 15. quod verum eſt, a Deo nimirum, non ab hominibus. *Supplicate ergo domino meſſis, ut emittat operarios in meſſem ſuam.* Matth. 9: 38. & miſſio illa propric ſpectabat ad Apoſtolos; qui mitti non poterant, niſi a Chriſto capite Eccleſiæ; aliis vero ordinariis miniſtris vocandis non deſunt plurimi, etiam abſque vicario.

XI. 8. Ultimum eorum telum reſtat hebetandum. Summo hoc judice opus eſſe clamant, ut concordia haberi & diſſenſus tolli queant. At, quis illos docuit diſſenſus omnes tollendos eſſe, & nullas circa fidem futuras eſſe contentiones? deinde, ſublatane ſunt inter Pontificios certamina ab hoc judice? cum acerrima, etiam circa ipſum hunc judicem, ardeant & ab illis gerantur. Verum nihil impedit, quin ſub multis etiam rectoribus, unitas ſervari poſſit, ut in ariſtocratica regiminis forma claret.

Digitized by Google

CAPUT XVI.

De monarchia & vicariatu Chriſti Petro Apoſtolo commiſſis.

I. EMinus quaſi hactenus congreſſi ſumus: propius nunc accedendum & pugnandum cominus eſt; quamvis ſi quis rem recte putet, pugna hac facile ſuperſedere liceret: cum enim & Scripturæ & rationi & hiſtoriæ adverſari hanc monarchiam viderimus; quo colore nihilominus eam Petro collatam eſſe, audeat quis contendere? Cum tamen multum præſidii in hac hiſtoria ſibi ſitum putent adverſarii, hunc etiam prætextum illis ſurripiamus; & videamus an tale regimen monarchicum commiſſum ſit Petro Apoſtolo, tanquam unico Chriſti Vicario. *An detur* VICARIUS *Chriſti.*

II. Nihil autem magis abſonum eſt, quam Chriſto vicarium dari, cum regno ſuo non abſit, ejuſque negotiis præeſſe ſimul & poſſit & velit, illudque intus Spiritu ſuo regat & foveat; ſicut Deus in regno naturæ aliquo, qui vicariam illi operam præſtet, non eget. Nec corporea Chriſti præſentia opus eſt, cum ſpirituali & interna præſentia omnia præſtet; ſecundum diſertam ejus promiſſionem Matth. 28:20. *Ecce, ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi.* Quare & in illo ſolo uni ſumus, non in quodam ejus vicario. Eph. 4:3-6. *Studentes ſervare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Unum corpus & unus Spiritus --- Unus Dominus, una fides, unum baptiſma. Unus Deus & Pater omnium.* huc etiam pertinet elogium *ſponſi Eccleſiæ*, Chriſto tributum, quod omnem vicarium excludit. Præterquam vero, quod Papa ſe vicarium Petri interdum appellans, vicarius Chriſti eſſe nequeat. Quod autem hic recoquunt; quandoquidem Chriſtus in terris degens, viſibilis fuit Eccleſiæ rector, eo etiamnum opus eſſe, illi præcedenti cap. ſatisfactum eſt; nam cum Chriſtus ſe ſubmiſerit ordini Judaico, liquido teſtatus eſt, nec ſe viſibilem & conſpicuum eſſe monarcham, nec Pontificem vicarium ſuum, cum nullus monarcha ſuo ſe ſubjiciat vicario. Porro, cum Pontificii velint Chriſto Petrum & deinceps Papam ſucceſſiſſe; an non eo ipſo Chriſtum regno & munere ſuo plane abdicant? *Quod negatur & refutatur.*

Aaaa III. Vi-

Digitized by Google

Qualis fuerit primatus PETRI.

III. Vicarius igitur Chriſto, ſiquidem dari non potuerit, Petrus etiam datus non fuit; de quo, ut & de primatu ejus, acturi, notamus 1 Non omnem primatum eſſe imperii, cum & *primatus* quidam ſit *ordinis*. Sic *primus* appellatur inter Apoſtolos Petrus. Matth. 10:2. 2. Eſt etiam *primatus auctoritatis*; non quoad juriſdictionem, ſed exiſtimationem; quem ſibi conciliarat Gamaliel. Act. 5:34. Hic primatus Petro quoque convenit, quamvis cum illo etiam aliis. ut Paulo 2 Cor. 11:5. *Puto enim me nihilo inferiorem fuiſſe ſummis Apoſtolis.* & 2 Cor. 12:11. Jacobo ac Johanni. Gal. 2:9. 3. Datur & *primatus honoris*, ex præcedentibus conflatus; nec hic Petro denegandus eſt, qui hoc reſpectu antiquis dicitur Apoſtolorum *princeps*, id eſt primus vel præcipuus; & Apoſtolorum *coryphaus*, & *vertex* Apoſtolici ordinis.

Fictitius illius Primatus evertitur, tum in genere;

IV. Ex quibus liquet, omnem Petri primatum huc redire. 1. quod primo loco recenſeatur, & *primus* vocetur, jure πρωτοκλησίας. Matth. 10:2. Marc. 3:13, 14, 15, 16. Luc. 6:13, 14. quamvis interdum etiam alio loco compareat. 2. quod Apoſtolorum fuerit προήγορος, ſeu qui verba faceret & advocatus quaſi; quæ prærogativa fervori ejus, præter alia, ab antiquis adſcribitur. 3. quod ſollenniter primum jecerit lapidem in fundamento Eccleſiæ, inter Judæos. Act. 2:41. & gentes c. 10:44.

V. Quicquid præterea a Pontificiis Petro tribuitur, ſpurium eſt & falſum; quod patet, tum generatim, quia pares erant omnes Apoſtoli; tum ſpeciatim, quia Petro nihil peculiare præ reliquis tribuitur. Apoſtolos omnes pares fuiſſe, liquet: utpote qui pariter *in regeneratione ſeſſuri erant ſuper duodecim thronis*, Matth. 19:28. pariter ad *docendum* miſſi. Matth. 28:19, 20. Marc. 16:15. pariter a Chriſto *miſſi*, cum *poteſtate pecata remittendi aut retinendi*. Joh. 20:21, 23. quorum *nomina duodecim fundamentis* novæ Hieroſolymæ pariter *inſcripta* ſunt. Apoc. 21:14. unde fieri nequit, ut unus aliquis inſtar monarchæ iis præpoſitus fuerit. Excipit Bellarminus, ſummam poteſtatem omnes habuiſſe, tanquam legatos; Petrum vero tanquam paſtorem ordinarium, deinde & ita ſummam, ut nihilominus dependerent a Petro tanquam capite. Quod poſterius ſe ipſum tollit, ut quis & ſummam & tamen alicui obnoxiam habeat poteſtatem. Priori vero ratione deprimitur Petrus infra reliquos: miniſterium quippe extraordinarium majora habuit dona, quam ordinarium: tum ſi ille ordinarius, quid opus reliquis extraordinariis?

ſublatis adverſariorum exceptionibus;

VI. Subterfugit porro Bellarminus hoc modo; ordinarium fuiſſe Petrum,

Digitized by Google

Petrum, quia in illius locum alii ſuccedere debeant, non vero in aliorum loca, qui hoc reſpectu delegati tantum erant. Atqui ſic omnis prærogativa Petri in eo tantum conſiſtet, quod illi ſoli ſucceſſor futurus ſit; qua ut frueretur, ante moriendum ipſi fuit, & faciendus locus; vivo enim & videnti illius nullus erat uſus. Præterquam, quod nec in illius, nec in ullius Apoſtoli locum quiſquam ſucceſſerit. Urget Bellarminus, Petrus principatum tenuit; quod vel falſum, vel nihil huc facit; ſi nempe principatus ille cum Apoſtolatu idem ſit: ſin; poteſtas dabitur Apoſtolica major; quæ tamen ſumma eſt.

VII. Stapletonus triplex ſtatuit inter Apoſtolos diſcrimen. 1. Quod cæteri Petro inferiores ſint, reſpectu epiſcopalis & extraordinariæ poteſtatis. Contra quod facit, quod Apoſtoli proprie unius alicujus civitatis Epiſcopi non fuerint. 2. Quod Apoſtolorum auctoritas æqualis ſit, reſpectu reliquorum Chriſtianorum, non vero reſpectu eorum ad ſe invicem; cum Petrus reliquorum eſſet caput: quod plane negamus. Nec etiam omne caput, dicit monarchiam. 3. Quod Petro fuerit data *poteſtas regiminis*, id eſt, præceptiva; Apoſtolis vero *gubernationis*, id eſt, executiva. Quod æque abſurdum foret, ac ſi Petrus diceretur Rex, qui imperaret; Apoſtoli vero ſubjecti, qui imperata exequerentur: cumque ſucceſſores Petri, ex illorum ſententia, eandem habeant poteſtatem, majores illi fuiſſent, & imperare potuiſſent Johanni, reliquiſque Apoſtolis, Petro ſuperſtitibus.

VIII. Aſſerta itaque eſt Apoſtolorum paritas. Speciatim vero Petro talem poteſtatem nec convenire, nec datam eſſe, apparet ex toto Nov. Teſt. Nam. I. non alio munere, nimirum *piſcatorum hominum*, Chriſtus eum, ac reliquos dignatus eſt. Matth. 4: 18, 19. Joh. 1: 39--41. II. Pariter inter *duodecim Apoſtolos miſſus* & *Sp. Sancto* ornatus eſt. Matt. 10: 2--5. Joh. 20: 21, 22. III. Omnes inde erant ὁμόθρονοι. Matth. 19: 28. & *fundamenta* Eccleſiæ. Eph. 2: 20. Apoc. 21: 14. IV. Apoſtolicus gradus erat ſummus; utpote qui *primo* loco recenſetur 1 Cor. 12: 28. Eph. 4: 11. *tum in ſpecie; ex Euangeliis,*

IX. V Matth. 20. & Lucæ 22. altercantur Apoſtoli de primatu: nulla vero Petri ibi agnoſcitur prærogativa, ſed omnes pariter à Chriſto increpantur, & ad humilitatem admonentur, iis verbis, quibus omnis monarchiæ & primatus affectatio ex cordibus evellitur. Quare contra hæc verba argutantur adverſarii: I. κατακυριεύειν Matth. 20: 25. notare dominatum tyrannicum, atque illum tantum vetari a Chriſto. Verum latior eſt hujus vocis ſignificatus: alioquin

quin enim efficeretur, reges omnes gentilium eſſe tyrannos; cum Chriſtus dicat Luc. 22:25. *Reges gentium* κυριεύουσιν *dominantur eis.*

X. 2. Cavillantur; Chriſtum cum dicit, *Vos autem non ſic*, non omnem monarchatum ab Eccleſia amandare, ſed talem tantum, qualis eſt civilis. Reſpondemus vero. 1. Chriſtum non de modo & forma dominii diſputare, ſed de ipſa re, de qua contendebant Apoſtoli; cæteroquin eadem hæſiſſet quæſtio, de modo dominii conceſſo aut prohibito. 2. Papæ dominatus tam civilis eſt, quam Eccleſiaſticus. 3. Particulæ οὐχ οὕτως totam rem ſine ulla cautione negant: ut patet ex Pſal. 147: 19, 20. *Annuncians ſua verba Jacobo: ſtatuta ſua & judicia ſua Iſraeli. Non fecit ſic omni genti* Matth. 19:8. *Ab initio autem non fuit ſic.* 3. Pergunt captare verba Chriſti; & ex illis, quod quærunt pulchre ſibi extorquere videntur; cum dicunt, Chriſtum agnoſcere, eſſe aliquem inter eos, qui ſit ὁ μείζων, & ὁ ἡγούμενος. Luc. 22:26. *Sed qui maximus eſt inter vos* &c. Sed diſpellit hanc argutiam Matthæus, quando explicat quis ſit ὁ μείζων, non qui revera major ſit, ſed *qui volet eſſe major*; ut malam ambitionem eorum in honeſtam & laude dignam vertere voluerit Chriſtus. Tum quoque non idem ἡγούμενος, qui ἡγεμὼν & ἄρχων: illud nomen etiam miniſtris Eccleſiæ datur. Act. 15: 22. Hebr. 13: 16, 17. hoc ducibus belli adſcribitur.

XI. VI. Pergimus ſtatuminare ſententiam noſtram ex loco Matth. 18: 17. ubi diſcipulis omnibus edicit Chriſtus, *Dic Eccleſiæ.* eorum vero unus erat Petrus; ergo & Petrus etiam Eccleſiæ ſe ſubjicere debuit. VII. Nec in Apoſtolorum commentariis & actibus quicquam occurrit, quod primatui Petri faveat. Act. 1: 15. Primus quidem præ zelo *ſurgit* Petrus, ſed deſignationem Apoſtoli, ut & Act. 6. electionem Diaconi Eccleſiæ totam committit. VIII. Petrus cum Johanne ab Apoſtolis *mittitur Samariam*, ad Euangelium prædicandum. Act. 8: 14. curæ igitur & prudentiæ Apoſtolorum ſuberat Petrus, non vero eos ipſe dirigebat. IX. Facti ſui rationem Eccleſiæ reddit Petrus, Act. 11: 2. & ſeqq. quod, qua erat Apoſtolica auctoritate, recuſare facile potuiſſet; at bonum ſcilicet exemplum ſucceſſoribus ſuis exhibere voluit. X. Nec conventui Apoſtolico præſidet Petrus Act. 15. uti nec ullus alius, cum omnes, ſaltem Apoſtoli, pari auctoritate ſuffragia conferrent.

Actis Apoſt.

& Epiſtolis. XII. XI. Idem probant Corinthiorum ſchiſmata 1 Cor. 1: 12; 13. quando *alius Pauli*, alius *Apollo*, alius *Cephæ* &c. ſe eſſe dicebat; quæ locum non habuiſſent, ſi quidem Petrum Eccleſiæ ca-

Digitized by Google

caput agnoviſſent. Nec juvat illud Baronii ſubterfugium; quoſdam ſe Chriſti & Cephæ eſſe profeſſos, non ſtudio contentionis, ſed ut totum negotium ad principium ſuum revocarent, Chriſtum nempe & Petrum: nam primo gratis illud dicitur; deinde ſi verum illud eſſet, concordes hi fuiſſent; jam vero reprehenduntur, tanquam ſchiſmatici. Conf. cap. 3: 21, 22.

XIII. xii. Gal. 2: 7, 8, 9. *Jacobus*, *Cephas & Johannes* appellantur uno omnes elogio; *οἱ δοκοῦντες στύλοι εἶναι qui habiti ſunt columnæ*; & Paulo pariter dextram ſocietatis porrigunt; & partito agunt, ut Petrus verſetur inter circumciſos; Paulus inter gentes: ubi autem ſocietas, ibi nulla ſubjectio; atque ubi operis diſtributio, ibi etiam paritas. Regerunt & hic adverſarii, ſocios quidem fuiſſe in officio prædicandi, non vero in officio gubernandi. Sed hoc ſcopo Pauli adverſatur, probantis hinc dignitatem Apoſtolatus ſui, ejuſdem juris paritate. Deinde gubernavit & Paulus gentes, quibus prædicabat, non aliter ac Petrus Judæos; dicitur enim, verſu 7. *Mihi concreditum Euangelium præputii, ſicut Petro circumciſionis.*

XIV xiii. Idem evincitur ex comparatione Petri & aliorum *Neque ma-*
Apoſtolorum, qui illo non minores, ſæpe etiam aliquibus in rebus *jor fuit Ja-*
præſtitiſſe leguntur. Hinc veteres, Jacobum Petro non ſolum *cobo,*
æquiparabant, ſed & præferebant. Hujus etiam in conventu Hieroſolymitano potiores quam Petri partes fuiſſe videri poſſent. Ita & Johannes in quibuſdam Petro major fuit; qui *Johanne,*
nempe in ſinum Domini recubuit, & *dilectus* ille *diſcipulus* fuit, Joh. 21: 20. qui canonem Novi Teſt. clauſit, & Apoſtolorum maxime longævus fuit, ideoque adventum Domini vidit &c.

XV. Nec Paulus ulla in re minor fuit, Apoſtolorum maximis. *aut Paulo.*
2 Cor. 11: 5. & 12: 11. plus, quam omnes laboravit 1 Cor. 15: 10. *omnium Eccleſiarum curam* ſuſtinuit. 2. Cor. 11: 28. A nullo homine Apoſtolatum aut Euangelium, aut prædicationis ſuæ ductum accepit Gal. 1: 1, 12, 17. At Petrum quidem Hieroſolymæ inviſit, com. 18. non auctoritatis aut doctrinæ accipiendæ cauſa; comm. 8: 11, 12. ſed propter falſos & irreptitios Apoſtolos, ut concordiam cum illo & reliquis Apoſtolis teſtaretur. Vide Gal. 2: 1, 2, 6. Præcipue, Petri non recte incedentis infirmitatem reprehendit, illique in os reſtitit Paulus. Gal. 2: 11. quæ non ſimulate acta ſunt, aut pro humanitate, ſed pro muneris auctoritate. Atque hiſce de cauſis vete-

Digitized by Google

veteres omnes Paulum Petro æquarunt. XIV. Denique, nunquam ipſe Petrus reliquis Apoſtolis ullo modo, ubi de jure & auctoritate agitur, ſe majorem, vel gerit, vel agnoſcit, vel agnoſci patitur; ſed Apoſtolum, presbyterum, imo συμπρεσβύτερον ſe indigitat. 1 Pet. 1:1. & 5:1. aliorumque Apoſtolorum præcepta fidelibus inculcat. 2 Pet. 3:2. *Ut memores ſitis doctrinæ noſtræ; qui ſumus Apoſtoli Domini & Servatoris.* & com. 15. *Sicut & dilectus noſter frater Paulus ſecundum ſibi datam ſapientiam ſcripſit vobis.*

refutatis adverſariorum argumentis.

XVI. Copias noſtras luſtravimus; videamus nunc adverſam Pontificiorum aciem; & contraria argumenta, ex quibus Petri ſupremátum extundunt & ſtabiliunt. Producunt igitur 1. Matth. 10:2. ubi *primus* vocatur; quomodo reſpectu ordinis tantum dici, jam reſpondimus. 2 Primo loco ſemper nominatur; unde primo nihil probatur; & tum falſum eſt; vide Gal. 2:9. 1 Cor. 1:12. & 3:22. & 9:5. 3. Primus verba facit; illud zelo & fervori ejus, aliiſque cauſis, de quibus jam dictum, non vero poteſtati ejus adſignandum eſt. 4. Chriſtus nomen ejus mutavit; non mutatum ei nomen, ſed novum adjectum fuit. Matth. 17:25. & 2 Pet. 1:1. Tum nova hæc nominis impoſitio, aliis etiam Apoſtolis communis eſt. Marc. 3:17. Ubi Jacobo & Johanni fratribus, nomen *Boanerges* indidit Chriſtus.

XVII. 5. Pro eo ſolo Chriſtus didrachma ſolvit. Matth. 17:24. & ſeqq. Ratio erat, quod ſolus Chriſtus cum Petro ibi habitaret; ubi autem quis commoratur, ibi etiam vectigal ſolvit. 6. Solus item cum Chriſto piſcabatur. Luc. 5:4, 5, 6. Quod falſum eſt: uti & multa alia, quæ ipſi tribuuntur.

Præcipue 1. ex Matt. 16:16. & ſeqq. quomodo Chriſtum confeſſus fuerit,

XVIII. 7. Præcipuum robur ſententiæ illorum eſt, in duobus locis Matth. 16. & Joh. 21. quorum priori primatus Petro videtur promiſſus; poſteriori collatus. De hiſce igitur ordine plenius & accuratius tractandum eſt. Quod ergo priorem locum attinet, duplex in eo eſt metaphora; primo, *fundamenti* ac ædificii; tum *clavium*: qui locus tam figuratus, alio clariori indiget; quo tamen deſtituuntur. Sic autem ex illo ratiocinantur. 1. Solus Petrus Chriſtum confeſſus eſt; & quid tum? an ergo & ſolus Petrus erit Apoſtolus & Chriſti confeſſor? quod inde æque facile efficietur, quam ſolum Petrum eſſe primum: præterquam, quod non ſuo tantum, ſed communi omnium Apoſtolorum nomine, illa prolocutus ſit; uti patet ex aliorum etiam Apoſtolorum de Chriſto confeſſionibus. Joh. 1:45, 50. Matth. 14:33. Joh. 6:68, 69.

XIX. 11. Soli Petro dicitur, quod *beatus ſit.* com. 17. *Beatus es Simon*

Simon Bar Jona &c. Quemadmodum vero etiam alii Apoſtoli Chriſtum, uti nunc dictum, confeſſi erant, ita etiam ad ipſos illud extendendum eſt; uti & Matth. 11:25, 27.

XX. III. Illi ſoli dicitur quod eſſet *Petrus*. com. 18. & quidni? cum nomen illud ipſi ſingulare fuerit, res tamen communis fuit reliquis Apoſtolis; quin imo omnibus fidelibus, qui etiam *vivi* dicuntur *lapides*. 1 Pet. 2:5. Apoc. 21:14. *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum Agni.* conf. Eſa. 54:11. *Ecce ego colloco in carbunculo lapides tuos, & fundabo te in Sapphiris. Et ponam margaritas feneſtras tuas, & portas tuas ex lapidibus carbunculis.*

& Petrus dictus,

XXI. IV. Illi ſoli dicitur, quod ſit *petra*, *cui inædificaturus eſſet Eccleſiam* Chriſtus. ibidem. Petro hæc quidem dicuntur, non vero de Petro; cum ab eo diſtinguatur hæc Petra; quæ eſt, vel Petri confeſſio, vel ipſe Chriſtus, quem confeſſus erat. 1 Cor. 3:11. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Jeſus Chriſtus.* & 10:4. *At Petra erat Chriſtus.* Jud. com. 20. *Sanctiſſimæ noſtræ fidei ſuperædificantes voſmet ipſos, in Spiritu ſancto.*

licet non Petra, cui ſuperſtructa Eccleſia.

XXII. Habent vero hiſce etiam quæ opponant. 1 Petrum eſſe *petram*; cum *Cephas* nomen Petri, Syriace notet *petram*. Aliam interpretationem dat Johannes c. 1:43. *Tu vocaberis Cephas, quod vertitur Petrus*. 2. Objiciunt. Vox Syriaca Κηφᾶς notat & Πέτρον & πέτραν, quod utrumque lapidem ſignificat, ita ut Petrus, etiam petra, ſeu lapis, appellari poſſit. Verum aliter docuit Sp. ſanctus, qui vocem Syriacam, Græce non expreſſit per πέτραν, ſed per Πέτρον; ut Petrum a petra aperte diſtinguat, qui ab illa tantum denominatur. Cephas ergo appellatur denominative a *Cepha petra*; eodem modo, ut a Chriſto, lapide vivo, fideles vivos lapides nominat ipſe Petrus. 1 Pet. 2:4, 5.

XXIII. Non ergo ſuper Petro, ſed petra ædificanda eſt Eccleſia; quamvis & Petrus tanquam Apoſtolus μετονυμικῶς Eccleſiæ poſſit ex parte dici petra, quia tanquam Eccleſiæ architectus, per doctrinam ſuam huic petræ Eccleſiam ſuperſtruxit. Eph. 2:20. *Inædificati in fundamento Apoſtolorum & Prophetarum, ita ut ſit angularis ſummus lapis idem Jeſus Chriſtus.* Suo etiam ſenſu, Eccleſia, aliquo modo ædificata dici poſſet in Petro, tanquam duce & primi pilo eorum qui in Chriſto ædificati ſunt: ſicut olim fideles in Abrahamo benedicebantur. Gen. 12:3. *In te benedicentur omnes gentes terræ.*

XXIV. Male

Digitized by Google

Ut male ſtatuunt Pontificii.

XXIV. Male igitur Pontificii quidam petram hanc, non ſolum de Chriſto, verum etiam de Petro, Chriſti vicario, intelligunt, detorquentes huc loca Eſai. 28: 16. *Ecce ego fundo in Zion lapidem, lapidem munitionis, anguli, pretioſum, fundamenti fundati.* Sed aliter docet ipſe Petrus 1 Ep. 2: 6. *Propter quem* (J. Chriſtum) *continetur in Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem ſummum angularem* &c. Conf. Pſal. 18: 32. *Quis petra præter Deum noſtrum?* & 95: 1. *Jubilemus petræ ſalutis noſtræ.* & 118: 22. *Lapidem reprobaverunt ædificantes; fuit in caput anguli.*

XXV. Verum non ita abſolvimus eos, quin obtundant porro; 1. Pronomen *hanc* neceſſario evincere, ipſum intelligi Petrum; illud enim demonſtrat eandem perſonam de qua egerat Chriſtus. Verum pronomen *hanc*, non eſt relativum ejus, quod proxime præceſſit, ſed demonſtrativum, quo Chriſtus demonſtrat ſe ipſum; cujus rei exempla videre eſt. Joh. 2: 19. *Solvite templum hoc* τὸν ναὸν τῦτον, *& in tribus diebus excitabo illud* ἀυτόν. Job. 19: 26. *Et poſtquam cutis mea diſtrinxerint hoc.* 1 Cor. 15: 53. *Oportet enim corruptibile hoc* τὸ φθαρτὸν τῦτο *induere immortalitatem: & mortale hoc induere immortalitatem.* hic autem eo magis illud locum habet, quod Petrum non omni ex parte excludamus; hoc enim ſenſu Chriſti verba accipimus, ac ſi dixiſſet Chriſtus: Tu es Petrus, & ſuper eandem petram, a qua tu denominaris (quæ ego ſum) ædificabo Eccleſiam meam.

XXVI. 2. Objiciunt. Chriſtus erat fundamentum principale & proximum; Petrus vero miniſteriale & mediatum. Quod vanum & falſum eſt; cum præter Chriſtum nullo nos opus habeamus fundamento, & illum omnes fideles contingant, non per pararium Petrum & Apoſtolos, ſed proxime, per propriam fidem. 3. Futurum illud tempus nobis objiciunt; non enim Chriſtus, ut ajunt, dici poterat, ædificaturus Eccleſiam, cum jam Apoſtolos & diſcipulos in ſe ædificaſſet: referendum igitur eſt ad Petrum, quem nondum jecerat Eccleſiæ fundamentum. Fundamentum equidem Eccleſiæ fuit ſemper; ædificaturus tamen Eccleſiam erat Chriſtus, non reſpectu Petri, ſed reſpectu Eccleſiæ Chriſtianæ, quam ex Judæis & gentibus ſuper ſe excitaturus erat Chriſtus, atque ita *regnum cœlorum* aperturus, uti vocatur com. 19. Et hæc eſt Eccleſia Chriſti, non Petri.

XXVII. v. Soli Petro promiſſio fit de Eccleſiæ ædificandæ firmitate contra portas inferni. Illud vero de Petri perſona intelligi nequit, aliud

aliud enim teſtatur hiſtoria vitæ ejus: ut eodem hoc capite. comm. 22, 23. & cap. 26: 34. Luc. 22: 31, 34. Gal. 2: 11. ſed de Chriſto, quem Petrus confeſſus erat: huic uni & certiſſimo fundamento innixa Eccleſia, ut immota rupes, *prævalet adverſus portas inferni*, ſeu regnum illud Antichriſtianum, quod nomine Eccleſiæ Petro ſuperædificatæ ſe jactat. Videſis 1 Cor. 3: 11.

XXVIII. Quando vero contra Pontificios ita diſputamus, non eo id fit animo, ac ſi omnis omnino prærogativa Petro foret denegandа, quam non pœnitendam libenter ipſi tribuimus; quod ſcilicet peculiari ratione hujus ædificii primus fundamenta jecerit, tum inter Judæos, incomparabili illa concione Act. 2. tum inter gentes, tam illuſtri viſione excitus, & tranſmiſſus quaſi in libertatem Novi Teſt. Act. 10: 10. & ſeqq. quam inſecuta fuit Cornelii converſio, com. 44: 5. ſicut & egregia apologia portam Euangelii, tam libere & ſollemniter primus illis aperuit, Act. 15: 7. *Vos ſcitis quoniam a diebus antiquis Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Euangelii, & credere.* Inde tamen nulla perpetua Petri prærogativa, multo minus hæreditaria, & quæ in ſucceſſores tranſmittatur, mitto primatum, confici poteſt.

XXIX. Hactenus explicatam dedimus & ab impetu adverſariorum liberavimus priorem ſimilitudinem; ſequitur nunc altera, quæ eſt de promiſſione *clavium regni cœlorum* Matth. 16: 19. *Et dabo tibi claves regni cœlorum* &c. ubi expediendum 1. Quid per claves intelligatur. 2. Cui illæ promiſſæ ſint. 1. Per *claves* illas intelligit Bellarminus, ſummam, eamque infallibilem, in omni Eccleſia, judicii ultimi poteſtatem: quam bene, alias vidimus. 2. Promittuntur hæ claves Petro, non vero illi ſoli, ſed cum illo, ſuo ordine, omnibus quoque Apoſtolis: uti iis omnibus claves has vendicat Johannes, c. 20: 21, 22, 23. *Quomodo illi promiſſæ claves regni cœlorum.*

XXX. Inepte igitur Bellarminus cenſet Apoſtolos ſacerdotes factos in ultima cœna, clavem juriſdictionis accepiſſe Joh. 20: 21. *Dixit igitur ipſis Jeſus iterum, pax vobis. Quemadmodum me miſit Pater & ego mitto vos:* clavem autem ordinis, verbis proxime ſequentibus, comm. 22, 23. *Et hoc dicto inſufflavit in ipſos, & dicit eis, accipite Spiritum ſanctum. Si quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: ſi quorum retineatis, retinentur.* Sic enim ſacerdotes fuiſſent ſine clavibus, & ſacerdotium ac juriſdictionem habuiſſent, cum nondum haberent ordinem; quæ ſecundum ipſos ἀσύςατα ſunt.

XXXI. Sicut vero in priori parte, ita nec hic omnem Petri prærога-

Digitized by Google

rogativam tollimus; qui nempe claves haſce primus tractaverit, tam inter Judæos, quam Gentiles, uti ſuperius viſum: unde ſpeciatim illi promiſſæ claves regni cœlorum, id eſt, Eccleſiæ Chriſtianæ ex Judæis & gentibus colligendæ; quibus regnum cœlorum, hactenus ſub V. T. clauſum, primus aperturus erat. Non ac ſi illi propriæ & perpetuæ eſſent futuræ; nedum ut ulla hinc Petri monarchia, multo minus ſucceſſio in poſteros, efficiatur. Præterquam quod ſceleſte ſibi ſoli has claves arrogat Papa; quas prudentiores Pontificii originaliter (quatenus illæ adhuc ſuperſunt) tribuunt Eccleſiæ; miniſterialiter vero & quoad executionem Epiſcopis.

2. ex Joh. 21: 15. 16, 17. XXXII. Alter tandem ille locus ſequitur, in quo primarium ſibi præſidium collocare diximus Pontificios; quod in hoc, uti in ſuperiore, nunc expugnandum reſtat. Locus eſt Joh. 21:15,16,17. *Quum igitur prandiſſent, dicit Simoni Petro Jeſus: Simon Jona, amas me magis, quam hi? dicit ipſi, ne, Domine: tu noſti quod amem te. Dicit ipſi, paſce agnos meos. Dicit ipſi denuo* &c. ubi primatum reipſa Petro collatum, hiſce ferme argumentis concludunt. 1. Solus Petrus ter interrogatur, an Chriſtum amet, & quidem an magis, quam reliqui Apoſtoli. Sed 1. non extollendo, ſed deprimendo Petro illud inſerviit, ad notandam priorem ejus confidentiam, Matth. 26: 35. quare non gaudet Petrus tanquam collato beneficio, ſed angitur & mœret. com. 17. *Contriſtatus eſt Petrus, quod ipſi dixiſſet tertio, diligis me?* 2. Nec monarchia inde ipſi conſtat; ſed major tantum ab eo requiritur dilectio, quod longe major culpa quam reliquis ipſi condonata eſſet; ad exemplum illius fœminæ Luc. 7: 47. 3. Trina confirmatione ita, ex mera Chriſti gratia, muneri ſuo reſtituitur; ex quo trina abnegatione merito exciderat. Quamquam & quæſtio hæc de amore Chriſti, ad omnes miniſtros & fideles pertineat. Ita Paulus 2 Cor. 5: 14. *Charitas enim illa Chriſti conſtringit nos.* & 1 Cor. 16: 22. *Si quis non amat Dominum Jeſum Chriſtum, ſit anathema maranatha.*

XXXIII. II. Dicitur ipſi ſoli, ter; *Paſce oves meas*; comm. 15, 16, 17. Reſp. 1. Hortatio hæc eſt, non novi muneris inſtitutio: non aliter ac Paulus Timotheo 2 Tim. 4: 2. *Prædica ſermonem* &c. 2. Quamvis hic ſermo ſingulariter ad Petrum dirigatur, propter ſingularem occaſionem; res tamen ipſa, & mandatum hoc ad omnes pertinet Apoſtolos & Eccleſiæ miniſtros: ſecundum ipſius Chriſti regulam Marc. 13: 37. *Quæ autem dico vobis, omnibus dico.*

XXXIV. III. Vox paſcendi, ita pergunt adverſarii, notat regiam

Digitized by Google

regiam poteſtatem. Sic Pſal. 2:9. *Reges* (vel *confringes*) *eos virga ferrea.* LXX vertunt Ποιμανεῖς *paſces.* Et nihil frequentius eſt, quam Reges paſtores nominari, apud profanos non ſolum, ſed & ſacros auctores; ut Eſai. 44:28. Mich. 5:2. Matth. 2:6. Apoc. 2:27. & 19:15. At vero, licet reges aliquando paſtores vocitentur, quemadmodum & patres, aliiſque nominibus; vox tamen paſcendi non eſt regia; ſed per illam potius reges manſuetudinis & curæ paſtoralis monentur: ut nihil tam abſonum ſit, quam ex hac voce regnum probare, cum illa regibus appoſita dominationem eorum mitiget, & ad paſtorale munus quaſi revocet. Quid quod ipſe Petrus & ποιμαίνειν illud longe aliter interpretetur, opponens τῷ κατακυριεύειν *dominari* 1 Pet. 5:2, 3. Ποιμάνατε τὸ ποίμνιον &c. μηδ᾽ ὡς κατακυριεύοντες. Ita *paſtores* dicuntur Eph. 4:11. Nec, ſi vel maxime hæc ita intelligenda eſſent, ad Pontifices Romanos ſpectarent, qui non paſcunt oves Chriſti, cum prædicationem verbi, tanquam vile nimis miniſterium, contemnant & aliis demandent.

XXXV. IV. *Oves ſuas* Petro commendat Chriſtus, atqui hæ ſunt omnes Chriſtiani; ergo hi omnes Petro traduntur. An ergo & omnes Apoſtoli, Petri ejuſque ſucceſſorum oves ſunt? at vero, cum Chriſtus *oves* illas *ſuas* vocet, an non aperte docet, *paſcere* non idem eſſe quod imperare? alienas enim oves paſcere, ſervi eſt, non Domini. Sed nec omnes Chriſti oves pavit Petrus; cum pari pede operas inter ſediviſerint Apoſtoli, & partito cum iis egerit Petrus: uti jam vidimus ex Gal. 2:7. nec Petro univerſus Chriſti grex magis commiſſus fuit, quam cæteris Apoſtolis; aut Apoſtoli ipſi Petro, quam Petrus illis; cum & Paulus Petrum corripuerit. Cenſemus itaque, quamvis aliqua fuerit Petri prærogativa, jam ſemel iterumque indicata; ex hiſce omnibus tamen nullam ejus exſculpi poſſe monarchiam; cum contrarium docuerit evidentiſſime, & hodiernum Papæ imperium efficaciſſime, ex ipſis hiſce ultimis Chriſti verbis, profligaverit ipſe Petrus. 1 Epiſt. 5:1, 2, 3, 4.

Digitized by Google

CAPUT XVII.

De ſucceſſione Pontificum Romanorum in monarchiam PETRI.

An Petri fictitia monarchia veram tranſmittere potuerit ad Papam.

I. COnfecimus prius illud de monarchia Petri commentum & monſtrum cerebrinum. Debellandum nunc eſt alterum ejuſdem farinæ; de cathedra Petri, ejuſque ſucceſſione tranſmiſſa ad Papam Romanum; in cujus gratiam fabrefacta ſunt hæc omnia. Quod ut rite peragamus, duplicem hanc pone mus quæſtionem 1. An Petro *ſucceſſores* ſint dati. 2. An *Papa* Romanus Petri ſucceſſor ſit; an potius ſubſeſſor.

Apoſtolis non dati SUCCESSORES;

II. Si vel daremus, legitimum conſtare Petro hunc ſuum principatum; non tamen illico ſucceſſio conſtabit: cum plurima ſint munera, quæ illam reſpuant, qualia ſunt Prophetarum, duodecim Patriarcharum, quibus Apoſtoli conferuntur. Succeſſores datos eſſe Apoſtolis, non negamus, quoad epiſcopale munus, prædicandi verbum, Sacramenta adminiſtrandi, diſciplinam exercendi, paſtores ordinandi: at vero, quatenus Apoſtoli erant, & quoad ſingularem & Apoſtolicum illum characterem, alios & ſequentes iis ſucceſſiſſe, pernegamus: cum munus illud iis proprium & mere perſonale fuerit. Priore modo antiqui omnes Epiſcopos, æque ac Romanos, *Apoſtolorum ſucceſſores* dixerunt; quam dignitatem, non niſi per ſummum nefas, ſolus Papa nunc ſibi vendicat; cum enim pares Apoſtolos fuiſſe ſupra viderimus, omnibus ſucceſſores datos fuiſſe oportet, aut nulli.

nec Petro unus Papa.

III. Tum quoque, ſi vel clare pateret, uni Petro collatum fuiſſe ſucceſſionis privilegium, non idcirco uni Petro, unum tantum Epiſcopum ſuccedere liqueret; quod ſi enim univerſæ Eccleſiæ moles in humeris Petri bene ſediſſet; quis dicat parem fore huic oneri unum Pontificem Romanum, & tanto Atlante dignum Herculem futurum? Tam ægre quis hinc vel unam micam de Petri ſucceſſore, nedum uno illo, extorquere poſſit.

Adverſariorum argumenta refelluntur.

IV. Conturbemus etiam ea, quibus hæc ſua dogmata aliis perſuadere conantur, argumenta. Quæ inter alia generatim 1. inſtituunt, ex convenientia Veteris & Novi Teſt. Fuit, inquiunt, in Veteri Teſtamento ſummorum Pontificum ſucceſſio; injuria

ergo

Digitized by Google

ergo foret, eam denegare ſedi Petri, ſummi Chriſtianorum Pontificis. Sed I. fuerunt & multa alia, quæ fruſtra nunc in Pontificibus hodiernis quæras; ut argumentum de ſucceſſione utriuſque infirmum valde ſit. 2. Nec monarcha fuit Pontifex Judæus; nec figura hujus Pontificis, qui reapſe nullus eſt; ſed unici ſacerdotis Chriſti; uti jam dictum. 3. Succeſſionem Pontificatus Judaici ipſe Deus inſtituit, in S. Scriptura; tale vero nil quicquam in N. Teſt. legitur.

V. II. Ex unitate Eccleſiæ, unam Eccleſiaſtici regiminis formam, unumque ejus rectorem arguunt, quem Apoſtolorum etiam tempore fuiſſe ajunt. Verum, Apoſtolorum tempore, non fuiſſe viſibilem Eccleſiæ doctorem jam probavimus; ergo nec hodie talis eſſe debet. Nec eadem ſemper eſt Eccleſiaſtici regiminis forma; nunc enim, ut olim non præſunt Apoſtoli.

VI. III. Viſibilem decet eſſe judicem, ac communem cathedram, ubi lites ſolvantur & decidantur; illud vero omnibus temporibus neceſſarium eſt; ergo neceſſaria eorum judicum ſucceſſio. Verum, præter ea quæ jam in ſuperioribus diximus, advertendum eſt contra hæc; ne quidem Moſi in cathedra ejus aliquem ſucceſſiſſe, cum filii ejus nullam publicam auctoritatem habuerint, ſed privati fuerint: ut patet ex I Chron. 23: 14. Sola ergo manſit ſucceſſio doctrinæ Moſaicæ. Quare *cathedra Moſis* penes *Scribas & Phariſæos* erat, tempore Chriſti. Matth. 23: 2, 3. Perſonarum vero nulla fuit; ergo nec ulla nunc eſt ſub Novo Teſt.

VII. Ita Petrum ſucceſſorem habuiſſe probari nequit; quin contrarium jam patuit: oſtendamus nunc etiam multo minus illud Papæ competere; neque de *jure*, ut loquuntur, neque de *facto*. Prius apparet. I. Quod præter curam & ſapientiam Chriſti fuiſſet, ſucceſſorem talem conſtituere, & nullum unquam verbum cum Apoſtolis vel diſcipulis ea de re commutaſſe, aut leviter monuiſſe, illi negotio Papam deſignatum eſſe; cum in Veteri Fœd. tam diſertamentio facta fuerit Pontificis Judaici. II. Si Petro quærendus fuiſſet dignus ſucceſſor, *qui tanta pondera molis ſuſtineat*; fuiſſet ille citra omne dubium Johannes Apoſtolus, Chriſto tam tenere dilectus, & Petro triginta ferme annis ſuperſtes; cui illud ſane multo majori jure debebatur, quam Epiſcopo Romano.

Non ſucceſſit Papa Petro de jure;

VIII. III. Quo jure ſucceſſionem Petri ſibi arrogabit; cum munera Petri, qualia ſunt, paſcere oves Chriſti. Joh. 21. & verbo docere Eccleſiam. Matth. 28: 19. aliaque non præſtet Papa. Quod

Digitized by Google

vero prætexant 1. Juſtis eum impedimentis detineri, ineptum eſt; nam, ſi quæ ſunt impedimenta, quæ ab hoc munere eum avocare poſſint; ea non erunt perpetua; vel ſi ſint, juſta non erunt: prout *æquum non eſt eos, relicto ſermone Dei, miniſtrare menſis.* Act. 6: 2. 2. Papam illud per alios præſtare. Petrus vero & Apoſtoli hoc ipſi agebant, poſthabitis aliis negotiis; quod patet ex axiomate illo mox laudato, & Apoſtolorum hiſtoria. Nec mandatarius munus ſuum in alium transferre poteſt. 3. Incumbere hæc quidem, ajunt, Epiſcopis gregariis; non autem vicario Chriſti. Imo vero vicarius Chriſti dici non poteſt, qui vices Chriſti in prædicando Euangelio ſibi commiſſas eſſe, vel negat, vel iis non ſatisfacit. Tum quoque prædicarunt ipſi olim non ſolum Epiſcopi vulgares, ſed & Romani. Quin inauditum olim fuit, Epiſcopum eſſe, qui munus prædicandi non obiret. In reliquis porro muneris Epiſcopalis partibus, ita degeneravit Papa, præcipue quoad doctrinam, ut non tam Apoſtolatus Petri, quam abnegationis ejus ſucceſſor factus videatur.

nec de facto. IX. De jure vidimus; de *facto* etiam Petro Papam in commentitia hac monarchia non ſucceſſiſſe facile evincitur. Nam I. Nihil liquidius eſt, quam Epiſcopos Romanos olim delectos fuiſſe ſuffragiis plebis & Cleri Romani: quænam vero hæc eſt plebis Romanæ poteſtas, quod jus, ut Eccleſiæ totius orbis de capite proſpexerit? II. De monarchiarum & imperiorum initiis & ſucceſſione conſtare debet, ut ſciatur qui veri ſint Principes; at vero prima Epiſcoporum Romanorum ſucceſſione nihil incertius & minus planum. Cum alii Petro ſubjungant Linum, dein Clementem; alii contra Clementem præponant: alii vero a Lino proximum faciant Cletum, tum Clementem; alii iterum pro cleto Anacletum ſubſtituant; alii potius ex hiſce duobus unum cudant; alii denique, vivo etiam & vidente Petro Linum ſediſſe affirment. Quæ varietas facile arguit, ſubleſtæ fidei eſſe, quicquid de hac re crepant, & nullum horum in tam illuſtri Epiſcopatu Petri fuiſſe ſucceſſorem.

X. III. Per aliquot proxima a Chriſto ſecula, nullum uſquam apparet veſtigium, vel actus, vel lex genuina, vel judicium non adulterinum; ex quo vel leviter ſuſpicari poſſis, eos univerſales Epiſcopos fuiſſe: quin nec ipſe pſeudo-Dionyſius, in hierarchia ſua, Pontificiis recepta, mentionem hujus hierarchiæ facit. V. Certum eſt, veteres Romanos Epiſcopos habitos fuiſſe Petri ſucceſſores; in Epiſcopatu ſcilicet urbis Romæ; uti opinabantur, nequaquam vero in primatu univerſalis Eccleſiæ.

XI. Bre-

Digitized by Google

Fundamenta, quibus Petri ſucceſſionem ſuperſtruunt.

XI. Breviter nunc etiam, *fundamenta*, quibus hanc Papæ ſucceſſionem ſuperſtruunt Pontificii, ſubruamus. 1. Maxima eſt inter ipſos difficultas; & digladiantur inter ſe; an Dominus, perpetuum non ſolum, ſed & Papam ſpeciatim dederit ſucceſſorem Petri; ut jure divino privilegium hoc ipſi proprium ſit; an vero Eccleſiaſtico jure duntaxat ſucceſſionem illam poſſideat Epiſcopus Romanus; quomodo ſucceſſio illa ab ea auferri & in alios derivari poſſet. Ad quam rem acriter inter ſe diſputant præcipui Pontificiorum Doctores, ut in ambiguo hæreat; an ſucceſſio illa juris divini, adeoque perenna tura ſit in Eccleſia Romana. Cum itaque dubium ſit, an ſucceſſio hæc a Chriſto ſit inſtituta; ad ipſius Petri factum tanquam ad ſacram anchoram confugiunt: cum enim in finem Petrum Romam migraſſe audacter affirmant, ibique ſedem fixiſſe. At vero non illud intendebat Petrus; ſi verum ſit, quod narrant, Petro, ante mortem Roma migrare volenti, apparuiſſe Chriſtum, eumque revocaſſe & ſupplicium crucis Romæ obeundum ipſi nunciaſſe: unde planum erit, non eo animo, vel ante Romam iviſſe, vel poſtea reverſum eſſe, ut ibi thronum dominationis ſuæ erigeret, ſed ut ipſe, tanquam opprobrium mundi, ibi in crucem ageretur.

VII. Ipſe etiam Bellarminus hac in re ſibi non conſtat, dum ab una parte Epiſcopum Romanum, quatenus eſt ſucceſſor Petri, jure divino eſſe caput Eccleſiæ, pronunciat; ab altera vero parte, non itidem certum affirmare audet, Pontificem Romanum, qua talem, Petro ſuccedere in præfectura univerſali Eccleſiæ; ſed tantum illud ex traditione Petri repetit. Addens, ſi Petrus nullam ſedem particularem ſibi delegiſſet, illum Petro ſucceſſurum fuiſſe, quem ſibi deſignaſſet Eccleſia. Verum enim vero non potuiſſet univerſalem Epiſcopum, Eccleſia particularis eligere; nec ſemper univerſalis Eccleſia, præcipue ſub illa perſecutionum diritate cogi poterat, quæ univerſalem ſibi Epiſcopum diſtingueret. Nec magis inter ſe congruit, quod idem fingit, ex inſtitutione Chriſti dignitatem Pontificalem fuiſſe perſonalem; ex Petri autem facto, redditam eſſe localem; quod enim perſonale eſt, ad ſucceſſores tranſmitti non poteſt, nec illud facto ſuo Petrus ſucceſſivum facere potuit.

An Petrus Romæ fuerit, ſedemque ibi fixerit?

XIII. Cum autem totius controverſiæ cardo in eo verſetur, num Romæ fuerit Petrus, ibidemque ſedem fixerit, paulo accuratius hanc rem putemus: ſi enim Romæ non fuerit, corruit totus Papæ principatus; quamvis, ſi fuerit, non ideo ſtabiliatur. Aliud enim eſt

Romæ

Digitized by Google

Romæ fuiſſe Petrum; aliud, regimen monarchicum ibi erexiſſe: tum porro aliud eſt, Papam ipſi in eo ſucceſſiſſe; quæ omnia laborant, & uno ictu tolluntur, ſi quidem Petrus Romæ non fuerit; quod ex ſequenti calculo patere poteſt.

Negativa accurato calculo ex Actis & Epiſtolis Apoſtolicis demonſtratur.

XIV. Anno Chriſti 34. Tiberii 19. Petrus & Johannes Hieroſolyma in Samariam mittuntur. Act. 8: 14. Anno 35. Saulus miraculoſe convertitur. Act. 9: 3. &c. uti quidam exiſtimant; abiens inde in Arabiam. Gal. 1: 17. dein Damaſci ad triennium ſubſiſtit. Anno 36. pax fuit per totam Judæam & vicinas regiones. Act. 9: 31. Unde Petrus oras illas viſitavit. ibid. com. 32. Anno 37. aſſignatur Petro initium ſedis Antiochenæ, quam per ſeptennium tenuerit, ex communi calculo; qui a veritate alienus eſt, cum Paulus hoc anno Damaſco Jeroſolymam veniens, Petrum ibi inveniat. Gal. 1: 17, 18. Actor. 9: 23, 24. 2 Cor. 11: 32. Anno 41. Caligulæ 3. Petrus Cæſarea redit Jeroſolymam, & ibi abſolvitur violatæ legis, propter communionem cum gentibus. Act. 11: 2. Anno 42. Paulus & Barnabas Antiochiæ multos reddunt Chriſtianos, Chriſtianorumque nomen ibi primo auditur. Act. 11: 25, 26. Nulla Petri mentione facta. Anno 44. Claudii 2. Petrus Romam veniſſe dicitur a Baronio. At potius ſecundum alios carceri & cuſtodiæ mandatur Jeroſolymis, Act. 12: 3, 4. Ex qua liberatus, *profectus eſt in alium locum*, Act. 12: 17. non Romam, ſed in alias regiones & diverſas partes, ut & deinceps apparebit. Ut fruſtra eum Romam excurriſſe, Pontificii hinc concludant.

XV. Anno 47. Petrus priorem ſuam epiſtolam ſcripſit *Babylone* 1 Pet. 5: 13. atque id ſerio triumphant Pontificii. Babylonem Romam eſſe dicentes. At vero 1. licet Eccleſiæ Babylonicæ nomine ſalutem ſcribat, non ideo Babylone fuiſſe neceſſe eſſet. nam Eccleſiarum Aſiæ & omnium fratrum nomine ſalutem eodem tempore impertitur Paulus. 1 Cor. 16: 19, 20. 2. Fatemur Babylone ipſum fuiſſe: verum Babylon illa non Roma eſt, ſed proprie dicta Babylon, quæ erat metropolis διασπορᾶς Aſiaticæ; Judæorum autem Apoſtolus erat Petrus. Nec inconſtantiæ vel levitatis argumentum eſt, quod in Apocalypſi, *Babylon* denotet Romam; cum myſtica ejus deſcriptio id requirat; alia vero ratio eſt in epiſtola, ubi nude & aperte res narratur; nec aliam cauſam Petrus habuerit, occultandi nomen urbis, quam Paulus, qui illud tamen aperte præ ſe fert, cum Roma ſcribit. Cæterum, ſic per Sodomam 2 Pet. 2: 6. etiam intelligi poterit Roma, cum in Apocalypſi eandem notet. Apoc. 11: 8.

XVI. An-

Digitized by Google

XVI. Anno 52. habitum putatur concilium Hieroſolymitanum; quò ibat Paulus. Act. 15: 2, 3. Gal. 2: 1. Cui etiam interfuit Petrus. Act. 15. Sicut & Paulus Jeroſolymis illum offendit. Gal. 2: 1. Si vero cenſeatur, poſt habitum demum hoc concilium, Romam contendiſſe, & per annos 25 ibi ſediſſe; non ſub Nerone, ſed Veſpaſiano principe mitiſſimo, illum in crucem actum, neceſſe erit. At, habito illo concilio Antiochiæ Petrum invenit Paulus, Gal. 2: 11. Adde quod Claudii tempore Roma exacti ſint omnes Chriſtiani; ut Romæ agere Petro tum non licuerit. Act. 18: 2. Anno 60. Nicopoli aut Roma ſcribit Paulus ad Galatas; nullam vero, in eadem urbe morantis, ut illi volunt, Petri mentionem facit. Eodem anno Corintho ad Romanos ſcripſit: in qua Epiſtola tam prolixum amicorum catalogum texens, tamen Petri non meminit, cap. 16. Quod plane arguit Petrum Romæ non fuiſſe. Anno 61. Romam venit Paulus quarto Neronis anno: nullum autem hactenus Petri Romæ occurrit veſtigium. conf. Act. 28: 21. Nondum igitur Petrum Romæ fuiſſe apparet; cum per integrum biennium Romæ manſerit Paulus Act. 28: 30. de Petro tamen altum ubique ſilentium. Vide 2 Tim. 4: 10. Phil. 4: 22.

XVII. Anno 62. Paulus ab omnibus deſeritur. 2 Tim. 4: 16, 17. an ergo item a Petro? Anno 63. Roma ſcribit Paulus epiſtolam ad Epheſios. cap. 3: 1. & 6: 20. De Petro vero ne γρῦ quidem. Vide cap. 1: 1. & 6: 19. Nec quicquam de illo occurrit in Epiſtola ad Philippenſes, eodem anno ſcripta. Vide Phil. 1: 1. & 4: 21, 22. Anno 64. Epiſtolam ad Coloſſenſes Romæ exarat Paulus; ubi tamen inter συνεργὺς ejus Petrus non apparet. Vide Col. 4: 10, 11. Idem dicendum de Epiſtola ad Philemonem, comm. 23, 24. Idem etiam pertinet ad Epiſtolam ad Hebræos, eodem anno & loco ſcriptam; in qua præcipue Petri mentio facienda fuiſſet. Vide Hebr. 13: 17, 24. Biennio in illa cuſtodia tranſacto, Paulus ex ore Leonis liberatus 2 Tim. 4: 17. non tamen hic Petri meminit.

XVIII. Anno 69. Neronis 12. Petrus ſecundam epiſtolam ſcribit, ſub finem vitæ. cap. 1: 14, 15. ubi nihil minus, quam ſucceſſorem ſuum declarat. Eodem anno ſcripſit Paulus epiſtolam poſteriorem ad Timotheum, paulo ante mortem: nihil vero de Petro. Vide cap. 4: 21. & 4: 9, 11. & 1: 16, 17, 18. Eodem anno Petrus Romæ Simonem Magum viciſſe refertur; quam fabulam eſſe, doctis jam pridem ſuboluit. An. 70. ſecundum alios 71. Neronis ultimo, Petrus

Digitized by Google

& Paulus Martyrio Romæ affecti dicuntur; quamvis alii non eodem, ſed diverſis temporibus illud contigiſſe affirment. Sed ſemel tantum in Chriſtianos ſævitum eſt, idque non cruce, ſed tæda. Paulus vero, tanquam civis Romanus gladio occidi potuit.

XIX. Atque ita nec in actibus, nec in epiſtolis Apoſtolicis ullum unquam veſtigium ſe oſtendit Petri Romæ agentis. Quin per 25 annos ibi commoratum non eſſe, liquido inde patet & demonſtratur. Quod enim alii obtendant, illum Roma ſæpius huc illuc diſcurriſſe, quippe qui univerſalis eſſet Epiſcopus; haud ſane convenit cum ea ſententia, quæ illum per tot annos ibi ſedem fixiſſe ſtatuit. Amicitiam ejus cum Philone Romæ contractam, eodem loco habemus, quo *ἀμοιβαίας* Pauli & Senecæ epiſtolas

XX. Poſt finem actuum Apoſtolicorum, ab anno Chriſti 70. uſque ad 100. hiatus eſt hiſtoriæ Eccleſiaſticæ; quem veteres ſuppleverunt fabulis de Petro aliiſque; ut veterum in hiſce fides ſubleſta ſit; præſertim cum primi eorum, qui haſce fabulas memoriæ prodiderunt, jam ultra ſeculum a Chriſto abfuerint; unde magna etiam illorum eſt diſcrepantia. Nec omnes etiam illum ſolum Epiſcopum Romanum faciunt, cum multi Paulum illi adjungant; aliiſque multis modis a ſe invicem mirum in modum abeant.

Fabulæ de 25 annis Romæ a Petro tranſactis origo.

XXI. Pandenda igitur eſt origo hujus fabulæ, de 25 annis a Petro Romæ tranſactis; nempe ab anno 2. Claudii ad annum 19. Neronis. Diſerte memorantur hi anni in Chronico Euſebii Baſileenſi; verum ibidem totidem annis in cathedra Antiochena Petrus ſediſſe dicitur, ad An. Chriſti 44. ut corruptus procul dubio ſit locus. Græcus textus ita habet: Πέτρος τὴν ἐν Ἀντιοχείᾳ πρώτην θεμελιώσας ἐκκλησίαν εἰς Ῥώμην ἄπεισι, κηρύττων τὸ εὐαγγέλιον, *Petrus Antiochiæ, prima ſtabilita Eccleſia, Romam abit, prædicans Euangelium.* Additur, eundem primum Antiochenæ & Romanæ Eccleſiæ præfuiſſe uſque ad mortem. Præterea nil quicquam: ut annos illos ab Hieronymo, ipſo etiam ſatis fatente, dum Euſebium interpretatur, adjectos eſſe vero ſimile ſit. Nec aliter de 7. annis Antiochiæ exactis ſtatuendum videtur; cum in Græco nulla annorum in alterutro loco exactorum, mentio fiat. Et poſtremos hoſce annos falſos eſſe, ſupra etiam ex S. Scriptura deprehendimus.

Objectiones in contrarium tolluntur.

XXII. Aliunde etiam probare ſe poſſe putant, Petrum Romæ fuiſſe, cum Eccleſia ibi collecta fuerit ante Pauli adventum; id vero alterius quam Petri opera fieri non potuit. Qua in re miſere falluntur, cum Euangelii doctrina multis Romanis jam innotuiſſet,

ſet,

Digitized by Google

ſet, ante Petri vel Pauli ad eos adventum; tum Hieroſolymis. Act. 2: 10. ubi etiam Romani recenſentur; tum Romæ ex Pauli comitibus & prodromis; uti videre licet ex Rom. 16: 1. & ſeqq.

XXII. Quid vero, ſi liberali manu largiamur, & vixiſſe, & mortuum eſſe Romæ Petrum; magisne Romæ principatum hunc hæſiſſe putabimus, quam Joppæ, vel Antiochiæ, ubi item vixit Petrus? & an non magis primatus Eccleſiæ Hieroſolymitanæ & dignitas Apoſtolatus pertinebit ad Epiſcopos Hieroſolymitanos, ubi mortem obiit ipſe Servator noſter, & Jacobus Apoſtolus, & unde lux Euangelii in omnes terrarum angulos fuit diffuſa? Quid quod nec recte Petrus dicatur Romanus Epiſcopus, etiamſi Romæ fuiſſet; niſi latiore duntaxat ſenſu, quali apud ipſum Petrum venit. 1. Epiſt. 2: 25. *Eratis ut oves errantes, ſed converſi nunc eſtis ad paſtorem & epiſcopum animarum veſtrarum:* & quo ſenſu veteres non ſolum Petrum, ſed & Paulum urbis Romæ Epiſcopum vocant. Cæteroquin Apoſtoli licet diutius aliquantum in celebrioribus urbibus, Euangelii prædicandi cauſa, commorarentur, non continuo iſtarum urbium Epiſcopi, arctiori ſignificatu, poterant haberi; propter Apoſtoli ſcilicet nomen, ad quod univerſalis Eccleſiæ cura pertinebat.

XXIII. Dilutius adhuc eſt, quod de *Sede Petri* produnt; ac ſi illa thronus & ſolium quoddam regium eſſet; cum per illam nihil aliud ſignificetur quam Petrum alicubi Euangelium prædicaſſe. Vide Matth. 23: 2. Act. 18: 11. Tum quoque *cathedra Petri*, veteribus tantopere decantata, fuit cathedra Antiochena, incidens in 22. Februarii, & anniverſario feſto culta: cum Romana Petri cathedra, ante ſeculum duntaxat, a Paulo IV. inſtituta fuerit, & in 18. Februarii conjecta; ut non niſi ſumma cum fraude, ex cathedra Petri primatum Romanum firmare conentur Pontificii.

XXIV. Verum obducunt nobis, Romam celebrari ſedem Apoſtolicam; tales vero nuncupabantur veteribus, quas fundarant Apoſtoli, & in quibus tanquam Epiſcopi ſederant. Verum 1. tales dicebantur omnes, quas aut Apoſtoli primum ſtabilierant, aut quibus ipſi prædicarant, non vero quibus ut Epiſcopi præſederant; quod ab Apoſtolis alienum fuiſſe, jam innuimus. 2. Romana ſedes hoc elogio inſignitur ab Occidentalibus, quod præter illam, nulla ſedes Apoſtolica in Occidente foret; non vero, ac ſi, ex ſpeciali Epiſcopatus Petri privilegio, reliquis fuiſſet præla-

Digitized by Google

ta. 3. Nomen Apoſtoli, latiori ſignificatione, aliis etiam Epiſcopis, paſſim a veteribus tribuitur. Nec pro Romano primatu hinc quicquam extundi poteſt.

Vera origo primatus Epiſcopi Urbis.

XXVI. Fuerit igitur Romæ Petrus; ſederit ibi ut Epiſcopus, tandemque etiam mortem ibi obierit; non tamen Papæ aliquid contulit Petrus; ut jam undequaque liquet; neque ſane Petrus Romæ principatum dediſſet, ſed Roma potius Petro. Vera idcirco origo & ratio primatus Eccleſiæ Romanæ repetenda eſt; non ex ſucceſſione Petri, ſed ex illuſtri urbis ipſius amplitudine. In veteri enim imperio Romano dignitas Epiſcoporum æſtimabatur, pro politica & civili dignitate urbium, in quibus ſedebant. Quamobrem ſicut imperii civilis dignitati primatum omnem debet Romanus Pontifex; atque adeo, florente imperio, ea gaudere potuit, ſecundum canones Eccleſiaſticos: ita collapſo jam dudum imperio, omni etiam ſua prærogativa jure meritoque excidit. Quamvis ſecularis Romæ principatus, principatum in Eccleſiam nunquam invehere potuerit.

Omnium concluſio.

XXVII. In arctum tandem cogamus, quæ fuſius hactenus de hoc negotio à nobis diſputata ſunt. Summa omnium huc redit, ſucceſſionem Papæ in prærogativas Petri nullam eſſe; nam. 1. Nullas ejuſmodi unquam habuit Petrus. 2. Et ſi vel habuiſſet, nullus ipſi in iis datus fuit ſucceſſor. 3. Saltem non Pontifex Romanus, ſiquidem ſucceſſio illa non juri, ſed facto innitatur. 4. Et quidem tali Petri facto, cujus in Scriptura nulla ſit mentio, & cum plane incertum ſit, nec conſtet Petrum Romæ unquam fuiſſe; aut, ſi fuerit, mortuum eſſe. 5. Et ſi vel indubia foret horum omnium veritas, non inde divinum, ſed humanum tantum & Eccleſiaſticum jus emergeret. 6. Quin verius nullum, cum Apoſtoli ſucceſſores non habuerint, nec Petrus ullum conſtituerit. 7. Cum inſuper non Petro tantum, ſed & Paulo Epiſcopatus Romanus tribuatur. 8. Et olim Patriarchæ omnes pares fuerint; Romano tantum, ordinis gratia, primæ partes datæ. 9. Nec Papæ auctoritas ſe latius explicaret, quam ad Eccleſias ſuburbicarias, ex ſtatuto Niceni Concilii. 10. Et quem deinceps primatum, vel etiam juriſdictionem nactus, imperio Romano omnem debuerit; quo collapſo, illam etiam omnem amiſit. 11 Contra ſuprematum hunc totus Oriens, multique præclari viri, etiam Eccleſiæ in Occidente, inſurrexerunt. Ut nulla ſuperſit ratio, quæ Papam Eccleſiæ monarcham & ſucceſſorem Petri evincat: vera enim ſucceſſio eſt

in

Digitized by Google

in doctrina: nec is jure Petri cathedram occupat, qui doctrinam Petri non conſervat. Sed totius hujus controverſiæ fons & fundus eſt, ſpes obtinendi primatus, qui Petro videbatur datus: niſi enim per hanc ſtetiſſet, & Petro datæ fuiſſent claves; a Paulo potius, quam a Petro ſucceſſionem ſuam deduxiſſent Pontifices Romani.

CAPUT XVIII.

De ANTI-CHRISTO.

I. HIſce artibus in viſcera Eccleſiæ irrepſit fatalis illa lues, & doctrinæ integritatem depaſta, non omnem ſolum prioris & divini regiminis formam, ſed & ſpeciem & colorem exedit; & fœcunda jacuit ſemina, unde natus & tandem excluſus, edituſque partibus omnibus abſolutus, in hunc mundum eſt *Anti-Chriſtus*: in quo cudendo & ornando, ſicut omnis hæc opera conſumpta eſt, & confectæ hæ machinæ; ita nobis omnia hæc cognoſcenda ante fuerunt, & longius eradicanda hæc arbor, quo facilius cum omni apparatu ſuo everti queat. De Antichriſto igitur acturi, de nomine ejus in anteceſſum quædam delibemus. *Ex hac Eccleſiæ corruptione natus eſt* ANTI-CHRISTUS.

II. Vox Ἀντίχριστος, ex virtute particulæ ἀντὶ, notat, tum eum qui eſt vice Chriſti, tum qui eſt contra Chriſtum; in quo utroque nomini etiam ſuo reſponſurus erat Anti-Chriſtus; quamvis palmaria hujus vocis notio ſit ἐναντιοῦσθαι τῷ Χριστῷ; ut ſit vel *contrarius Chriſti*, vel *contrarius Chriſto*. Nomen illud præterea vel generatim accipitur de multis; vel ſpeciatim & κατ' ἐξοχὴν de uno. Prima notione occurrit variis in locis; ut 1 Joh. 2: 18. *Filioli, noviſſima hora eſt: & ſicut audiviſtis quia Antichriſtus venit, & nunc Antichriſti multi facti ſunt.* conf. 2 Joh. 7. Phil. 3: 18. κατ' ἐξοχὴν vero & ſingulari cum emphaſi, vox hæc de uno ſumitur, qui præ reliquis omnibus ſit conſpicuus, cujuſque reliqui tantum prodromi & rudimenta fuerunt. 1 Joh. 2: 18. & 2 Theſſ. 2: 3. *Quoniam ſi non venerit defectio primum, & revelatus fuerit homo peccati, ille filius perditionis, ὁ ἀντικείμενος qui adverſatur* &c. *Nomen illud quid dicat:*

III. Antichriſtus hic aliis nominibus dicitur ψευδόχριστος, Matt. 24: 24. item ὁ ἀντικείμενος. 1 Tim. 5: 14. 2 Theſſ. 2: 4. *rex adverſarius.* Hoſ. 5: 13. *Vitis aliena, & vertex capilloſus.* Deut. 32: 32, 42. *ut & nomina parallela.*

Pſal. 68: 22. *Et caput* Pſal. 110: 6. Hab. 3: 13. *paſtor ſtultus.* Zach. 11: 15. Vide & Dan. 11: 36, 37. ubi *Rex* ſe effert, conſociatus cum *Deo* quodam *peregrino.* Facit huc in Apocalypſi, emblema *beſtiæ*, & præcipue *ſecundæ*. cap. 13: 11. & ſeqq. ut & *pſeudo-prophetæ*; ex quibus nata eſt *imago beſtiæ*, quæ refert imaginem Chriſti. Ut alia ejus nomina omittamus. Civitas autem ſeu imperium, in quo dominatur Antichriſtus, vocatur *Sodoma* & *Ægyptus.* Apoc. 11: 8. item *Tyrus.* Eſai. 23. & *Babel.* Apoc. 17. & 18.

Deſcriptio illius. IV. Ut *Antichriſtus* ſit hæreticus, ſeu pſeudo-Propheta, Chriſto vel clam, vel palam ſe opponens; quales maxime ſunt Antichriſti illi magni, ex quorum numero, tandem unus aliquis ſupra reliquos eximius emerſit, qui ſub nomine Chriſti, Chriſtum maxime oppugnavit.

Myſterium illius quomodo ſe jam exeruerit; ab exordio mundi, V. Antichriſtianiſmi illud myſterium aliquomodo jam ſe exeruit per multa retro ſecula, in ipſo mundi exordio; mox enim a promiſſo *ſemine benedicto* & poſt mentionem *ſeminis ſerpentini*, Gen. 3: 15. Abeli cum Caino interceſſit inimicitia, quæ non vulgares vel externas ob cauſas ſuborta eſt; ſed propter juſtitiam fidei. Gen. 4: 7. Heb. 11: 4. *Fide majus ſacrificium Deo obtulit, præ Cain.* 1 Joh. 3: 12. *Non ſicut Cain, ex malo erat, & occidit fratrem ſuum. Et cujus rei gratia occidit ipſum? quia opera ejus mala erant, fratris vero ejus, juſta.* Talis etiam contentio fuit inter Noachum & mundum infidelem. Hebr. 11: 7. 2 Pet. 2: 5. Idem etiam certamen fuit inter Iſaacum & Iſmaëlem; Jacobum & Eſavum. Vide Gal. 4: 22. & ſeqq.

& ſub V. T. VI. In Vetere Teſt. eadem ſemper fuit Satanæ machinatio, quando variis & graviſſimis afflictionibus Eccleſiam intricavit; quales potiſſimum fuerunt Ægyptiaca, Babylonica, Antiochena; cumque omnes monarchias adverſas Eccleſia experta ſit. *præcipue autem ſub Novo.* In Novo vero Teſt. intrinſecus per hæreſes, ſchiſmata & hanc potiſſimum monarchiam, labefactavit magis doctrinam; tum vi, tum fraudibus: quum enim perſecutionibus augeretur potius Eccleſia, quam exſcinderetur, in omnigenas fraudes ſe convertit Satan, & frequentes impoſtores ſeu Antichriſtos excitavit; unde *Spiritus Antichriſti jam in mundo erat.* 1 Joh. 4: 3. & *iniquitatis myſterium* jam tum *peragebatur.* 2 Theſſ. 2: 7. & *ultima* jam aderat *hora*, in qua *Antichriſti multi exſtarent.* 1 Joh. 2: 18.

Unde mox multi Antichriſti prodromi; VII. Tales autem erant falſi fratres & pſeudo-Apoſtoli, de quibus paſſim graviter conqueritur Paulus. qui erant παρείσακτοι ψευδάδελφοι. Gal. 2: 4. ψευδαπόστολοι. 2 Cor. 11: 13. ψευδάδελφοι. com.

26. οἱ ἐξ ἐριθείας. Phil. 1:16. Nominatim vero illi fuerunt Ebion, aliique, qui de Chriſto perverſa & blaſphema locuti ſunt. 1 Joh. 2: 22. *Quis eſt mendax? niſi negans, quod Jeſus ſit Chriſtus? hic eſt Antichriſtus negans patrem & filium.* & 4:3. Ex quibus hæreſibus natæ fuerunt contentiones, ut ſe invicem odiſſent Chriſtiani. Matth. 24: 10. *Et tunc offendentur multi, & ſe invicem prodent; & odio habebant ſe invicem.* Sicut contra in meliorum partium factionibus dignatio & æſtimatio Doctorum nimium quantum augebatur; indeque Epiſcoporum evectio & πρωτοκαθεδρία.

VIII. Hæc prima fuerunt initia, quæ paulatim eo excreverunt, [*& tandem ipſe Anti-Chriſtus;*] ut in univerſalem apoſtaſiam, & omnimodam a fide defectionem erumperent; quam prædixerat Paulus 1 Tim. 4:1. & ſeqq. ad quam non uno ſtatim impetu, ſed ſenſim miro aſtu Eccleſiam transvexit Satanas: qui cum in Imperio hactenus vi veritatem oppreſſerat, quam tamen inde non obſcurari, ſed ſplendidiorem undique emicare comperiebatur; in alias ſe vertit artes, & in Angelum lucis ſe transfiguravit; ut jam regno ſuo inter gentes deturbandus, hac ſpecie in ipſa Eccleſia regnum obtineret; ad quod inſtitutum non Romani Cæſares erant ſollicitandi, ſed adeundi Pontifices Romani; quos, oſtenſa mundi gloria, omnique hierarchiæ ſplendore, facile in ſuas partes pertraxit. Accenſa igitur in illis ar- [*invecto Papatu,*] dentiſſima dominandi libidine, ipſam religionem peſſum dedit, & fœdavit turpiter; tandemque etiam poſtliminio paganiſmum nomine Chriſti incruſtatum in Eccleſiam reduxit. Ne vero invitis imperatoribus & Clero grande hoc opus moliretur, ſingularis auctoritas Epiſcopo Romano fuit concilianda, tum ex magnitudine urbis Romæ; tum ex prætenſa Petri cathedra & ſucceſſione; tum ex primorum illius urbis Epiſcoporum pietate & virtutibus. Unde paulatim in illud faſtigium aſcendit Papa; ut per imperii caſum; partim deſerentibus Romam imperatoribus; partim deſerente & rejiciente imperatores ſuos Roma, omnibus major ſit viſus, & pro capite Eccleſiæ, atque univerſali Epiſcopo ſe venditare auſus.

IX. Firmato Papatui acceſſit Papiſmus, ex Judaiſmo & Eth- [*& Papiſmo,*] niciſmo conflatus, & utrumque, nefario religionis adulterio, cum Chriſtianiſmo commiſcens. Ab Ethnicis enim ritus, idololatriam & ſuperſtitionem; a Judæis ritus quoque & pædagogiam Veteris T. mutuantes Pontifices, utramque Chriſtiano nomine & habitu tinxerunt & circumveſtierunt; quas tres religiones, hierarchiæ vinculo

culo

culo colligatas, exhibet Papiſmus. Ne igitur aperta videretur Chriſtianiſmi ejuratio, retentæ ſunt in ſpeciem Scripturæ Sacræ, Symbolum Apoſtolicum; & præterea ventilata fuit condemnatio præcipuarum hæreſium tum florentium, ut Arianorum & Pelagianorum.

oppugnatoque per hoc Chriſto. X. Ut autem verum & indubitatum Antichriſtum ſe proderet, omnia Chriſti munera invaſit. Propheticum puta, per ſubſtitutionem novi verbi ἀγράφου: ſacerdotale per introductionem novi ſacrificii, & interceſſorum præter Chriſtum: regium per dominium in conſcientias, & imperium in vivos non ſolum, ſed & mortuos. Magiſtratibus ſummum in modum injurius fuit; dum ſe & univerſum Clerum obedientiæ illius ſubſtraxit; & peculiare nullique obnoxium tribunal Romæ erexit, jus ſingulare condidit; calendarium novum pro auctoritate ſua, orbi Chriſtiano obtruſit; ſubjectos multos juramento fidelitatis exſolvit, regeſque varios imperio & regnis exuit; atque ita ſeſe *ſupra omnem dictum Deum extulit*. 2 Theſſ. 2:4. & in univerſam Eccleſiam intolerabilem tyrannidem uſurpavit. quæ ſupra à nobis latius oſtenſa ſunt.

Hunc autem Antichriſtum Papam Romanum eſſe, oſtenditur ex illius caracteribus. XI. Ex hac origine & progreſſu Antichriſti, facilis eſt exiſtimatio quis eo titulo inſigniendus ſit. Romanus puta Epiſcopus; ſive eo nomine intelligatur univerſus ille, ab aliquot ſeculis, Epiſcoporum ordo; ſive etiam unus aliquis ex illis, cui κατ' ἐξοχὴν Antichriſti conditiones & mores ad unguem conveniant. Dignoſcendum vero illud eſt ex certiſſimis notis, quibus illum diſtinxit S. Scriptura, quæ non ſingulatim dividi, ſed ſimul conjungi debent; quas potiſſimum poſuit nobis Spiritus ſanctus circa *doctrinam*, *modum* quo doctrinam ſuam orbi propinat & diffundit; tum etiam *ſcelera*, *arrogantiam*, *tempus* denique & *locum*, aliaſque circumſtantias. Atque eas ut nunc deprehendamus, & qui in Papam Romanum quadrent, videamus, opera danda eſt.

1 Doctrina. XII. *Doctrinam* ejus, ſecundum quam futurus eſſet ἀντικείμενος & Antichriſtus, deformat egregie Apoſtolus Paulus 2 Theſſ. 2: 4. *Seſe opponens & ſuperextollens in omnem dictum Deum, vel colendum; uſque ut ipſe in templo Dei, tanquam Deus ſedeat, oſtendens ſe ipſum, quod ſit Deus.* & Johannes 1 Epiſt. 2: 22. *Quis eſt mendax, niſi is qui negat quod Jeſus non ſit Chriſtus? Hic eſt Antichriſtus ille, qui negat Patrem & Filium.* & 4: 3. Hinc *Beſtia ſecunda* licet *habeat duo cornua ſimilia Agno, loquitur* tamen *ut Draco*, Apoc. 13: 11. Sic & *apoſtaſia* illi tribuitur 2 Theſſ. 2: 3. 1 Tim. 4: 1. & ἀνομία, Matth. 24: 12. & *ſeductio*, Apoc. 13: 14. & *fornicatio ac blaſphemia*, Apoc. 17: 2, 4, 5. quæ omnia Pontifici

tifici Romano exacte conveniunt; cum doctrina Papiſmi, non ſolum ſit apoſtaſia à dogmatis Chriſtianis; verum ipſorum etiam dogmatum canon, nimirum Scriptura omnibus modis in eo labefactetur & deprimatur.

XIII. Secunda nota concernit *modum* & *rationem*, qua falſa hæc doctrina diffuſa eſt & propagata; quam indicat tum Paulus, tum Johannes. Ille triplicem eam facit. prima eſt per *operationem myſterii iniquitatis.* 2 Theſſ. 2.7. quod notat, 1. Antichriſtum non ſubito emerſurum; ſed paulatim promovendum eſſe. Nec aliter in Papa repræſentatum eſt; cujus ne quidem nomen in Novo Teſt. inter tot alios Epiſcopos legitur, ſed deinceps ex tenuibus initiis, lento progreſſu, ad culmen illud ſummæ & haud impune contemptæ auctoritatis pervenit. Quod etiam adumbratum eſt Apoc. 13: 1. in *beſtia* ſecunda, quæ *ex terra prodiiſſe* dicitur. 2. Hæreſes primas Antichriſto inſerviiſſe, & utilem navaſſe operam; ideoque etiam, quoad ejus fieri potuit, ab illo eſſe adoptatas, ſicut ex plurimis hæreſibus, ingens eorum chaos conflavit & Papiſmum cudit.

II. Modi eam propagandi.

XIV. Alter *modus*; eſt quod *venturus ſit cum ſignis & prodigiis mendacii.* 2. Theſſ. 2:9. Apoc. 13:13, 14. *Et faciebat ſigna magna, ut & ignem faceret deſcendere ex cœlo in terram coram hominibus. Et ſeducebat habitantes in terra, propter ſigna, quæ ipſi datum erat facere coram beſtia.* *Signa* vero *mendacii* appellantur, 1. quia falſa ſunt, non vera miracula. 2. quia conficta ſunt. 3. quia, licet quandoque vera fuerint, tamen mendacio inſerviunt. Atque hæc Papiſmo convenire, quis non videat? cum apud eos miracula notam ponant veræ Eccleſiæ; & pleraque vel commentitia ſint, vel in ſpeciem tantum facta; vel ſaltem ad doctrinam falſam fulciendam faciant, etiamſi forte, quod præfracte negare nolumus, vera quandoque miracula, ad invocationem nominis divini, in Papatu à doctoribus patrata ſint, per quæ fideles in Papatu ſuperſtites tentarentur, qualia nonnunquam fieri patet ex cautela illa Deut. 13: 1. & ſeqq. & infideles in ſuperſtitione confirmarentur.

XV. Tertius *modus* eſt, *omnis ἀπάτη fraus injuſtitiæ*, 2 Theſſ. 2:10. qua nihil in Papatu manifeſtius eſt, & quæ omnium ſe oculis ingerit, in pervertenda S. Scriptura, falſandis patribus, & mille aliis, piis, ſed falſo nomine, fraudibus. Tribus hiſce adjicit quartam rationem diſſeminandi adulteratam hanc doctrinam; *crudelitatem* nimirum Apoc. 17:6. *Et vidi mulierem illam, ebriam de ſanguine ſanctorum*

Digitized by Google

& de ſanguine teſtium Jeſu. Vide & Apoc. 12:13. &. 13:7. *Et datum eſt ei bellum facere cum ſanctis, & vincere eos.* & com. 15. & cap. 11:7. *Et cum finierint* (duo teſtes) *teſtimonium ſuum, beſtia aſcendens de abyſſo faciet cum iis bellum, & vincet eos: & occidet eos.* quæ omnia in Papam quadrare, teſtantur horrendæ ejus à tempore Gregorii VII. in Albigenſes, aliosque fideles perſecutiones.

III. *Scelerum.* XVI. *Scelerosa vita & luxus*, tertia nota eſt, ex qua diſcernendus Antichriſtus. Hanc ob cauſam, ex phraſi Hebraica vocatur *filius peccati* 2. Theſſ. 2: 3. & *improbus.* Eſai. 11: 4. ὁ ἄνομος. 2. Theſſ. 2:8. ſcelerum ejus catalogus nectitur Apoc. 17:1. & ſeqq. quem non minorem Paparum vita ex vitiorum omnium confluge & perpetua ſerie conſtans, exhibet. Luxus eius enarratur Apoc. 17:4. *Et mulier illa amicta purpura & coccino, & inaurata auro & lapide precioſo & margaritis, habens aureum poculum in manu ſua.* & 18:14. qui in patrimonio Petri & infinitis pecuniarum aucupiis luculenter ſe exſeruit.

IV *Arrogantia.* XVII. Quarta nota Antichriſti eſt, *arrogantia* qua ſe ſupra omnia effert. 2. Theſſ. 2: 4. *Qui ſe ſuperextollit in omnem dictum Deum, aut colendum.* Quæ ſuperbia peccatorum omnium ultimum & ſummum eſt, in regno Chriſti, ubi *fratres ſedent pariter*, Pſal. 133: 1. Prædicta illa eſt de Antichriſto. Dan. 11:36, 37. *Et efferet ſe & magnificabit ſe ſupra omnem Deum, & contra Deum Deorum loquetur mirabilia —— & non habebit rationem ullius Dei; quia ſupra omnia magnificabit ſe.* & Eſai. 14:4. & ſeqq. ubi ſub typo & typho regis Babylonii, qui ſimilis volebat eſſe altiſſimo, Babylon myſtica deſcribitur.

XVIII. Ordine & diſtincte proponitur hæc arrogantia. 1. In eo, quod ſeſe *ſuperextollat in omnem dictum Deum*, com. 4. ſeu Deos nuncupativos, quales erant ſub Veteri Teſt. quique in N. Teſt. abrogati ſunt à Chriſto Pſal. 82: 6, 7. *Dixi quidem Dei eſtis —— attamen moriemini.* Unde illi *dicti Dei, ad quos ſermo Dei factus eſt*, Joh. 10: 34. qui ſunt *principes ſaeculi hujus qui abolentur.* 1. Cor. 2: 6. 8. atque ita ſe effert Papa, 1. ſubjiciens ſibi eos, qui in Veteri Teſt. & quo tempore ſcribebat Paulus, appellabantur dii: vult enim ſacerdotes & principes omnes Veteris Teſt. ſibi ſubjectos eſſe, & ad ſe accedere debere, ob peccatorum expiationem, utpote, qui præter Chriſtum fungatur ſacerdotio, ſecundum ordinem Melchizedechi. 2. Subjicit Eccleſiam Novi Teſt. ſibi ipſi, tanquam Deo nuncupativo, majori cum violentia, quam olim ſub Veteri Teſt.

cum

cum ibi dii iſti nihil agerent, niſi ex juſſu & permiſſione; hic autem plurima & omnia ferme operetur ex motu & θελήματι proprio.

XIX. II. Quod *efferat ſe ipſum ſupra omne σέβασμα, colendum, cultumve.* com. 4. Quo vocabulo tum omnes dii falſi ſignificantur, Act. 17: 23. tum etiam imperatores Romani. Ita etiam diis ſuis fictitiis, ſanctis, quos divos facit, & Deo miſſatico majorem ſe exhibet Papa. Quo pacto etiam imperatoribus Romanis, qui olim Σέβαστοι, *auguſti* dicebantur, non ſolum ſe præpoſuerit ſæpe, ſed & ſceleſte ſæpe eos infra ſe abjecerit, ſupra vidimus.

XX. III. Quod ſit *ſeſſurus in templo Dei, tanquam Deus, demonſtrans ſemet ipſum, quod Deus ſit.* com. 4. Quomodo in templo Dei ſedeat, jam explicavimus. Quod autem tanquam Deum ſe ibi oſtendat, undequaque patet. Nam I. Arrogat ſibi titulos Dei; cum vocatur 1. Unicus in terris Deus, & ſupremum in terris numen. 2. Chriſtus. 3. Fundamentum Eccleſiæ. 4. Sponſus Eccleſiæ. 5. Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. 6. Leo è tribu Juda, radix David, & Salvator. 7. Ille, cui data eſt poteſtas in cœlo & in terra. 8. Sacerdos ſummus, ſecundum ordinem Melchizedek. 9. Dominus, Rex, monarcha, caput Eccleſiæ: quæ omnia & ſimilia ſunt *nomina blaſphemiæ.* Apoc. 17: 3. II. Non ſolum titulos ſibi arrogat, ſed & uſurpationem divinæ poteſtatis. 1. Cum ſtatuitur Dei vicem in terris gerere, & cœleſte habere arbitrium, & rationes rerum poſſe immutare, & diſpenſandi poteſtas ipſi tribuitur, contra ſtatum univerſalem Eccleſiæ, contra concilia, Apoſtolos, Euangelium & ipſum Deum. 2. Cum ſibi adſcribit quæ Dei & Chriſti ſunt, ut 1. quando fidem ſibi adſtringit, tanquam unico verbi Dei interpreti, & legiſlatori infallibili, qui nemini rationem negotiorum ſuorum debet. 2. Quando ex auctoritate peccata vel retinet vel remittit, & leges fert conſcientiam obligantes. 3. Quando omnem poteſtatem & miſſionem miniſtrorum Eccleſiæ intervertit, & ad ſe revocat. 4. Quando ſe conſtituit ut medium inter Deum & homines, ſine quo ad Deum accedi non poſſit.

XXI. III. Tribuit ſibi quæ regno Chriſti omnimodo adverſantur, cum nempe *mutat tempora & legem.* Dan. 7: 25. *Tempora* ſcilicet, cum pro temporibus Spiritus, gratiæ & libertatis, revocat tempora literæ, iræ, & ſervitutis; & regnum ſuum terreſtre introducit; cum peccatorum quotidiana commemoratione, & multiplici ſervitutis onere. *Legem* mutat, per omnigenas alterationes & diſpenſationes; contra legem Chriſti.

XXII. IV. Ipſam denique non reſpuit adorationem. 1. Cum imperatores & reges ipſum adorare dicuntur. 2. Cum Cardinales ipſum humeris ſuis altari impoſitum adorant. 3. Cum acquiritur; an adoratio hæc ὑπερδουλεία, an vero λατρεία ſit, qua Chriſtianorum hic Deus colitur; juxta illud Pſ. 72: 11. *Et incurvabunt ſe ei omnes reges: omnes gentes ei ſervient*: ex illorum detorſione.

v. Temporis. XXIII. *Tempus* deſignatur 2. Theſſ. 2: 6, 7. *Et nunc, quid impediat, noſtis; ut reveletur ſuo tempore. Myſterium enim defectionis jam peragitur: tantum qui impedit nunc, donec de medio prodeat.* Per quem retinentem Paulus Romanum imperium quod abolendum & imminuendum erat, denotare creditur. Quod ubi factum eſſet, continuo retegendus erat Antichriſtus; illud autem jam dudum contigiſſe, ipſa res clamat; cum nomen magis & umbra imperii Romani ſuperſit, quam vera forma.

vi. Loci. XXIV. Prædictus fuit *locus* Antichriſti, tum a Paulo, tum Johanne. Paulus 2 Theſſ. 2: 4. dicit, τὸν ἀντικείμενον *in templo Dei ſeſſurum:* templum autem illud non aliud eſt, quam Eccleſia Dei. 1. Cor. 3: 16. non quæ talis & adhuc ſit & maneat; ſed quæ talis antea fuerit, & eſſe debeat. Non aliter ac Jeruſalem tempore Chriſti ἁγία πόλις vocatur, Matth. 4: 5. & 27: 53. eademque *meretrix* facta, *fidelis* tamen *urbs* nominatur. Eſai. 1: 21. & templum ejus, *domum Patris ſui* nuncupat Chriſtus. Joh. 2: 16. & *domum ſuam*, cum eſſet *ſpelunca latronum.* Matth. 21: 13. In quo templo *ſeſſurus erat*; id eſt, cum auctoritate dominaturus in eam, ſeu primam ſedem occupaturus: ſicut univerſam Eccleſiam ſibi ſubjecit Papa.

XXV. *Locum* hunc etiam deſcribit Johannes, Apoc. 17: 3, 9. *Super 7 montes*; & quod ſit urbs illa, *quæ regnum tenet in reges terræ.* com. 18. quæ omnia tam clare Romam deſignant, ut fateri illud cogatur Bellarminus, quamvis ethnicam ſubſtituat; quod textui omnino repugnat; quandoquiden 10 reges, qui regnum nondum acceperant, illud à beſtia accepturi narrentur com. 12. quod ſub Papa demum factum eſt, non vero ſub imperio Romano ethnico; cum quo nulla alia regna ſimul fuerunt, & à quo erepta quidem, non vero data aliis ſunt nova regna.

An hodiernus Papa Antichriſtus ſit. XXVI. Ex quibus argumentis omni dubitatione majoribus, invicte videtur probari, Pontificem Romanum eſſe Antichriſtum. Suboritur hinc vero quæſtio, Num ſcilicet, hodiernus Papa, Antichriſtus ſit: cui ut nunc ſatisfaciamus, res exigere videtur. Antichriſtum igitur eum dicimus, in quantum Pontificii affirmant eſſe Papam.

Digitized by Google

pam Romanum: cum vero illi negent de fide eſſe, Papam præſentem eſſe Papam, quandoquidem ex multis circumſtantiis, iiſque incertis, illud dependet; ita etiam de fide non eſt, præſentem Papam eſſe Antichriſtum, niſi quatenus conſtat eum eſſe Papam. Unde tamen non damnatur ipſius perſona, ſed munus tantum; licet ſatis probabile ſit plurimos Papas eſſe *αὐτοκατακρίτους*. Hinc pro varia rerum facie, orandum erit pro Papa, vel non orandum. Non orandum ſcilicet pro eo reſpectu muneris; orandum pro eo, quatenus homo eſt, & proximus noſter, & viator; quatenus etiam orbis ſui & terrarum ſuarum politicus eſt princeps, à ſubjectis pro eo orari debet.

An majeſtas Principum Pontificiorum inde lædatur.

XXVII. Nos autem non tenemur crimine læſæ majeſtatis Principum Pontificiorum, ubi Papam Antichriſtum appellamus. Nam 1. Non animo convitiandi id dicimus, ſed jubente conſcientia. 2. Non magis, quam cum idololatriæ accuſamus Papatum. 3. Hoc ipſo conſulimus principibus Chriſtianis, eorumque libertati, contra Papæ tyrannidem. 4. Agnoſcunt illud ipſum, ii Principes Pontificii, qui Papæ auctoritatem, quam ſibi in reges arrogat, repudiant. 5. Non omnes qui illi ſubſunt, antichriſtianos appellamus; cum plurimi eorum *τὰ βάθη profunditates Satanæ* ignorent Apoc. 2:24. nec Papam Eccleſię monarcham, ſed primæ ſedis Epiſcopum duntaxat agnoſcant.

Pontificiorum de Antichriſto commenta,

XXVIII. Aſſerta veritate, ſequuntur refutanda Pontificiorum commenta, quos mirum non eſt hac in re tam turpiter hallucinari, & toto cœlo aberrare; cum longe aliam ſibi Antichriſti faciem fingant, & ideam ejus plane mutent. Qua in re dum molimina eorum perpendimus, eadem fere cœcitas occurrit, quæ Judæorum fuit in negando Chriſto, & pervicaiciam ſuam iiſdem ferme artibus defendunt; nec hic quicquam illis concedunt; à quibus etiam multa in hoc negotio mutuati ſunt. Judæi enim commenti ſunt Antichriſtum, *Armillum* ipſis dictum, quaſi *Ἐρημόλαον vaſtatorem populi*; quem narrant Romæ e lapide marmoreo naſciturum, prodigioſæ ſtaturæ; & gentium Meſſiam ſe jactaturum; donec cum ipſo pugnet & inferior evadat Meſſias Ben Joſeph; poſt quem cæſum, ſurget tandem Meſſias Ben David, qui Armillum funde & occidet. Quæ fabula iis demum temporibus contexta eſt, quando Papa Romanus, Chriſtianis non ſolum, verum etiam Judæis gravis eſſe cœpit; unde per *Armillum* hunc Judæos Romanum Anti-Chriſtum deſignaſſe, ex omnibus indiciis liquidum fit. Quamvis recentiores fabulam hanc, paulo aliter recitent, alioque referant.

ad inſtar Judæorum Armilli.

Digitized by Google

XXIX. Horum veſtigia prementes Pontificii, Antichriſtum fingunt ſingularem quendam hominem futurum, ex tribu Dan oriundum, qui pro Judæorum Meſſia ſe venditaturus ſit; & ſpatio trium annorum cum dimidio, templum Hieroſolymitanum inſtaurabit, orbemque ſubiget, uſque dum à Chriſto in monte Oliveti vincatur & conficiatur. Verum nec Judæi e tribu Dan Meſſiam exſpectant, nec cultus Judaicus unquam reſtituetur; nec tantillo temporis intervallo fieri poſſunt, quæ de Antichriſto omnia prædicta ſunt; & tum porro tam aniles ſunt hæ nugæ, ut refutari dignæ non ſint. Horum autem venia dari poterat experientia necdum edoctis, ſicubi in ſimiles gerras etiam aliquando ſint quidam Patrum delapſi; quorum ſomnia avide arripuerunt Pontificii, dummodo eorum inſtituto aliqua ex parte favere viderentur.

Illorum contra veram de Antichriſto doctrinam exceptiones: ratione 1. perſona.

XXX. Majus igitur operæ pretium futurum erit, ſi paulo propius quæ contra noſtram ſententiam afferunt perſpiciamus, & ad veritatem contendamus. Sic 1. reſpectu *perſonæ* ejus, cenſent Antichriſtum eſſe ſingularem perſonam, ideoque Papam non eſſe, cum multi ſint Papæ. Poſtulatum porro ſuum ita firmant. 1. Joh. 5:43. Antichriſtus vocatur *alius qui venturus eſt in nomine proprio*: ergo unus aliquis eſt & ſingularis. Reſp. Cenſent quidam de Antichriſto ibi proprie, ſaltem ſolo, non moneri, ſed de quocunque pſeudo-Propheta & pſeudo-Chriſto; qui Judæos deluſurus erat, qualis fuit Barcochebas, aliique. Sed & cum de Antichriſto ibi quoque agatur, vox *alius*, indefinite ibi ſumenda eſt, pro quocunque alio. ut Joh. 21:18. *Alius te cinget & feret quo non vis.* conf. 1. Cor. 3:4.

XXXI. 2. 2. Theſſ. 2:3,4. Ubi cum articulo dicitur; ὁ ἄνθρωπος, ὁ υἱὸς, ὁ ἄνομος. Verum 1. articulus notat ſæpe perſonam ἀόριστον indefinitam. ut Matth. 12:35. ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος. Marc. 2:27. Luc. 4:4. Joh. 4:37. 2. Imperatores Romani communiter, dicuntur ὁ κατέχων. 3. Fuit etiam inter Pontifices, cui nomen illud κατ' ἐξοχὴν convenerit. 4. Incipiebat jam tempore Pauli operari ſpiritus Antichriſti. 2. Theſſ. 2:7. 1. Joh. 4:3. non idcirco numero unus eſſe potuit Antichriſtus, ſed potius repræſentative & ſucceſſive. 3. Dan. 7. & 11. & 12. capp. Antichriſtus aliquoties dicitur unus rex. Reſp. Eodem modo ac reliquæ monarchiæ, in quibus ſucceſſive plures regnarunt, licet unus forte uniuſcujuſque rex dicatur. 4. Apo: 13:18. numerus beſtiæ exprimitur, quo nomen ejus conſtet ſcilicet; nomina vero individuis tantum tribuuntur. Verum in textu nulla

fit

Digitized by Google

fit mentio nominis proprii; deinde ipſis ſæpe generibus nomina induntur; quare Irenæus etiam nomen & numerum iſtum in populo Latino quæſivit. 5. *Filius perditionis* nuncupatur 2. Theſſ. 2:3. quem unam tantum perſonam eſſe, patet ex Joh. 17:12. *& nemo ex iis periit; niſi filius perditionis.* Verum eo ipſo, quod hoc nomen pluribus in locis legitur, apparet illud competere multis individuis, licet non omnibus.

XXXII. II. Reſpectu *temporis* habent etiam quæ nobis opponant. *2. temporis.* Nimirum, ante adventum Antichriſti, Euangelium jam toto orbe prædicari debuit; quod cum nondum factum ſit, nec Antichriſtum etiam veniſſe oportet; ſecundum definitionem Salvatoris Matth. 24:14. *Et prædicabitur iſtud Euangelium regni, in tota habitabili —— & tunc veniet finis.* At præſtitum illud non ſolum eſt ante adventum Antichriſti, ſed jam ante excidium Hieroſolymorum; ad quod prædicto loco etiam reſpici videtur. ita Col. 1:6. *Sermo veritatis* jam *in toto mundo eſſe* dicitur.

XXXIII. III. Tempore Antichriſti contingit *tribulatio qualis nec fuerit, nec erit.* *3. afflictionis.* Matth. 24:21. illa vero necdum fuit. Reſp. Non agitur ibi de Antichriſto, ſed excidio Hieroſolymitano; cum ex ipſorum ſententia, perſecutio Antichriſti ultima ſit futura; hanc vero ultimam non eſſe, ex textu apparet. IV. Sub Antichriſto *ceſſabit ſacrificium juge*, Dan. 11:31. 12:11. id eſt, cerimoniæ & Miſſa. *4. ceſſationis ſacrificii jugis.* Sed I. ibi, ſecundum multos, de externo & typico jugi ſacrificio ſermo eſt, quod per Antiochum fuit interruptum. Tum etiam verus cultus Dei, & meritum Chriſti per juge ſacrificium adumbratum, tollitur quam maxime à Papa.

XXXIV. V. Enoch & Elias Antichriſto ſe opponent, illi autem necdum venerunt. *5. Enochi & Eliæ.* Sed fabulæ & nugæ hæ ſunt, quæ ſimili modo etiam Judæos dementarant. Matth. 17:10. Marc. 9:11. Urgent, tamen hæc prædici. Mal. 4:1. *Ecce, ego mitto Angelum meum, ut vacuam faciat viam coram me.* Matth. 17:10. Apoc. 11:3. *Et dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt dies mille ducentos.* &c. At duobus prioribus locis Eliæ tantum fit mentio, quia Johanne Baptiſta fuit repræſentatus. Luc. 1:17. *Et ipſe præcedet coram eo in ſpiritu & potentia Eliæ.* Matt. 17:10. 13. & 11:14. ultimo verò loco, non prioris, ſed ſolius Antichriſti fit mentio. VI. Apoc. 11:3. agitur *de duobus teſtibus*; atqui hi Enoch & Elias ſunt. Verum de Enocho & Elia ſilet ſacer textus. *6. duorum teſtium.* 2. Occidendi erant hi duo teſtes; quod illis

non

non conveniet. Hebr. 11: 5. *Per fidem Enoch fuit tranſlatus, ne videret mortem.* & Elias in cœlum vectus. 2. Reg. 2. 3. Teſtes hi ſecundum literam intelligi non poſſunt; vocantur enim etiam *duæ oleæ* &c. ſed myſtice notant Scripturam Veteris & Novi Teſt. vel, ut alii volunt, pauciſſimos quoſdam pios, qui Antichriſto reſtiterunt.

7. durationis regni ipſius.

XXXV. VII. Antichriſtus regnabit tantum tres annos cum dimidio. Dan. 7: 25. & 12: 7. Sed 1. multi hæc intelligunt de Antiocho, tanquam figura Antichriſti, qui tanto tempore templum profanarit. Vide 1. Mach. 1: 21. & 4: 52. Ita Dan. 12: 11, 12. memorantur dies 1209. confer cap. 11: 31. & 1 Mach. 1: 58. & 6: 16. & 2. Macch. 11: 33. 2. Cum vero Apoc. 12: 14. illud Antichriſto applicetur; fieri non poteſt, ut tantillo tempore illa efficiat, quæ ipſi tribuuntur, & efficienda ab eo dicuntur.. Dies ergo hi 1260 pro annis ſumi debent. Vide Apoc. 12: 6. Nec inſolitum hoc eſt; ut videre licet Ezech. 4: 6. Dan. 4: 29. & ſeqq. Apoc. 2: 10. de quibus annis infra etiam dicetur.

8. nominis & characteris.

VIII. Nomen & character Antichriſti non conveniunt Papæ. Sed 1. nomen ejus in voce Λατεῖνος invenit Irenæus; 2. Character beſtiæ in variis teſſeris communionis Romanæ conſpicuus eſt: communis character eſt in profeſſione fidei Romanæ, & obedientia illius. ſed de his etiam infra.

9. originis.

XXXVI. IX. Antichriſtus eſt gente Judæus, proditurus e tribu Dan, & propter Judæos præcipue venturus: quæ longiſſime à Papa abſunt. Verum falſæ etiam ſunt hæ Antichriſti notæ, & male efficiuntur ex locis Gen. 49: 17. Num. 2: 25. conf. Eſai. 14: 13. Dan. 11: 7. Jer. 8: 16. Apoc. 7: 5. & ſeqq.

10 ſedis.

X. Sedem Antichriſti eſſe Jeruſalem & templum Salomonis: utpote qui in *templo Dei* ſeſſurus. 2. Theſſ. 2: 2, 4. Apoc. 11: 8. Dan. 11: 45. Verum fabuloſa hæc ſunt; nam 1. Hieroſolyma & templum ita exciſa ſunt, ut nunquam ſint reſtauranda. Matth. 24: 2. Dan. 9: 26, 27. 2. Apoc. 11: 8. —— *In foro civitatis illius magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma & Ægyptus; ubi Dominus crucifixus eſt.* non ibi ſermo fit de Hieroſolyma externa; ſed myſtica, quæ & Sodoma & Ægyptus dicitur; cum Dominus proprie Hieroſolymæ non ſit crucifixus, ſed *extra portam*, Hebr. 13: 12. 3. Dan. 11: 45. *Et plantabit tentoria Appadno inter maria montis ſancti.* Sermo eſt aut de Antiocho; aut ſi ad Anti-Chriſtum referatur, regnum aliquod in quo erit Eccleſia, deſignatur.

11. Doctrina.

XXXVII. XI. Doctrinam Antichriſti, uti deſcribitur in Scriptura, non profitetur Papa. ut 1. *Negare Jeſum eſſe Chriſtum.* 1. Joh. 2: 22. & *negare adventum Chriſti in carnem.* 1. Joh. 4: 2, 3. 2. Profiteri ſe Chri-

Digitized by Google

Chriſtum. 3. & Deum. Reſpond. Non illud aperte & directe fieri debebat, ſed clam & indirecte; factis nimirum verba ejus negantibus; ut homines illi Tit. 1:16. uti etiam ab illo fit. 1. Cum maximam redemptionis partem Chriſto ſurreptam, in alias res transfert. 2. Cum mediatoris officium aliis etiam commune facit; hoc enim modo Salvator noſter, nec Jeſus, nec Chriſtus eſt. 3. Cum veritatem carnis Chriſti negat in tranſubſtantiatione &c. 4. Cum juſtificationem per ſolam in Chriſtum fidem obtinendam negat. 5. Cum liberum arbitrium in bono, & perfectam obedientiam obtineri poſſe ſtatuit. 6. Cum negat concupiſcentiam eſſe peccatum, & peccata minuit, & quædam ex eorum numero tollit. 7. Cum aliud fingit ſacrificium ἱλαστικὸν, quam Chriſti. 8. Cum dicit illum non ſolum veniſſe cum aqua & ſanguine, ſed & cum accidentibus panis & vini. 9. Cum, præter legem Chriſti, aliam præſcribit legem, aliud verbum, alium doctorem, aliaque plura, contra & præter ea quæ Chriſtus inſtituit.

XXXVIII. 2. Chriſtum ſe eſſe non aperte quidem profitetur & præ ſe fert Papa, quod nec in Antichriſto requiritur; nec, uti diximus, debet cogi ex loco Joh. 5:43. Per varias tamen ambages, non uno modo ſe Chriſtum facere, oſtendimus. 3. Deum ſe dicit Papa; id eſt oſtendit ſe, *tanquam ſit Deus*. 2. Theſſ. 2:4. non tanquam verbis præ ſe ferret, & ſe Deum ſalutari faceret; ſed quia res eas præſtat, quas non niſi Deus præſtare poteſt; atque ita factis magis ſe Deum exhibens: quod tamen nemini niſi Deo competit. Confer Act. 12:22. Hæc vero num fruſtra in Papa quærantur, ex iis, quorum ſpecimina ſuperius à nobis edita, judicare licet.

XXXIX. XII. Miracula Antichriſti nunquam patravit Papa. Ut 1. ignem è cœlo elicere. 2. Facere, ut imago beſtiæ loquatur. *12. Miraculorum.*
Apoc. 13:13, 15. Reſp. 1. Ignis ille vario ſignificatu accipitur: vel pro donis Sp. Sancti; quæ jactat Papa à ſe conferri; vel pro fulmine excommunicationis ad imaginem Eliæ ignem è cœlo impetrantis: ſeu de igne cœlitus in terram demiſſo; tum à monachis, tum à Gregorio VII. novo Jove Elicio: ſeu potius id proponatur in exemplum magnorum ſignorum; & ignem de cœlo elicere, tantundem ſit ac ſtupenda miracula patrare. Nihil horum vero Papæ denegari poteſt, cum omnia ipſi non uno nomine conveniant. 2. Imago beſtiæ quomodo per eum & in ipſo loquatur, infra videbitur.

XL. Atque ita abſolvimus Pontificios; reſtat nunc debellandus, qui *III. Ill.*

 Pon-

Digitized by Google

Grotii Pontificiis hac in parte velificatus fuit, illuſtris Hugo Grotius:
παρερ- qui, ſicut Chriſtum in Veteri Teſt. ita Antichriſtum in novo
μηνεία deprehendere vix potuit: atque ideo vaticinia Pauli ad Caligulam
locorum de & Simonem Magum detorſit; ea quæ in Epiſtola Johannis dicuntur,
Antichri- ad Barcochebam; quæ vero tam exſertim in Apocalypſi canuntur,
ſto. ad Trajanum & Apollonium Magum, & Domitianum deflexit, invitis licet verbis & rebus.

2. Theſſ. 2: 3, 4. XLI. I. 2. Theſſ. 2: 3, 4. *Homo peccati* & *filius perditionis* ipſi eſt Cajus Caligula. Sed inepte; ſic enim Paulus vaticinatus fuiſſet, non de re futura, ſed præterita. Caligula enim diem clauſerat, aliquot jam annis, & ſecundum Baronium, decem minimum, antequam Paulus hæc ſcriberet; quæ ſingula latius probare, noſtrum non fert inſtitutum. II. *Dies Chriſti.* com. 2. cum ipſi ſit dies excidii Hieroſolymitani; ridiculum foret dicere, ante hunc diem proditurum Cajum ſuam impietatem, cum Cajus multis abhinc annis mortuus eſſet. III. *Templum Dei*, ipſi eſt templum Hieroſolymitanum, in quo imaginem ſuam poſiturus erat Caligula. At 1. templum Hieroſolymitanum hic non intelligi ſupra docuimus. 2. Aliud eſt in templo ſedere, aliud imaginem in eo collocare. 3. Neque Cajus imaginem ſuam in templum intulit, ſed tantum conatus eſt.

XLII. IV. *Apoſtaſia*, com. 3. eſt ipſi impietas Caligulæ. Sed. 1. Apoſtaſia ita ſimpliciter & nude poſita, nunquam notat malitiam unius hominis; niſi hoc expreſſe addatur. 2. Caligula Apoſtata non fuit, non enim defecit à fide, ſeu majorum, ſeu ſui ipſius, cum ipſe idololatriæ à majoribus acceptæ innutritus fuerit. V.
com. 7. *Myſterium iniquitatis*, com. 7. ſunt ipſi occulta Caji conſilia. Verum 1. *Myſteria* proprie ſunt arcana religioſa, quæ hic nulla. 2. Nulla etiam conſilia Caji, jam dudum mortui. VI. *ὁ κατέχων*, com. 6.
com. 6. ipſi eſt Lucius Vitellius, Syriæ præſes, qui remorabatur Caji impietatem. At 1. uti jam ſæpius reſponſum, Cajus jam dudum mortuus. 2. Nec reverebatur Vitellium Cajus, quem Syria excedere juſſit. 3. Nec quidem Vitellius obſtabat, quo minus Caligula ſe Deum appellaret.

com. 8. XLIII. VII. *Ἄνομος*, qui *revelandus* eſt, com. 8. non alius ipſi eſt, quam Simon Magus. Sed 1. repugnat ſeries orationis; cum ex filo textus appareat, eundem eſſe *τὸν ἄνομον* cum eo, qui com. 3, 4. dicebatur *homo peccati* & *filius perditionis*. conf. com. 6, 7. 2. Particula *τότε tunc* com. 8. ex Grotii hypotheſi, indicat illum revelandum fore, ubi Cajus occultum ſuum ſcelus animo aperuerit: hæc vero advertens abſurda

Digitized by Google

ſurda eſſe, dicit Simonem Magum demum cognoſci cœpiſſe, anno Claudii ſecundo. Verum illud nec fert adverbium τότε nec cum reipſa convenit; ſiquidem Simon Magus jam antea impia ſua dogmata diſperſerat. Vide Act. 8:9.

XLIV. v i i i. Verbam ejuſdem commatis; *quem abſumet Dominus Spiritu oris ſui*, detorquet ad adventum Petri Romam, & conflictum ejus cum Simone Mago, & reportatam ab eo victoriam. Sed falſa hæc fabula eſt. Nam 1. Cum certamen illud publice peractum dicatur, nullus ſcriptor Romanus illius meminit. 2. Ipſi inter Patres quidam, pro dubio & falſo hoc factum habent. 3. Deceptus fuit Juſtinus Martyr, & poſt illum alii; qui inſcriptionem ſtatuæ in ponte Tiberino; SEMONI. SANCO. DEO. interpretatus eſt, *Simoni Sancto, Deo*; ac ſi Simoni Mago illa eſſet poſita. Vero ſimile autem nequaquam ſit, Mago publice tam turpiter victo collocatam eſſe hanc ſtatuam. Inſcripta erat hæc ſtatua non *Simoni*, ſed *Semoni*, qui & *Sancus*, & *Sangus*, & *Fidius* dicitur.

XLV. Ad Johannem tranſit Grotius, eumque male accipit, verba 1 Joh. 2:
ejus detorquens. Sic 1. τὴν ἐσχάτην ὥραν, 1. Joh. 2:18. transfert 18.
ad excidium templi & Hieroſolymorum: ſed, cum omnes in eo conveniant, epiſtolam hanc à Johanne, ab exilio reduce, in extrema ſenectute, ſcriptam eſſe, jam poſt excidium Hieroſolymorum; eadem ergo hæc *ultima hora* eſt, cum *diebus extremis*. 2. Tim. 3:1. & *temporibus poſterioribus*. 1. Tim. 4:1. & cum *tempore* illo, quod *prope abeſt*. Apoc. 1:3. i i. *Antichriſtus*, qui *venit*. com. 18. ipſi eſt Barcochebas, qui ſub Adriano imperatore Judæos ad ſeditionem deduxit Sed 1. Non defecit ille Barcochebas a Chriſto. 2. Nec ſedit in templo Dei. 3. Nec miraculis, aut myſterio, ſed vi armata rem geſſit. Idem ergo Johanni eſt ἀντίχριστος, qui Paulo eſt ὁ ἀντικείμενος. i i i. *Antichriſti multi*, qui *jam erant*. com. 18. ſunt ex ejus ſententia pſeudo-Chriſti, Judas Galilæus, Theudas, Ægyptius ille. Act. 5:36, 37. Simon Magus &c. Sed hoc erit tempora & rerum ordinem invertere, cum omnia illa contigerint, antequam Johannes hæc ſcriberet. Intelligit igitur Johannes hæreticos, Anti-Chriſti magni prodromos. 1. Joh. 2:19.

XLVI. iv. 1. Joh. 4:3. Ubi dicitur, Antichriſtum negare, *Chriſtum veniſſe in carnem*, vertit *cum* carne, & *carnem* accipit pro ſtatu 1. Joh. 4:3.
humili, ſine pompa & armis; cum quibus ut Judæi Meſſiam ſuum exſpectabant; ita Antichriſtum vult, ad exemplum Judæorum,

 negare,

negare, cum eſſe Chriſtum, qui venit ſine pompa. At gloſſa hæc Sociniana repugnat phraſi Scripturæ, ubi caro ſemper naturam Chriſti humanam notat. Joh. 1:14. 1. Tim. 3:16. Hebr. 2:14. 1. Pet. 3: 18. Hebr. 10:20. v. *Antichriſtum.* com. 3. vult eſſe Barcochebam. Cum tamen ille Barcochebas necdum in mundo eſſet, quod tamen de Antichriſto affirmat Johannes; ſed deinceps ſub Adriano emerſerit. Spiritus igitur eſt Antichriſti, operans in iis qui Chriſti adventum in carnem negabant; quem jam tum in orbe fuiſſe ex ſuperioribus liquet.

Apoc. 13. XLVII. Tandem Apocalypſin ita interpretatur. 1. Apoc. 13. *Beſtia aſcendens e mari*, ipſi eſt idololatria: *Beſtia* autem *aſcendens è terra*, magia. Male vero; cum beſtiæ hæ, non vitia quædam, ſed regna & imperia apud Prophetas notent. 11. *Beſtia ſecunda*, eſt Apollonius Thyanæus, magus, æqualis Domitiano imperatori. At 1. reponimus iterum, ſic Johannes vaticinatus fuiſſet de præteritis. 2. Cum Nero & Domitianus magos coercuerint, & ſpeciatim poſterior ille hunc Apollonium; ut magia tum multum decreſceret; inepte hæc beſtia tunc emerſiſſe dicitur. 111. *Numerum beſtiæ.* Apoc. 13. quærit in pronomine Trajani ὄυλπιος. Sed 1. Numerus hic non pertinet ad beſtiam primam, ſed ſecundam. 2. Nulla eſt ratio, cur numerus hic in nomine Trajani quæratur, quo multi imperatores crudeliores & pejores fuerunt. 3. Neque in eo nomine numerus hic 666 invenitur; ſed potius 860. ς enim finale 200 facit, quod Grotius imperite in vau ἐπίσημον commutavit, quod 6 efficit.

Apoc. 17. 10. & ſeqq. XLVIII. IV. Apoc. 17: 10. & ſeqq. Septem regum, *quinque priores*, qui ceciderant, facit Claudium & quatuor ſequentes imperatores; *Sextum*, qui jam erat, habet pro Veſpaſiano; *Septimum*, qui nondum venerat, pro Tito. Inepte iterum, cum Apocalypſis ſcripta ſit, extremum, ſub finem Domitiani; non vero ſub Veſpaſiano, ut Grotius hic cenſet. 2. Si vero hi Romani Cæſares intelligendi ſunt, cur primum eorum facit Claudium, ante quem alii præceſſerant? V. *Beſtia* quæ *erat & non eſt.* com. 11. cenſet eſſe Domitianum; quia primo abſente patre dominatum Romæ exercuerat; deinceps iterum privatus factus. Sed 1. Scripta hæc ſunt ultimis Domitiani temporibus: ut hæc ad illum pertinere non poſſint. 2. Dilutum nimis eſt, ut ille tanta cum ἐμφάσει, *eſſe* & *non eſſe* dicatur, qui ſolummodo imperium alterius nomine exercet quo poſtea bſtinet.

XLIX. VI. Beſtiæ *decem cornua.* com. 12. & 13. Sunt illi Gothi & fœ-

fœderati populi, tum necdum regnantes, ſed poſtea concedentibus Romanis regnaturi. At 1. Si beſtia, cum qua decem hi reges regnum erant accepturi, ſit Domitianus, ut Gothi eorumque fœdererati decem illi reges ſint, fieri nequit, utpote qui poſtea demum exorti ſint. 2. Nec illi fuerunt cornua potentiæ Romanæ, cum illam everterint potius, quam ſtabiliverint. Intelliguntur ergo hic regna, quæ cum Antichriſto, lapſis jam imperii Romani rebus, potentiam adeptura erant.

L. VII. *Odium meretricis* & illius ruinam rejicit in illa tempora, cum fœderati illi populi imperii hoſtes facti ſunt. Sed populi illi ſive reges, non ſunt conſtituti reges, niſi everſo jam imperio. *Meretrix* ergo, illiuſque odium, non in imperium Romanum redundat, ſed ad Antichriſtum ſpectat. VIII. & ultimo denique vaticinium de urbe *exurenda* refert ad Totilæ incendium. Sed 1. illud non plenam vel ultimam totius urbis vaſtationem apportavit; quale hic Babyloni portenditur, præſertim cap. 16. 2. Chriſtiani non debuerunt illi incendio inſultare, uti præcipitur cap. 18:6, 20. 3. Nec Deus tum ſuos Roma evocarat, aut ex orbe Romano, in clade illa Gothica, ſicut è Babylone populum ſuum tranſvecturus dicitur. cap. 18:4.

CAPUT XIX.

De duplici Beſtia, & Eccleſiæ cum illa commixtione.

I. NOn novum autem vel mirandum uſque fuit hoc Antichriſti regnum, cum jam ab antiquis retro temporibus prænunciatus & præſcriptus ſit filius hic perniciei; quem præſertim tum novis, tum repetitis ex Veteri Teſt. coloribus, ad vivum depinxit Apoſtolus Johannes in Apocalypſi illa admirabili, ſub ſpecie duplicis *beſtiæ*; unius decem cornibus inſignitæ; alterius bicornis: quas ut nunc repetamus & accuratius conſpiciamus, non videtur ab inſtituto noſtro alienum. *Repræſentatio Anti-Chriſti ſub duplici* BESTIA *Apocalyptica.*

II. Prior *beſtia* deſcribitur Apoc. 11:7. & 13:1. & ſeqq. & cap. 15: 2. 16:10. 17:3, 7, 8, 11, 16, 17. & 19:19. 20. & 20:4, 10. Per quam beſtiam nihil aliud intelligitur, niſi cœtus hominum animalium & *Deſcriptio prioris:*

 car-

carnalium, Spiritum Dei & fidem Chriſti non habentium; Chriſtum tamen profitentium; id eſt, uno verbo, Eccleſia externa. Refertur hæc beſtia *aſcendiſſe ex mari*, id eſt, ex mundo infideli; quando ſcilicet tempore Conſtantini, per totum imperium Romanum, ad Eccleſiam *ſe multi adjungent*, nimirum *per aſſentationem*. Dan. 11: 34. *Dedit ei potentiam & thronum ſuum Draco*. Apoc. 13: 2. h. e. diabolus, qui hactenus palam per idololatriam & perſecutiones in imperio Romano dominatus fuerat, clam nunc operabatur, in Eccleſia illa externa, & mundanorum hominum regno.

III. *Habebat* hæc beſtia *7. capita*. Apoc. 13: 1. quæ 7 ſunt *montes*. Apoc. 17:9. quæ notant latiſſimum ejus imperium; unde & 10 *cornua*, 10 *regna* ejus ſignificant. com. 12. Deſcribitur etiam Apoc. 17:8. mirabili modo: *quæ fuit & non eſt, quanquam eſt*: hoc eſt, quæ conſiſtat in tali externa politia, quæ *fuit* quondam ſub Veteri Teſt. *non eſt*, ſub Novo: & *eſt* tamen, poſtliminio revocata ſcilicet ab animalibus hominibus.

IV. Unum ejus caput *mactatur ad mortem* & *ſanata eſt plaga*. Apoc. 13:3. Prius illud factum, regnante Juliano Apoſtata; cum oppreſſa videbatur Eccleſia illa externa; poſterius autem contigit, ſuccedente Joviano; tum enim illa iterum effloruit, & ſanata eſt beſtia, cum ſanari videretur Eccleſia.

V. *Datum eſt* beſtiæ illi *os loquens magna & blaſphemias*. Apoc. 13: 5. quando nimirum Eccleſia illa hypocritica & ſimulata, ſeu Romana, pro magiſtra cœpit haberi, & auctoritatem nanciſci, ac ſi infallibilis eſſet, eaque abuti ad loquenda & agenda ea, quæ non inſerviebant gloriæ Dei.

VI. *Adorabant omnes habitantes in terra* beſtiam hanc. ibid. com. 8. id eſt, ad Eccleſiam illam ſe aggregarunt, quam veram eſſe putabant, & ita regno illi permixti ſunt veri fideles.

poſterioris. VII. Succeſſit autem, aut conjuncta potius fuit priori beſtiæ, altera, *duo habens cornua, ſimilia agno*. com. 11. Quod fuit regnum doctorum Eccleſiæ Romanæ, jactantium ſe habere poteſtatem Chriſti, ad ſolvendum & ligandum, quæ duo ſunt agni cornua: hæc ſecunda beſtia, *pſeudo-Propheta* etiam dicitur. Apoc. 16: 13. & 19: 20. & *meretrix priori beſtiæ inſidens*. Apoc. 17: 3. id eſt, Eccleſiam externam ſubjugans, ſibique ſubjiciens.

VIII. Altera hæc beſtia perſuaſit populo, *ut facerent imaginem beſtiæ*. com. 14. quæ nempe imago Eccleſiam repræſentaret & referret;

Digitized by Google

referret; quod elogium eſt Papæ, qui tanquam caput Eccleſiæ, & vicarius Chriſti, omnem Eccleſiam exhibet in ſe & repræſentat. Inde datum eſt falſis doctoribus, *dare Spiritum imagini* beſtiæ. com. 15. hoc eſt, perſuadere hominibus, penes Papam reſidere Spiritum Dei infallibilem.

IX. Legem habet hæc, & χάραγμα ſeu *ſignaturam*, *ut* illam *daret* hominibus, *in manu illorum dextra, aut in frontibus eorum*. comm. 16, 17. Quæ ſunt lex & dogmata Eccleſiæ Romanæ, recepta per profeſſionem nominis, & obedientiam præceptorum ejus: ſicut in Veteri Teſt. lex Dei jubebatur haberi ſignum *in manu & in fronte*. Exod. 13: 9. Deut. 6: 8. *Numerus* ejus eſt 666. quem olim Irenæus in voce Λατεῖνος, aliique multis aliis modis quæſiverunt; quos nunc ad alia properantes non enarrabimus.

X. Tempus regni hujus beſtiæ, eſt *menſium* 42, Apoc. 13:5. & 11:2, 3. vel *dierum* 2260; qui totidem annos notant; in quibus diebus comprehenduntur mille anni, quo tempore ligatus Draco fuit. Apoc. 12:9. & 20:2, 3. nimirum ex eo tempore, quo ceſſavit Diocletiana decennalis perſecutio, & ſucceſſit Conſtantinus Magnus; quando regnare cœpit Eccleſia externa, ita tamen, ut ſimul regnaret Chriſtus, cum vel ipſa beſtia nomen Chriſti præ ſe ferret, & in eo omnia facere videretur. Interea mulier illa alitur à gentibus in deſerto per dies 1260. Apoc. 12:6, 14. id eſt, uti jam diximus, per totidem annos: qui inchoandi ſunt ab anno Chriſti 292. cum Cæſar factus eſt Conſtantius Chlorus, qui Chriſtianos in Occidente defendit; & terminandi in anno 1552. ubi facta eſt tranſactio Paſſavienſis, libertas Reformatæ religionis conceſſa, & pax religionis dein ſtabilita eſt; ut è Babylone jam omnibus exire licuerit.

XI. Interim *fideles Dei teſtes prophetant amicti ſaccis*. Apoc. 11: 2. Qui teſtes ſunt vel pauci doctores, qui ante Reformationem contra ingruentes illas corruptelas inſurrexerunt; vel potius, cum duo dicantur, notabunt Scripturam Veteris & Novi Fœd. ſeu duas claſſes prophetantium, Prophetas & Apoſtolos, qui *ſaccis* amicti prophetarunt, dum nempe ſermo Dei humanis commentis involutus fuit ut ſenſus ejus minus clarus, nec tam efficax in hominibus fuerit, propter *pugnas verborum*, quas ſectabantur doctores, *quæ populum ſubvertunt*. 2. Tim. 2: 14.

XII. Hæc ergo fuit Eccleſiæ cum beſtia commixtio, ſeu ejus captivitas, ita tamen, ut manſerit ſemper Eccleſia in ipſo beſtiæ regno; ſuperſtant enim aliqui, quorum *nomina ſcripta ſunt in libro*

Eccleſia cum Beſtâ commixtio & in re-

gno ejus conſervatio. *libro vitæ* &c. Apoc. 13: 8. prout promiſerat Chriſtus, *portas inferni non prævalituras Eccleſiæ.* Matth. 16: 18. Effigiatur illud etiam Apoc. 17: 14. & præcipue 14: 1. ubi *agnus* deſcribitur *ſtans in monte Sion, cum* 144 *chiliadibus, habentibus nomen Patris Chriſti, in frontibus ſuis*: quæ ſymbolica eſt deſcriptio electorum, ſignificatorum per 12 tribus Iſraëlis ſpiritualis, numero duodenario in ſe reducto, unde efficientur 144. Horum ſignatorum perhibetur quadruplex *vox*, quæ audita fuit ante caſum Babylonis. Apoc. 14: 2. & ſeqq. Nempe 1. *Aquarum multarum*; quæ ſonuit ſub Carolo Magno, in Francofurtenſi & Pariſina Synodis, & in Bertramo, aliiſque. 2. *Tonitrui magni*, quæ audita eſt poſt annum 1000. ſub Henricis Imperatoribus, à Berengario &c. 3. *Cytharœdorum*; qui ſunt Waldenſes. 4. *Angeli æternum Euangelium nunciantis*; quam vocem ediderunt Reformatores, à Wiclefo & deinceps; quorum prædicatio non ceſſabit, uſque ad finem mundi.

Inſecuta ſecunda *mundi* reſurrectio. XIII. Hiſce peractis, ſubſecuta eſt *ſecunda* mundi *reſurrectio*. Apoc. 20: 12, 13. Sicut enim prima mundi reſurrectio tum fuit, cum per prædicationem Apoſtolorum mundo nova vita infuſa eſſet: cumque Deus *mortuos in peccatis* —— *vivificavit*. Col. 2: 3. Eph. 2: 5. Ita ſecunda mundi reſurrectio facta eſt, in prædicatione Euangelii, per reformationem, quando *beſtia & pſeudo-Propheta* conjecti ſunt *in ſtagnum ignis*. Apoc. 20: 14. id eſt, quando cecidit regnum Antichriſti. Cujus *reſurrectionis ſecundæ* qui non facti ſunt participes, illi manſerunt in *morte ſecunda*, id eſt, defecerunt & indurati ſunt, poſt veritatem agnitam, & ita ſecundo ſunt mortui, ſicut prima mors contracta eſt in Adamo; & horum conditio eſt miſerrima. *Nam aufugientes inquinamenta mundi in cognitione Domini & Salvatoris Jeſu Chriſti, his vero rurſus implicati ſuperantur: facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus.* 2. Pet. 2: 20. *Beatus & ſanctus, qui habet partem in reſurrectione prima: in his ſecunda mors non habet poteſtatem.* Apoc. 20: 6.

LO-

Digitized by Google

LOCUS QUINQUAGESIMUS PRIMUS

DE

Abolitione Anti-Chriſti & ultimis temporibus.

CAPUT XX.

De liberatione Eccleſiæ ab Antichriſto & Reformatione illius.

I. PRudentes imitati medicos, peſtis hujus in Eccleſiam LIBERA-
graſſantis hiſtoriam, ab ultima origine repetiimus; TIO *Eccleſiæ ab*
antequam videmus, quo pacto ſanata ſit & priſtinæ *Antichri-*
valetudini reſtituta; ut cognitis mali cauſis & initiis, *ſto*
medelam ejus eo facilius perſpectam habeamus. Conſtat itaque nobis Papam eſſe Anti-Chriſtum; eundemque ſceleſte thalamum Chriſti, verum ſponſum mentitum, conſcendiſſe; conſtat item qua fraude, quibus artibus, torum illum ſubſederit: contemplemur tandem etiam lætam tragœdiæ hujus cataſtrophen; ut exactus ſit Antichriſtus, & liberata, magna ex parte, ab ejus jugo Eccleſia, caput extulerit.

II. Prædixit jam olim Scriptura 1. regnum Antichriſti non *per illius*
univerſale & perpetuum futurum; utpote quod futurum duntaxat *ruinam:*
erat *uſque ad tempus & tempora particulamque temporis.* Dan. *quæ prædi-*
7: 25. Unde cum Ægypto myſtica, quæ notat regnum Anti- *cta in Scri-*
chriſti, Apoc. 11:8. conjungit Scriptura regnum Aſſyrium, ut aliud *pturis Teſt.*
& diſtinctum à regno Ægypti; de cujus progreſſibus agitur Mich. *Vet.*
7: 12. *Dies ille eſt quo ad te veniet ab Aſſyria, ad urbes munitas* &c. & Eſai. 23: 13. *Aſſyrius diſpoſuit illam in ruinam.* Quod regnum Aſſyrium cum regno Orientis convenire videtur. 2. Eſai. 14: 22. vaticinium eſt de excidione Babylonis myſticæ: *Exciſurus ſum Babylonis nomen & reſiduum filiumque ac nepotem, dictum Jehovæ.* Vide & cap. 23: 18. & 25: 7. & 30: 33. 3. Zach. 5: 7, 8. —— *Et iſta mulier una conſedebat in medio Epha. Et dixit: hæc* eſt *improbitas.*

 Et

Digitized by Google

Et conjecit illam in medium Epha, & conjecit lapidem plumbi in os ejus. Quæ mulier, *improbitas* appellata & *Epha inſidens*, eſt meretrix illa, inſidens agapis & bonis Eccleſiæ; quæ coercenda eſt onere validioris imperii, per maſſam plumbeam denotati. 4. Zach. 11: 15,17. *Paſtor ſtultus* & *nihili* dominatur ſolum in Judam, id eſt, in illam Eccleſiæ partem, quæ catholica dicitur; non ergo in omnem ejus partem. 5. Huc etiam ſpectat remotio *ſceptri improbitatis.* Pſal. 125: 3. & fractio *laquei.* Pſal. 124: 7. & *interfectio improbi.* Eſai. 11: 4.

& Novi. III. 6. Matth. 13: 41, 42. Prædicitur *zizaniorum in faſciculos collectio & in ignem conjectio.* 7. Præcipue de hoc negotio agitur in Apocalypſi, ubi cap. 11: 3. *Duo teſtes* reviviſcunt. & cap. 14: 6. *æternum Euangelium* prædicatur, & deinceps *ruina Babylonis* denunciatur. Apoc. 16. ſeptem commemorantur *plagæ*, ſub *ſeptem phialis*, beſtiæ & adoratoribus ejus, inflictæ: quarum ultima in aërem effuſa, vox auditur: *Factum eſſe.* Apoc. 17: 8--13. canitur de regno beſtiæ & Antichriſto coërcendo, & tandem in octavo monte, ſeu regno ſubſtituturo.

Ruina illius gradus. IV. *Gradus*, per quos in ruinam prolapſurus eſt Antichriſtus, tres potiſſimum definiuntur. *Et tunc revelabitur defector, quem Dominus conſumet ſpiritu oris ſui, & abolebit illucente adventu ſuo.* 2. Theſſ. 2: 8. Primus gradus igitur eſt Antichriſti revelatio; quæ facta ſuperiori ſeculo. Alter gradus eſt, *conſumptio* ejus à Domino, per *Spiritum oris ſui*; quæ eſt *ceſſatio hoſtis.* Pſal. 8: 3. quod faciendum per verbum & Spiritum Chriſti. Eſai. 11: 4. *Spiritu labiorum ſuorum interficiet improbum.* Conf. Apoc. 1: 16. Tertius gradus, eſt *abolitio* per *affulgentiam adventus Domini.* Confer Matth. 24: 30. *Tunc apparebit ſignum filii hominis in cælo.* Ita Apoc. 17: 16. *Odio habetur* meretrix & *deſolata fuit.* & cap. 18: 21. non amplius invenitur *locus Babylonis.* Et 19: 20. & 20: 10, 14. *Beſtia* & *pſeudo-Propheta*, *mors* & *infernus* in *ſtagnum ignis* conjiciuntur; id eſt, indurantur, veritate detecta, & torquentur conſcientia mala & rodente.

V. Quamobrem primus Babylonis caſus Apoc. 14: 8. & 18: 2. non dicit omnimodam ejus everſionen, uti patet ex locis laudatis, cum ipſa deinceps accipiat clavim putei abyſſi, & tanquam regina ſedeat; ſed tantum indicat diminutionem auctoritatis & æſtimationis ejus. Videtur tamen ex omnibus hiſce ſenſim magis ac magis delapſurum Antichriſti regnum; donec ante adventum Chriſti, vel ſummum, cum eo, plane aboleatur. Quo pertinet illud Apoc. 18: 21.

Sic

Digitized by Google

Sic impetu conjicietur Babylon, civitas illa magna, & non invenietur amplius. Vox autem illa *caſus* ejus, originem traxit ex Eſai. 21:9. *Tunc elocutus eſt dicens, cecidit, cecidit Babylon, & omnes ſculptiles Deos ejus perfringens dejecit in terram.*

VI. Cum hac Antichriſti revelatione & conſumptione conjungi debuit Eccleſiæ ab ea liberatio, prædicta & præcepta Apoc. 18: 2, 4. ubi jubetur populus Dei *exire è Babylone*, ne particeps peccatorum, imo etiam plagarum ejus fiat: per quæ exitus innuitur quoad ipſum locum; cum cæteroquin communio cum ea vitari non poſſit; ad exemplum & figuram exitus è Babylone antiqua. Eſai. 48: 20. *Exite è Babylone, fugite à Chaldæis* Jer. 51: 6. *Fugite è medio Babylonis, & eripite quiſque ſeipſum, ne exſcindamini in iniquitate ejus.* & com. 45. *Exite è medio ejus, popule mi, & eripite quiſque animam ſuam, ab æſtu iræ Jehovæ.* Impletum illud eſt, quando ſuperiori ſeculo, lege imperiali, conceſſa eſt profeſſio Reformatæ religionis principibus & civitatibus eam amplexis; in Paſſavienſi ſcilicet tranſactione. Quam ſecuta eſt pax Eccleſiæ in Europa. Eſai. 57: 19. *Creans proventum labiorum, pacem, longinquo & propinquo, inquit Jehova.* conf. Habac. 3: 14. *Deſignaſti in tribubus ejus caput pagorum ejus.* Eſai. 19: 18. *Villæ & civitates in media Ægypto* loquentes linguam terræ Canaan, ſunt 5 δυναστεῖαι, ſeu provinciæ in illo regno, quod antea Ægyptus ſpiritualis erat, Euangelium amplexæ. Præcipue hinc prædicitur pax aliqua Eccleſiæ. Eſai. 2: 4. *Tundent gladios ſuos in ligones, & haſtas ſuas in falces; non attollet gens una in alteram gladium, neque diſcent amplius bellum.* conf. Ezech. 39: 3. Scilicet ad tempus. Qualis etiam fuit *ligatio quatuor Angelorum ad Euphratem.* Apoc. 9: 14. qui tamen *parati fuerunt ad egrediendum.*

Cum qua Antichriſti ruina conjuncta eſt Eccleſiæ liberatio.

VII. Babylonem vero cum reliquerit Eccleſia, non plane illa abolita eſt, ſed facta *domicilium dæmoniorum, & omnis avis impuræ* Apoc. 18: 2. phraſi deſumpta ex Eſai. 34: 11, 13, 14, 15. id eſt, in Babylone deinceps regnaturi erant dæmones, & homines obſcœni ac mali.

VIII. Videamus nunc porro ut & quomodo tam luculentis promiſſionibus de liberatione & inſtauratione; ſive ut loquimur, reformatione Eccleſiæ, eventus reſponderit. Exſeruit autem ea ſe maxime ſuperiori ſæculo: Anno enim ejus ſeculi 16. alta erat in Eccleſia Romana pax, ſchiſmate inter Julium ſecundum, Papam, & Ludovicum XII. Galliæ regem, ſublato, & toto Occidente in obedientia Pontificis Romani ſecure quieto; cum à paucis veterum

Horum implementum in REFORMATIONE *ſuperioris ſæculi.*

Waldenſium ſuperſtitibus in montibus circa Italiam, ut & in Bohemia; uti nec ab Huſſitis Bohemis, nullus eſſet metus. Leo vero X. PP. per immodicos ſumptus & largitiones, profuſis ſuis reditibus, auctore Cardinali quatuor Sanctorum, indulgentiarum illum theſaurum aperuit A. C. 1516. In quibus promulgandis & diſtribuendis turpiter nimis ſe dabant illi, ad quorum curam ea res pertinebat. Cum enim Leo PP. Saxoniæ & vicini tractus proventum, Magdalenæ ſorori dono dediſſet; demandavit illa hoc negotium Aremboldo, ex mercatore Genuenſi, nupero & recenti Epiſcopo: qui lucro maxime intentus, promulgationem indulgentiarum, ereptam fratribus ordinis Eremitarum, quorum ordinaria hæc erat provincia, per Dominicanos fieri voluit: qui per immenſa præconia; ſicut & Aremboldi quæſtores, per turpem ipſius lucri in popinis & ganeis dilapidationem, Martino Luthero in indulgentias invehendi occaſionem ſuppeditarunt: qui ab hiſce exorſus, alios etiam novos abuſus cum veteribus comparando, totius ſtructuræ fraudem deprehendit; & opponente ſe ipſi Johanne Tecelio Dominicano, & dein Johanne Eccio, ut & Sylveſtro Priæria, certamen ab indulgentiis ad alia majoris momenti deflexum eſt; donec inde ad dogmata, eorumque reformationem perventum eſt. Idem Ulrico Zwinglio Tiguri de indulgentiis certamen fuit anno ſequenti cum Sampſone Mediolanenſi, Franciſcano; unde ei data fuit occaſio ad poteſtatem Pontificis Romani, qui eas adeo largiter in vulgum profunderet, confutandam, & reformationem, jam antea à ſe in Helvetia inſtitutam, promovendam. Ille enim anno 1516. Glaronæ Euangelium jam prædicabat, cum Lutheri nomen in iſtis locis necdum eſſet auditum: & cum eo aliis in locis, miſſis hominum commentis, decreta Dei auditoribus ſuis annunciabant, Wolfgangus Fabritius Capito, Johannes Oecolampadius, Johannes Creutzer, alii. Licet enim Lutherus primus in diſputationis Pontificiæ arenam protractus ſit, non tamen unus ex omnibus fuit, qui fraudes Romanæ curiæ agnoſceret.

Illius neceſſitas & juſtitia.

IX. Cujus Reformationis neceſſitas ex hiſce liquido conſtat. 1. Quod plurimi præclari viri in ipſa Romana communione, ab aliquot jam ſeculis, reformationem in capite & membris deſiderarant non ſolum, ſed & acriter flagitarant; quæ tamen incaſſum à variis Pontificibus, & concilio Tridentino, exſpectata fuit. 2. Juſtiſſima hujus reformationis eamque ſubſecutæ ſeparationis cauſa, fuit, hæreſis in doctrina, idololatria in cultu, tyrannis in regimine Pontificio.

Digitized by Google

tificio. Hæreſes enim ibi foventur & vigent fundamentales, ut præter alia, illa de juſtificatione per opera, per quam fructus mortis Chriſti vel intervertitur, vel omnis negatur. Nam *ſi per legem juſtitia eſt, Chriſtus igitur gratis mortuus eſt.* Gal. 2: 21. Idololatria ibi floret, eaque non unius generis, ſed omnigena ferme; tum, qua verus Deus in imagine colitur; tum qua falſi dii, ut fictitius Chriſtus in ſacramento, crux, Papa, ſancti &c. religioſe adorantur, partim ipſi, partim in ſuis imaginibus; quas idoneas maxime ſegregandi cauſas eſſe, nemo negaverit. *Quæ enim participatio juſtitiæ & injuſtitiæ? quæ communio luci cum tenebris? quæ concordia Chriſto cum Belial? aut quæ portio fideli cum infideli?* & *quæ conſenſio templo Dei cum idolis? —— Quapropter exite è medio eorum & ſeparamini, dicit Dominus.* 2. Cor. 6: 14, 17. *Filioli cavete vobis ab idolis.* 1. Joh. 5: 21. *Exite ex illa, popule mi, ne communicetis cum peccatis ejus.* Apoc. 18: 4. Tyrannidem ibi ſummam eſſe, quis inficietur, ubi fides hæreticis non ſervatur, flammis traduntur fideles, & in eorum conſcientias dominium exercetur per leges & inſtituta Papæ?

X. Nec exſpectanda erat in hiſce omnibus ulla Reformatio: Nam 1. Concilia omnia reformidat Papa, ideoque ea amplius cogere non vult. 2. Eaque ipſa vana erunt & abſque ullo fructu, dum à Papa pendent; & dum 3. Ea errare non poſſe contendunt. 4. Omnibus Papæ interpretationibus annui debet; & Scripuræ ſenſus ex ejus ſolius judicio peti. 5. Manent anathemata Tridentina, contra veritatem. Ut inſanabilis Babylon deſeri debeat. *Tollite theriacam ad dolorem ejus, ſi forte ſanetur. Curavimus Babel, & non eſt curata.* Jer. 51: 9. quibus malis immedicabilibus accedit etiam, quod nullus turpi huic manſioni prætendi color poſſit, Antichriſto tam aperte revelato: ſub cujus vexillis impoſterum militare velle, nihil aliud eſſet, quam Chriſto ſe velle opponere, eique bellum inferre. Sicut ergo Iſraëlitæ Babylone relicta, altare Dei & templum reſtaurabant; ita nobis valere juſſa hac ſpirituali Babylone, externo etiam opere inſtaurandus fuit cultus Dei. Neque ideo ſchiſmatis crimine tenemur, cum non ſeparatio, ſed cauſa ſchiſma faciat. Noſter vero abitus laudabilis eſt; ut Abrahami è Chaldæis, & Apoſtolorum è Judæis: præterquam quod non tam exierimus, quam expulſi ſimus; ut niſi in merum potius Atheiſmum prolabi voluiſſemus, de cultu publico nobis proſpiciendum fuerit. Schiſmatica vero, ſi ulla, eſt Eccleſia Pontificia. Exivimus ergo non tam ex Eccleſia, quam ad veram Eccleſiam, etiam Romanam antiquam, regreſſi ſumus: neque adeo deſeruimus Eccleſiam, quam in nobis Eccleſia de-

deſeruerit Papatum, exiveritque è Babylone, magis etiam fugata, quam fugiens. Superſunt quidem inter ipſos Reformantes diſſidia,& opinionum dividuæ; nec aliter in terris fieri poteſt; utrique tamen in fundamentalibus, inque proteſtatione contra idololatriam & cultus Latinorum, conveniunt. Nec iſta labecula Eccleſiæ nomen illis magis eripere poteſt, quam olim Eccleſiis Apoſtolicis. *Nam quidam, qui deſcenderant è Judæa, docebant fratres; niſi circumcidamini ritu Moſis, non poteſtis ſalvari. Orta igitur repugnantia, & diſceptatione non parva Paulo ac Barnabæ adverſus illos, conſtitutum fuit ut aſcenderent ad Apoſtolos ac Presbyteros Hieroſolymam ſuper hac quæſtione.* Act. 15: 1, 2. *Quum inter vos ſint invidia, & contentio, & diſſidia, nonne carnales eſtis?* 1. Cor. 3: 3. *Oportet etiam hæreſes inter vos eſſe, ut, qui probi ſunt, manifeſti fiant inter vos.* 1. Cor. 11: 19.

Vindicata ab adverſariorum criminationibus.

XI. Contra hanc vero tam juſtam ſeparationem, obducunt adverſarii: I. Moſem & Prophetas idololatricis temporibus nova non erexiſſe altaria. Illud enim ſingulari de cauſa, lege cautum erat ſub Veteri Teſt. ubi cultus Dei certo loco erat affixus; quæ lex abrogata eſt in Novo T. ante latam vero illam legem, aliter fecit Abrahamus ac Patriarchæ. II. Ejuſdem commatis eſt, quod dicitur; Chriſtum non ſeparaſſe Eccleſiam ſuam à Judaica. Nec hoc mirum, cum ſacrificia adhuc legitime in templo offerrentur, nec idola ulla in eo apparerent; & necdum tempus maturuiſſet, uti deinceps, ubi Judæi obſtinati obdurarent, ſicut nunc Pontificii.

XII. III. Si talis, qualem nos facimus, fuerit Eccleſia Pontificia, Patres noſtros periiſſe neceſſe fuit. At 1. idem Apoſtolis Judæi & gentes oggerere potuiſſent. 2. nulli electi unquam perierunt. 3. remanſerunt in Papatu fundamenta ſalutis, quamvis multis ſordibus obruta & obſcurata; quæ tamen diſcreverunt majores noſtri, atque ita ſalvati ſunt. 4. Quamvis ita ſalutem obtinuerint multi majorum noſtrorum; non nobis tamen licet in Papatu & Babylone obſidere; aliud enim eſt captivitatis tempus, quo illi vixerunt; aliud libertatis, quod nobis illuxit. Præſertim, cum poſt faſtiditam illam lucem, Romanæ Synagogæ nox longe tetrior ac dirior incumbere cœperit; additaque erroribus pertinacia, ſimplices olim errores in legem, ac Eccleſiæ fundamenta abierint. IV. Irrita ſic erit promiſſio Chriſti, ſpondentis Eccleſiæ firmitatem adverſus portas inferorum. Matth. 16: 18. Sed 1. Promiſſum illud eſt veræ Eccleſiæ; non illi quæ hodie talis habetur. 2. Eadem illos premet difficultas, ſiquidem futura ſunt, quæ

Digitized by Google

de Antichriſto prædicuntur. 3. Eo ipſo in loco, promittitur veræ Eccleſiæ conſtantia & firmitas adverſus Anti-Chriſtianam, in qua vim ſuam infernus collocavit.

XIII. v. Diuturna nimis fuiſſet hæc Eccleſiæ Pontificiæ defectio: Sed 1. tam diuturna apoſtaſia conveniebat myſterio iniquitatis. 2. Æque longa eſt Judæorum pervicacia, quibus tam ſpeciales tamen & luculentæ promiſſiones factæ ſunt; nec breviores ſunt tenebræ Eccleſiarum Aſiaticarum, tam inſigni elogio laudatarum. Apoc. 2. 3. capp. vi. Definiri nequit tempus, quo labes iſta Eccleſiæ fuerit affricata. Reſp. Nec opus etiam, dummodo eam nunc eſſe, liquido pateat. *Simile eſt regnum cœlorum homini ſerenti bonum ſemen in agro ſuo. Quum autem dormirent homines, venit ejus inimicus, & ſevit zizania inter triticum, & abiit* &c. Matth. 13: 24, 25. *Jam enim peragitur myſterium impietatis ejus.* 2. Theſſ. 2: 7. Chriſtus, ejuſmodi quæſtiones, quas ſolvere poterat, præcidit uno reſponſo; *Non ſic fuit ab initio.* Matth. 19:8. vii. Regerunt; remanſerunt tamen apud nos, vobis ipſis fatentibus, fundamenta veræ religionis; vera ergo Eccleſia penes nos ſemper hæſit. At fundamenta illa etiam eſſe poſſunt in Eccleſia corruptiſſima, ut apud Samaritanos, Iſraelitas & Phariſæos. Tum etiam fundamenta illa, aliis fundamentis evertit Antichriſtus & idolum iis opponit.

XIV. Urgent nos viii. Exhiberi non poſſe Eccleſiarum Reformatarum ſucceſſionem, nec oſtendi, ubi ante Reformationem fuerit. Reſp. Deſinant ergo jactare inquiſitiones ſuas & zelum in perſequendis hæreticis; inter illos enim hæreticos inveniemus eos, quos novos nunc emerſiſſe calumniantur. Partim igitur in ipſo Papatu captiva detinebatur Eccleſia, eodem modo ut temporibus Elianis; nam, quamvis ibi apparuerit etiam Eccleſia, deliteſcebat ſaltem in Iſraële, ut noſtra in Papatu: partim extra eum conſervata fuit in aliis mundi plagis; ſicut nimirum, latens in Iſraële Eccleſia, in Judæa, extra Iſraëlem apparuit; ita & in Oriente eadem fuit & viguit. Verum cur per tot ambages hic itur? ſiquidem non negabunt Eccleſiam veram deficere non poſſe, & cum nos noſtræ titulum hunc jure vindicemus: conſtabit ſatis, licet ex hiſtoriarum monumentis illud docere nequiremus, ex verbo Dei, eam ſemper fuiſſe; etiamſi ſemper reformata non fuerit.

XV. ix. Legitimam non eſſe, imo nullam Reformatorum vocationem: ſed huic criminationi jam ante ſatisfecimus; addimus tamen; Reformatorum duo fuiſſe genera: quidam enim in ipſa

Digitized by Google

Romana Eccleſia miniſterio jam ante functierant; quidam non item. Poſtremi hi, ex communi omnium Chriſtianorum vocatione, errantibus veram commonſtrabant viam, & poſt multorum converſionem, ab illis ipſis docendi accipiebant auctoritatem; quæ res nec jure, nec exemplo caret, in primorum etiam temporum fidelibus. Act. 8:4. & 11:19, 20. Priores vero non alia opus habuerunt vocatione, ſed vi prioris ſuæ vocations in ipſa Eccleſia Romana acceptæ, corruptelas ejus emendarunt, præter ſcopum quidem ordinantis & vocantis, non tamen ordinationis & vocationis. Sed Papam, pergunt adverſarii, non agnoſcitis à Chriſto eſſe, vocatio ergo ejus legitima non fuit. Reſp. Suprematum ejus deteſtamur; Epiſcopatum vero, quatenus bonus eſt, à Chriſto eſſe fatemur; nec Epiſcopum eum negamus; licet illo munere peſſime fungatur.

XVI x. Defeciſtis vos, ajunt, ab Eccleſia noſtra, nos vero à nulla. Verum 1. Nos non defecimus ab Eccleſia, ſed meretrici res ſuas habere juſſimus, & ab ea laudabili exemplo receſſimus. 2. Ab Eccleſia Apoſtolica defecerunt Pontificii. x1. Denique oggmanniunt: ſeſſurus in Eccleſia eſt Antichriſtus; cum vero in Pontificia Eccleſia illum ſedere nos contendamus; Eccleſiam illam etiam veram eſſe fateamur, oportet. Sed 1. uti ſupra vidimus, effici inde tantum poteſt, Eccleſiam eorum veram fuiſſe, quod non negamus. 2. Eodem modo ſeſſurus eſt in Eccleſia, quomodo ſub finem ſeculi, Antichriſtum in Eccleſia ſeſſurum, ipſi ſtatuunt Pontificii; nimirum in ea, ut idolum in templo; quod inde deturbandum; & ut fur in domo patrisfamilias, qui inde, digne mulctatus, exigendus & capite foras protrudendus eſt.

Reformationis interruptio. XVII. Hæc fuit Eccleſiæ ab Antichriſti jugo liberatio: quæ non tam proſpera & læta fuit, uti ex hominum quidem voto conciperetur; ut non aliquo modo fuerit interrupta, & quorundam, cum canibus ad vomitum recurrentium, turpi deditione obſcurata: ſicut enim humanis in rebus; ita in Eccleſia, nihil eſt ab omni parte beatum. Nec inopinatum illud accidit; ſiquidem per Prophetas jam olim prædictum fuit, non omnes hujus gratiæ participes, ea ſe dignos geſturos; quod multiplici nimis experientia confirmatum eſt in Eccleſiis reformatis. Unde *Tyrus* myſtica, *per 70 annos oblivioni tradita, ſine 70 annorum ad meretricium carmen canendum* rediit. Eſai. 23:15, 16. & *abominabile ſtupens* vel *ſtupentis poſitum* fuit. Dan. 12:11. atque ita prodierunt *laxatis quatuor angelis*, *myriades* illæ. Apoc. 9: 13, 14, 15, 16. Et *Gogi* exercitus *corona cinxit caſtra ſanctorum &*

ci-

Digitized by Google

civitatem dilectam. Apoc. 20: 8, 9. Quæ noſtris temporibus quotidie, cum maxime proh dolor! implentur. Attamen ex ſupra memoratis aliiſque vaticiniis ſperare licet, Deum non paſſurum, ut Eccleſia Euangelica redeat ad communionem civitatis Antichriſtianæ; quin potius reliquias civitatis illius humanæque auctoritatis in Eccleſiâ extirpaturum, ut ſolus in ea per verbum & Spiritum ſuum regnet.

CAPUT XXI.

De regno Eccleſiæ, & ultimis temporibus.

I. TAndem, poſt finita certamina, promiſſum videtur Eccleſiæ *Regnum*. Quod utriuſque inſtrumenti Scripturæ mira verborum pompa deprædicant. Vid. Dan. 7: 13, 14. *Et ecce cum nubibus cæli tanquam filius hominis veniebat* — *Et illi datus eſt dominatus & dignitas & regnum.* conf. com. 27. Et *regnum*, *& dominatus*, *& majeſtas regnorum ſub omni cælo data eſt populo ſanctorum Altiſſimorum*, *cujus regnum*, *regnum ſaculi*. ac præſertim ſancta Apocalypſi id fuſe deſcribit. REGNUM *Eccleſiæ ſub finem mundi.*

II. Appellantur ea tempora *pacis*. Matth. 24: 37, 38, 39. Eſai. 2: 4. Mich. 4: 4. & *Refrigerii*, Act. 3: 13. ἀποκαταςάσεως πάντων, *repræſentationis omnium*. com. 21. Ac *novum* tum *cælum*, *& nova terra*, h. e. nova & pulchrior longe Eccleſiæ ac mundi facies exoritura prædicatur. Eſai. 65. Apoc. 21. Erit enim hoc *tempus* Eccleſiæ *ultimum*, τὸ ἔςχατον τῶν ἡμερῶν, 2 Pet. 3: 3. proxime antecedens finem rerum, & Chriſti Domini adventum; qui *ultima* iſta *tuba* (diverſa enim Eccleſiæ tempora ac periodi, magnificis quibuſdam Dei operibus, veluti totidem tubis inſigniri & promulgari in Scripturis ſolent) clariſſime annunciabitur. 1. Cor. 15: 52. Unde, apud Zachariam cap. 14. egregio emblemate, feſtum tabernaculorum (quod ſacri temporis olim ultimum erat, ac fine anni celebrabatur) ab omnibus populis tunc agitandum narratur.

III. An vero longo, an brevi ſpatio iſta Eccleſiæ periodus finienda ſit, adhuc in ſuperæ mentis actis ac membranis latet. Quas ſcrutari nemini conceſſum eſt. Ut vana ſint, quæ Judæi de mundi ætate, *Illius periodus.*

 & ſexies

Digitized by Google

& ſexies mille annorum duratione, ex inſpecta ejus videl. geneſi, vaticinantur. Quæ domus Elianæ traditio erat. Nec pluris ſunt formoſa nimium Chiliaſtarum ſomnia; qui nimis audaci calculo divinos numeros, Pythagoricis longe obſcuriores, tentant & digitis veluti metiuntur. Quanquam nihil obſtare putemus, aliquanto tempore iſtam Eccleſiæ felicitatem durare, & aliquo uſque Chriſti ac Sanctorum in terris regnum extendi; iſtudque Dei opus longe pulcherrimum non nimis exiguo fine concludi. Cum, ut reliqua Dei opera, ita & iſtud, quod reliquorum omnium coronis & complementum futurum eſt, ſuum procul dubio ſpatium requirat; quo mundi fata lætiſſimo tandem exitu abſolvantur & coronentur.

& characteres. IV. Beatiſſimi iſtius temporis characteres ſunt: 1. Magna divinæ ac humanæ ſapientiæ in terris abundantia; ac *Euangelii*, toto fulgore coruſcantis, publica de mundo victoria & triumphus. *Lux ſolis erit ſeptupla.* Eſai. 30:26. *Inquirent multi, & augebitur cognitio.* Dan. 12:4. *Plena erit terra cognitione Jehovæ, ut aquis mare operientibus.* Jeſ. 11:9. 2. Hinc *Judæorum*, veluti confeſſo jam ac publicato tot ſæculorum errore, ad Eccleſiæ tabernacula acceſſus. Rom. 11. 3. Et *gentium* quoque remotiſſimarum iſto exemplo excita ſedibus ſuis turba, & ad idem Eccleſiæ limen concurſus. *Nam ſi abjectio illorum eſt reconciliatio mundi, quæ erit aſſumtio, niſi vita ex mortuis?* Rom. 11: 15. *Facta ſunt regna mundi Domini noſtri & Chriſti ejus.* Apoc. 11: 15. *Omnes gentes venient & adorabunt coram te.* c. 15:4. Sub quarum gentium ambitu ſpecialem quoque Turcarum converſionis ſub Aſſyriorum emblemate, ſpem in prophetiis fieri, quorundam non abſurda conjectura eſt. 4. Inter ipſos autem *Chriſtianos* ceſſabunt tot hæreſium ac ſectarum probra; mutuæque fratrum iræ ac odia, alterno ſanguine funeſta. Eſai. 2: & 11. Ac præſertim Babyloniæ meretricis nudabuntur obſcœnæ partes, evertetur, ac profanum *Antichriſti* ſolium, regnumque in regno Dei hactenus geſtum. *Et tunc revelabitur ſceleratus ille, quem Dominus abſumet Spiritu oris ſui, & illuſtri adventu ſuo abolebit.* 2 Theſſ. 2:8. Apoc. 18:21. Omnes autem populi in eodem templo, h. e. in unitate fidei, quoad humana fert infirmitas, Deo ſervatori cantabunt gloriam; iiſdemque in tentoriis lætiſſimum agitabunt feſtum. Zach. 14. 5. Reliqui autem *mundi* facies, ceſſantibus undiquaque bellis, ac mundo quoque Eccleſiæ otia ſua præſtante, ſecura atque alta, uti quidem videtur, in pace deget: *Deſtructis deſtructoribus terræ.* Apoc. 11:18. *Cum autem dicent, pax & ſecuritas, tunc* re-

repentinum ipſis imminet exitium. 1. Theſſ. 5: 3. atque prioris mundi tempora reducet, eoſdemque cum temporibus homines: *Et prout factum eſt in diebus Noë, ita erit etiam diebus filii hominis: edebant, bibebant* &c. Luc. 17: 26, 27. modo illa huc pertineant. 6. Nam nec *irriſores* aut ἐμπαίκτας defuturos, qui iſta in pace, ac rerum omnium affluentia, mundi æternitatem optabunt ac ſomniabunt, *dicentes, ubi eſt pollicitatio adventus ejus, nam ex quo die patres obdormierunt, omnia ita permanent ab initio creationis* &c. S Petrus jam olim prædixit; ac monſtra iſta producto creationis mundi per ſolum Dei verbum: ejuſdemque juſto judicio aquis olim inundati, exemplo, eodem in loco potentiſſime eliſit: *Illud enim volentes ipſos fugit, cœlos jam olim extitiſſe per Dei ſermonem, & terram ex aqua & in aqua conſiſtentem. Quamobrem is, qui tum erat mundus, aqua inundatus periit. Qui vero nunc ſunt cœli ac terra, eodem ſermone reconditi, aſſervantur igni* &c. 2. Pet. 3: 4, 5, 6, 7. Ipſa autem D. Petri verba, non ſine magna impietate, expreſſiſſe videtur Manilius, ex profanis videl. philoſophorum placitis; ubi de mundo: *Idem ſemper erit, quoniam ſemper fuit idem: Non alium videre patres, aliumve nepotes aſpicient.* lib. 1.

V. Sed non injucundum erit, omnem iſtam mundi ac Eccleſiæ veluti ſcenam latius explicare; atque in Apocalypſi depictam ac pulcherrime exornatam conſpicere. Ita autem eam ſacer ſcriptor ultimis capitibus exponit. *Mille anni & Satanæ ſolutio.* Apoc. 20: 1. & ſeqq.

VI. Capite 20: 7. poſt *mille annos* (qui à reddita Eccleſiæ per Conſtantinum pace, erectiſque in Eccleſia *thronis*, com. 4. numerandi videntur, adeoque in Ludovicum Bavarum deſinunt;) dicitur *ſolvendus Sathanas.* Qui, è tam longo carcere furens ac ſæviens, *ad ſeducendum gentes, in quatuor angulis terræ*, & cienda *bella Magogica*, quo vocabuli ænigmate Antichriſtum notari ex Ezechiele conſtat, *egreditur.* Poſt illa enim tempora Antichriſti ſeductio, ac falſæ Eccleſiæ meretricium & pellacia, ἀκμὴν ſuam habuit. Nec dogmatum ſolum mendacio, ſed & aperta vi ac cædibus *bellua* iſta graſſata eſt. *Et caſtra ſanctorum, ac Dei civitatem cinxit.* com. 9. Hæc nempe ejus temporis ſunt, quo Eccleſia, è civitate magna egreſſa, & caſtra, & civitatem propriam habet: & ad ſacra illa Antichriſti bella, hoc ipſo ſæculo, in Europa geſta, aut gerenda, non obſcure ſpectant. Ut Eccleſia non parva certaminum parte ſeſe defunctam non ſine cauſa ſperare, ſeque ad reliquum diſcrimen majori animo comparare queat. Mox enim li-

Digitized by Google

liberatio ejus ſubjungitur, per *ignem, è cœlo miſſum, devorantem hoſtes ejus*. com. 9.

Illius conjectio in lacum. Thronus candidus

VII. Dehinc, *Diabolo conjecto in lacum ignis & ſulphuris*, com. 10. & graſſatione ejus in terris cohibita, quod ſupremum ipſi tormentum eſt: apparet *thronus candidus*. com. 11. Chriſti videlicet ſine vicario in Eccleſia regnantis ſolium. *A cujus facie fugit cœlum*: Præſulum nempe in Eccleſia cœleſtis prope auctoritas; & regimen, ad veteris cœli imaginem effictum: *& terra*, h. e. ſubjecta & ſerviens ipſis turba, non alios, quam cœli illius maleficio vitiatos, lucis radios accipiens.

& judicium Eccleſiæ.

VIII. Inde *mortui ſtant coram Deo*, com. 12. non, fato functi. Hæc enim in terris adhuc geruntur, ut picturæ ſeries oſtendit. Nec ſupremus ac decretorius mundi dies adhuc venit. Sed *mortui* dicuntur, quibus mors & infernus, Antichriſti ſatellites, dominati hactenus erant; erroribus vitiiſque omnibus immerſi & inundati, nec ullo virtutis aut veri ſtudio à nativa labe redemti. *Stant* autem illi coram Deo, judicandi: *Prolatis* Scripturarum *libris*; qui in Antichriſti regno diu neglecti, ac multa fuligine oppleti, jam plena in luce collocandi erant. Haud dubie enim una cum Eccleſiæ renovatione clarior, & illuſtrior Scripturarum cognitio affulſura erat. Atque ex iis judicium & ἔλεγχος de miſcellanea iſta Eccleſiæ turba faciendus erat. Quod iſtum eventum habiturum erat, ut multi, de mortuorum grege, lumine iſto percuſſi, in novam ſpem *reſtituri* forent. Illi videlicet, qui in *libro vitæ agni* adſcripti erant. Nam & iſte liber hic profertur. Reliqua autem Antichriſti turba, quæ, ad lucem iſtam deſes, de mortis regno exire pigrabatur, tanquam emortui prorſus ac deplorati, *ſecundum opera* ſua, & *judicati*, & damnati ſunt.

Novum cœlum & nova terra. Apoc. 21 1. & ſeqq.

IX. Quo judicio in Eccleſia peracto, jam nova ac pulchrior ejus facies exurgit; quam idem Apoſtolus, egregius quippe Chriſti ac fidei ejus domeſticus (ut Auguſtini phraſim mutuemur) toto capite penultimo mirifice pingere ac illuſtrare non ceſſat. Videt enim *cœlum novum*, & *terram novam*. Ut novam, ac noviſſimam rerum faciem intelligamus: in qua nihil de veteri labe reliquum futurum erat. *Et primum cœlum, & prima terra, præterierunt*. Additur: *& mare non erit amplius*. Omnia enim tum erunt grex unus, & ovile unum, & unus Chriſti populus mundi concordia nullo elementorum diſſidio turbata.

Nova Hieroſolyma.

X. Iſto autem rerum ſtatu, ubi reditura in aurum tempora priſcum, novam quoque progeniem cœlo demitti videt. Ita enim pergit com. 2. *Et ego Johannes vidi ſanctam illam civitatem Jeruſalem novam*

Digitized by Google

vam, deſcendentem à Deo, de cœlo paratam, tanquam ſponſam ornatā viro ſuo. Qui eſt ultimus Eccleſiæ ſtatus, quo illa, ſi unquam in hoc ſæculo pleniſſime exornata conſpicietur; tanquam ſponſo jam parata, & jam jam in nuptialem thalamum introducenda. Quod autem ad inſtar civitatis, quæ, in monte condita, perpetuo jugo leniter decurrit: ita Eccleſiam de cœlo in terram videt porrigi; ut commune ſit cœleſtium terreſtriumque habitaculum: id ad divinam illam ἀνακεφαλαίωσιν ſpectat, quam Paulus deprædicat Eph. 1: 10. Col. 1: 10. qua cœlitum ac fidelium in terris populus unam Eccleſiam, unamque Dei civitatem facit; vix alio quam loci diſcrimine relicto; dum ſtatus utrorumque in uno Chriſto conſummatus eſt. Hebr. 11: ult.

XI. Simili imagine *Tabernaculum Dei* jam *cum hominibus* eſſe, & *Deus cum ipſis habitare* dicitur, com. 3. Ut Eccleſia jam unius Dei civitas intelligatur. Deleto omni hominum in Eccleſia imperio, omnibus ſervitutis reliquiis extinctis.

XII. Deſcribtur deinde hæc nova civitas: ac *murus* ejus, & *portæ*, & *fundamenta*, duodecim Chriſtianæ Eccleſiæ ducum nominibus inſcripta, recenſentur. com. 12. & ſeqq. *Templo* autem carere dicitur, quod univerſa Dei templum ſit, nec certum ad locum, certamque ad aram accedere neceſſe habeat. Eamque omnem, & *Deus*, & *Agnus*, plurimo ſole implent. Nec enim adſcititio lumine indiget; aut diei ac noctis vices amplius patitur. Cum autem non gentes ſolum in luce iſta ambulent; ſed & *Reges & Principes opes gloriamque ſuam* in Eccleſiam *inferant*. com. 24. ſatis apparet hujus ſæculi ſtatum deſcribi.

XIII. Nec Spiritus, donorumque ſpiritualium ubertatem prætereit vates, quem *fluvio aquæ vivæ*, largiſſimis rivis in media civitate exundanti, comparat. *Nullum* autem *anathema*, ſeu *devotum ibi amplius erit*, c. 22: 1. &c. Ut regnum & Eccleſiam ſanctorum cogitemus, ceſſantibus magna ex parte ſcandalis; atque illis, qui civitatis hujus domeſtici erant, nulli amplius terrori aut execrationi obnoxiis. *Non erit Cananæis amplius in domo Jehovæ Dei exercitium in die iſto.* Zach. 14: 21. *Alieni non tranſibunt per eam amplius.* Joël. 3: 17. *Omnis populus tuus juſti*, Eſai. 60: 21. Tandem ut perennis illa felicitas futura ſignificetur, nullus in Eccleſia iſta thronus, præter Dei & agni thronum, conſpicitur, com. 4. Soliuſque *Dei faciem* fideles vident; ſine velo & tegmine, quale vicaria hominum poteſtas Deo regnanti veluti prætendebat. Et denique *in ſæcula ſæculorum* iſto in ſtatu *regnaturi* perhibentur, com. 5. Cui Eccleſiæ regno nihil

Donorumque ſpiritualium in ea ubertas. Apoc. 22: 1. & ſeqq.

magis adverſum eſt, quam quæcunque hominum ſervitus; quæ hic in perpetuum exulatura dicitur. Atque in hiſce verbis & prophetiæ, & temporum Eccleſiæ, clauſula eſt; poſt quæ alia in terris fata, atque alia tempora expectare nefas eſt.

XIV. Atque hæc ultimæ illius ætatis apertiſſima deſcriptio eſt. Cujus nos ſumma tantum faſtigia tetigimus; atque emicantes ultro & coruſcantes undique radios non difficulter collegimus. In quibus clariſſimam iſtius Eccleſiæ imaginem videmus. Qua luce nos contenti, ipſam fatorum jam properantium ſeriem, dum Deus umbras ac lineas iſtas rerum ipſarum lumine impletum ibit, non languida ſpe expectamus. Cætera autem audacius ſcrutari, & quæ nec ſcire datum, nec explorare conceſſum, ſtuprare velle, nec pium, nec religioſum eſt.

LOCUS QUINQUAGESIMUS SECUNDUS

DE

NOVISSIMIS.

CAPUT XXII.

De Reſurrectione mortuorum.

Eccleſiæ conſummatio.

I. NUnc civitatis Dei, in terris exulantis, curſum & ordinem, excipit ejus exitus, & conſummatio, & ſuprema ac æterna ejus fata; in mortuorum *Reſurrectione*; ac ſequente eam *Judicio*, ac mundo die decretorio; & *Conſummatione* ſæculi; & Eccleſiæ denique *Glorificatione* æterna.

Quo pertinet mortuorum RESURRECTIO.

II. *Reſurrectionis*, qui magnus ille fidei ac ſpei articulus eſt, de cujus fide olim adeo probata fuit Abrahami obedientia, conſiderabimus 1. *Veritatem*. 2. *Subjectum*. 3. *Cauſam*. 4. *Circumſtantias*.

Vocis illius varia acceptio.

III. Eſt autem alia *reſurrectio figurate* dicta; quæ de *anima*, de peccati labe reſurgente, Rom. 6: 4, 5. aut de *mundo*, per Euangelii prædicationem, veluti renaſcente, intelligitur. Quo ænigmata Apocalyptica de *prima* & *ſecunda reſurrectione* ſpectant; op-

Digitized by Google

oppoſite ad *primam* & *ſecundam mortem.* Apoc. 20. 5,6. Quarum illa poſt Chriſti adventum, & primam Euangelii promulgationem: hæc poſt Antichriſti caſum, & promulgatum Euangelium æternum, peracta eſt. Hic autem proprie intelligitur, de corporis, quod cecidit, è vago pulvere collectione, ac veluti reconcinnatione. Quod enim Sociniani, de ſuo ſenſu, quoque reſurrectionem, non corporis, ſed hominis, crepant, merum vocabuli, & Chriſtiani dogmatis, ſtuprum eſt.

IV. Nec magis admittenda præcox Chiliaſtarum reſurrectio, martyrum & ſanctorum; quibus in his terris mille annorum triumphum, ante ultimum rerum finem decernunt. Quod nihil aliud eſt, quam medio in certamine triumphum cogitare; & debitam cœlo lauream intempeſtive in terris præcerpere; & in exilio ipſo patriæ bona & commoda prægustare velle. Certum vero eſt, & ſanctos non ſine Chriſto ad plenum regnaturos; & Chriſtum ipſum non niſi ad judicandum univerſum orbem, ultimo rerum fine, deſcenſurum. *Si igitur dixerint vobis; ecce in deſerto eſt, ne egredimini: ecce, in conclavibus, ne credite —— Tunc apparebit ſignum filii hominis in cœlo, & tunc omnes terræ plangent, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli, —— De die autem illo, & hora nemo ſcit; ne Angeli quidem cœlorum; ſed Pater meus ſolus.* Matth. 24: 26, 30, 36. Conf. Act. 3: 21.

& rei ipſius perverſa intelligentia; a Chiliaſtis,

V. Similis *Judæorum* fabella eſt, de reſurrectionis primitiis in terra Iſraëlis; quam Meſſiæ ſui diebus imputant. Atque iſta reſurgentium veluti libamina, dum reliquus pulvis nondum animatur, ſanctæ terræ deputant. Quod ex vero corruptum eſt. Nec melius *Pontificii*, non Chriſti, ſed Antichriſti tempori, quem videlicet adhuc exſpectant, Enochum & Eliam conjungunt: quos, poſt cædem, redivivos, novo miraculo Eccleſiæ hoſtes territaturos putant. Qui error ex loci Prophetici Apoc. 11. παρερμηνείᾳ ortus eſt.

Judæis & Pontificiis.

VI. Fuit autem ſanctiſſimum hoc dogma perridiculum Philoſophis; qui Chriſtianorum ſpem inceſſere, & poſthumam, uti cavillabantur, immortalitatem, novamque è cineribus & favillis vitam novis modis traducere non deſinebant. Vide Act. 17. Ipſi autem ad ſummum, aut animas poſt fata ſuperſtites docebant, aut eas novis corporibus indutas, per quandam μετεμψύχωσιν, in mundum rurſus producebant. Quæ interpolatæ veritatis imitatio quædam erat. Sed & inter Judæos Sadducæi eam ſubſannabant. Act. 23: 6. Et ipſa denique Eccleſiæ Chriſtianæ primordia non leviter

irriſio aut negatio ab aliis.

in

Digitized by Google

in hoc capite perturbata ſunt. Dum alii eam aperte negant, 1. Cor. 15: 12. alii, ſpiritualem intellectum præferentes, jam factam eam in mundo pertendunt. 2. Tim. 2: 18. Quas profanas ſententias de Eccleſia exulare jubet Apoſtolus, & duplici ſigillo reſurrectionis fidem munit & obſignat. *Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc, novit Dominus qui ſui ſunt: & abſiſtat ab injuſtitia omnis nominans nomen Chriſti.* 2 Tim. 2: 19.

Oſtenſa autem illius ex natura poſſibilitate,

VII. Ac natura quidem myſterium hoc non docet. Quæ enim de animæ, vagæ vid. ac errantis, deſiderio, ac perpetua ad corpus ſuum σχέσει & inclinatione docent; incerta ac levia, nec animæ ac corporis ſubſtantiis ac naturæ, quæ nihil admodum ad ſeſe commercii habent, ſatis congrua ſunt. Hoc tamen vel invita fateri debet ratio, poſſibilem eam eſſe, nec Deo indecoram: cum longe facilius ſit, de generis humani pulvere, novam gentem condere, ac luteam iſtam progeniem veluti reformare, quam eandem primum condere. Nec Deo, mundi artifici ac plaſti, negari debet, quod Prometheo, quem vulgi fictilis auctorem celebrant, poëtarum fabulæ adſcribunt.

aſſeritur 1. illius veritas, ex Scriptura Vet. Teſt.

VIII. Proprium autem *Scripturarum* ac fidei hoc dogma eſt. Pertinentque huc oracula: in *Veteri Teſtam.* Pſal. 90: 3, 5. ubi, ad vocem imperiumqne Domini, mortem, tanquam ſomnum, excutere homo jubetur. *Redigis hominem ad minimum, & dicis: redite filii hominis —— Imbre perfundis ipſos, ſoporantur: mane, ut gramen, recreatur.* Deut. 32: 39. *Videte —— me morte afficere, & vita reſtituere, frangere me & ſanare, nec eſſe qui è manu mea rapiat.* Ubi ita ſpiritualis reſurrectio inſinuatur, ut etiam corporalis confirmetur. Quæ loci quoque Ezech. 37: 11--14. ratio eſt: *Sic dixit Dominus Jehovah: ecce ego aperio ſepulchra veſtra, & faciam vos aſcendere ex ſepulchris veſtis, popule mi.* Adde Job 19: 26, 27. Dan. 12: 2. Eſai. 26: 19. & 25: 8. Hoſ. 13: 14. col. 1. Cor. 15: 54, 55, 56, 57. Pſal. 17: 15. & 49: 16. Spectabatque huc quoque veterum apparatus funebris, & mortuos humandi mos; ſpretis pyris, & rogis, & *ignium ſepulturis*, quæ apud gentes extra Eccleſiam frequentabantur.

& Novi,

IX. Clariora autem ſunt *Novi Teſtamenti* teſtimonia. Matth. 25: 32. Joh. 5: 21, 28, 29. & 6: 39, 40, 44. & 11: 24. Act. 4: 2. & 17: 18. & 23: 6. & 24: 15. 1 Cor. 15. toto capite.

rationibuſque ex utroque petitis,

X. Accedunt *rationes* graviſſimæ, e Scripturis hauſtæ: 1. *à primæva promiſſione*, Gen. 3: 15. *Conteret tibi caput.* Quæ, in ſolatium mortalitatis, tunc primum in mundum ingreſſæ, facta, ſine omni

ni

Digitized by Google

moda mortis deſtructione, vigorem ſuum neutiquam habet; utpote quæ non aliunde, quam de colubri veneno, primum profluxit. Conf. Hebr. 2: 14. *Ut per mortem aboleret eum, qui imperium habebat mortis, h. e. diabolum.* 1. Cor. 15: 26. *Ultimus autem hoſtis aboletur, mors.* com. 54. *Quando autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet, quod ſcriptum eſt abſorpta eſt mors ad victoriam.* 1. Joh. 3: 8. Rom. 6: 23.

XI. 2. A *Fœdere Dei*: quod cum de vita ſit, omnimodam eam ac integram & perfectam intelligere, ex fœderis natura, fas eſt. Cum qua nulla mortis portiuncula, aut ſuſpicio, conſiſtere poteſt. *Qui credit in me, etiamſi moriatur, vivet.* Joh. 11: 25. Ac docet hoc imprimis præclare ipſa *fœderis feriundi formula: Ego ſum Deus tuus.* Quæ verba tam magnifica & ſonantia ſunt, ut non aliis Chriſtus ad Sadducæorum impietatem obturandam uti maluerit, Matth. 22: 32. *De reſurrectione verò mortuorum, non legiſtis quod vobis dictum eſt à Deo, dicente: Ego ſum Deus Abrahami, & Deus Iſaaci, & Deus Jacobi. Deus non eſt Deus mortuorum, ſed vivorum.* Nec de animæ ſolum, ſed & de corporis vita, iſta verba concludunt, cum Deus confœderatam ſibi, & fœderis ſui nota inuſtam carnem, uti vilem pulverem, negligere; & tamen Deus ejus appellari non poſſit.

XII. 3. A *Chriſto*, & *redemptionis* opere. Nam & *corporis* redemtor, uti & dominus, eſt. *Nam emti eſtis pretio. Glorificate ergo Deum in corpore veſtro*, & *in Spiritu veſtro, quæ ſunt Dei.* 1 Cor. 6: 20. Et *caro* quoque ad ἀπολύτρωσιν ejus ſpectat: *Nos ipſi, inquam, apud nos ipſos ſuſpiramus, adoptionem expectantes, id eſt, redemtionem corporis noſtri.* Rom. 8: 23. Et *mors* inter hoſtes ejus numeratur. 1. Cor. 15: 26. Sicuti & ipſe, *exemplo* ſuo, corporum reſurrectionem dedicavit; deque monumento exiens, primus carcerem iſtum fregit, & horrentem ſpecum, atque immane cadaverum ſtabulum, repurgavit. 1. Cor. 15: 20. *Nunc vero, Chriſtus excitatus eſt ex mortuis. Primitiæ eorum, qui obdormierunt, factus eſt.*

XIII. 4. A *juſtitia Dei*: quæ bonis præmia, & malis ſupplicia, etiam in corpore perſolvi jubet. Quod cum in hac vita non fiat, ubi bonorum malorumque fata confuſa ſunt, poſt hanc vitam reanimato corpore, fieri æquum eſt. *Siquidem juſtum eſt apud Deum, viciſſim reddere iis, qui affligunt vos, afflictionem: vobis vero, qui affligimini, relaxationem vobiſcum, in revelatione Domini Jeſu, de cælo, cum Angelis ſuis potentibus, Cum igne flammante* &c. 2. Theſſ. 1: 6, 7.

XIV. v. Tandem & ipſa *corpora* noſtra *templa* appellantur Spiritus S. 1. Cor. 6. unde & oſſa, & reliquiæ eorum venerandæ; pulviſque ille, qui Deo olim ſervivit, etiam poſt fata pretioſus eſt. Nec, inſtar ſordidorum cinerum, volucres in auras ſpargi, ac diſperire poteſt. Ut de ſignis ac *Sacramentis* taceam: quorum uſu corpora noſtra conſecrantur, & futuræ reſurrectioni inaugurantur. *Et conſepulti per baptiſmum: per quem etiam cum eo ſuſcitati eſtis, per fidem efficacis illius virtutis Dei, qui ſuſcitavit eum ex mortuis.* Col. 2: 12. *Conſepulti ſumus ipſi per baptiſmum, in mortem —— ſi coaliti facti ſumus ſimilitudine mortis ipſius, non tantum, ſed etiam reſurrectionis erimus,* Rom. 6: 4. 5. *Poculum gratiarum actionis, cui benedicimus, nonne eſt communio ſanguinis Chriſti, & panis, quem frangimus, nonne communio eſt corporis Chriſti?* 1. Cor. 10: 16. Confer 1. Cor. 15: 29. *Quid etiam lavantur propter mortuos?* de quo loco ſupra egimus: atque Apoſtolum, de veteris legis cærimonia, ac baptiſmo eorum, qui cadaverum tactu polluti erant (βαπτιζομένους ἀπὸ νεκροῦ, *lotos a mortuo* Syracides cap. 34: 27. dixit; quod Apoſtolus dicit, ὑπὲρ νεκρῶν, Talmudica brevitate, טבול מת. טובל vel על מת) mortuorum reſurrectionem non inconcinne probare oſtendimus.

& exemplis. XV. Denique confirmant hunc fidei articulum mortuorum, ad vitam reductorum *exempla*: quæ, tum in Veteri, tum in Novo Teſt. occurrunt. In quibus admiranda quadam proportione, divina ſapientia luſit; ut nullum mortuorum genus extra imperium ejus degere ſciremus. Ut ethnicorum, apud Minucium, ſarcaſmum non metuamus: *Quis unus ullus ab inferis, vel Proteſilai ſorte remeavit, horarum ſaltem permiſſo commeatu, vel ut exemplo crederemus?*

II. Subjectum; quod, omnes omnino homines. XVI. *Subjectum* reſurrectionis in ſcholis duplici modo conſideratur. Eſtque vel *ſubjectum quod*, vel *ſubjectum quo*.

XVII. Subjectum *quod* ſunt omnes, quotquot unquam vitalem auram carpſerunt, homines. *Et congregabuntur coram facie ejus omnes gentes.* Matth. 25: 32. *Omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem ejus* Joh. 5: 28. *Reſurrectio mortuorum futura eſt, & juſtorum, & impiorum.* Act. 24: 15. 2. Cor. 5: 10. Illi autem, quos ſupremus mundi dies vivos deprehendet, in iſto univerſæ naturæ labore, mirum in modum afficientur & transformabuntnr. *Ecce dico vobis myſterium: Non omnes quidem obdormiemus, ſed omnes transmutabimur.* 1. Cor. 15: 51. Quod ipſis pro caſu corporis erit. Quale & Enochi & Eliæ fatum fuit. Quos non niſi purgatos & mutatos in cœlum iiſſe conſtat.

XVIII.

Digitized by Google

XVIII. Nec fœtus abortivi, & monſtroſi partus, aliique à natura male ficti, aut inconcinno membrorum commenſu deformes, modo in hominum communitate fuerint, à reſurrectionis beneficio excludendi. Hæc enim non aliud erit, quam univerſi humani generis de recidivatu ſuo recorporatio & reproductio.

XIX. Intercedunt hic *Judæi*, futiliſſimi nugarum inſtitores: qui, uti materiam hanc miſerandum in modum inaniis ſuis opplerunt; ita non leviter in eo errant, quod ad Iſraëlitas ſolos reſurrectionis beneficium reſtringunt, pauculis tantum exceptis Apoſtatis videl. Epicureis &c. Cujus tamen ſententiæ impietatem tegere recentiores laborant; de Gentium quoque, qui Noachica præcepta ſervarunt, reſurrectione; & impiorum cruciatibus, nonnihil admittentes. *Judæorum hic error,*

XX. Judæos imitantur *Sociniani*, qui univerſalem omnium hominum reſurrectionem albis dentibus rident. Et ad ſolos fideles; quos præſtigioſa diſtinctione in juſtos & injuſtos (ita de mundi ſemita ad veræ pietatis regulam converſos, non ſine contumelia, appellant) diſcerpunt; iſtam dignitatem referunt. Impios autem & infideles, ac nulla virtute a communi generis humani labe redemtos, ubi ipſis ſemel occidit brevis lux, æterna in nocte dormire & quieſcere ſinunt. Inferos enim, & ſubterranea regna; atque una tranſire vadum tot millia cymba, aniles fabulas, & puerilia terriculamenta, putant. *& Socinianorum.*

XXI. Quæ impia ac feralis opinio, de atheiſmi ac paganiſmi ſeminio pullulans, & corrumpendis bonis moribus nata, contra omnem Scripturæ auctoritatem eſt. *Oportet enim nos omnes manifeſtari coram tribunali Chriſti.* 2 Cor. 5: 10. *Omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem ejus & prodibunt.* Joh. 5: 28, 29. *Et cogentur coram eo omnes gentes, & ſeparabit eos, alteros ab alteris* &c. Matth. 25: 32. Quæ loca inepte ad homines, qui ultimo die vivi deprehendentur, reſtringuntur. Quid enim hoc ad terrendos præcedentium ætatum homines? Et manifeſta apud Johannem *ſepulchrorum* mentio eſt. Nec idonea ratio eſt, cur impii, qui ultima mundi ætate vivent, magis divino judicio ſiſtendi ſint, quam reliqui, qui jam fato functi ſunt. Sed & *Sodomæorum*, & *Gomorrhæorum*, & *Tyri* ac *Sidonis*, & reginæ *Auſtri*, & *Ninevitarum*, in judiciali iſto die mentio habetur, Matth. 10: 15. & 11: 21, 23. Luc. 11: 31, 32. Quæ illi, pro ſolito acumine, ita explicant, ac ſi de Judææ per Titum excidio agatur; quod Sodomææ regionis incendio longe gravius ac luctuoſius fu- *Quorum exceptiones diluuntur.*

Digitized by Google

turum ſit. Sed nihil hæc ad *reginam Auſtri*, & *Ninevitas*, vel *Tyrios*, ac *Sidonios*, qui iiſdem in locis memorantur. Et aperte, Chriſti verba de judicio Sodomæorum futuro agunt, *tolerabile erit*, &, *in die iſto* &c. unde & præſentis temporis homines affatur: quos non tam venturo olim Judææ excidio, quod iſti forte non viſuri erant, quam communi generis humani judicio, ac impiorum excidio terreri, æquum erat. Denique aperte Apoſtolus futuram *reſurrectionem mortuorum, juſtorum & impiorum*, coram concilio profitetur. Act. 24: 15. Admodum autem inſulſum, & contumelioſum, eſt, per *impios*, fideles converſos intelligere. Nam Scriptura pios & impios, fideles & infideles, ex æquo inter ſe opponere & comparare; non autem fideles in juſtos & injuſtos diſcriminare, ſolet.

XXII. Reſurgent autem pii ad beatitudinem; impii ad exitium, & ſupplicia æterna. Dan. 12: 2. Quo extremo fine, ſicuti & cauſis, uti mox videbimus, piorum & impiorum reſurrectio diſcreta eſt.

Subjectum quo, eſt idem corpus quod mortuum eſt.

XXIII. *Subjectum quo* reſurrectionis, eſt corpus humanum: quod per peccatum caducum factum, de caſu iſto ſuo ſuſcitabitur & reſtituetur. Unde ejuſdem corporis reſurrectionem Eccleſia in ſymbolo ſuo profitetur plane ex Scripturæ ſenſu: ubi diviné, ab antiquiſſima Eccleſiæ memoria, Jobus, quaſi cutem ipſam manu tenens: *Et poſtquam cutis mea diſtrinxerint HOC, etiam & carne mea videbo Deum. Quem ego videbo mihi. Et oculi mei videbunt, & non alius.* Job. 19: 26, 27. Atque in eundem modum, eademque emphaſi, Apoſtolus, quaſi triſtes illas exuvias, quas gerebat, digito monſtraret: *Oportet enim corruptibile HOC* (notandum provocabulum *HOC*) *induere incorruptibilitatem; & mortale HOC induere immortalitatem.* 1. Cor. 15: 53. *Seritur corpus animale, ſuſcitatur corpus ſpirituale.* com. 43. *Omnes enim nos manifeſtos fieri oportet coram tribunali Chriſti, ut unus quiſque reportet quæ in corpore fecerit, congruentur ad id, quod fecerit, ſive bonum, ſive malum.* 2. Cor. 5: 10. *Nos ipſi intra nos gemimus, adoptionem expectantes, redemtionem corporis.* Rom. 8: 23. *Quolibet tempore mortificationem Domini Jeſu in corpore circumferentes, ut etiam vita illa Jeſu in corpore noſtro manifeſta fiat. Semper enim nos, qui vivimus, morti tradimur propter Jeſum, ut etiam vita Jeſu manifeſta fiat in corpore noſtro mortali.* 2. Cor. 4: 10, 11. *Ne timete vobis ab iis, qui trucidant corpus, animam autem non poſſunt trucidare, ſed timete potius eum, qui poteſt & animam, & corpus, perdere in gehenna.* Matth. 10: 28. *Qui transfigurabit corpus noſtrum humile, ut conforme fiat ejus corpori glorio-*

ſo,

ſo, pro vi illa efficace, qua poteſt etiam ſubjicere ſibi omnia. Phil. 3:21.

Tolluntur, quæ hic moveri ſolent, difficultates.

XXIV. Nec turbare nos debet corporei pulveris, quaquaverſum diſſipati, collectio: aut ejuſdem corporis de cineribus ſuis exſuſcitatio, & reconcinnatio: aut denique difficultas illa, quam ab humanis aut inhumanis ἀνθρωποφάγων cibis, & fœda gula, movent; qua integræ nationes cæſorum hominum reliquias turpi in alvo condere & digerere ſolent. 1. Hæc omnia enim infinita Dei ſapientia & potentia facile expedit. Nihil enim in nihilum evaneſcit: ſemperque ſaltem exiguus cinis, qui novi corporis ſeminium continet, remanet. Quem, quocunque terrarum ſparſum & jactatum, natura ſaltem gremio ac ſinu ſuo tenet, ac repetenti Deo reddit. Egregie Tertullianus: *Non ſola anima ſeponitur. Habet & caro ſuos ſinus, in aquis, in ignibus, in alitibus, in beſtiis. Cum in hæc diſſolvi videtur, velut in vaſa transfunditur. Si etiam ipſa vaſa defecerint, cum de illis quoque effluxerit, in ſuam matricem terram quaſi per ambages reſorbetur, ut rurſus ex illa repræſentetur.* 2. Nec ad ejuſdem corporis eſſentiam neceſſe eſt, ut omnes ejus pulviſculi numerentur, & in reformatione ejus reconcinnentur. Sufficit, præcipuas & ſolidiores partes, de naturæ thecis, novo homini re-exhiberi. Nam & quotidie partes alias aut particulas de corpore deperire, accedere alias, & eundem tamen manere hominem, videmus. 3. Nec de ἀνθρωποφάγοις major difficultas eſt. Cum divina providentia perpetuo pro humana gente excubet; & facile cavere poſſit, ne de inhumana iſta ſagina ferorum hominum caro admodum augeſcat: exiguum enim eſt, quod de alimentis in ſubſtantiam noſtram tranſit: vel additas auctaſque, de cibo illo, partes auferre, priorique domino refundere ac redhibere, ſine injuria; damnumque illud aliunde reſarcire commode poteſt. In univerſum autem naſutis illis & ſciolis, Salvatoris verbis reſpondendum eſt: *Erratis, neque Scripturas ſcientes, neque potentiam Dei.* Matth. 22:29.

Judæorum figmenta.

XXV. Nec audiendæ hic Judæorum ſollemniſſimæ nugationes: idem corpus de oſſiculo quodam, *Luz* dicto, renaſci; quod incorruptibile ferunt, in novi videl. corporis rudimentum. Sed & novis hominibus, non idem ſolum corpus, ſed eaſdem corporis deturpati notas, cicatrices, ſtrumas, cæcitudinem &c. tribuunt. Ex oraculo videl. Jer. 31:8. Eſai. 35:6. Nec veſtes omittunt, ſuetumque cultum. Animas autem corpori demum reconcinnato, & de ſepulchro progreſſo, reddendas ajunt.

Hhhh 3 XXVI. So-

Socinianorum errores.

XXVI. Sociniani contra nova hominibus corpora, cœleſtia plane & ſpiritualia, poſt reſurrectionem tribuunt. Quomodo & Chriſtum, poſitis terrenis exuviis, glorioſiori corpore indutum ferunt. Eundemque in modum vivos, in adventu Chriſti, homines, momento reformandos, & exuta carnea mole pretioſius reveſtiendos ſtatuunt. Quos errores Apoſtolica auctoritate jam jugulavimus: *Quando autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet quod ſcriptum eſt, abſorpta eſt mors ad victoriam.* 1 Cor. 15: 54. *Seritur corpus cum corruptione, excitatur cum incorruptione: ſeritur corpus animale, ſuſcitatur corpus ſpirituale.* comm. 43, 44. Quæ corporum latio, non de generatione naturali (ac ſi in mundi regeneratione & παλιγγενεσίᾳ aliud corpus, quod incorruptibile erit, formandum nobis ſit) ſed de morte ipſa, & ſepulchro, ab Apoſtolo intelligitur: quod videl., dum cineres & oſſa noſtra cuſtodit, novi corporis ſeminium continet, olim Spiritu Dei animandum & vegetandum. Nec tueri illi poſſunt communem Chriſtianorum fidem, qui in ſymbolo ſuo σαρκὸς ἀνάστασιν, *carnis* reſurrectionem, profitentur. Pudenda enim detorſio eſt, carnem appellari, quod caro olim fuit: cum nunc animo & corpore alii homines ſint. Ipſa autem *caro* reſurget. Eſt autem *reſurrectio*, ejus, quod cecidit, de ruina ſua reparatio.

XXVII. Nec bene obtendunt errori ſuo verba Apoſtolica, *Caro & ſanguis non hæreditabunt regnum Dei.* 1. Cor. 15: 50. Explicat enim ea Apoſtolus proximis verbis, *neque corruptibile hæreditabit incorruptibilitatem.* Ut non de carnis ſubſtantia ac mole, ſed de vita hac animali & fugaci agatur; quæ ſanguinis ac ſpirituum meatu abſolvitur; quæ ubi leves in auras exhalarunt, etiam corpus hoc in vagum pulverem fatiſcit. Quæ mortalis corporis conditio mutanda dicitur, carni hac noſtra glorioſiorem in modum reformata, & a Dei Spiritu animata, ac immortali vigore prædita. Qualis corporum ſtatus etiam in ſtatu innocentiæ ex parte obtinuiſſet. Niſi quod nunc etiam & *venter*, & *eſca*, *abolebuntur.* 1 Cor. 6: 13. Non quod non extitura ſint: nam *corpora* noſtra, & *membra Chriſti*, etiam poſt reſurrectionem, appellantur, com. 14, 15. verum quod non ad fragilem iſtum uſum, ſed ad corporum decus & integritatem ſolum ſupererunt. Quales & hodie videmus virili in corpore mammas, quæ tamen lacteum rorem non fundunt. Atque ita filii reſurrectionis ἰσάγγελοι à Chriſto appellantur. Luc. 20: 36. Non quod corporum molem iis abroget, ſed quod vitæ terreſtris conditionem & officia, ac præ-

præſertim conjugii uſum tum ceſſaturum velit: cum in cœlo non ſit Angelus & Angela, ut non nemo veterum. Unde & ſanguinis ac ſpirituum anomalos curſus, & temulentos iſtos impetus, quæ cupiditatum ardorem, aut procupidinem ſaltem ciere ſolent, caſtigandos ac cohibendos admodum probabile eſt.

XXVIII. Paria cum Socinianis errant *Anabaptiſtæ*, qui etiam corpus glorioſum de corporeæ naturæ, ac proprietatum, abdicatione intelligunt. Ad exemplum videl. Chriſti. Quod fundamentum falſum eſt. Cum ille poſt mortem non corpus ſolum idem, ſed & eaſdem corporis notas & cicatrices, oſtenderit. Nec alio in corpore triumphum ſuum in cœlis auſpicatus fuerit. Unde & eodem in corpore rurſus mortalibus videbitur. Act. 21 1: *Sic Jeſus revertetur, quemadmodum ipſum vidiſtis abeuntem in cœlum.* *Anabaptiſtarum.*

XXIX. Nec multum abludunt *Remonſtrantes*: qui ita quæſtionem hanc elevant, & inter curioſas referunt, ut tamen non obſcure in Apologia involutam animi ſui notionem explicent, dum in futura vita corpus non admodum neceſſarium fore ſtatuunt. *& Remonſtrantium.*

XXX. Etſi autem corpus noſtrum ſubſtantia idem, gloria tamen diverſum erit. Quod Apoſtolus aperte docet. 1. Cor. 15: 42, 43, 44. *Seritur corpus cum corruptione, excitatur cum incorruptione, ſeritur cum ignominia, excitatur cum gloria: ſeritur cum infirmitate, excitatur cum potentia: ſeritur corpus animale, excitatur corpus ſpirituale.* Spirituale autem appellat, non quoad ſubſtantiam, vel quod, aerei inſtar corporis, non viſui aut tactui humano amplius patebit. Sed quod, nullo terreno pondere degravatum ac depreſſum, Spiritum S. rectorem habebit, certiſſimum immortalitatis ducem (qua in parte ad famulantium Deo mentium naturam proxime accedet) & ductui ejus per omnia ſubjicietur, extincto quicquid hactenus in ſanguine ac ſpiritibus turbidum ac incompoſitum. Hæc enim Spiritui S. adſcribuntur. *Vivificabit etiam mortalia corpora veſtra, per ſpiritum ſuum in vobis habitantem.* Rom. 8: 11. Ut perperam Sociniani, Anabaptiſtæ, & Weigeliani, corpora ſpiritualia de corporibus carne & ſanguine carentibus, in futuro ſæculo, intelligant. Quibus Ubiquitiſtæ & Scholaſtici præterea affingunt, illa quoque dimenſionibus & ſpatio caritura. Quomodo ne corpora quidem erunt. Quæ ſomnia ex Origeniſtarum ſchola primum prodierunt. *Corpus autem, licet ſubſtantia idem, gloria tamen diverſum erit.*

XXXI. Ad quæſtionem de *ſexus diſcrimine*, de quo ſibi metuebant veterum nonnulli; ne iterum de Paradiſi poſſeſſione hominem *An cum ſexus diſcrimine?*

mulier

mulier deturbaret: nos eum ad corporum decus & integritatem pertinere judicamus. Sicut & Chriſtus, occaſione alioquin oblata, non negavit jum, ſed aſtruxit potius. Non enim affectionem ipſam, ſed ſexus uſum tantum ſuſtulit; cum non alia hominum, quam Angelorum tum reſpubl. futura ſit. *In reſurrectione enim, neque uxores ducunt neque nuptum dantur, ſed ſunt ut Angeli Dei in cœlo.* Matth. 22: 30.

Ejus menſura. XXXII. *Corporis* menſuram & modum male quidam ad dominici corporis ſtaturam exigunt, eamque omnibus æqualem ſtatuunt. Ex loci Paulini παρερμηνείᾳ. Eph. 4: 13. Nos juſtum & decorum, qualis perfectæ ætatis eſt, quamvis non æqualem omnibus, corporis habitum ſtatuimus. Qualis & Adamo ante lapſum contigit.

III. Cauſa ejus Dominus Chriſtus: XXXIII. *Cauſa* reſurrectionis eſt ſolus Deus: *Qui ſuſcitavit Dominum Jeſum, nos quoque per Jeſum ſuſcitabit, & ſiſtet vobiſcum.* 2. Cor. 4: 14. Ac ſpeciatim Jeſus Chriſtus: *Dixit ipſi Jeſus, ego ſum reſurrectio, & vita.* Joh. 11: 25. Cui, non omnipotentiæ ſolum, ſed & meriti ratione, divinum illud opus tribuitur. Nam ad mediationis officium illud neceſſario pertinet. Unde electos de mortis ſpecu liberabit, tanquam vindex, & *redemtor* eorum: *Sane ego novi, quod vindex meus vivit, & poſtremus ſupra pulverem ſtabit.* Job. 19: 25. *Sicut enim omnes in Adamo moriuntur, ita & omnes in Chriſto vivificabuntur.* 1. Cor. 15: 22. Quæ *reſurrectio vitæ* eſt, præcipuum mediatoris beneficium: *Omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem ejus; & prodibunt, qui bona fecerint, in reſurrectionem vitæ.* Joh. 5: 28, 29. *Poſterior Adam factus eſt in Spiritum vivificantem.* 1. Cor. 15: 45. Reprobos autem, ut juſtus *judex*, de latibulis ſuis eruet, & redivivos ad ſupplicium producet.

diverſa ratione reſpectu piorum & impiorum; XXXIV. Quo in genere piorum & impiorum reſurrectio diſcreta eſt: non ſolum diverſo utriuſque fine & exitu; ſed & ipſo genere, ac cauſis ſuis. Nec enim illi Chriſti capitis noſtri virtute ac auſpicio reſurgent. Illa enim non niſi ſalutaris eſt; & ad ſolos electos pertinet. Sed à Chriſto judice inviti ad ejus tribunal rapientur.

ut & reſpectu duplicis naturæ ſuæ. XXXV. In Chriſto autem utraque ejus natura hic ſpectanda eſt. Qua Deus, omnipotente voce ac juſſu ſparſos cineres, & ſopitum pulverem, de naturæ ſinu recolliget, & infuſo ſpiritu redanimabit; *Per omnipotentiam ſuam, qua ſibi omnia ſubjecit.* Phil. 3: 21. Qua homo autem, non ſolum ipſe reſurrectionis exemplar & ſpecimen mortalibus factus eſt; verum etiam, ut Eccleſiæ ac mundi Dominus, aërio in gyro ap-

Digitized by Google

apparebit, cœleſti ſatellitio ſuffultus & exornatus.

XXXVI. Inſtrumentalis cauſa recreationis hujus dari non magis poteſt, quam primævæ creationis: niſi quod in iis, quæ reſurrectionem antecedent & conſequentur, Angelorum miniſterium locum habebit. *Et mittet angelos ſuos —— congregabunt electos ejus, à quatuor ventis.* Matth. 24: 31.

IV. Circumſtantiæ ejus: locus,

XXXVII. *Locus*, ubi generis humani reliquiæ reparandæ erunt, non erit peculiaris aliqua in terris regio. Uti de Palæſtina Judæi fabulantur, cui hoc decus aſſerunt, in iſto terrarum angulo gentem humanam, uti primum fictam, ita, labentibus ſæculis, denuo refictam iri. Atque hanc rationem dant, cur Patriarchæ olim tanto deſiderio in felici iſta gleba humari deſiderarunt. Quod tamen alias cauſas habuit. Reliquos autem Iſraelitas, quibus iſtam Corinthum, ſive Hieroſolymam, adire non contigit, per cæcos terræ meatus & cavernas, non ſine dolore, eò devolvendos ſtatuunt. Quas tamen fabulas hodierni Judæi verecundantur; & communem per univerſum orbem, quanquam non univerſalem, nec omnium hominum, reſurrectionem ſtatuunt. Nos, uti univerſum genus humanum de ruina ſua ſuſcitatum iri credimus; ita toto, qua patet, orbe, de monumentis ſuis mortuos prodituros; & mare, tellurem cunctaque elementa, quibus cineris noſtri cuſtodia credita eſt, fidem ſervatura, deque thecis ſuis generis humani pulverem redditura, affirmamus. *Et mittet angelos ſuos —— & congregabunt electos ejus à quatuor ventis.* Matth. 24: 31. conf. Apoc. 20: 13.

tempus & ordo.

XXXVIII. *Tempus* reſurrectionis indicare, non eſt noſtrum. Cum Chriſtus affirmet, *de die autem illo & hora nemo ſcit: ne Angeli quidem cælorum. Sed Pater meus ſolus.* Matth. 24: 36. Hoc tamen certum eſt, uno eodemque tempore eam peractum iri, ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, momentaneo quaſi oculi motu, 1 Cor. 15: 52. unoquoque tamen in ſuo τάγματι, ac *ſtatione* quaſi, conſtituto. *Qui mortui fuerint in Chriſto, reſurgent primum. Deinde nos vivi, qui reliqui erimus, rapiemur ſimul cum iis in nubes, in occurſum Domini in aëra.* 1 Theſſ. 4: 16, 17

an duplex ſit futura reſurrectio?

XXXIX. Ut perperam Chiliaſtæ duplicem fingant reſurrectionem, quarum prior mille annis præceſſura ſit alteram. Quod ex perverſo Johannææ phraſis, in ſacra Apocalypſi, intellectu ortum duxit. Apoc. 20: 6. de quo ſupra.

XL. Judæi quoque veteres duplicem confingebant reſurrectionem; *particularem*, quæ temporibus Meſſiæ continget, & *univerſa-*

lem, in fine mundi. A qua traditione recentiores magiſtri, nimia Meſſiæ ſui mora decepti, nunc abeunt; omniaque, & ipſum quoque Meſſiæ adventum, præ deſperatione, ad finem mundi rejiciunt, & confundunt. Juſto equidem Dei judicio Meſſiam ad judicium exercendum tantum expectantes, quem ad ſalvandum venientem amplecti olim noluerunt.

Reſurrectionis uſus.

XLI. Nos, miſſis fabulis, quas audacius hoc in argumento, utpote, de re futura, tanquam in tenebris coniſcantes, promunt hi homines, mortuorum reſurrectionem pro præcipuo Chriſtianæ fidei capite ac fulcimento habemus: iſtaque ſpe corpus hoc noſtrum, quod tantæ claritudinis particeps olim futurum eſt, ſancte & reverenter habemus; & membra noſtra, quæ membra Chriſti appellat Apoſtolus, pro armis & inſtrumento juſtitiæ offerenda novimus. *Glorificate Deum in corpore veſtro, & ſpiritu veſtro. Quæ ſunt Dei.* 1 Cor. 6:20. Rom. 6:13. Morbos autem, & cruciatus, ac mortem ipſam, hoc pignore contemnere jubemur: cum ignavum ſit, redituræ parcere vitæ; ac martyrum potius imitanda ſit conſtantia, quibus ſollemne erat tormenta ſpernere præſentia, ne incurrerent in futura; & dum mori poſt mortem timebant, interim mori non timere. Ut eſt apud Minucium. Defunctorum autem jacturam moderate, & Chriſtianum in modum, ferre docemur. Cum, poſt crudam hanc hyemem, expectandum quoque corporum ver ſit; quo in beatam vitam refloreſcent, qui nunc, caduci ad inſtar floris, emarcuerunt. *Nolim autem vos in ignorantia verſari, fratres, quod ad eos attinet, qui obdormierunt, ut ne contriſtemini, ſicut & reliqui, qui ſpem non habent. Nam ſi credimus, Jeſum mortuum eſſe, & reſurrexiſſe, ita etiam Deus eos, qui obdormierunt in Jeſu, adducet cum eo.* 1. Theſſ. 4:13, 14.

CAPUT XXIII

De JUDICIO EXTREMO.

Reſurrectionem excipit JUDICIUM *extremum.*

I. MOrtuorum reſurrectionem excipit judicium extremum. De cujus tum *veritate* ac certitudine, tum *forma* ac modo, denique *circumſtantiis*, agemus.

II. Deſcendet autem Chriſtus, ad cenſuram generis humani agendam, cum *celeuſmate*, & *voce Archangeli*. Illa tuba vivorum, hæc mortuorum auribus inſonabit, omneſque mortales

ad

Digitized by Google

ad tribunal ejus congregabit. 1. Theſſ. 4: 16. Quemadmodum nun- *Quo facit descensus Chriſti*
quam in Scriptura deſcendiſſe Deus, niſi ad judicandos homines,
legitur.

III. Locus, unde deſcenſurus exſpectatur, eſt cœlum (quod *è cœlo.*
contra Ubiquitarios ſervandum) ex quo iterum in terras redux, ſumma cum majeſtate ac gloria, univerſum mundum judicabit, In quo ſecundus ejus adventus à primo differt. Ille enim humilis, hic glorioſus erit: in illo hominem, hic Deum fatebitur: in illo, falſus reus, ab hominibus judicatus eſt, hic ipſe homines omnes judicabit. Quem duplicem adventum dum Judæi diſtinguere non norunt, atque unum tantum Meſſiæ adventum credunt, in poteſtate & gloria, à Meſſia ſuo aberrarunt. Vide Phil. 3: 20. *Noſtra autem civitas in cœlis eſt; unde & Salvatorem expectamus Dominum Chriſtum*, 2 Theſſ. 1: 7.— *In revelatione Domini Jeſu, à cœlo, cum Angelis potentia ſua*. Matth. 24: 26, 27. *Si dixerint vobis, ecce in deſerto eſt, ne egredimini: ecce in cibario, ne credite. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & lucet uſque ad Occidentem, ſic etiam erit adventus filii hominis.* Act. 1: 11. *Hic Jeſus revertetur, quemadmodum ipſum vidiſtis abeuntem in cœlum.* Apoc. 1: 7. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum transfixerunt.*

IX. Erit autem judicium hoc non *particulare*, aut occultum; *Judicium hoc non particulare erit, ſed univerſale.*
quomodo facto veluti præjudicio, nonnunquam in terris ſeſe regnare oſtendit, fulminiſque ſui ſtricturis gentes territat; ſed publicum ac *univerſale* totius generis humani. Unde *Judicium æternum* Hebr. 6: 2. dicitur.

V. Cumque tria iſtius generis judicia legamus. Primum, in Paradiſo in generis humani parentes; alterum in mundum ante-diluvianum; tertium in ſocietatem humanam, ad Babylonicum ſcelus, in campis Sinear, congregatum, editum: hocce erit quartum & ultimum. Idque non in vivos ſolum, ut priora illa, ſed etiam in mortuos, adeoque univerſaliſſimum.

VI. Judicialis ac decretorii iſtius diei certitudinem probant: 1. *Quod probatur 1. Ex Scripturis.*
Scripturarum oracula. *Eo quod ſtatuit diem, quo judicaturus eſt habitabilem in juſtitia.* Act. 17: 31. *Quodcunque verbum otioſum locuti fuerint homines, de eo reddituri ſunt rationem in die judicii.* Matth. 12: 36. Adde Matth. 13: 41, 42, 43. & 25: 31. & ſeq. 1 Cor. 4: 5. & 1: 8. 2 Cor. 5: 10. Hebr. 9: 27. 2. Pet. 3: 12. Jud. com. 6. 14, 15. Apoc. 1: 7. Eccl. 12: 1, 16. Pſal. 50. aliaque loca.

VII. 2. Ratio, à providentia, ac *juſtitia* Dei deducta; quæ vel ſa- *2. ratio.*

niori-

nibus. nioribus Ethnicis hoc perſuaſit, & divinam Nemeſim expectare coëgit. Cum enim in terris bonorum malorumque fata commixta, & rerum vices confuſæ ſint; & pii fere ſint calamitoſiſſimi, impii autem læti ac florentes; equidem tempus olim venire neceſſe eſt, quo Deus piorum impiorumque delectum agat, & res humanas emendet, ſeque ipſum & providentiam ſuam abſolvat. *Si quidem juſtum eſt apud Deum, viciſſim reddere iis, qui affligunt vos, afflictionem.* 2 Theſſ. 1: 6. *Dixit autem Abrahamus: Fili, memento, te bona tua recepiſſe in vita tua, & Lazarum ſimiliter mala. Nunc autem hic ſolamen recipit; tu vero cruciaris.* Luc. 16: 23. Eccleſ. 11: 12, 13.

VIII. 3. Accedit & *mundi* ratio. Si enim nec domus ulla, nec cætus, nec civitas, ſine judiciis ac diſciplina ſtare poteſt: multo minus hæc rerum univerſitas, & generis humani multitudo; quæ Deum, uti rectorem, ita & judicem, habet.

IX. 4. Denique & *conſcientia* uniuſcujuſque huic judicio ſuffragatur: quæ, dum Chriſtus abeſt, & mundi fata cunctantur, vicario in homines judicio perfungitur. *Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, conteſtificante ipſorum conſcientia, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, vel etiam defendentibus.* Rom. 2: 14, 15. Hinc & *Gentilium*, non poëtarum ſolum carminibus, ſed & in philoſophorum libris, celebratæ ſententiæ; quæ vel de priſco Patriarcharum dogmate adumbratæ, vel de naturæ luce redaccenſæ, veritatem de invitis pectoribus erumpentem teſtatæ ſunt. Quo majori impietate Epicurei & ἐμπαῖκται, Chriſti judicis reditum ſecure contemnunt & irrident. *Effer te, judex terræ; redde, quod meriti ſunt ſuperbi — Animadvertite obrutiſſimi in populo; & ſtultiſſimi, quando intelligentes eritis? an plantator auris non audiat? aut formator oculi an non intueatur? An caſtigator gentium, an non reprehendat? qui docet homines ſcientiam* an non agnoſceret? Pſal. 94: 2. &c. 2 Petr. 3: 4.

Illius conſtitutio; ratione 1. Judicis; qui Chriſtus, X. Judex erit univerſa Trinitas, auctoritate ac poteſtate; ſpeciatim autem Chriſtus, viſibili judicatura ac imperio. Quod ipſi judicium à Patre traditum dicitur. Matth. 28: 18. Act. 10: 42. & 17: 31. Joh. 5: 22, 27. utpote Eccleſiæ Regi; & electorum ſuorum vindici; ac impiorum & refractariorum ultori ſeveriſſimo. Quorum hoc gratiæ eſt, illud potentiæ. Utrumque autem ad mediationis munus pertinet.

reſpectu utriuſque naturæ. XI. Atque ille quidem ſecundùm utramque naturam actu illo perfungetur. Qua *homo*, viſibili majeſtate, in nubibus, tanquam

in

Digitized by Google

in tribunali, conſpicuus. *Et poteſtatem dedit ipſi etiam judicium faciendi, quia filius hominis eſt.* Joh. 5:27. *Sic Jeſus revertetur, quemadmodum ipſum vidiſtis abeuntem in cælum.* Act. 1:11. Apoc. 1:7. Qua *Deus*, cœleſti auctoritate, ac imperio, & ſapientia, ad cordium ſecreta & tenebras perrimandas; ſententiamque de genere humano pronunciandam; eamque ſine ulla provocatione exequendam.

XII. Blaſphemant enim Sociniani, & ſupremum ejus judicium negant; cum enim pro judice delegato tantum habent, qui inſtar tabellionis ac interpretis, ex auctoritate Patris, de mundo ſententiam laturus ſit. Quo perperam adducunt Joh. 5:22, 23. *Neque enim Pater judicat quenquam, ſed judicium omne dedit filio, ut omnes honorent filium, quemadmodum honorant Patrem*, & com. 30. *Non poſſum ego à me ipſo facere quicquam: prout audio, judico: & judicium meum juſtum eſt; quia non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me*, id eſt, *Patris*. Ea enim loca contrarium potius probant: & de ſumma ac individua ejus cum Patre unitate, & ſupremæ judicaturæ honore, ab hominibus ipſis agnoſcendo, agunt.

XIII. Neque minus idem, in eodem judicio, fidelium, ac electi gregis, advocatum; & impiorum, ac reprobæ gentis, accuſatorem, ac adverſarium ſeveriſſimum aget. Nec ulla illi excuſatione adverſus eum tueri ſeſe poterunt. Vide Matth. 25. Job. 19:25. *Equidem novi redemtorem meum vivere; & poſteriorem ſuper pulverem reſurrecturum.* & 33:23. *Si propinqua ſit foveæ anima ejus, & vita ejus lethalibus malis: & adſit ei nuncius, interpres, unus ex mille — & dicet, redime eum, ne deſcendat in foveam, expiationem inveni.* Rom. 8:34. *Qui etiam interpellat pro nobis.*

XIV. Judicii ſatellites ac apparitores erunt Angeli: quorum opera utetur Dominus, tum in congregandis hominibus, tum in iiſdem ſegregandis. *Et mittet angelos ſuos —— & congregabunt electos ſuos à quatuor ventis.* Matth. 24:31. *Ita erit in conſummatione ſæculi. Prodibunt Angeli, & ſeparabunt improbos è medio juſtorum.* Matth. 13:49. 1 Theſſ. 4:16. *Judicii miniſtri. Angeli.*

XV. Adſeſſores aliqua ex parte creduntur futuri Apoſtoli, & ſancti homines. Verum duodecim illi *Apoſtolorum* throni, atque illa duodecim tribuum judicatura, quæ ipſis tribuitur, Matth. 19:28. Luc. 22:30. potius figurate de doctrina illorum accipi debet; per quam illi, poſt aſcenſionem Chriſti, terram Iſraëlis veluti *An judicium hoc quoque conveniat Apoſtolis?*

 ana-

& ſanctis? anathemate percuſſerunt. *Sancti* autem improprie *mundum judicaturi* creduntur, 1 Cor. 6:2,3. tum quatenus Chriſti Judicis membra ſunt, cum eo ut cum capite ſuo coadunata: tum aſſenſu ſuo, & ſententiæ à Chriſto latæ ſuffragio: tum fidei ac charitatis, in terris præſtitæ, exemplo; ac facto in improbos veluti præjudicio: denique uti ſententia Chriſti ultima palam abſolvendi; quæ revera reliqui orbis, qui ipſis hactenus inſultavit, erit condemnatio. Sed cum revera nullibi Chriſto aſſeſſuri, ſed omnes coram tribunali ipſius ſtaturi in Scriptura legamur, tam oves, quam hirci, Matt. 25:31--33. 2 Cor. 5:10. rectius forte hæc accipiuntur non de judicio extremo, ſed de judicio & imperio *populo ſanctorum Altiſſimorum* in hoc ſæculo promiſſo: de quo Dan. 7:18, 27. & com. 10. *Judicium conſedit.* Quod & ad ſcopum Apoſtoli proxime facit.

II. Judicandorum: cum Angelorum, XVI. Ad judicium autem ſpectant omnes, cum *perſonæ*, tum *cauſæ*. Ad perſonas pertinent etiam *Angeli* mali, è cuſtodia ſua tum producendi, & publice, inſpectante genere humano, cui tam diu illuſerunt, condemnandi. *Nam ſi Deus Angelis, qui peccaverant, non pepercit; ſed in tartarum detruſos catenis caliginis tradidit ſervatos ad judicium.* 2 Pet. 2:4. *Angelos — ad judicium magnæ diei, vinculis æternis ſub caligine ſervavit.* Jud. com. 6. Matth. 25:41. Loci 1 Cor. 6:3. paulo alia ratio eſſe videtur.

tum hominum XVII. *Homines* autem judicandi ſtabunt omnes, & boni, & mali. *Oportet enim nos omnes manifeſtari coram tribunali Chriſti.* 1. Cor. 5:10. *Mandavit nobis, ut prædicemus populo, ac teſtificemur, eum eſſe, qui definitus ſit à Deo judex vivorum & mortuorum.* Act. 10:42. Ut hic ſollemniſſimus futurus ſit generis humani conventus, & univerſalia veluti comitia, Chriſto præſide ac judice, agenda.

& Cauſarum. XVIII. *Cauſæ* eo adducentur omnes; omneſque hominum actus, cum boni, tum mali. Qui ibi de ſecreto ſuo producentur & nudabuntur. *Omne opus Deus vocabit in judicium ſuper omni occulto habendum, ſitne bonum an malum.* Eccl. 12:14. *Quodcunque verbum otioſum locuti fuerint homines, de eo reddituri ſunt rationem in die judicii.* Matth. 12:36. Quod tamen non tam de publico examine, quam de conſcientiæ luce, & perniciſſimo mentis, ſeſe vel accuſantis, vel excuſantis, volatu, intelligendum videtur. Ut nulla difficultas reſtet de piorum peccatis: quæ cum per juſtificationem tecta ſint, quæ ſententia in judicio hoc non retractanda, ſed publice ac ſollemniter confirmanda eſt; non iterum, aut ſaltem non ad pudorem eorum, illa vulgabuntur; ſed ita memorabuntur, conſciaſque mentes ferient, ut de adepta venia,

Digitized by Google

venia, ac publica abſolutionis ſententia, immenſum lætaturi ſint.

XIX. Fiet autem univerſi generis humani in duas partes, ac magnas ſocietates, ſeparatio. Ut duas illas civitates, quæ in mundo hactenus vigent, & confuſæ inter ſe immixtæque vagantur, agnoſcamus. Quod non leve futuri judicii præjudicium erit. Ovium hædorumque nomine ac imagine eos Chriſtus ſignat, ac ſecernit, Matt. 25. Quod ex Ezechielis emblemate deſumptum videtur. Ez. 34: 17. Ac collocabuntur illi quidem ad dextram, hi ad ſiniſtram: ſive ex judiciorum Hebræorum more: ſive uſurpati olim moris, in luſtranda, ac Deo ſollemniter obliganda gente Judæa, inpronunciandis benedictionibus ac maledictionibus legis, hæc imitatio eſt. *Hominum illic diſcretio in oves hædos.*

XX. *Forma* ipſius judicii conſiſtit, in cauſæ *cognitione*; ſententiæ *pronunciatione*; & *executione*. *III. Forma:*

XXI. *Cognitio cauſæ* non admodum operoſa erit: tum propter judicis omniſcientiam, qui obſervator ac ſpeculator omnium, occultiſſimis etiam cogitationibus intererrat: *Non opus habebat, ut quis teſtaretur de homine, ipſe enim noverat, quid eſſet in homine.* Joh. 2: 25. *Omnia nuda, & reſupinata oculis ipſius.* Hebr. 4: 13. Tum propter conſcientiæ lumen, quod nullum nobis ſecretum eſſe patietur, & veteres labes nudabit ac refricabit. Qua ratione *occultorum manifeſtatio in judicio illo potiſſimum intelligenda.* 1 Cor. 4: 5. *1. in cauſæ cognitione;*

XXII. Atque uti Scriptura judicium hoc de conſuetudine humana pingere fere ſolet: ita *librorum* quoque hic mentio fit, qui aperiendi, juxtaque ſententiam eorum de hominibus pronunciandum erit. Qui libri à Theologis quatuor numerantur. 1. Liber *prædeſtinationis*, qui & *vitæ* appellatur. 2. Liber omniſcientiæ, ſive *providentiæ* divinæ. Quæ divinæ mentis tabularia, ac membranas Scriptura ſæpe deprædicat. *Et libri aperti ſunt, & liber alius apertus eſt, qui eſt vitæ: & judicati ſunt mortui ex ſcriptis in libris, ſecundùm opera ſua.* Apoc. 20: 12. licet iſto in loco cæteroquin de judicio extremo directe non agatur. *Jactationem meam numeraſti tu ipſe. Pone lacrymas meas in utre tuo; imo in rationibus tuis.* Pſal. 56: 9. Mal. 3: 16. 3. Liber *Scripturæ*, legis nimir. & Euangelii: *In die, cum judicabit Deus occulta hominum, ſecundùm Euangelium meum, per Jeſum Chriſtum.* Rom. 2: 16. Apoc. 20: 12. 4. Liber denique conſcientiæ. *Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, conteſtificante ipſorum conſcientia, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, vel etiam defendentibus.* Rom. 2: 15. *ex libris*

XXIII. At-

2. ſententia latione: ſecundùm opera;

XXIII. Atque ex iſtis libris deinde *ſententia* feretur. Quod palam, ac ſermone, videtur peragendum. De *operibus* autem ea potiſſimum conſtabit: cum in viſibili judicio viſibilia requirantur teſtimonia; quæ non de interna fide, ſed de externis charitatis operibus, deſumenda ſunt. Atque ita *Deus unicuique rependet ſecundùm opera ſua.* Rom. 2:6.

particulatim charitatis.

XXIV. Quod autem maxime operum charitatis ac miſericordiæ in eo judicio futura ſit mentio; quæ à piis in tenebris ac ſilentio repoſita, tunc in publica mundi luce ſplendebunt; cum judicii illius ratione vel præcipue congruit. Cum enim mortales omnes miſericordiam judicis ex æquo imploraturi ſint; juſtiſſimum erit judicium, quod ſecundùm miſericordiam ab ipſis factam, vel neglectam, exercebitur. *Nam condemnatio abſque miſericordia erit ei, qui non præſtiterit miſericordiam. Et gloriatur miſericordia adverſus judicium.* Jac. 2: 13. 2 Tim. 1: 16.

XXV. Ac calculis quidem utraque ex parte poſitis, impiorum facta, nulla amoris ſcintilla coruſcantia, diræ ac illætabilis ſententiæ erunt cauſa promeritoria: piorum autem opera abſolventis ac ſalutaris vocis non cauſæ proprie, ſed indicia ſunt, de veris cauſis teſtificantia. Cum genuinus ille amor certiſſima divinæ gratiæ ſit teſſera ac ſymbolum. Piis enim cœleſtis illa gloria, ut hæreditas, ex amore ac electione Dei æterna, obventura promittitur. *Venite, benedicti Patris mei, ut hæreditatem poſſidete regnum, præparatum vobis à jacto mundi fundamento.* Matth. 25: 34. Spectatque huc Scripturæ phraſis, quo judicandi dicimur *ſecundùm opera.* Rom. 2: 6. 2 Cor. 5: 10.

XXVI. Ut valde errent Pontificii, operum meritum etiam coram tribunali ac diſtricto Dei judicio tueri audentes. Quæ Judaicæ quoque fidei corruptela eſt: qui præſentem futuramque hominis felicitatem bonis ejus operibus adſcribunt. Quanquam & gratiæ mentionem ſuis operibus admiſcent. Gentes autem, coram judicii throno relictas, affirmant.

3. ſententia lata executione.

XXVII. Perlata autem ſententia, atque ubi ſplendida Deus de genere humano fecerit arbitria, ſine mora eam, per mentes ſibi famulantes *exequetur.* Ac veluti in dicenda ſententia à piis faciet initium, quos coram univerſo mundo abſolvet, non ſine multo verborum honore, ad majorem impiorum ignominiam: ita in ea exequenda ab impiis incipiet, ad uberiorem piorum conſolationem. *Lætabitur juſtus, cum viderit ultionem.* Pſal. 58: 11. Aut potius impiis prius loquitur, quia proxime de iis anteceſſerat.

XXVIII.

XXVIII. *Circumſtantiæ* hujus judicii maxime verſantur in *loco*, & *tempore*.

IV. Circumſtantiarum; Loci:

XXIX. *Locus communiter* deſignatur per aërem & nubes. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus.* Apoc. 1: 7. *Rapiemur ſimul cum iis in nubes, in occurſum Domini in aëra.* 1 Theſſ. 4: 16, 17. Quod ita interpretantur, ac ſi aërio in ſpatio, tanquam in ampliſſimo amphitheatro, quale videl. ſola rerum natura poſſit effingere, inſpectante univerſo mundo, judicium peragendum ſit. Niſi potius in terra illud futurum placet; ac raptum illum aëreum judicio poſteriorem dicamus, deque piis ſolum intelligamus.

an vallis Joſaphat

XXX: De quo quicquid ſit, *particularis* ejus locus ignoratur. Nec admittendum Pontificiorum commentum de valle Joſaphat, ex Joël. 3: 12. Quæ acceptæ à Judæis fabulæ imitatio ac interpolatio eſt. Non enim unica vallis, eaque non adeo magna, generis humani conventum capere poteſt. Neque agit prophetia iſta de ultimo rerum humanarum actu, ac judicio; cum multa præterea in mundo conſecutura narret; ſed de judicio quodam Dei particulari agit; quod ſub ultima Novi Teſt. tempora in eos, qui Eccleſiæ Reformatæ limitem invaſerunt, exercendum erit. Quod ſimilis judicii, ſub Joſaphato Rege, comparatione exponitur & confirmatur. de quo 2 Chron. 20: 16, 26. Quid quod & vallis *Joſaphat* appellatio ænigma habet, atque ipſo nomine *Deum Judicem* indicat. Conferendum autem Joëlis vaticinium, atque exponendum ex loco Apocalyptico, cap. 16: 16.

& temporis.

XXXI. *Tempus* judicii, Deo certum ac notum, Act. 17: 3. nulli præterea creaturæ aut homini revelatum eſt. *De die autem illo & hora, nemo ſcit, ne Angeli quidem cælorum, ſed Pater meus ſolus.* Matth. 24: 36. Cum enim Deus complura alia, tum opera ſua, tum judicia, longe ante Eccleſiæ revelaverit; tum ſpei piorum ſuſtentandæ, cujus eſt res futuras prælibare ac veluti præcerpere; tum fidei confirmandæ; ac infidelibus denique potentiſſimè confundendis & convincendis: ſupremum vero judicium ultimus ſit rerum humanarum actus, poſt quem nullus fidei aut infidelitati locus erit; contraque præciſa temporis hujus explicatio ſecuritatem potius ac ignaviam alere nata fuiſſet; ſapientiſſime Deus mundi exitum caliginoſa nocte premere, atque humanis viſibus abſcondere voluit.

Illius ſigna;

XXXII. Acuendæ tamen piorum induſtriæ, & ne fides ſcrutari Dei opera ceſſaret, *ſigna* quædam *temporum* in Scripturis expreſſit;

& interjectum inter primum ac ſecundum Chriſti adventum ſpatium quibuſdam ſpatiis & periodis diſtinxit, totidemque tubis inſignivit; ac præſertim ultimi temporis ſtatum & conditionem accuratiſſimis lineis deſcripſit. Vide Matth. 24. Luc. 21. Apocalypſin Johannis. conf. 1. Cor. 15: 52. *ad ultimam tubam*; cui implementum omnium prophetiarum tribuitur. Apoc. 10: 7.

XXXIII. Speciatim 1. in *Eccleſia* magna quædam & illuſtris prædicta eſt rerum mutatio; & publica gentium nationumque integrarum apoſtaſia; & falſa quædam Eccleſia, non exiguum nomen decuſque in mundo ferens: rurſuſque Eccleſiæ à labe iſta purgatio & reformatio, non niſi totali Antichriſti interitu finienda. 2. Deinde *Judæorum* converſio, itidem publica ac magna; non hominum ſingularium, ſed gentis ac populi. Cujus tamen univerſa ratio cum non æque in explicato ſit, nihil temere hic definiendum, nec à noſtris hariolationibus divini operis exitus ſuſpendendus. Incertum enim admodum eſt, quod eos in Cananæam reducendos, ac avita in ſceptra reponendos, quidam decernunt. 3. *Gentium* populorumque converſio, major forte & illuſtrior, quàm hactenus viſa eſt: & Euangelii toto orbe coruſcantis inſignis ſplendor. 4. Publica *mundi* pax, & quies, cum rerum omnium affluentia & ubertate. Unde multis orietur ſecuritas, & Chriſti adhuc cunctantis contemptus, & quietorum irriſio ac ſannæ. Quæ ultimi temporis peculiaris nota eſt. Unde inſperantibus ac incompoſitis superventurus Chriſtus dicitur. *Cum enim dicent, pax & ſecuritas! tunc repentinum ipſis imminet malum*. 1. Theſſ. 5: 3. 2. Pet. 3: 3, 4.

XXXIV. *Signa* autem *in cœlo*, *in ſole*, & *luna*, quæ Scriptura memorat, non de rerum natura intelligenda ſunt, quam non facilè movet Deus, ſed prophetico more de Eccleſiæ cœlo, deque aſtris ejus, & ſideribus, ſive vero, ſive falſo jubare ſplendentibus, explicari debent. Ut nunc Eccleſiæ ipſius obſcuratio, noxque horrenda & terribilis, amoto videlicet ſole ejus, Apoc. 9: 2. 12: 4. nunc falſorum ſiderum, maligne coruſcantium, occaſus indicetur. Quæ videl. amovebit aliquando Deus, & toto faceſſere cœlo jubebit, ut ſoli in regno ſuo integer locus ſit. Apoc. 6: 13, 14.

Item, ſignum filii hominis. XXXV. Porro *ſignum filii hominis*, quod cum adventu ejus in cœlo fulſurum dicitur, Matth. 24: 30. non ad ferale crucis ſignum, aut ad ignem quo mundi machina conflagrabit, ſed ad ipſum potius Chriſtum in nubibus apparentem referendum eſt. Cum ipſe videl. derepente in ſignum mortalibus apparebit. conf. Jeſ. 11: 10. & quan-

Digitized by Google

quantum ad loquendi modum Rom. 4: 11. Matth. 12: 39. Niſi intelligere malimus inſignia Chriſti opera in terris, ex quibus in cœlo eſſe cognoſcetur.

Noſtrum hic officium.

XXXVI. Unde, cum adventus Chriſti tempus ſuis quidem coloribus deſcriptum videamus, ipſum autem ejus aut annum, aut ſæculum, nullis certis notis augurari poſſimus; noſtrum non eſt futura, quæ Deus in manu ſua poſuit, invadere, & latens illud arcanum de Dei theſauris educere. Sed omni potius ſtudio adventus Domini maturandus; &, depoſito rerum terrenarum ſtudio, quicquid adhuc ſupereſt temporis futilis ac caduci, rebus ſeriis impendendum; ne otiantibus Dominus ſuperveniat. *Cum igitur hæc omnia diſſolvenda ſint, quales oportet vos eſſe in ſanctis converſationibus, & pietatis officiis, expectantes & accelerantes adventum diei Dei.* 2. Pet. 3: 11, 12. Quem Eccleſiæ affectum pulcherrimè depinxit Zacharias, c. 14: 16. dum fideles, quaſi in clauſura ſæculi, jam exitum molientes, atque ad cœleſte πολίτευμα paratos, *tabernaculorum feſtum celebrantes* facit. Præpoſtera enim erat veterum ſapientia, pro mora finis orantium, dum Antichriſti adventum, & futura Eccleſiæ certamina nimium reformidant: cum aliam precem dictarit ipſe Dominus: *Adveniat regnum tuum*; & Domini *Spiritus*: *Næ, veni, Domine Jeſu.* Apoc. 22: 20.

CAPUT XXIV.

De Conſummatione ſæculi.

Aſſumtis, poſt peractum judicium, piis ad Dominum,

I. Judicium ultimum conſequitur piorum in beatas ſedes introductio; impiorum autem ad parata ſupplicia relegatio. *Rurſus venio, ut aſſumam vos ad me.* Joh. 14: 1. *Rapiemur in nubes, in occurſum Domino.* 1. Theſſ. 4: 17. Qui piorum raptus ut primum in mundo miraculum fuit, ita quoque poſtremum erit; utpote miraculorum omnium maximum, eorumque & finis & ſcopus. Sicuti in ſtatu integritatis hoc unicum ac perpetuum videtur obtenturum fuiſſe miraculum.

tradet traditoque à Filio regno Patri,

II. Ac conſummato ita regno, peractiſque Eccleſiæ fatis, *tradet Filius regnum Patri.* 1. Cor. 15: 24. pacatum videl. deque mundo aſſertum; atque ab ipſo jam pleniſſime beandum ac implendum, ut Deus ſit *omnia in omnibus.* com. 28. *Ipſe* autem, cum Eccleſia,

Digitized by Google

atque iſto veluti in corpore ſuo, *Patri ſubjectus erit.* Quod quomodo ſine majeſtatis Chriſti imminutione, ac regni ejus labe, intelligendum ſit, ſupra, ubi de Chriſti Deitate ac regno ejus æterno, abunde expoſuimus, ac Socinianorum blaſphemiis reſpondimus. Ac tunc erit *finis.* com. 24. & ſæculi clauſura ac terminus, alteriuſque longe beatiſſimi ſæculi exordium.

Sæculi erit CONSUMMATIO.

III. Præſentium rerum *conſummationem* exprimit Scriptura per *commotionem cœli & terræ*, Hebr. 12:26. Hagg. 2:6. per *mutationem* illorum, Pſal. 102:26, 27, 28. Hebr. 2:10, 11, 12. Quod tamen mora & tractu aliquo peragetur. Partim enim metaphorica hæc ſunt, & caſum Antichriſti, falſorumque in Eccleſia Deorum adumbrant. *Et ſtellæ cœli ceciderunt in terram.* Apoc. 6: 13. coll. Matth. 24:29. partim etiam proprie implebuntur, ſupremo mundi tempore; quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli ardebit, atque mundi moles operoſa laborabit. Ut purgato ac renovato mundo ſuccedat *tabernaculum æternum*, & *domus æterna*, æternaque in ea agitanda gaudia. *Facite vobis amicos ex mammona inſtabili, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Luc. 16: 9. *Ædificium ex Deo habemus, domicilium non manu factum, æternum in cœlis.* 2 Cor. 5: 1.

Qua igne peragetur.

IV. Eſtque hæc illa *mundi conflagratio*, non ſolum in Scripturis, ſed & apud exteros ſcriptores celebrata. Quos de incendio mundi diſputantes apud Senecam, alioſque è Stoica diſciplina, videre eſt; ubi Deo videl. in iſta rerum omnium παλιγγενεσίᾳ viſum fuerit ordiri meliora, vetera finire. Quibus vero ex locis tanta ignis copia ſuppeditanda ſit, quærere ſupervacuum ac curioſum eſt: cum non minus ignium, quam aquarum, fontes in ſtellis planetarumque ſinubus hic mundus poſſideat; quos inde producere, terriſque immittere, Deo proclive erit. *Quamobrem is, qui tum erat mundus, aqua inundatus periit. Qui vero nunc ſunt cœli, ac terra eodem ſermone reconditi, aſſervantur igni, in diem damnationis & exitii impiorum hominum. Unum autem hoc ne vos fugiat, dilecti, unum diem apud Dominum perinde eſſe ut mille anni, & mille annos ut diem unum. Non tardat Dominus promiſſionem (ut nonnulli tarditatem hanc eſſe ducunt) ſed patiente eſt animo erga nos, nolens illos perire, ſed omnes ad reſipiſcentiam tendere. Veniet autem, ſicut fur in nocte dies ille Domini, quo cœli cum ſtridore præteribunt, elementa vero æſtuantia ſolventur; terraque, & quæ in ea ſunt opera, exurentur. Quum igitur hæc omnia diſſolvenda ſint, quales oportet eſſe vos in ſanctis converſationibus, & pietatis*

Digitized by Google

tatis officiis? Expectantes & properantes ad adventum diei Dei, in quo cœli conflagrantes ſolventur, & elementa æſtuantia liqueſcent. 2 Petr. 3:7--13.

V. Cum autem ignis hic judicium ultimum non antecedat, ſed conſequatur, fabuloſo purgatorii igni tollendo ac devorando imprimis facit. Quod cum poſt ultimum mundi diem non ſuperfuturum, nec ultimis mundi hominibus purgandis ſerviturum ſit, vel ipſis fatentibus adverſariis; ne anterioris quidem ætatis homines eo luſtrari opus habent.

qui mundo non abolendo, ſed renovando inſerviet.

VI. Serviet autem hic ignis non abolendo prorſus mundo (quod certe per ignem fieri non poteſt) ſed purgando, ac renovando, & de vanitate ſua liberando. *Præterit enim figura hujus mundi.* 1 Cor. 7:31. *Et quæ in eo ſunt, comburentur.* 2 Petr. 3: 10. *Vanitati enim creatura ſubjecta eſt.* Rom. 8:20. Unde non ſolum cœlum beatorum, & infernus, ſed & ipſe hic mundus aſpectabilis, igni illi ſuperſtes futurus videtur; ſed de igne videl. renatus, melioriqne auſpicio fictus & fabricatus. Quod præſertim de majoribus mundi partibus, cæterarumque creaturarum materia ſaltem, elementiſque, ſtatuendum eſt. Annihilationis enim imaginem ac ideam concipere difficulter poſſumus. Nec ullum ejus exemplum eſt. Ac cum immutabilitate Dei pugnare ea videtur; qui mundum conditurus non fuiſſe videtur, ſi eum unquam, tanquam operis pertæſus, abolere in animo habuiſſet. Certe partem mundi aboleri, non ſubſtituta alia, ac reliquis interim mundi partibus permanentibus, cum extenſi ac mundi imagine, quam homo à Deo inſitam habet, vel maxime pugnat. Obtinetque hic idem quod de pugnante vacui conceptu Phyſici tradunt. Scriptura autem, cum *ignis* materialis meminit, quo veluti inſtrumento mundus hic reformabitur. 2 Petr. 3. cum poſt mundi ruinam, *novum cœlum*, & *novam terram* memorat. 2 Pet. 3: 13. cum *tempus reſtitutionis omnium* expectari jubet. Act. 3:21. ad quam *creatura* univerſa tanquam feſſa *anhelet*. Rom. 8. cum mundi *ſcenam* & *σχῆμα* convolvi veluti ac tranſire facit. 1 Cor. 7. cum denique *hominem*, in cujus gratiam hæc inferiora condita ſunt, poſt ignem illum ſupereſſe, tumque demum beatitudinem exordiri docet: quin & eundem, non in cœlo tantum, ſed in *terra*, quam *juſtitia* h. e. homines juſti *inhabitabunt*, 2 Petr. 3. collocat; quam videl. ex intervallo calcabit (niſi potius hæc novæ Eccleſiæ, rerumque ultimis temporibus in terris gerendarum imago ſit) iſtis omnibus loquendi modis, non mundi aſpectabilis interitum & annihilationem,

ſed renovationem potius & παλιγγενεσίαν tradit. Conf. Pſal. 102:26. Eſai. 51:6. 65:17. Apoc. 21:1.

Contra ac Sociniani ſtatuunt.

VII. Ut male Sociniani univerſo mundo, & cœlo ipſi, & aſtris, interitum denuntient; cœlo tantum beatorum, quod & immortale & increatum fingunt, cum incolis ſuis excepto. Qui dolus eo ſpectat, ut & infernum, & deſtinatum dæmonibus ac impiis hominibus carcerem, de rerum natura tollant. Cui errori non nimis temere univerſali illa rerum annihilatione ſubſerviendum. Abſurde etiam Lutherani præterea corporeum quoque ſpatium in glorificatis tollunt. Quod ἀφιλόσοφον eſt.

COELUM & TERRA NOVA.

VIII. Poſt præſentis ſæculi abolitionem, & mundi repurgationem, ſequetur *cœlum novum*, & *terra nova*. 2. Pet. 3:13. Eſai. 65:17. *quam inhabitatura eſt juſtitia*, id eſt, piorum concilia & cœtus. Qui tamen loci, cum terram hanc mundumque inferiorem, à piis calcandum & habitandum pronuncient, jam ante mundi finem impleri incipient, in celebri illa Eccleſiæ renovatione. *Vidi cœlum novum & terram novam*. Apoc. 21:1. complementum autem ac perfectionem habebunt in ſæculo futuro. Quo ipſo tempore, an pii quoque terras, habitataſque olim ſedes reviſuri, novamque rerum faciem miraturi ſint, præſentis ſæculi non eſt dijudicare.

Detorta à Socinianis.

IX. Corrumpunt rurſus Sociniani verborum horum ſenſum, cum novi cœli, ac novæ terræ, appellatione cœlum increatum intelligunt; cujus videl. pii tunc novi erunt incolæ & hoſpites. Quæ varie impingunt. Nam & cœlum aliquod increatum & æternum fingunt, contra creationis fidem. *Tu feciſti cœlos, cœlos cœlorum, & omnem exercitum ipſorum*. Neh. 9:6. Et cœlum illud, quod modo æternum ajunt, novum appellitant. Et cœlum tandem in terram commutant; cum non cœlum ſolum novum, ſed & terram novam Scriptura deprædicet.

Sæculum futurum.

X. Atque hoc erit ſæculum illud, quod Judæis *venturum*, & *futurum* dicitur; quod ſæculo *præſenti* opponunt, & modo de tempore Meſſiæ, modo de animarum mundo ac ſæculo, modo de ſtatu rerum poſt reſurrectionem, intelligunt; aliquando etiam cuncta illa inter ſe confundunt.

Detortum à Judæis.

XI. Mire autem de quocunque iſto rerum ſtatu fabulantur. In eo conveniunt; quod, paucis exceptis, qui ex Ariſtotele mundi æternitatem adoptarunt, mundum hunc olim in melius commutatum iri conſentiant. Quod non ſemel, ſed ſæpius, poſt impletum ſex mille annorum curſum fieri, millenario autem quinquageſimo, quaſi

Digitized by Google

quaſi mundi jubilæo, omnia in nihilum redactum iri, ſuperſtite ſolum animarum mundo, Cabbaliſtæ nugantur. Illud vero indignandum æquè, ac dolendum, quod Meſſiæ tempora & regnum, demum poſt ſæculi præſentis finem & reſurrectionem mortuorum, auſpicentur: atque illum demum mundum futurum, quem Prophetæ prænunciarunt, appellent. Quo tempore Hieroſolyma quoque, & templum, & vitæ animalis ſtatum, pariléſque hominum actiones, quanquam ſine noxa ac peccato, cogitant. Ita primarium hunc fidei articulum corruperunt; nec quicquam Deo homineve dignum in Meſſia reliquerunt; ſed carnalia quædam, & terrena, de eo ſomniant: quæ cum in his terris ſeſe adepturos deſperent, in alterum quoque ſæculum tales cogitationes producunt; ac futurum mundum, in quo pietas & juſtitia habitabit, in externarum quoque rerum affluentia & ubertate, quali Protoplaſti in Paradiſo fruebantur, ſub Meſſia Rege conſtituunt & abſolvunt. Rurſuſque, poſt longam ætatem ac Mathuſalemi annos, morti in eo ſtatu locum faciunt, ex Jeſ. 65: 20. ubi *puer centum annos natus dicitur moriturus; peccator autem centum annos natus maledictus futurus:* ut ſecundæ etiam corporum reſurrectioni locus ſit. Niſi quod alii juſtos in Paradiſum deinceps traducendos; aut, poſt poſitas terreſtres exuvias, in animarum loco æternum quieturos ſomnient. Incerta enim ac pugnantia nonnunquam differunt. Nec minus ad beati illius ſtatus opprobrium facit, quod & morbis, aliiſque calamitatibus, & peccato, quidam eorum in ipſo locum faciant; juxta illud Eſai. 33: 24 *Non dicit decumbens ægroto; populus habitans in illa, habet condonatam pravitatem:* quia videl. liberum arbitrium in homine remanebit, quod ſine peccandi libertate concipere non poſſunt Doctores in Iſraële.

XII. Erroris fons eſt, perverſus ille de regno Meſſiæ conceptus. Cum enim in terra illum regnaturum, & Hieroſolymis, ac in Cananæa, appariturum, ex Prophetis certiſſimum ſit: illi, præ deſperatione, adventum Meſſiæ uſque in futurum ſæculum prærogantes; regnumque ejus non niſi terrenum & carnale cogitantes; hinc proſerpente errore, futurum etiam ſæculum, non in cœlis, ſed in terra, conſtituerunt; felicitatemque illam in corporeo quodam ſtatu, ac externis potiſſimum bonis, abſolverunt. Quæ terreſtris cœleſtiſque ſtatus mera confuſio, & Meſſiæ bonorumque ejus corruptio, & abnegatio eſt. *Erroris fons.*

C A-

CAPUT XXV.

De vita & morte æterna.

Sæculi futuri perfectio,

I. ALiter autem Scriptura futurum ſæculum depingit: atque illi ſtatui æternam hominis beatitudinem, pleniſſimam animi corporiſque glorificationem, omniumque bonorum faſtigium ac ſummam aſſignat. Ac finem & complementum habebunt tum omnia Chriſti beneficia; redemtio, Luc. 21:28. Vocatio, 1 Pet. 5:10. Juſtificatio, Matth. 25: 34. Adoptio, Rom. 8:23. Sanctificatio, Eph. 5:27. ſolaque obtinebit glorificatio, Rom. 8:30. quæ reliquorum bonorum finis & coronis eſt.

quæ VITA ÆTERNA *appellatur.*

II. Appellat autem Scriptura illum ſtatum hominis *vitam æternam*, cum Deo ſuaviſſime agendam: in cujus non oculis modo, ſed & ſinu Eccleſia tum aget; Deo ſuo plena, & tantum non impleta ac ſatiata, utpote quem non proximum ſolum ſibi, ſed infuſum propemodo ſentiet. *Erit omnia in omnibus.* 1 Cor. 15:28.

in qua plena erit beatitudo.

III. Beatitudinem aliquam hominis dari, teſtatur immortale illud beatitudinis deſiderium: quod, cum res bona ſit, à Deo conditore naturæ integræ inditum fuit, nec fruſtra eſſe poteſt. Atque ex iſto animi tormento eſt, quod Philoſophi in ſummo bono quærendo adeo ſeſe fatigarunt. Nec procul aberrant, qui in recto ac temperato rationis & liberi arbitrii uſu illud poſuerunt. Hoc enim ſummum eſt, quod natura dare poteſt. Cumque in omni ſtatu homini adeſſe poſſit; ſemper eum, quoad natura pertingit, facere poteſt, & ſervare beatum. Et ne Theologia quidem illam beatitudinis vel cauſam vel comitem abnuit, ſi nebuloſæ rationis lumen ſubluſtre & malignum fidei ſplendore ac jubare excitetur & adjuvetur.

IV. Ut autem diſtinctius hanc rem expediamus, ſolet beatitudo hominis, vel in *objecto ſuo*, vel in *forma propria*, conſiderari.

Cujus objectum eſt Deus.

V. Illud eſt Deus, bonum ſummum & increatum animæ beandæ, perpetuumque mulcendæ, apprime conveniens & ſolus ſufficiens: cum cæteroquin deſiderium animæ noſtræ longe ultra intellectum noſtrum pateat, & quaſi in infinitum ſe porrigat. *Ego ſum clypeus tuus, & merces magna valde.* Gen. 15:1. *Tecum eſt fons vitæ: te lucente, videmus lucem.* Pſal. 36:10. & 16:5. In qua conſidera-

Digitized by Google

ſideratione procul dubio etiam Chriſtus mediator includitur. *Hæc eſt vita æterna, ut te cognoſcant, illum ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Joh. 17: 3.

VI. *Forma* ejus, non infinitum quiddam & increatum eſt; nec in actione Dei conſiſtit, qua ille videl. ſeſe nobis infinita quadam ratione præberet, ac veluti infunderet; quæ Scholaſticorum quorundam ſpecioſa cogitatio fuiſſe dicitur. Reſpuit enim illud finita animæ natura. Sed in actione ac cogitatione ipſius animæ conſiſtit; & in dulcedine ac beatitudine quadam creata; qua illa in perpetuo Dei conſpectu & amore inhærens, ineffabili modo proluitur & inundatur.

Forma conſiſtit in operatione animæ perfectiſſima.

VII. Quæ operatio beatifica non tranſiens eſt: nec enim Dei, ut ſummum bonum conſiderati, nec beatitudinis ratio hoc admiſerit: ſed animæ immanens & inhærens, penitamque ejus vim & eſſentiam dulciſſime afficiens. Quæ, ſupernaturali licet robore adjuta, è propriis tamen facultatibus eam producit. Ut male Scholaſticorum quidam à Deo ſolo eam proficiſci dixerint.

VIII. Facilè autem patet, ſenſus externos infinitum iſtum beatitudinis fontem delibare, aut ſummam omnino beatitudinem capere non poſſe. Unde parte animæ ratiocinante, intellectu videl. ac voluntate, quibus ſolis Deum adimus, ea perficitur. Cumque illa animæ actio, qua beatitudinem haurimus, & appetitum, & deſiderium comitem habeat; & prono impetu ad Deum, beatitudinis fontem, decurrat; eique æterno amore inhæreat, ac tantum non immoriatur; ſatis patet voluntatis primas hic eſſe partes; quæ facultas animæ eſt nobiliſſima, qua ad Deum proxime accedimus, eique uniri, & ita eo frui, & beari unice poſſumus. Deſiderium enim, atque ille animæ procantis veluti, ac Deo conjungi geſtientis, ambitus, & amor, & inde profluens gaudium, voluntatis ſunt. Intellectus autem nudas rerum imagines percipit, nec ultra pertendit. Quæ ad felicitatem non ſufficiunt.

quæ eſt voluntatis, ſive amoris.

IX. Ut ergo ſummam rei complectamur, beatitudo, quæ aggregatum quiddam dicit, nec uno animæ actu abſolvi poteſt, hæc tria dicit, beatificam Dei viſionem, amorem, gaudium. Præcedit *viſio*, lætuſque numinis conſpectus, qua homini Deum adire fas eſt; quæ beatitudinem, & ciet, & promovet; quæque ex ſtylo Scripturæ metonymice conſequentes quoque voluntatis operationes connotat. Conſiſtit ea proprie in animæ, Deo jam potientis, cupedine ac *amore* perfectiſſimo & jucundiſſimo. Conſequitur autem penitum ejus

Beatitudinis illius varia partes.

Digitized by Google

gaudium, ac ovantis animæ quidam quaſi triumphus, ſine ulla laſſitudine, aut torpore, qualis mortalia gaudia excipere, & fœdare nonnunquam ſolet: cum nullus iſtius luminis receſſus, nec vel leviſſima obumbratio timenda ſit. Succedunt denique *corporea* bona. Ut corpore animoque homo ſit integerrimus, & perfectiſſimus, planeque Deo dignus. Ut ad tria hæc redeat beatitudinis iſtius ſumma. 1 Perfectam ſapientiam, ſeu *viſionem* Dei. 2. *Sanctitatem*. 3. *Gloriam*. Hoc eſt, ad *lucem* & *vitam*. Pſal. 36: 10. Quæ omnia per partes luſtrare æquum eſt.

1. Viſio Dei, ſeu perfecta cognitio.

X. Erit ergo in intellectu *viſio Dei*. Quæ phraſis Scripturæ nota & familiaris eſt, conſpectumque numinis familiarem & proximum dicit; qualem nempe ſeſe in intimo ſacrario oſtendit, qualiſque videri cœlicolis, quantuſque ſolet. *Beati qui ſunt mundo corde, nam ipſi Deum videbunt.* Matth. 5: 8. *Satiabor, cum evigilavero, ſpecie tua.* Pſal. 17: 15. *Noſſe me facies iter vitæ, ſatietatis lætitiarum apud faciem tuam; amœnorum, quæ ſunt in dextra tua perpetuò.* Pſal. 16: 11.

quæ non Corporea, ſed intellectualis eſt.

XI. Brutum autem eſt, viſus humanos, oculoſque corporeos, hic cogitare. Deus enim, cum ſpiritus ſit immenſus & infinitus, hoc pacto attingi nequit. Nec felicitatem hominum aſpectus ille abſolvere poteſt. Viſio vero hæc eſt, qualis & in Angelos cadit: *Angeli ipſorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui eſt in cœlis.* Matth. 18: 10. & cognitionem perfectiſſimam dicit. *Videmus enim adhuc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem de facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc vero cognoſcam, ut & ſum cognitus.* 1 Cor. 13: 12. *Videbimus ipſum, ut eſt.* 1 Joh. 3: 2. Ut propudioſo errore *Sociniani* Deum Patrem in futura vita, in cœlo illo increato, oculis corporeis conſpicuum fingant. Quomodo &, ſingulari privilegio, à Chriſto in fictitio illo raptu, in mortali corpore viſus fuerit. Quem tamen, ut in æternum beato illo aſpectu frueretur, poſt mortem, glorioſo corpore, quod à carnea ac terrena hac mole longe diverſum ſit, indutum ferunt. Ad cujus exemplum etiam fideles, poſt reſurrectionem, novis ac lucidis exuviis reveſtiendos affabulantur. Quanquam alioquin & mortalibus hiſce oculis Deum videri poſſe, & nonnunquam viſum eſſe, non abnuant. Quod revera eſt, Deum ipſum corporeum effingere, & in Anthropomorphitarum caſtra ſuccedere. Quæ labes quam non occulte apud homines hoſce hæreat, ex Smalcio videre eſt, qui Chriſtum, in glorificato corpore, naturam divinam, aut divinæ perſimilem & proximam, ſortitum aſſerit. At *Deus eſt Spiritus*. Joh. 4: 24. *Ecce cœli, & coeli cœlorum, non*

capiunt

Digitized by Google

capiunt te; multo minus domus hac, quam condidi. 1 Reg. 8:27. *Non poteris videre faciem meam, nam non videbit me homo, & vivet.* Exod. 33:20. 1 Tim. 6:16.

XII. Nec juvant illos loca 1 Joh. 3:2. *Videbimus ipſum, ut eſt.* Apoc. 22:4. *Et videbunt faciem ipſius.* quæ de Chriſto homine expreſſe agunt. Cui Apoc. 22:3. *Deus* quidem adjungitur; ſed ita, ut alia viſione, & ſolo mentis oculo, attingendus ſit. Exod. autem cap. 33:19. ex quo, peculiari Dei miſeratione, id fieri poſſe concludunt, de ſpecie tantum humano agitur, in qua Deus Moſi apparuit. Cujus ille tamen *poſteriora* tantum, ac diſcedentis Dei veluti umbram & veſtigia adoravit. *Anteriora enim Dei videri non poſſe*, eodem loco additur. Quanquam & miſeratio Dei ad longe alia eo in loco referatur.

XIII. Nec modum tenent *Pontificii.* Qui, cum Deus, aut in operibus, Rom. 1:20 aut in aſſumto corpore, Gen. 32. Exod. 33. Eſai. 6. aut clarius adhuc in Chriſto incarnato, 1 Tim. 3:16. aut per fidem, 1 Cor. 13:12. aut denique majore in gloriæ lumine. ibid. videri tantum poſſit (hos enim modos Scriptura ſolum tradit) illi præterea ſuperaddunt ulteriorem Deum videndi modum, immediatum nempe, & intuitivum; qua Deus videtur ſicuti eſt, ac per eſſentiam ſuam; eamque, aut per ſe ipſam, aut per ſpeciem intelligibilem hauſtam. Quæ audacia ſunt, ac aſſerendi temeritate modeſtiam omnem corrumpentia, nec Deo plane decora; qui *ſolus invisibilis*, & intellectui creato inaceeſſus, perhibetur. 1 Tim. 1:17. Non enim de oculis incorporeis, quibus & alia; præter Deum, inconſpicua ſunt, iſta accipere ſufficit. Confer Joh. 1:18. *Deum nemo vidit unquam. Unigenitus filius, qui eſt in gremio Patris, ille ediſſeruit.* 1 Tim. 6:16. *Qui ſolus habet immortalitatem, lucem habitans inacceſſam; quem vidit nemo hominum, neque videre poteſt.* Rom. 1:21. *Ipſius enim inviſibilia, jam inde à condito mundo, ex iis quæ fecit, mente perpenſa videntur.* Atque uterque ille modus, quo eſſentiam divinam attingi aſſerunt, cogitatu plane imperceptibilis; atque omnino impoſſibilis eſt. Nec enim ipſa Dei eſſentia intellectum noſtrum informare, &, ad modum lucis adventitiæ, ad intelligendum provehere poteſt: neque etiam ſpeciem de ſeſe fundere, quo veluti æternæ lucis radio infinitam Dei eſſentiam comprehendamus; cum, quod æternum ac infinitum eſt, repræſentari nulla ſpecie ac ſimulachro perfecte poſſit.

Non videbitur autem Deus per eſſentiam ſuam.

XIV. Viſio autem, quam Apoſtolus *de facie ad faciem* appellat,

1 Cor. 13:12. clariorem tantum cognitionis divinæ modum dicit. Qualis in cælis obtinebit; ubi, quæ in hac vita tenui ac longinquo, veluti auditu percepimus, clarius, ipſiſque veluti oculis ſubjecta, luſtrabimus. Qui cognitionis modus clarior eſt, cum certior oculorum quam aurium fides ſit. Vide Exod. 33:11. *Alloquebatur autem Jehova Moſcen facie ad faciem, quemadmodum alloqui ſolet amicus amicum.* Qualiſcunque vero illa Dei viſio, per ideam Dei in nobis, ſed clariorem ac lucidiorem, novoque lumine auctam, peragetur.

Neque comprehenſive intelligi poterit.

XV. Sed & comprehendi Deum in futura vita, ac *comprehenſive* intelligi, iidem nimis ſuperbe aſſerunt. Qua locutionis inſolentia perfectam & adæquatam cognitionem rei, ſecundùm omnem ejus entitatem & modum, intelligunt. Ac ſic beatos Deum intelligere ajunt, & eſſentiam ejus, & attributa, & perſonas, & decreta, quoad realem eorum entitatem, per viſionem, ut appellant; quoad liberam autem eorum terminationem, & relationem ad hanc vel illam creaturam, per revelationem percipere; ut nihil iis de Deo lateat, atqui ille, quantaque luce circumfuſus, totus, omnique ex parte, iis pervius ſit. Quæ inverecunda ſunt, atque ultra non hominum ſolum, ſed & Angelorum perſpicaciſſimas mentes eunt.

Qua ratio ipſis hac fingendi?

XVI. Serviunt autem hæc alii ipſorum errori, ut videlicet conficiant, Sanctos in cœlo videre quæ hic geruntur in terris. Quem in finem mirabile ac præſtigioſum in cœlo ſpeculum fabricant, in quo rerum omnium imagines videant. Quod inane fabulamentum eſt. Trinitatis enim iſtud fictitium ſpeculum à beatifica viſione longe diverſum eſt. Cum in Deo non alia videant beati, quam quæ ad beatitudinem eorum conſummandam pertinent; & longe admodum differant, Dei, & rerum, quæ in terris geruntur, viſio. Nec ullum inter iſta commercium eſt. *Sed de die illo, ac hora, nemo ſcit, ne angeli quidem qui in cælo ſunt, neque ipſe filius, ſed Pater.* Marc. 13:32. Ut putre ſit fundamentum invocationis Sanctorum, cultuſque, ac amoris eorum adulteri. Qui inter cultus Latinorum præcipuus eſt.

An viſio illa beatifica alicui unquam hic data fuerit?

XVII. Sed & exempla quorundam adferunt, qui iſta viſione jam in terra fruiti ſunt, atque ipſam Dei eſſentiam viderunt, Moſem vid. & Paulum, & Chriſtum. Quæ parum librata ac perpenſa ſunt. Nam Chriſtus humano intellectu ipſam Dei eſſentiam nec attigit, nec attingere potuit. Luc. 2:52. Nec Moſes item eſſentiam Dei, ſed nonnullas tantum gloriæ ſtricturas, vidit; & auguſtiſſimam fortè numinis

numinis ſpeciem, & formam corpoream, in monte luſtravit. Exod. 33: 20, 23. Et Paulus, in raptu illo admirabili, non viſa, ſed audita ſibi refert, 2 Cor. 13: 4. ac poſteà etiam quum gloriam iſtam guſtaverat, expreſſis nihilominus verbis Deum *lucem habitare inacceſſam* docet, *quem nemo hominum vidit, nec videre poteſt*. 1 Tim. 6: 16. Ut flagitioſum ac pudendum ſit, monachos quoſdam, in clauſtris ac latibulis ſuis, hoc ſibi vendicare; Deique majeſtatem familiariter in nidis iſtis obambulantem, ac gregalibus ſuis ſeſe oſtentantem, prædicare. Qui non ferendus eſt ἐνθουσιασμὸς hominum, Deum ipſum in os vultumque ſuſpicere, idque ipſum publice jactare, non verecundantium. Ac collimant eodem Beginarum, Begardorum, aliorumque furores, quales ipſis tribuuntur.

Viſionis illius, & cognitionis eam comitantis, perfectio.

XVIII. Viſionem Dei comitabitur tam ampla ſcientiæ ac intelligentiæ copia, quanta ad creaturæ beatitudinem requiritur. Unde perfectio iſti ſtatui adſcribitur, qualis virorum eſt. Eph 4: 13. Et, non fides, ſed præſentis quaſi numinis *aſpectus*, ac ampliſſima divinarum rerum cognitio ibi locum habebit: cum hic tantum Deum, tenui in imagine, uti luſcioſi ſolem in undarum ſpeculo, videamus. 2 Cor. 5: 7. 1 Cor. 13: 9--13. Quare & media cognitionis ceſſabunt, quibus in hac mundi ſchola aſſuevimus: & quæ in naturæ ludo hic didicimus, quæ in verbi auditorio perfectius hauſimus, in cœleſti illa Academia, Deo ipſo tradente, ſine labore ullo, pervidebimus. Qualis autem ac quam perfecta illa cognitio ac viſio futura ſit, non hujus temporis ac ſæculi eſt ediſſerere.

An rerum hominumque hujus ſæculi memoria ac cognitio ibi perduratura ſit?

XIX. Ad *quæſtionem*, an rerum hominumque, in hoc ſæculo, memoria ac cognitio permanſura ſit? Reſp. Rerum, ad temporalem vitam ſpectantium, aliarumque artium ac ſtudiorum, inanium & futilium, facilem jacturam fore. Quomodo in hac vita homines, ad maturam ætatem perducti puerilium deliramentorum æquo animo obliviſcuntur; &, quæ juvenes didicere, ſenes perdenda fatentur. Eademque hominum perſonarumque, in vitæ hujus ſtadio relictorum, ratio erit; quorum carnali deſiderio beati non affligentur. Licet cæteroquin nulla appareat ratio, cur memoria rerum hominumque qui in hiſce terris fuerunt, quatenus illa ſine omni triſtitia eſſe poteſt, & ad Deum laudandum & glorificandum unice comparata, abolenda ſit. Spiritualium autem maxime rerum notitia non peribit, ſed multiplici luce augebitur, & conſummabitur. Adeo nullum ſtudii iis recte impenſi, laborumque exhauſtorum damnum patiemur. *Quod ſi quis ſuperædificet, ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam;*

Cujuſque opus manifeſtum fiet — Si cujus opus manſerit, quod ſuperædificaverit, mercedem accipiet. Si cujus opus exuſtum fuerit, damnum faciet: ipſe vero ſervabitur: ita tamen, ut per ignem. 1 Cor. 3: 12,13,14. Nec Eccleſiæ quoque, in his terris peregrinantis, ſtatus ejus univerſi, oblivio nos capiet; ſed pugnas & certamina ejus etiam in cœlo recogitabimus. Quod tamen de Eccleſia univerſa, non de perſonis ac rebus ſingularibus intelligendum eſt. *Et clamabant voce magna, dicentes: quouſque, o qui es Dominus ſanctus & verax, non vindicas ſanguinem noſtrum ab iis, qui habitant in terra?* Apoc. 6: 10.

An nos invicem ibi agnituri ſimus?

XX. Ad alteram *quæſtionem*, an beati in vita futura ſe invicem agnituri ſint? Similis eſt reſponſio. Hoc enim certum videtur, carnales & terrenos affectus, in cœli municipibus locum non habituros. Nec enim cognatum affinemve ſanguinem ibi inani ſtudio requiremus; aut præcipuo quodam præ reliquis cœlitibus amore, ac honore dignabimur; aut denique de amicis relictis, ac tanta felicitate fraudatis, nos multum fatigabimus. Abſorbebit enim illos affectus unius Dei amor, ac ſtudium; in quo ſolo deliciabimur, inque ſummo ejus beneplacito ſuaviſſime, ſine ulla querela, recumbemus. *Propterea ſunt coram throno Dei, & ſerviunt ei die & nocte, in templo ſuo; &, qui ſedet in throno, habitabit ſuper eis* Apoc. 7: 15. Omnes autem cœlicolas, omnes ſupera alta tenentes, ac univerſum illum beatorum chorum, ex æquo colemus & amabimus. Ita ut, remoto illo terreſtri, quem diximus, affectu, notos olim, ac in Eccleſia Dei cognitos, præſertim majoris dignationis viros, Apoſtolos, martyres, alioſque Eccleſiæ duces; quin & parentes propinquos, alioſque ibi cognituri ſimus. Hoc enim ad gaudii illius complementum facit; & ad cœleſtem ſocietatem requiri videtur. Vide Hebr. 12: 22, 23. *Sed acceſſiſtis ad panegyrin & concionem primogenitorum, qui in cœlis conſcripti ſunt.* Luc. 13: 28. *Quando videbitis Abrahamum, & Iſaacum, & Jacobum, & omnes Prophetas, in regno Dei.* Nec abludunt, quæ de Adamo in Paradiſo, Gen. 2: 23. *Et dixit Adam: hac vice hac eſt os de oſſibus meis, & caro de carne mea:* de Apoſtolis, Matth. 17: 3. *Et ecce, videbantur ab ipſis Moſes & Elias, cum eo colloquentes;* tandemque etiam in parabola Euangelica, de Epulone, Luc. 16: 23. legimus.

II. Sanctitas perfecta.

XXI. Hanc intellectus perfectionem excipiet non minor *voluntatis* conſummatio. Quæ in renovatione, ac pleniſſima ejus ad voluntatem divinam conformatione & obſequio conſiſtit. Obtinebitque in illo ſtatu, non tam ſanctificatio, quam vera ac plena ſancti-

tas.

Digitized by Google

tas. *Nos autem omnes, detecta facie gloriam Domini, quaſi in ſpeculo intuentes, ſecundùm eandem imaginem transformamur, ex gloria in gloriam, ſicut à Spiritu Domini.* 2 Cor. 3: 18. *Beati puri corde, quia ipſi Deum videbunt.* Matth. 5: 8. 2 Pet. 3: 13.

XXII. Conſiſtet vero ea in puriſſima ac preſectiſſima charitate, ex immenſo illo lumine, ac cœleſti intuitu, oriunda. *Charitas nunquam excidit. Sed & prophetiæ evaneſcent, & linguæ ceſſabunt, & cognitio evaneſcet.* 1 Cor. 13: 8. Quæ charitas, atque amor delicatiſſimus, nihil peregrini aut fucati habens, pro lege in iſto ſtatu erit; ac ſine ullo tædio, indeclinabili curſu Deo adhæreſcet. Ita ut non ſolum nullum peccatum, ſed ne minimum quidem amoris deliquium ibi locum habiturum ſit. Unde etiam immutabilis erit ille ſtatus, propter confirmationem in bono & indeclinabilem complacentiam juſtitiæ ad non peccandum: quæ vera hominis eſt libertas. Adeoque ſibi placebunt pii, ut nulla conditione, nullove mortalium reſpectu, præſentem ſtatum mutari laturi ſint. Longe aliter, ac de Chriſtina in Pontificiorum fabellis eſt. Male autem Sociniani, non niſi alio in corpore, atque abolita hac carne, tam plenam ſanctitatem locum habere poſſe confidunt. Quod ſupra excuſſimus. *ſeu charitas.*

XXIII. Magna etiam *poteſtate*, & gloria beati inſignes erunt. *Qui vincit, dabo ei ſedere mecum in throno meo; quemadmodum & ego vici, & conſedi cum Patre meo, in throno ipſius.* Apoc. 3: 21. Quod tamen eo uſque extendendum non eſt, ac ſi illi, mediatoriæ quoque poteſtatis participes, generis humani advocatione in cœlis fungerentur: aut hominum, cœtuum, urbiumque ac regionum patrocinia ac præfecturas gererent. Ita enim univerſum mundum, ac Eccleſiam, inter eos diſtribuerunt Pontificii; ac vix Deo in regno ſuo locum reliquerunt; &, ſacrilega demum adulatione, cœlitum quoque ἀποθέωσιν moliti, religioſis eos cultibus propitiare, favoremque eorum eblandiri non deſinunt. Quæ exoletæ Gentilium idololatriæ imitatio, & in Deum ſanctoſque non exigua contumelia eſt. Non adorandi enim ſunt ſancti propter religionem ſed honorandi duntaxat propter imitationem. Alio etiam ſpectant loca, quæ adferunt. Apoc. 2: 26. *Qui vincit, & tenet uſque ad finem opera mea, dabo ei poteſtatem in gentes.* Luc. 19: 17. *Bene eſt, ſerve probe! quia in minimo fuiſti fidelis, habeas poteſtatem in decem urbes.* conf. Matth. 25: 2. *III. Gloria & poteſtas;*

XXIV. Gloria *corporis* conſiſtet 1. in omnis miſeriæ, omniſque labis, ac cujuſcunque demum infirmitatis, remotione; non ſolum illius, *etiam corporis.*

illius, quæ ex peccato ortum duxit; ſed qualis etiam ex vitæ animalis conditione in ſtatu innocentiæ obtinuiſſet: cum corpus ibi *ſpirituale* futurum ſit. 1 Cor. 15: 44. *Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis ipſorum, & mors non erit amplius, neque luctus; aut clamor, aut labor non erit amplius, quia priora abierunt.* Apoc. 21:4. *Non eſurient amplius, neque ſitient amplius, neque cadet ſuper eos Sol, neque æſtus ullus.* cap. 7: 16. *Sed ſunt ut Angeli Dei in cælo.* Matth. 22:30 *Eſca ventri deſtinata ſunt, & venter eſcis: Deus autem, & hunc, & eas, abolebit.* 1 Cor. 6: 13. Ita tamen ut iſto prætextu carnis ratio deſtruenda minime ſit; aut alvi gurges, & inteſtinorum perplex volumina, ac uberum fontes, & conceptuum ſinus ac receptacula, de glorioſo corpore removenda. Nam ad corporis, alioquin vacaturi, integritatem & decus illa nihilominus pertinent. 2. tum in collatione immortalitatis, omniſque ornatus ac decoris; cujus corpus glorificatum capax erit. Quod Apoſtolus latius exſequitur 1 Cor. 15. & grani ſimilitudine egregie depingit; quam nonnemo veterum ita explicat: *Seritur granum ſine folliculi veſte, ſine fundamento ſpica, ſine munimento ariſta, ſine ſuperbia culmi. Exſurgit autem copia fœneratum, compagine ædificatum, ordine ſtructum, cultum, munitum, & uſquequaque veſtitum. Hæc ſunt ei corpus à Deo aliud, in quod non abolitione, ſed ampliatione mutatur.*

& hinc perfectum gaudium

XXV. Ex hiſce exſurget in toto beatis homine *gaudium* gaudioſiſſimum: Quod tamen in ſolo Deo erit: qui tum demum *erit omnia in omnibus*, 1 Cor. 15: 28. ſeque penitus & intime fidelibus tractandum, guſtandum ac fruendum dabit. Quod ſtatus ejus erit conſequens & complementum perfectiſſimum. Uti omnis bonæ actionis comes eſt voluptas, animique beata tranquillitas. Quæ hic ſumma erit. Scriptura gaudium illud *ineffabile* dicit. 1 Cor. 2: 9. Pſal. 31: 20. & multiplici rerum corporalium figura adumbrat. Nam & Paradiſi deliciis, Luc. 23: 43. & nuptiarum ſolemnibus, Apoc. 19: 9. & convivali lætitiæ, Matth. 8: 11. illud aſſimilat: & eſum ac potum, Apoc. 2: 7. & citharæ cantum, Apoc. 5: 8, 9. omniumque deliciarum cumulum notat. Pſal. 36: 9. & vide etiam Matth. 5: 4. & 12. Luc. 16: 25. 10: 20. Joh. 16: 22.

XXVI. Quæ tamen rite intelligenda. Nec brutæ Turcarum voluptates; aut Judæorum Cœnæ de fabuloſo quodam bove, ac piſce, & ave, ductique nectaris hauſtus, neſcio è qua cella depromti, in ſtatu illo admittendi. Cujus erroris fontem ſupra deteximus. Quo male

Digitized by Google

male torquent Eſai. 65:21. & 66:10. cum prophetiæ omnes præſentis vitæ ſtatu abſolvantur, nec futurum ſæculum admodum deſcribant.

XXVII. Quanquam vero ibi vitæ hujus operationes ceſſabunt; nec præſentis ſæculi pietatem ac opera fideles exercebunt: unde nec fidei, nec ſpei, nec ejus charitatis, qualis hic obtinet, operibus ibi locus erit; non tamen omnes corporis functiones ceſſabunt. Nam & illud Deo dignum erit; & tanta gloria perfuſum, gaudium quoque maximum animo ſuppeditabit. Quo etiam ſpectat quod externo *ſermone* & cultu, Deum venerabitur, & piorum cœtibus jugiter intererit. Qualis autem futuri ſæculi ſermo futurus ſit; an Hebræus, quem Angelici nomine quidam decoratum, licet parum ſolide, volunt, 1 Cor. 13:1. quique, de Dei magiſterio homini integro traditus, mundo naſcenti vernaculus fuiſſe multis creditur, dijudicare incertum, ac dicere incautum eſt. Conf. Matth. 17:3. *Videbantur ab ipſis Moſes, & Elias, cum ipſo colloquentes.* & 1 Cor. 13:8. *Sive prophetiæ abolebuntur: ſive linguæ, ceſſabunt.* *Quo etiam facit ſermo externus,*

XXVIII. Nec leve momentum ad beatitudinem adferet ipſe *locus*. Qui Paradiſus appellatur; veteris horti ſimilitudine. 2 Cor. 12. Luc. 23. Quem tamen craſsè nimis Judæi & Pontificii deſcribunt. *Locus*

XXIX. Ac conſummabit iſtum ſtatum interminabilis *æternitas*, nulla cogitatione dimetienda, aut finienda. Ut ſecura omnimodo, ac ſine ullo amittendi ejus metu, ac vel leviſſima ſuſpicione, futura ſit tanti boni poſſeſſio. Aliter ac in primo hominis ſtatu obtinuit. 1 Pet. 1:4. & 5:4. Luc. 12:33. Hebr. 10:34. Apoc. 3:12. Luc. 16:9. 2 Cor. 5:1. Apoc. 21:4. 1 Cor. 15:26. Apoc. 22:5. 2 Cor. 4:17. Matth. 25:46. Joh. 3:16. & 6:27. *& æternitas.*

XXX. Movetur autem hic *quæſtio* inter orthodoxos, de gloriæ gradibus: an nulla ejus diſparitas aut differitas inter beatos locum habitura ſit? de qua nos ſic cenſemus: removendum imprimis eſſe faſtuoſum Pontificiorum errorem, qui quamcunque illam diverſitatem meritorum inæqualitati imputant; atque hinc diverſam piorum gloriam metiuntur; & nonnullis quoque, qui, ſimplici merito non contenti, ſupererogatoria opera fecerunt, aureolas & coronulas, ſupra reliquam beatorum ſortem, adjudicant. Quam jactantiam alibi compreſſimus. De cætero, qu[illegible]n chariſmatum diſcrimina ad decus ac incrementa Eccleſiæ in hoc ſtadio potiſſimum, neceſſaria eſſe, iſtamque rationem, ubi ea ad metam pervenerit, à Deo ipſo jam implenda & conſummanda, magnam *An dentur gradus gloriæ? quod affirmatur*

Digitized by Google

genam partem ceſſare exiſtimemus: tamen non facilè negandum cenſemus, pro chariſmatum diverſitate & fructuum, quos quiſque in hac vita tulit, copia ac varietate, etiam ſæculi futuri meſſem fore; Deumque ipſum dona ſua in piis vario fine ac modo coronaturum. Ita tamen ut in beatis mentibus nulla invidia, aut æmulatio, aut luctus denique, locum habitura; omnium autem deſideria ad plenum explenda ſint.

& probatur. XXXI. Ac probant iſtam diverſitatem 1. generalia quædam Scripturæ effata. *Reddet unicuique ſecundùm opera ipſius.* Rom. 2:6. *Ut quiſque ferat, quæ per corpus facta ſunt, ſecundùm quæ fecerit.* 2 Cor. 5:10. *Qui ſerit parce, parce etiam metet; qui autem ſerit cum benedictione, cum benedictione & metet.* 2 Cor. 9:6. De futuræ autem vitæ ſemente agi, ex collatione alterius loci, ad Gal. 6:8. conſtat: *qui ſeminat in carnem ſuam, ex carne metet corruptionem; qui verò ſeminat in ſpiritum, ex ſpiritu metet vitam æternam.*

XXXII. 2. Ex locis quibuſdam ſpecialioribus. Nam & Chriſtus, ubi ad judicandum redibit, ſervis ſuis, utcunque fidis, pro majore tamen vel minore diligentia præſtita, diverſam mercedem aſſignat. Luc. 19:12. & Paulus diverſis Eccleſiæ miniſtris diverſam ac inæqualem in cœlis mercedem fore aperte dicit, 1 Cor. 3:14, 15. *Si cujus opus, quod ædificavit, manſerit, mercedem accipiet: ſi cujus opus exuſtum fuerit, damnum faciet; ipſe vero ſervabitur, ita tamen, ut per ignem.* Atque eodem fecit com. 8. *Plantans autem, & irrigans, idem ſunt. Quiſque vero ſuam mercedem accipiet, ſecundùm ſuum laborem.* Atque ad eundem modum de reſurrectione diſputat 1 Cor. cap. 15. præſertim cum. 41:42. *Alia eſt gloria Solis, & alia Lunæ & alia gloria ſtellarum. Stella enim ſtellæ gloria præſtat.* Aliam enim ibi diverſitatem innui, quam quæ eſt inter corpus in morte depoſitum, & in reſurrectione reaſſumtum, ex univerſo diſcurſu patet.

XXXIII. 3. Saltem hoc nullo colore negari poteſt, Veteris Novæque Eccleſiæ ducibus ac heroibus, majorem aliquam gloriam fore: & Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Martyres, ac Principes, qui multum ad Chriſti gloriam contulerunt, doctores &c. præcipuo in loco, in cœleſti gloria, refulſuros. Pertinentque huc quæ de Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo, legimus Matth. 8:11. & Luc. 16:22. de Moſe & Elia, Matth. 17. Hebr. 3. ac de Apoſtolis, Matth. 19:28. *Sedebitis vos etiam in duodecim thronis judicantes duodecim tribus Iſraël.* Quos thronos ut in terris ab ipſis jam occupatos non diffitemur; cum doctrina ipſorum increbreſceret,

ac

ac perfidam Judæorum gentem jacto veluti anathemate percelleret: ita iiſdem, in cœlis ac in triumphante Eccleſia, ubi vera demum laborum merces, deceſſuros non probabile eſt. Similis eſt ratio loci Apocalyptici, Apoc. 21:14. *Murus habebat fundamenta duodecim, & in illis erant nomina duodecim Apoſtolorum agni.* Certe Paulus fundatæ Theſſalonicenſium Eccleſiæ præcipuam ſibi gloriam, in adventu Domini, non temere auguratur: *Quæ eſt noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriationis? an non & vos in conſpectu Domini noſtri Jeſu Chriſti in ejus adventu?* 1 Theſſ. 2:19. Ac Daniel cap. 12:3. in univerſum doctoribus omnibus, præ diſcipulis, fulgorem quendam ac peculiarem ſplendorem promittit. Quanquam enim in alia beatitudinis parte, auditor, utpote ſanctior forte, eminere poſſit; peculiaris tamen ac conſpicua quædam, ratione muneris geſti, videtur futura piorum doctorum gloria.

XXXIV. Non æque fortia ſunt, quæ pro adverſa ſententia proferunt. Adducunt autem 1 Scripturas quaſdam. 2. tum rationes Theologicas. 3. denique ex ſimilitudinibus, quibus futuræ vitæ ſtatus adumbratur, parilem piorum omnium gloriam concludunt. *Oppoſita ſententiæ argumenta examinantur.*

XXXV. Ac 1. Scripturas quod attinet. Matth. 13:43. Juſtis quidem omnibus *ſplendor ſolis* ex æquo adſcribitur. Sed ille, licet ad minora ſidera ſine controverſia maximus ſit; abſolute tamen conſideratus, præſertim in allegoria hac, gradus admittit. *Et erit lux lunæ, ut lux ſolis; & lux ſolis erit ſeptupla, tanquam lux ſeptem dierum.* Eſai. 30:26. Matthæi autem cap. 20:9, 10. ubi omnibus operariis eadem merces adſignatur; non de ſolis piis; nec de futuræ, ſed de præſentis vitæ conditione agitur; & hypocritarum ac operariorum ingenium depingitur. conf. c. 11. & 15. Denique quanquam Deus, in cœleſti gloria, *erit omnia in omnibus*, 1 Cor. 15:28. non tamen pari gloria cunctos illuſtrabit. Cæteroquin & in hac vita eſſet donorum ac chariſmatum æqualitas. *Diſtinctiones operationum ſunt, ſed idem eſt Deus, qui operatur omnia in omnibus* 1 Cor. 12:6.

XXXVI. Nec plus *rationes* ipſorum concludunt; quas à *juſtificationis* æqualitate, & *ſanguinis* Chriſti pretio, æqualiter videl. pro omnibus effuſo, deſumunt. Ex iſta enim æqualitate non minus ſanctificationis æqualitatem in omnibus concludere poſſis; quod tamen contra eſt. Pro hujus autem diverſa in piis ratione ac gradu, ſeſe habebit futuræ vitæ glorificatio. Intercedet autem ſanguinis Chriſti pretium; qui æqualiter peccata omnium expiabit; iis autem, quibus divina gratia majorem ſanctitatis copiam, ac

plus ſanctæ frugis in terris dedit, majorem quoque gloriæ gradum largietur. Nec procedit, quia in cœlo omnes æque ſancti futuri ſimus, ideo & omnes æque beatos exiſtimandos. Nam gloria cœleſtis ex præſentis, non ex futuræ vitæ ſanctitate metienda eſt. Latetque præterea in iſta argutatiuncula petitio principii. Rurſus, quod Deum omnes *videbimus*, *ſicuti eſt*, 1 Joh. 3: 2. æqualem gloriam non dicit; niſi eſſentiam Dei, atque omne quod in Deo eſt, ab omnibus pervideri ſtatuas. Quod ſupra eliſimus. Erit autem diſpar piorum, uti gloria, ita viſio. Quanquam omnes, vel Deum, vel Chriſtum videbunt uti eſt.

XXXVII. Quod denique addunt, omnes fideles in futura vita *filiorum* loco fore, Hebr. 12:23. adeoque æquis partibus hæreditatem adituros, juxta Rom. 8: 17. omnesque ex æquo appellari *Reges*, Apoc. 1:6. & ex æquo ad Chriſtum pertinere, cum Eccleſia univerſa & *ſponſa*, & *corpus Chriſti*, futura ſit: non admodum ipſos juvat. Nam & in hac vita fideles, & filii, & ſponſa, & corpus Chriſti appellantur. Ubi tamen maxima donorum diſparitas conſpicitur. Manetque etiam inter *filios* diverſitas, in hæreditate adeunda; & *primogenitis* jus quoddam prærogativum eſt. Quo nomine veteris Eccleſiæ duces veniunt. Heb. 12:23. Nec omnium *regum* eadem majeſtas & dignatio eſt. Pſal. 89:28. Dan. 2:37. *Sponſæ* autem Chriſti ornatus multiplex eſt, & veſtis variegata. Pſal. 45. Nec omnia myſtici *corporis* membra eodem honore gaudent. Quod egregie exequitur Paulus 1 Cor. 12.

Socinianorum error. XXXVIII. Gravius errant Sociniani: qui, ut Chriſto in cœlo novam divinitatem tribuunt; ita & in partem ejus fideles vocant: in quibus videl. inhabitatura quoque ſit divinitas, quæ antea in Chriſto ſolo habitabat. Chriſto autem majorem ſolum communis gloriæ, ac divinitatis gradum largiuntur: nullum autem ejus in reliquos dominium ac principatum agnoſcunt. Adeo à deitate ejus agnoſcenda abſunt, ut eum in cœlo vix amplius dominum fateantur. Quæ propudia ſuis locis tetigimus.

MORS ÆTERNA. XXXIX. Vitæ æternæ opponitur *mors æterna*. Lurida nempe, ſqualida, tetrica, ac terribilis nox, impiis olim, ubi ad ſupplicia ſua reparati erunt, in infernis clauſtris, exantlanda. *Et abibunt iſti ad ſupplicium æternum*. Matth 25:46.

XL. Conſiſtit illa in luctuoſa eorum rejectione ac ſeparatione, à facie Dei, ac ſalutari ejus viſu. Quæ hic inchoata, ac prægustata, per pec-

Digitized by Google

peccatum, ſævumque ejus ſenſum, in futuro demum ſæculo conſummabitur; tum quoad animam, tum quoad corpus.

XLI. Diciturque ea, pœnam tum *damni*, tum *ſenſus*. De illa eſt, Matth.7:23. *Nunquam novi vos, diſcedite à me, operantes iniquitatem.* 2 Theſſ.1:9. *Qui pœnam luent, æternum exitium, à facie Domini, & à gloria roboris ejus.* De hac, Marc.9:44. *Ubi vermis ipſorum non interit & ignis non extinguitur.* Matth.8:12. *Filii autem regni ejicientur in tenebras extimas; illic erit fletus & ſtridor dentium.* Ineptum enim eſt, pœnam damni comminiſci, ſine pœna ſenſus. Quod in quibuſdam faciunt Pontificii. Procul dubio enim creatura rationalis damni ſui conſcia eſt, adeoque ejus ſenſum habet. Atque ille amarus, & illætabilis animi torpor, & ægritudo, & tædium non leve profectò creaturæ, ad tantam dignitatem creatæ, tormentum eſt. Sed accidet præterea ſæviſſimus judicii divini ſenſus & æſtuantis conſcientiæ horror, & rabies, & laniatus intolerabiles; cum perpetuo in ſanctitatem ejus jurgio, ac odio acerbiſſimo, quod non minimam ſupplicii infernalis partem faciet.

Quales in ea ſint pœnæ.

XLII. An præterea materialis ac elementaris ibi futurus ſit ignis, diſquiritur. Quod de animabus ſeparatis dubium eſt: cum illæ materiali igne torqueri non poſſint. Niſi Deus novum inter ignem illum ac animam illorum nexum creet. Unde allegorice potius ignis ille accipiendus. Sicut & aliæ corporearum rerum imagines; utpote *tenebrarum*, *vermis*, *ſtridoris dentium*, *catenarum*, *caliginis*, *ſtagni ſulphurei* &c. quibus futura ſupplicia adumbrantur: quæ alioquin nec cum animæ noſtræ conditione, nec inter ſeſe admodum conveniunt. Omnes autem triſtiſſimam ac acerbiſſimam impiorum conditionem exprimunt. Quemadmodum cœleſtia gaudia blandiſſimarum rerum typis depinguntur. Peracta autem reſurrectione, ac reparatis impiorum corporibus, corporales quoque pœnas & cruciatus iis infligi, nihil, quantum ad animæ conditionem attinet, repugnat. *Cum igne flammante infligens eltionem iis, qui Deum non noverunt.* 2 Teſſ. 1:8. conf. Hebr. 10:27. Quamvis an vel tunc etiam ignis, ut loquuntur, materialis ſit futurus; an vero potius acutiſſimi illius dolores imago & ſymbolum ſint ineffabilium tormentorum, quæ impii animâ & corpore in ſæculo futuro patientur, anceps valde ſit.

XLIII. Locus, ubi impiorum catervæ juſtitiæ divinæ pœnas pendent, *infernus* dicitur, Luc. 16:23. Matth. 10:28. & *gehenna ignis*, Matth. 5:22. à valle Hinnon, ubi nefaria Molochi ſacra pera-

Pœnarum illarum locus, Infernus.

 gebantur.

gebantur. Et *locus tormentorum*, Luc. 16: 28. & *carcer*, 1 Pet. 3: 19. & *abyſſus*, Luc. 8: 31. ut ſatis conſtet locum ſpecialem deſignari; qui deinceps erit reſpectu corporum damnatorum; ſicut nunc ſtatus miſeriæ animarum damnatarum iſta voce exprimitur. Ille autem locus ubi terrarum futurus ſit, quærere vanum ac curioſum eſt. Erunt ſaltem alicubi improbi, in ſemetipſis habentes ignem inextinguibilem. Ubicunque autem erunt, is erit ipſorum ᾅδης.

Anabaptiſtarum error.

XLIV. Errant vero Anabaptiſtæ; qui, ex perverſa de animæ ſeparatæ conditione hypotheſi, nullum infernum ante judicii diem agnoſcunt: ſupremo vero orbis igne terram hanc immutandam, ac in igneam abyſſum convertendam hariolantur. Qui ſi de loco corporum loquerentur, minus culpari poſſent: at de ſtatu animarum damnatarum ita ſentientes, errant. Scriptura enim de inferno, tanquam jam exiſtente, loquitur, tum alibi, tum Luc. 16: 23. Quod enim illum tanquam futurum indigitari arguunt, ex Matth. 8: 12. *Filii autem regni ejicientur in tenebras extimas; illic erit fletus & ſtridor dentium*: infirmum eſt. Voluit enim Chriſtus pœnarum illarum æternitatem exprimere, & viventibus loquitur, quorum reſpectu cruciatus illi demum futuri erant. Nec denique abnuimus, pœnas illas poſt reſurrectionem demum conſummatiſſimas fore.

Illarum adjuncta.

XLV. Adjuncta infernalis pœnæ ſunt: 1. *Cacodæmonum ſocietas*, Matth. 25: 48. 2. *Suppliciorum inæqualitas*, pro varia delictorum ratione. *Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum, in die judicii, quam urbi illi.* Matth. 10: 15. & 11: 22, 24. *Ille autem ſervus, qui novit voluntatem Domini, & non paratus eſt, neque facit ſecundùm voluntatem ipſius, cædetur multis plagis: qui autem non novit, facit vero digna plagis, cædetur paucis.* Luc. 12: 47, 48. 3. *Pœnarum æternitas*, & mortis ipſius quædam immortalitas. *Abibunt illi ad ſupplicium æternum.* Matth. 25: 46. *Qui pœnam luent, æternum exitium à facie Domini, & à gloria roboris ipſius.* 2 Theſſ. 1: 9. Semper enim manebit culpæ reatus, nec ullo piaculo extinguetur, quia nec pœnitentiæ ibi locus erit; cum perpetuo judicis odio peccator flagraturus, eique mediis in flammis maledicturus ſit. Quod amarum odium, & invidiæ morſus & ſæva indignatio, & in malo obduratio, aliæque malæ curæ, quæ inquietum animum exercebunt, ſimul & peccati, & pœnæ, rationem habebunt. Erunt ergo, ut peccata, ita & pœnæ iſtæ duratione infinitæ: ſicut & reſpectu damni, ac ratione amiſſi boni, quædam ſuppliciorum infinitas erit: quanquam reſpectu ſenſus nulla pœna infinita in crea-

Digitized by Google

creaturam finitam cadere poſſit. 4. Quæ conſequetur *deſperatio*, & furor. Cum ex carcere illo nullus detur exitus, Luc. 16: 26. Pſal. 49: 9. *Nam pretioſum eſt lytron animarum ipſorum, & deficiet in ſæculum.*

XLVI. Cadit ergo Pythagorica & Judaica μετεμψύχωσις, animæque per multa corpora errantis peregrinatio. Qua tanquam pœna luſtrari ac purgari eam volunt. Ut & Origeniſtarum ſomnia, qui diabolo ac impiis, certum pœnarum terminum ſtatuunt; quem ubi impleverint, ad ſuperos eos redire, novaque fata, ſine ceſſatione alternantia, exordiri, docuerunt. Sed contrarium teſtatur Scriptura, Matth. 25: 41. Apoc. 14: 11. *Errores Origeniſtarum.*

XLVII. Judæorum, præterquam quod de gehenna, ſeptemque ejus cubiculis ſubterraneis multum fabulentur, de damnatis non una ſententia eſt. In tres enim ordines humanum genus diſpeſcunt (contra ac à ſummo judice fiet Matt. 25.) &, præter bonos maloſque, intermedii generis turbam ſtatuunt. Illis æterna gaudia; iſtis cruciatus æternos; his autem purgatorias quaſdam flammas deſtinant: quibus ad tempus in inferno expiati (non enim, more Pontificio, purgatorium ab inferno diſtinctum habent) ad ſupera gaudia rurſus evolent. In inferno autem nullos collocant Iſraelitici generis, niſi qui forte à patria religione deſciverunt. Sed ne illas quidem pœnas æternas ajunt; ſed, poſt duodecim menſium cruciatus, ſontes animas & interire & annihilari ferunt. *Judæorum.*

XLVIII. His magiſtris *Sociniani* omnes impiorum pœnas in annihilatione conſtituunt: quam protinus à morte auſpicantur: per quam pios impioſque ex æquo in infernum non exiſtentiæ deſcendere faciunt. Hoc tamen diſcrimine, quod pios redanimandos & recorporandos tradant; ſed alio ac glorioſiori corpore. Impios autem in inferno iſto æterno perpetuò detinent: atque eos ſolummodo, quos vivos dies Domini deprehendet, coram judicio ejus ſiſtunt. Quo ubi defuncti fuerunt, ac, in ultimo orbis incendio, quæ illis gehenna eſt, ephemera pœna torti; & impios, & diabolos, & ignem denique avernalem, annihilari & interire, nihilque præter ſedes menteſque beatas ſupereſſe faciunt. Addunt & cavillum: ignem illum æternum dici, quia ex annihilatione illa nullus unquam reditus dabitur. Cætera autem, quæ de infernali carcere narrantur, fabulas putant, quas nec pueri credunt, niſi qui nondum ære lavantur. *Socinianorum.*

XLIX. Re-

Digitized by Google

Remonſtrantium.

XLIX. Remonſtrantes, uti hominibus his palpum facere, & Sarmaticis portentis adblandiri ſolent; ita ne ipſi quidem ſatis à ſententiæ huius impietate abſunt. Adamo certè, poſteriſque ejus, quibus nulla vitæ æternæ promiſſio facta ſit, nec æternas in morte pœnas timendas: iis autem ſolis, quibus Euangelii præconium factum eſt, uti vitæ, itæ mortis quoque æternæ, ſpemque metumque eſſe, affirmant. Epiſcopius pœnam damni æternam admittit; pœnam autem ſenſus, partim dum ignis ille urit, partim, igne illo extincto, in æterna ſcelerum conſcientia ac deſperatione ponit. Camphuſius autem apertius albis dentibus fabulam iſtam avernalem, uti putat, irridet, & cum Poëtarum ac Papiſtarum figmentis comparat.

L. Quæ omnia peſſimi ſunt commatis. Nam 1. non alios, quam qui ſupremo die victuri ſunt, divini judicii flammis adducere, manifeſtis Scripturis adverſatur; quæ omnium ſæculorum homines iſto igne terrent. Sui enim temporis homines procul dubio iſto terrore compellere Apoſtolus volebat; cum ita ſcribit Rom. 2:6. *& ſecundùm duritiem tuam, & correſipiſcere neſcium, theſaurices tibi iram; quæ erit in die iræ, & revelationis juſtæ judicationis Dei.* Adde 2 Pet. 2:9. Matth. 3:7. 2 Theſſ. 1:9. 1 Cor. 15:32. 2 Theſſ. 6:7,8. 2 Cor. 5:10,11. 2 Nec ſolam pœnam damni Scriptura dicit: cujus tamen damni impiis, utpote annihilatis, nulla erit conſcientia: ſed ſenſum acerbiſſimum pœnaſque animo & corpore luendas, prædicit; & *conjectionem in ignem, vermem æternum, ploratus, ſtridorem*, omnemque dolendi ſæviciem, emphaticis verbis exprimit. Certe, ubi ait, *tali homini melius fore, ſi non natus eſſet*, Matth. 26:24. aperte docet, eum annihilandum non eſſe. Ille enim non-natorum ſtatus erit. 3. Profanus autem ſarcaſmus eſt, mortem & ignem æternum appellitare, non ſui, ſed effectus ratione; quod nempe hominem in ſtatum illum redigat, unde negant redire quenquam. Nam ſic non hominibus ſolum, ſed & beſtiis mors æterna comminanda erit. Expreſſe autem Scriptura iſtum ignem à temporali quocunque cruciatu diſtinguit, & nunquam finiendum expreſſiſſimis verbis affirmat, Marc. 9:43,44,45,46,48. additque igni iſti vermem, morſuſque animi æternos. Si autem liberatio ex iſto igne non datur, uti ajunt, certe permanere ac perſiſtere oportet eum, qui non liberatur. Annihilatio enim vel maxima miſeri hominis eſt liberatio.

LI. Sed ulterius ignem hunc ſcrurari ac fodicare, à ſobrietate alienum

Digitized by Google

num eſt. Cujus conſpectum Deus nulli unquam in terris indulſit: ſicuti æternæ gloriæ quaſdam coruſcationes & ſtricturas nonnullis conceſſit, Act. 7: 55, 56. 2 Cor. 12: 2, 4. Uti enim illa futuri gaudii prælibatio ad pios animandos permultum facere poterat: ita orci fauces pandere, & averni ſpecum viventibus aperire nihil attinebat. Non enim pios id ſolari, nec improbos admodum ad veram converſionem perducere poterat. *Si enim Moſen & Prophetas non audiant, ne quidem, ſi quis ex mortuis reſurgat, perſuadebuntur.* Luc. 16: 31. Unde non temere in abyſſum iſtam irrumpendum, vel Dei urna movenda, & de mortuis dijudicandum: quod non ſine præjudicio fieri poteſt. Præſertim cum Scriptura ipſa tam ſobrie, & velo quaſi oppanſo, de mortuorum ſtatu, ac de ipſis damnatis loquatur. *Ut abiret Judas ad locum ſuum.* Act. 1: 35. *In quo ſpiritu etiam iis, qui in carcere ſunt, ſpiritibus, abiens, prædicavit.* 1 Pet. 3: 19. Unde patet, quantopere cavendum nobis ſit, ne quem, abſque judicis ſuffragio, ad iſtum ignem facilè prædamnemus. Potius autem danda opera, ut matura reſipiſcentia & ſancta converſatione ignem illum evitemus; & jugi pietatis ſtudio noſmet ipſos Deo dignos fingamus; quo ad ſancta piorum concilia, ac beatorum cœtus, nobis quoque aditus pateat: ubi Eccleſia, finitis omnibus certaminibus, ac decurſis ſpatiis ſuis, in æternum conſummanda, & Deo Chriſtoque implenda, & beanda erit. AMEN.

Veni, Domine Jeſu!

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSILIUM
DE
STUDIO THEOLOGICO
feliciter inſtituendo.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSILIUM
DE
STUDIO THEOLOGICO
feliciter inſtituendo.

CAPUT I.

De apparatu ad ſtudium Theologicum.

I. QUod in aliis plerunque uſu venire ſolet, ut laudentur, quas quiſque velit venales extrudere merces, illud obeſſe magis, quam in rem noſtram præſentem quicquam facere, agnoſcent libenter, qui quid Theologia ſit, eique operam dare, perſpectum habent. Ea eſt hujus ſtudii ſumma & propria laus, ut laude aliena non ſolum, ſed ne ſua quidem indigeat: nam quanta eſt omnibus hominibus immortalitatis innata cupido, tanta etiam hujus ſtudii neceſſitas, utilitas & excellentia animis hominum obverſatur ſemper; utpote quæ una eſt ad immortalitatem via. Quamobrem miſſis iis, quæ approbando huic ſtudio comportari ſolent; quod vehementiſſime & frequentiſſime exigebatur, & unum hac in re, etiam à nobis, jure deſiderari videbatur, *conſilium* noſtrum de opera utiliter in hoc ſtudio collocanda, privatis in ſcholis antehac properavimus; idemque illud, cum maxime, poſtulationibus amicorum aliorumque ſatisfacturi, & auditoribus noſtris gratificaturi, eadem brevitate & fidelitate publicæ luci exponimus. Abſque quo fuiſſet, ſupervacuum judicaſſemus, poſt tot præſtantiſſimorum hominum in hoc genere labores, & nuperius quoque Doctiſſ. & Clariſſ. *Antonii Perizonii* & *Stephani Gauſſeni* de ratione ſtudii Theologici limatiſſima ſcripta, ulterioribus libellis à nobis mundum onerari. Omne vero quod hic moneri expedit, circa tria potiſſimum verſatur capita. Primum eſt de iis, quæ ſpectant ad ſtudii hujus προπαιδείαν & *apparatum*

Conſilii de ſtudio Theologico tria univerſim ſunt capita.

Digitized by Google

CONSILIUM
DE
STUDIO THEOLOGICO
feliciter inſtituendo.

CAPUT I.

De apparatu ad ſtudium Theologicum.

I. QUod in aliis plerunque uſu venire ſolet, ut laudentur, quas quiſque velit venales extrudere merces, illud obeſſe magis, quam in rem noſtram præſentem quicquam facere, agnoſcent libenter, qui quid Theologia ſit, eique operam dare, perſpectum habent. Ea eſt hujus ſtudii ſumma & propria laus, ut laude aliena non ſolum, ſed ne ſua quidem indigeat: nam quanta eſt omnibus hominibus immortalitatis innata cupido, tanta etiam hujus ſtudii neceſſitas, utilitas & excellentia animis hominum obverſatur ſemper; utpote quæ una eſt ad immortalitatem via. Quamobrem miſſis iis, quæ approbando huic ſtudio comportari ſolent; quod vehementiſſime & frequentiſſime exigebatur, & unum hac in re, etiam à nobis, jure deſiderari videbatur, *conſilium* noſtrum de opera utiliter in hoc ſtudio collocanda, privatis in ſcholis antehac properavimus; idemque illud, cum maxime, poſtulationibus amicorum aliorumque ſatisfacturi, & auditoribus noſtris gratificaturi, eadem brevitate & fidelitate publicæ luci exponimus. Abſque quo fuiſſet, ſupervacuum judicaſſemus, poſt tot præſtantiſſimorum hominum in hoc genere labores, & nuperius quoque Doctiſſ. & Clariſſ. *Antonii Perizonii* & *Stephani Gauſſeni* de ratione ſtudii Theologici limatiſſima ſcripta, ulterioribus libellis à nobis mundum onerari. Omne vero quod hic moneri expedit, circa tria potiſſimum verſatur capita. Primum eſt de iis, quæ ſpectant ad ſtudii hujus προπαιδείαν & *appara-*

Conſilii de ſtudio Theologico tria univerſim ſunt capita.

Digitized by Google

tum. Alterum, de iis quæ *ſtudium ipſum* concernunt. Tertium, quæ ad uſum & praxin ejus pertinent.

Illius προπαιδεύματα, ſive APPARATUS;

II. Quam olim prudentiam, in admittendis ad ſuas ſapientiæ auditiones diſcipulis, adhibuerit Plato, teſtabatur, foribus inſcripta ſententia; Ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω: ne quis philoſophiæ, bonarumque artium (earum enim rudimenta apud veteres erant Muſica & Geometria) rudis intret. Varias item regulas exigebat ab auditore Etices ſuæ Ariſtoteles, ut nimirum non eſſet juvenis, nec affectibus deditus. Multo potiori jure igitur maxima habenda erit cautio in admittendis ad ſacrum hoc veræ ſapientiæ ſtudium diſcipulis, ne illotis, quod ajunt, manibus ſacra hæc tractent; & cruda ſtudia ex ſcholis, vix primis linguarum rudimentis imbuti, propellentes, in hæc adyta temere involent; ad quæ non niſi probe luſtratis & bonarum artium ſucco rite prolutis, accedere fas eſt.

tum circa mores:

Singularem igitur & diligentem tum *morum*, tum *ingenii* προπαιδείαν, ſtudium hoc requirit.

in quibus requiritur 1. Pietas.

III. Quoad *mores* in idoneo Theologiæ ſtudioſo, deſiderantur præcipue hæc tria: 1. *Pietas*. 2. *Docilitas*. 3. *Sedulitas*. 1. Ante omnia pium eſſe oportere Theologiæ conſecraneum, docet pietatis natura, quæ primum hujus ſtudii fundamentum non ſolum eſt, ſed & ultimum complementum; ut in hoc ſtudio inde ordiri conveniat, in quo deſinendum eſt poſtremum. *Timor Domini principium ſcientiæ & ſapientiæ*. Prov. 1:7. & 9:10. tale nimirum principium, quod rem non tantum incipit, ſed & perficit, & in omni ſapientia utramque quaſi paginam facit; quare & *ipſa* etiam *ſapientia* vocatur Job. 28:28. Quæ aurea ſententia oculis & animis omnium huic ſtudio ſe mancipantium ſemper obſervari debebat. Hinc סוד / *ſecretum* ſeu *familiare commercium Domini*, *eſt timentibus ipſum & fœdus ejus, ut eos gnaros faciat* Pſal. 25:14. Adde Joh. 7:17. & 8:47. & 14:21. 1 Cor. 2:14. Unde & magiſtri: *Non habitat prophetia niſi apud ſapientem, fortem ac divitem*: fortem nempe ac divitem in concupiſcentia conculcanda divitiiſque contemnendis. Huc etiam requiritur ardens ſtudium gloriæ Dei & ſalutis hominum; amor Euangelii & Chriſti, quo quis miniſterium appetat; non commodi, honoris aut lucri cauſa quod mercenarii eſt; ſed ad ſolius Dei gloriam, & proximi ſalutem. Quare ab ipſa jam juventute devotus, Deoque traditus eſſe debet; ne vel ipſa etiam juvenilia vitia, in ſacrum illud munus apportentur, vel anteactæ vitæ probra Eccleſiæ ſcandalo, & ipſi miniſterio dedecori eſſe queant: ſicut eo nomine venerandus

randus Beza, quamvis non ex æquo, ab adverſariis vapulavit. A prima ergo ætate ſtudendum bonæ conſcientiæ. 1 Tim. 1: 19. quæ fidei quaſi cuſtos & arca eſt. Addendæ preces ardentiſſimæ, ſine quibus nihil auguratum, nil felix fauſtumque erit; & per quas omnia à Deo Patre luminum exorari poſſunt. Jac. 1: 5, 17. Unde & tria hæc Theologum perficere ſtatuebat B. Lutherus, Orationem, Meditationem, Tentationem. Orationum formulas in limine hoc ſtudii Theologici adhibendas, ſufficit abunde Auguſtinus in confeſſionibus; ut certi ſint de auxilio divino, & perſuaſi non vanum fore illorum laborem in Domino; experturi aliquando veritatem proverbii illius: ſtudiorum radicem amarum, fructus autem eſſe dulces. Cum cæteroquin ſapientia hæc ſacra profanis & impiis non detur.

IV. Altera virtus eſt *docilitas*; ut quis ingenio animoque ſit ad diſcendum idoneo. Adeoque liber primo ſit ab affectibus, perverſo amore, odio, ſpe, metu, ira, gaudio, voluptate, triſtitia &c. qui omnes peſſimi ſunt, in negotio religionis, conſiliarii & magiſtri, uti in Judæis aliiſque olim apparuit, atque etiamnum apparet. Exuenda etiam & repudianda penitus ſunt præjudicia, quæ ubi animum occuparunt, judicium voluntatemque occæcant, & intellectum conturbant, ut quid verum falſumque ſit diſcernere nequeat; quod clariſſime liquet in Pontificiis, qui mordicus præjudiciis ſuis de Eccleſiæ infallibilitate & antiquitate, Conciliorum generalium, Patrum & Papæ auctoritate, ſimilibuſque adhærent & innituntur. Et utinam non plerorumque hominum religio, ex anticipata opinione magis arrepta & à majoribus tradita eſſet, quam ex ſincero & ſolido examine recepta. Deponenda igitur ſunt præjudicia, & quæcunque in rebus Theologicis leguntur, animo præjudiciis vacuo contemplanda ſunt, & non aliter quam illa quæ nondum recepimus, examinanda, ut non per præconceptas opiniones, ſed ſolius veritatis, ſe oculis noſtris ingerentis, evidentiam admittantur. Denique abjicienda procul eſt omnis malitia, quæ peſſulum quaſi obdit & validum ponit obicem ſacro huic ſtudio, & occluſis foribus lumen Spiritus non admittit. Joh. 8: 43. 1 Pet. 2: 1, 2. 2. docilitas.

V. Tertium quod in noſtro Theologiæ ſtudioſo requiritur, eſt *ſedulitas*, ſeu diligentia; cum, juxta vulgatum Judæorum verbum, *Prophetia non habitet neque inter triſtitiam, neque inter pigritiam* Unde & veterum eſt dictum, Dî laboribus omnia vendunt; *& labor omnia vincit improbus.* Quare nunquam deſperandum eſt de ſucceſſu, etſi 3. ſedulitas.

prima

Digitized by Google

prima ſtatim fronte ſe non offerat veritas, nec ex voto labor ſuccedat: neque pertinaciter nimis ſupra vires tum inſtandum eſt aut urgendum, ſed remittendum aliquantulum & mora interponenda, cum dies diem doceat, & aliàs ſæpe temere eveniant, quæ nunc ſumma opera non aſſequaris. Nec multa legere ſufficit,(non enim helluones laudamus)ſed præcipue ea quæ legimus in ſuccum & ſanguinem vertenda ſunt, & diligenti meditatione ruminanda, & in unam quaſi maſſam ſubigenda; eodem modo ac ex thymo & floribus apes mel conficiunt, quod tamen ita digerunt, ut nec thymum nec flores redoleat, & alia prorſus videatur materia.

tum circa ingenium: VI. Hiſce moribus & hac virtute inſtructus ſtudioſus noſter, ad ipſam tandem bonæ mentis culturam, per liberales artes & ſcientias accedat, iiſque animum polire & inſcitiæ rubigine exuere allaboret. Cum autem in adoleſcentibus, quales plerunque ſtudiis deſtinantur, magis vigeat *memoria*, quam judicium, ab illa auſpicandum eſt; ita tamen, ut ad judicium dirigendum & firmandum præcipue attendatur; quamobrem non oneranda nec premenda eſt immani apparatu memoria, quem judicium digerere nequeat; ne ſimiles fiant voracibus, illis qui ſtomacho valentes ciborum ingentem perdunt copiam, & corpore tamen veſco rancidoque manent. Uſus vero memoriæ primarius eſt in addiſcendis *linguis*; quare hæ in hac ætate hauriendæ ſunt; non tamen tam linguarum, quam rerum ipſarum, quarum vehicula ſunt verba, diſcendarum & inveniendarum cauſa: cum ex ſolorum verborum cura, ſola ſæpe rerum dependeat intelligentia, quare etiam verborum neglectum certa ſemper inſecuta eſt rerum barbaries: ut diligenter admodum diſcendæ ſint linguæ; quæ quo accuratius teneantur, eo faciliores & majores in rerum, maxime Theologicarum, cognitione fient progreſſus. Hæ enim Theologiæ quaſi anſæ ſunt.

exculta primum memoria;

in addiſcendis linguis neceſſarius;

quales ſunt 1. Latina. VII. Inter linguas prima occurit *Latina*, in Scholis inferioribus jam hauſta; quæ in Academia excolenda eſt, utpote quæ magnum huic ſtudio præſidium & ornamentum adferat: non quaſi in concionibus ad nauſeam uſque Latinorum ſententiæ tantum non plus quam ipſius S. Scripturæ, inani pompa imperitæ plebi ſint propinandæ; ſed tum ad communem mentis cultum, qui ex hac lingua omnium maxime peti poteſt; tum ad antiquorum ſcriptorum, præcipue vero plurimorum Patrum, ut & recentiorum Theologorum ferme omnium, intellectum; adde vulgarem inter eruditos uſum: ut hujus ignorantia Theologiæ ſtudioſis ſit pudenda; cum tamen hodie

Digitized by Google

hodie nimis quam familiaris ſit. Incumbendum igitur eſt auctoribus Latinis vulgo frequentatis; præſertim illis, qui integris virorum doctiſſimorum notis illuſtrati prodierunt & etiamnum prodeunt. Plurimùm verò conducet, ex iis ſcriptoribus qui ſoluta oratione ſcripſerunt præ cæteris familiarem ſibi reddere *Ciceronem*, magnum illum & facundiæ & omnis ſapientiæ magiſtrum, maximo Calvino adeo tritum: multum etiam ad elegantiam & interiorem linguæ notitiam conferent, *Scioppii* ſcripta *de re Grammatica*; *Voſſii Etymologicon*, *de Arte Grammatica*, *Vitiis ſermonis*, aliaque ejus generis.

VIII. Nec minori opera excolenda eſt lingua *Græca*; tum quia ab iis univerſam ferme ſapientiam hauſerunt Romani: tum ob Veteris Teſt. verſionem Græcam; tum in primis propter authenticas Novi Teſt. tabulas Græce exaratas. Ne memorem Doctores ſacros, ad quorum, ut & totius antiquitatis Eccleſiaſticæ, penitiorem intelligentiam nemo ſine hujus clavis auxilio, ſeſe penetraverit unquam. Præter alios in illa lingua auctores, ex quibus elegantia ejus addiſci poſſit, ſtudioſus noſter inſigni cum fructu in moralibus & ſacris leget *Ethica*, *Politica & Rhetorica Ariſtotelis*, *Epicteti Enchiridion cum Arriani & Simplicii Commentariis*; *Theophraſti charactleres*, *Diogenem Laërtium de Vitis Philoſophorum*, propter exquiſitam elegantiam Atticam, *Ariſtophanem*; & propter eloquentiæ ſtudium, *Demoſthenem*: ut & Patrum Græcorum trigam, etiam ob rerum Theologicarum cognitionem, *Chryſoſtomum*, *Nazianzenum*, *Baſilium*. Præcipuus vero labor ſit in Novo Teſt. quod diligentiſſime evolvat. Conferunt huc, præter trita paſſim Lexica & laudatiſſimum *Stephani theſaurum*, Veteres Lexicographi; *Heſychius*, *Suidas*, *Etymologicum magnum*, *Gloſſaria Philoxeni*, aliorumque. 2. *Græca.*

IX. Tranſeundum ſimul eſt ad linguam *Hebræam*; tum propter codices Veteris Teſt. & divina eloquia, hac lingua conſignata, quorum ſenſum proprio quiſque marte noviſſe & percipere debet; nec in alieno, ut ajunt, cerebro habitare convenit. Tum etiam, quod ab Hebræis & Orientalibus omnis cognitio rerum Theologicarum derivata ſit: ut ex fundamento & prima origine Chriſtianiſmus intelligi nequeat, niſi perſpecto penitus Judaiſmo; quandoquidem ipſe Chriſtianiſmus nihil aliud eſt, quam impletus Judaiſmus; ſicut & genuinus Judaiſmus nihil eſt, niſi typicus Chriſtianiſmus: præterquam, quod loquendi genera, Phraſeologiæ & idiotiſmi, typi & emblemata Veteris T. in Novo utramque faciunt 3. *Hebræa, & cognata.*

Digitized by Google

ciunt paginam. Hebraicæ linguæ fundamenta compendioſiſſimè & feliciſſimè diſci poterunt, ex viri magni *Lud. de Dieu compendiolo Grammaticæ Hebrææ*, cui radices iſtius linguæ, brevi labore ediſcendæ adjectæ ſunt; unde, ſi lubeat, ad *Buxtorfium* alioſque Grammaticos tranſire licebit: præcipue ad Cl. *Jac. Altingii* Grammaticam, quæ ex linguæ interiori genio petita eſt regularumque rationes ſuggerit. Quibus utiliter addi poſſunt, quæ de ratione punctationis Hebraicæ Cl. *Dieſtii* & *de Raadt* ſcripſere. Si cui etiam vacet & genius permittat, adjungat linguas, non ſolum *Chaldæam* & *Syriacam*; verum etiam *Arabicam* & *Æthiopicam*; in quibus affinibus linguis multæ ſæpe radices & verba & vocum ſignificationes occurrunt, quas deperditas, fruſtra domi & in Hebræa lingua quæras; & quarum linguarum beneficio viri præſtantiſſimi plurimis & deſperatiſſimis Scripturæ locis lucem ingentem affuderunt. Utiliſſimam hic operam navarunt *Buxtorfius* & *Schindlerus* in *Lexicis*; itemque beatis nunc aſſcriptus, celeberrimus *Coccejus*, Lexico ſingulari & ipſis rebus ita accommodato, ut non minus rerum quam verborum locuples theſaurus ſit. Quibus adde in *Arabicis* Cl. *Golii Lexicon*.

Quo referendum ſtudium antiquitatis Judaicæ.

X. Linguarum Orientalium ſtudio conjungenda eſt, *antiquitatis Judaicæ* non proletaria cognitio, quæ immenſam dabit utilitatem, quippe unde magna ex parte Scripturarum dependet intelligentia: ideoque fundamenta hujus ſtudii in Academia & jacienda & cum ſtudio Theologico pari opera conjungenda ſunt, & deinceps per omnem vitam excitanda. Auctores, ex quibus ſtudium hoc hauriri poteſt, præcipui ſunt, ex Judæis *Philo*, & qui inter illos ſolus ineptire deſiit, *Maimonides*, cujus *more Nevochim* ſeu *Doctor perplexorum* liber eſt lectu digniſſimus; cui addi poteſt ejuſdem *porta Moſis*, cui *Miſcellaneas notas* doctiſſimas adjecit *Eduardus Pocockius*: ejuſdem *Maimonidis fundamenta legis* cum notis *Guilielmi Vorſtii*. Tractatus *Pirke Avoth* ſeu *Capitula Patrum*, cum *notis Fagii*. Quibus addi poteſt nuperus Judæorum doctor, *Menaſſe Ben Iſraël*. Ex Chriſtianis excellunt hic *Scaliger* in *Elencho trihæreſii*; *Wilh. Schickardus* in variis tractatibus; *Druſius* multis itidem libris; *Buxtorfius uterque*; ut & *Cappellus*; *Seldeni* doctiſſima etiam ſcripta, & *Cocceji tractatus duo Thalmudici*; *Conſtantini l'Empereur* varia item opera, juxta ac *Hottingeri*, ſpeciatim *theſaurus ejus Philologicus*; *Fulleri Miſcellanea*; *Sam. Petitus*, *Stelling flietus*, & quæ ex tractatibus Talmudicis ab *Ulmanno*, *Smido*, aliiſque in latinam linguam verſa ſunt. Utilis hic etiam eſt liber Anglicus *Goodwini*, ſub titulo *Moſis & Aaronis*.

Ma-

Magnum autem harum rerum compendium aliquod & theſaurus eſt in ingentis operis & frugis *Lexico Thalmudico ſeu Rabbinico Buxtorfii*, & Philologico *Matthiæ Martinii*.

XI. Accedit linguarum notitiæ *hiſtoriarum* quoque ſtudium, & primo quidem *Romanarum*, quæ in Academiis etiam tractari ſolent; quandoquidem à Romanis omnis ferme Occidentalium ſapientia profluxit; utpote qui non ſolum rempublicam in idea delinearunt, quæ Platonis & Ariſtotelis laus eſt; ſed reapſe illam exhibuerunt, & in illa omnes belli paciſque artes; unde eorum res & antiquitates ſingulari etiam ſtudio hauriendæ ſunt: quem in finem legendi eorum hiſtorici *auctoreſque claſſici*, cum notis virorum doctiſſimorum *Gronovii & Grævii*, ſive publice editis, ſive privatos intra parietes dictatis. Hic prætereundi non ſunt rei literariæ principes *Scaliger*, *Caſaubonus*, *Salmaſius*, *Lipſius*, ex cujus operibus excerptus eſt ſingularis libellus, ſub titulo, *Fax Romanæ hiſtoriæ*, in quo rerum Romanarum breve quoddam eſt compendium. Ex quarum rerum & antiquitatum interiori notitia, non exigua ſæpe lux rebus ſacris affulget. *Græcæ* hiſtoriæ guſtum dare poteſt *Ubbo Emmius & Salmaſii tractatus de lingua Helleniſtica*, niſi quis utili non minus & laudabili opera ad ipſos Græcorum hiſtoricos diverti velit. *Hebraïcam* hiſtoriam præcipue tradit *Flavius Joſephus*, longe utiliſſimus liber, & poſt ſacra Biblia ſummo in pretio habendus. Quo faciet etiam *Hottingeri hiſtoria Orientalis*, *Pocockii hiſtoria Dynaſtiarum & ſpecimen hiſtoriæ Arabicæ*. Plures qui deſiderat, addere poterit *Gentii hiſtor. Judaicam*; *R. Davidis Ganz Tzemach David*, à Vorſtio verſum & illuſtratum.

Adjungenda hiſce hiſtoriarum cognitio

XII. Inſigniter etiam utilis hic eſt labor orbem veterum, hiſtoriæ omnis theatrum, cognoſcere & ex mappis Geographicis perſpectum habere; quod dabunt *Ptolemæi tabulæ*, *Strabo*, *Pomponius Mela Voſſii*, *& Cluverii Geographia*. Sacram vero Geographiam ſibi unice neceſſariam, ſtudioſus noſter diſcat ex *Adrichomio* & variis *Lightfoti horis* Chorographiæ terræ Iſraëliticæ feliciſſime impenſis: adjiciat etiam *Benjamini Tudelenſis itinerarium*, *cum notis Cl. l'Empereur*, in quo etiam libello tyrocinia lectionis Hebraicæ ſine punctis deponi poſſunt. Provectioribus vero ſtudiis hiſce addere licebit, magni *Bocharti libros Geographiæ ſacræ*, ſub titulo *Phaleg & Canaan*.

& Geographia:

XIII. Idea etiam *hiſtoriæ univerſalis* animo haurienda eſt; eaque tam ſecularis, quam Eccleſiaſticæ; quæ deinceps poſt acceptam vocationem perficienda eſt & uberius excolenda. Ad eam igitur ma-

Hiſtoria inſuper univerſalis, tum Vet.

nu ducere poſſunt *Jonſtoni Sceleton hiſtoriæ univerſalis*; *Sleidanus de quatuor ſummis Imperiis*, *Sulpitius Severus cum notis Druſii*, *Hornii*, *Joh. Verſtii*; *Cluverii epitome* hiſtoriæ totius mundi, & *Bebelii antiquitates*. Ad Chronologiam recte hauriendam faciunt *Voſſii Iſagoge Chronologiæ ſacræ*, & *Beveregii inſtitutiones Chronologicæ*. Inde progrediendum ad *Gubberlethi Chronologiam*, quæ ſynchroniſmos hiſtoriæ ſacræ & exoticæ exhibet; licet circa hiſtoriam exoticam V. Teſt. minus ſæpe accuratus ſit; ad *Langium de Annis Chriſti*, *Petavii Rationarium temporum*; *Cappelli hiſtoriam ſacram & exoticam*, *Genebrardi*, & *Baillii Chronologiam*, *Uſſerii annales*; & ex quo omnes fere aliorum rivuli deducti ſunt, *Scaligerum de emendatione temporum*: quem ſecutus eſt *Setus Calviſius*, uti hunc *Helvicus*.

tum Novi Fœd. XIV. *Novi Teſt. hiſtoriæ* ſceleton molimur in ſcholis privatis: illius compendium tradunt *Latus* & *Hornius*; & præter auctores laudatos prolixius *Boxhornius in hiſtoria univerſali*; *Hottingerus in hiſtoria Eccleſiaſtica*, qui cum cura res Judæorum perſequitur; *Cappellus*; *Eutychius* Patriarcha *in annalibus Alexandrinis*; *Uſſerius de ſucceſſione Eccleſiarum in Occidente*. Conducunt etiam *Montacutii Origines Eccleſiaſticæ*, *Blondelli* ſummi hiſtorici omnia; & laudatiſſimæ *Inſtructiones hiſtorico-Theologicæ Forbeſii*. Inter adverſarios adiri poſſunt *Gualtherius in tabulis*, *Cabaſſutius in notitia Conciliorum Eccleſiæ*; licet multo cum judicio legendi. Præcipue vero ad ipſos fontes aſcendendum eſt, hiſtoricos nimirum veteres, *Euſebium*, *Socratem* &c ubi omnium inſtar erunt *Scaliger in Euſebium*, & in eundem, reliquoſque hiſtoricos Eccleſiaſticos, *Valeſius* præſtantiſſimus plane ſcriptor; nec non ſuo tempore annalium Pater *Baronius*, cum *exercitationibus Caſauboni*, & notis doctiſſimi *Blondelli*, brevi, ut ſpes eſt, prodituris.

nec non hiſtoriæ Reformationis, XV. Accuratiorem *Reformationis hiſtoriam* dabit *Scultetus in Annalibus Reformationis*; copioſe ſatis eam etiam, qua Belgium ſpectat, exhibet ſcriptum vernaculum, *Brands* Verhaal van de Reformatie in Nederland; *Boxhorns* eerſte deel der Nederlandſche Hiſtorie: multum etiam huc conferunt *Eraſmi*, *Melanchtonis*, aliorumque virorum doctorum *Epiſtolæ*, *Sleidani commentarius de ſtatu religionis*, *Thuani hiſtoria*, & eximius liber, *Pauli Veneti hiſtoria Concilii Tridentini*; *Camerarii vita Melanchtonis* eleganter & accurate ſcripta; *Melchior Adamus de vitis Theologorum*, *tum Germanorum*, *tum exterorum*. Quibus, ſi lubet, adjiciendus deinde eſt *Flacii Illyrici Catalogus teſtium veritatis*, ſimileſque ſcriptores.

XV.

XVI. *Patria* noſtræ *hiſtoriam*, ne domi peregrinus ſit, ſciat etiam oportet noſter; quare evolvat *Reidani & Meterani* hiſtorias vernaculas; ut & *Hoofdii*, viri integerrimæ fidei, & Belgicæ noſtræ Taciti, monumenta, qui rerum non ſolum, ſed & verborum luculentus eſt magiſter, quamvis prudenter imitandus, ne quis ex illo ampullas & ſcenicum inſolitorum verborum apparatum in ſuggeſtum apportet. *Hug. Grotii Annales & hiſtoria de rebus Belgicis.* Eccleſiaſtica patriæ geſta præter jam dictos, exhibent *Triglandius & Utenbogardus.* Queis adjungi poſſunt *Martyrologia*, tum noſtra tum *Anglica* & præcipue Belgicis altera parte locupletiora *Gallica.* Statum Eccleſiæ Judaicæ hodiernæ exhibet *Fechtius*, Æthiopicæ *Wildius*, Græcanicæ *Vejelius*, *Allatius*; quique eum emendarunt.

& patriæ noſtræ, aliarumque ſingulatim Eccleſiarum,

XVII. Atque ita ornata memoria, linguarum, hiſtoriarum & antiquitatum utiliſſima ſupellectile, partim ante ſtudium Theologicum, partim una cum ipſo comparanda; præcipua cura ſit, ut ante omnia excolatur ratio & judicium: longe enim præſtat acri & polito valere judicio, quam ſuffarcinata ingenti theſauro memoria. Propitia igitur ſibi reddenda eſt ratio, & illis contradictionibus liberanda, quæ fidei ingenerandæ maxime inimicæ ſunt, antequam interiori illius & Theologica cognitione imbuatur animus; ne corrupta ratio præjudiciis ſuis irreparabile rebus Theologicis adferat detrimentum; quod in Socinianis uſu venit, qui cum falſæ rationi ſuæ unicè litent, fidem omnem emaſculant. Quinimo adultera hæc ratio & Philoſophia, unica fere errorum cauſa eſt, & Philoſophi, ex antiquorum dicto, hæreticorum ſunt Patriarchæ: ut niſi probe exculta ſit ratio, vix res ulla clare & diſtincte percipi poſſit; quod in idiotis apparet, qui rerum omnium ſibi cognitarum, confuſas plerunque cogitationes habent. Cum recta Philoſophia, ſuppoſita revelatione, multa ex penu ſua depromat, quorum auxilio claros & diſtinctos conceptus de revelatis formare diſcimus. Hæc ergo maxime vires intendendæ, ut per ſanam Philoſophiam diſtincti conceptus de rebus naturalibus & corporalibus, imprimis etiam de moralibus, divinis & ſpiritualibus formentur, & mens quaſi edoletur: cui uſui idoneam non ſatis eſſe Philoſophiam Peripateticam, multorum ſeculorum experientia docuit; & inſtrumentum ejus Logicam, (quæ, ut Tertullianus ait, Dialecticum format Chriſtianiſmum) valere magis ad diſſerendum de rebus jam cognitis, quam ad inveniendum ignota, & judicium recte formandum. Meliori itaque Philoſophiæ incumbendum eſt; qua, ſingulari

Præcipue vero recta Philoſophia excolenda,

 gulari

Digitized by Google

gulari felicitate, ſæculum ornavit Nobiliſſ. *Renatus Carteſius*; qui raro & inaudito hactenus exemplo, exuto præjudiciis animo, in vacuum poſuit veſtigia princeps, & non ſenſibus, ſed menti, inſitiſque illi principiis, ſimpliciſſimis & generaliſſimis, ſuperſtruens ſolidiorem Philoſophiam, continuo filo ita primis extrema coaptavit, ut integram microcoſmi & macrocoſmi naturam inde reſeraverit. Quæ Philoſophandi methodus præterquam quod rationem unice expoliat, præjudiciiſque mentem liberet, Theologo inſuper ſummopere utilis eſt; cum nulla alia mentis corporiſque diſcrimen, divini numinis extantiam & interiorem notitiam, hominis ab eo dependentiam, libertatiſque ipſius cum divina gratia conciliationem ſubtilius perrimata ſit & fortius aſſeruerit. Ut ſupra omnes alias, Atheiſmum, corporeitatiſque brutum conceptum, ſæculi peſtes & pernicies, ab intima fibra revellat, omnibuſque gratiæ adverſariis, Pelagianis, Jeſuitis eorumque ſequacibus irreconciliabile bellum indicat eoſque funditus proſternat. Ut non glorioſiorem potuerit veritas triumphum agere, quam ore illius, è communione Papiſtica, qui eam maxime oppugnaturus, hoc elogio eam condecoravit, *Philoſophia Carteſii non poteſt teneri à Viro Catholico*, h.e. Pontificio. Hæc ergo Philoſophia imbibenda & præter ipſius Philoſophi ſcripta, inter alios qui ipſius veſtigiis inſiſtunt, legendus, qui hominis ſeu mentis anatomiam intimè recludit & aperit, tractatus *de mente humana Ludovici de la Forge*. Ad recte vero dirigendas cogitationes utilis eſſe poteſt libellus *de arte bene cogitandi*, è Gallico tranſlatus; cui addi debet, Cl. *Claubergii Logica*, nec non Cl. *Wittichii*, amici mei chariſſimi, *Conſenſus veritatis revelatæ cum Philoſophia*; amborumque reliqua ſcripta, in quibus hujus Philoſophiæ uſum ad cogitationes Theologicas expoliendas & perficiendas oſtendunt.

Plempius præf. ad Fundam. Medic.

&, ſi commodum, Mathematica.

XVIII. Si quis etiam ad *Mathematica* propendeat, utiliſſimum erit his ſtudiis animum imbuere; illa enim, ſi quicquam, judicium acuunt & dirigunt, præcipitantiam tollunt, & verum à falſo diſcernere docent. Qui vero non ejuſmodi eſt ingenii, aliò ſe vertat, qua parte maximè ſe valiturum putet; quiſque enim ſe ipſum probe explorare debet, & animum ad ea applicare ſtudia, ad quæ ſive vires, ſive animi propenſio, ſive temporum ratio ipſum rapiunt.

& Medicina.

XIX. Magnum etiam ad res tum Philoſophicas, tum Theologicas funditus percipiendas præſidium adferet, Medicinam delibaſſe. Quare legendi, ex veterum ſcriptis, accurate ſunt *Hippocratis aphoriſmi*,

Digitized by Google

aphoriſmi, & ubi tempus permittit, plures ipſius tractatus, adjecto *Cornelio Celſo*. Ex recentioribus perluſtranda præcipuè ſunt præclara anatomicorum inventa: & ut brevem œconomiæ animalis conſpectum habeatis, legendus de ea *Hogelandius*, & ipſe *Carteſius*, licet imperfecto, tamen præſtantiſſimo tractatu *de Homine*.

CAPUT II.

De ipſo ſtudio Theologico.

I. HIſce omnibus pro cujuſque genio, captu & tempore præmiſſis, quin & cum ſtudio ſacro conjunctis, ſuſpenſo & tardo gradu accedendum eſt ad ipſum *Theologici ſtudii* ſanctuarium; quod ſubire non decet niſi quodam cum tremore & ſumma cum veneratione: ſeriò interim accingendus eſt animus, ſive harum rerum cognitio conſideretur in *Theologia dogmatica*; ſive in earum *uſu* & praxi. *Hoc apparatu præmiſſo, progrediendum ad ipſum ſtudium Theologicum.*

II. Cardo omnis ſtudii hujus Theologici verſatur in lectione, tum ſacræ Scripturæ; tum Scholarum, ſive Syſtematum & locorum communium inde derivatorum. Fons primus, totuſque fundus quærendus in S. *Scriptura*, in qua omnes ſapientiæ divinæ theſauri ſunt recluſi: quare optima & ſola eo nomine digna eſt theologia, quæ biblica eſt & inde repetita. Sicut ergo ex Scriptura res ipſæ ſunt petendæ, ita ſecundùm eam, rerum etiam ſeries & ordo adornandus & componendus eſt. Ideoque Biblia ſacra ſine ulla intermiſſione legenda & à prima juventute imbibenda ſunt, ut eorum phraſeologia & vis in ſuccum quaſi & ſanguinem noſtrum convertatur: cum & ſolius fere Biblici ſtudii cultura, tantos & tot excellentes viros dederit, ut *Piſcatorem*, *Lud. de Dieu*, *Coccejum* alioſque. Præcipuè autem familiare reddendum eſt Novum Teſt. & in eo epiſtolæ Paulinæ, quæ in textu authentico jugi lectione & vel per otium & deambulando in juventute ita familiares reddendæ ſunt, ut vel memoriter diſcantur. *Cujus fundus eſt ſtudium Scriptura S.*

III. *Bibliorum* lectionem velim hic inſtitui duplicem; unam ſolius textus vernaculi; alteram ejuſdem textus, ſed ita; ut idem caput lectum Græce aut Hebraice relegatur, & Phraſeologia ſacra cum vernacula contendatur; adhibitis notis & analyſibus; cui bono hic præſcripſero *Analyſin & ſcholia Piſcatoris* in utrumque Teſt. cum

notis

Digitized by Google

notis Junii & Tremellii in Vetus, *& Beza* in Novum Teſt. adjunctis & collatis *Interpretum Belgicorum notis.* Hunc etiam in uſum, ſingulorum ſacrorum librorum & capitum tituli in adverſariis deſignari poſſunt, in quos, breviſſimis ſignis, referatur, quicquid ad intelligentiam librorum ſacrorum obſervatur, ſive in commentatoribus inferius laudandis, ſive aliis quibuſvis auctoribus, ut locorum illorum uſus ad primum ſtatim conſpectum nobis ſuppetat; & omni modo familiaris reddatur nobis ſacræ Scripturæ intelligentia; in qua, ut egregie Chryſoſtomus, totius ſacerdotii noſtri eſt ſubſtantia.

cui adjungenda Syſtemata Theol. juxta œconomiam fœderum Dei.

IV. Ipſa ſacra Biblia ſequuntur *Syſtemata* ex iis deducta, quæ ut ad S. Scripturas examinanda, ita ex iis complenda & augenda ſunt. Quorum omnibus aliis ego quidem præfero, qui Theologiam diſponunt ſecundùm ordinem naturalem, œconomiam fœderum Dei & adminiſtrationem ſalutis humanæ; juxta eam ipſam methodum & hiſtoriæ & dogmatum, quam Deus ipſe in Scriptura, à ſæculorum initio, uſque ad finem eorum, obſervavit: qui ordo in locis communibus omnibus non ita conſpicuus eſt, ſed ſæpe turbatus, & præter naturalem methodum plures loci extra ſedem ſuam, in angulum vel alienum locum ſubinde detorti. Quem ad ſcopum manuductionem aliquam fortaſſe dabit iis, quibus eam terere lubet, *Synopſis* noſtra *Theologiæ* & *Oeconomiæ fœderum Dei.* In qua maxime neceſſaria duntaxat breviter, in uſum ſcholæ privatæ, delineavimus; multo pluribus, iiſque ſæpe melioribus, ſtudio omiſſis: quorum tamen bonam partem in ſcholis noſtris publicis domeſticiſque exhibemus. Illi ſuperaddi poteſt *Cloppenburgii Syntagma & Diſputationes*; *Joh. Oweni* Θεολογούμενα, & præcipue Celeb. *Cocceji Summa doctrinæ de Fœdere*, ut *& Summa Theologiæ*: quæ ſcripta maxima cum cura & meditatione evolvenda & eo uſque ruminanda, donec cogitationes illius viri perſpectæ & pertractatæ habeantur, ne rejiciatur, quod non intelligitur; & terminorum Scripturæ, qui in illis ſoli, citra mixturam humanorum apparent, ſenſus, vis & efficacia, unoque verbo totius Theologiæ harmonia & analogia, inde diſcatur, & memoriæ fideliter imprimatur; quibus addas deinde reliquos ipſius viri tractatus, ubi variæ Theologiæ partes latius deducuntur aut vindicantur; hac ratione ut cum ſingulis œconomiæ divinæ capitibus, ad pleniorem eorum intelligentiam, conferantur. Hoc in aliis itidem auctoribus facere licebit; ſeu deſcriptione locorum obſervandorum, ſi breviora ſint, ſeu annotatione

Digitized by Google

tatione ſola ſi longiora; ut eorum uſus, ubi opus eſt, præſto eſſe poſſit: quod vel per collectanea in adverſariis, vel per chartas Synopſi noſtræ, aut alii libro ad id ſelecto, inſertas fieri poterit; ita tamen ut trita & vulgaria non adſcribantur, quod rhapſodis quibuſdam in more eſt, ſed duntaxat ubi ſingulare quid & à pauciſſimis obſervatum, aut novum plane in auctoribus reperitur; quomodo ingenti labore ſcribendi levabimini, & res ipſas memoriæ, magis, quam chartis commendabitis & tradetis.

V. Ad ſingularia Theologiæ & Oeconomiæ illius capita conſuli & adiri poſſunt, ſequentes auctores: nimirum ex iis, qui de Theologiæ principio & S. *Scriptura* agunt; *Meſtrezatus de S. Scriptura. Cocceius de potentia Scripturæ. Claubergii & Hundii Diſputationes. Voſſius de* LXX *Interpretum verſione*, & qui cum eo congreſſi ſunt. *Auctores, qui de variis illius argumentis ſcripſere.*

VI. De *Fœdere Dei* conſulantur auctores memorati. De ſpeciali vero fœderis adminiſtratione, ſub promiſſione & Patriarchis, agunt viri doctiſſimi & amiciſſimi, *Heideggerus in Exercitationibus ſuis de hiſtoria Patriarcharum ante & poſt diluvium. Jacobus Alting.* in libro, cui titulus *Schilo*, & *Diſſertationibus Academicis.*

VII. De œconomia *legali*, tum cerimoniali, tum morali, tum forenſi, ſpiſſum ſatis volumen edidit *Theod. Beza.* Speciatim de lege *morali* adeatur *Rivetus*, *D'Eſpagne*, *Danhauwerus*, ut & *Ameſius* in ſecunda parte *Medullæ* & *Caſibus conſcientiæ* & *Epiſcopius in c.* v. *Matthæi. De Origine & progreſſu idololatriæ* ſcripſit eximium opus *Joh. Gerhardus Voſſius.* Conſuli quoque poteſt *Seldenus de Diis Syris. De Imaginibus Pet. Picherellus*, *Joh. Dallæus*, & *Joh. Hoornbeekius. De fœnore & uſura* tractant, *Salmaſius*, & ſcripta quædam vernacula, ſub titulis; *Res judicata & judicanda.* de ſorte *Gatakerus.*

VIII. De rebus *cerimonialibus*, præter varios auctores circa antiquitates Judaicas laudatos, egerunt, inter veteres *Rob. Groteſt de ceſſatione legalium*; inter hodiernos, *Frantzius & Cloppenburgius in Schola ſacrificiorum*, *Stuckius de ſacrificiis gentilium. Heideggerus de eſu ſanguinis & ſuffocati. Codex Joma Roberti Sheringhamii. Conſt. l'Empereur in codicem Middoth. Heylini hiſtoria Sabbati*; in quam arenam nos quoque deſcendere neceſſe habuimus. Utilis etiam circa res Judaicas eſt *Epiſcopius in Inſtitutionibus Theologicis.*

IX. De lege *forenſi* & politia Judaica ſingulari cum fructu legi poſſunt, *Hebræorum leges* ab *Hottingero* editæ. *Schickardus de jure regio* He-

Digitized by Google

Hebræorum. *Cunæus* & *Bertramus de Republ. Judæorum*, & hic quidem *cum notis l'Empereur*; qui & videndus eſt in tractatu ſuo *de legibus forenſibus*. Eminet hic cæteris *Seldenus de jure naturali & gentium, ſecundùm leges Hebræorum; de Synedriis; Succeſſionibus; Uxore Hebraica*. Quo etiam facit *Zepperus de legibus Moſaicis*. Propter caſus autem matrimoniales in praxi occurrentes, negligendus non eſt *Beza de divortiis, repudiis & polygamia*. *Carpzovius*, & in ſubacti judicii ſcripto de *Jure connubiorum Henricus Brouwer*, affinis honorandus.

X. Circa œconomiam ſub Novo Teſt. de *Chriſti* perſona, beneficiis & officiis, præter uſitatos vulgo auctores, conſulendus *Ger. Joh. Voſſius de Chriſti genealogia, paſſione, morte, reſurrectione & aſcenſione*. De juſtificatione egregius extat libellus Anglicus *W. Bradshaw*.

XI. De *ſacramentis Novi Teſt.* videri poſſunt quæ *Voſſius de Baptiſmo. Aubertinus, Meſtrezatus, Blondellus, Dallæus, Salmaſius, Claudius, Larrogius*, & ex adverſariis *Petrus de Marca*, de Euchariſtia annexiſque argumentis ſcripſerunt.

XII. De *Eccleſia* Novi Teſt. ejuſque ſtatu, regimine & adulteratione tractarunt *Meſtrezatus, Salmaſius de primatu Papæ*, ut & *de Epiſcopis & Presbyteris. Blondellus de la primauté en l'Egliſe*. Idem *de Johanna Papiſſa*, nec non *de Epiſcopis & Presbyteris*; & de eiſdem *Hammondus* & *Hoornbeekius*. *De Hierarchia Eccleſiaſtica Petavius. Marcus Antonius de Dominis. Parkerus. Didoclavii Altare Damaſcenum. De pœnitentia & clavibus Petrus & Ludovicus Molinæus in Paræneſi*, una cum *corollario*. *De templis, feſtis & monachis* &c. *Hoſpinianus*. *De Veteris & Novæ Eccleſiæ ritibus, Caſalius*: de iis & antiquitate reliqua Eccleſiaſtica, *Juſtellus, Salmaſius, Dallæus, Jac. Gothofredus, Albaſpineus, Hugo Menardus, Goar, Sirmondus, Petavius, Morinus*, alii.

XIII. Si quis vero, præter filum hoc œconomiæ Fœderum Dei ſequi delectetur *Locos communes* ita dictos, præ omnibus aliis ſuaſero vel *Medullam Ameſianam*, vel *Syſtema* Cl. *Mareſii*, adjunctis *Synopſi Profeſſorum Leydenſium*, aut *Gomari*, & *Altingii didactica*, ut & *Catecheſi Urſini*, & præcipue *Calvini Inſtitutionibus*, quæ ſatis laudari nequeunt, quibuſque merito tribuitur elogium illud:

Præter Apoſtolicas, poſt Chriſti tempora, chartas
Huic peperere libro, ſecula nulla parem.

XIV. Eruditæ etiam ſunt *Ger. Joh. Voſſii Diſputationes Theologicæ. Diſputationes Salmurienſes & Sedanenſes*, in quibus poſterioribus maximè

Digitized by Google

xime eminent doctiſſimi *Rambertii theſes*. Ad hunc cenſum etiam pertinent *Cameronis*, *Gomari*, Belgarum doctiſſimi, aliorumque opera: ne variarum gentium Theologos longo ordine hic recenſeam. De materiis ſelectis legi poſſunt Clar. & Doctiſſ. *Voetii Diſputationes*.

XV. Inter veteres, ſeu Reformatores, poſt *Calvinum* palmam tenent *Muſculus* & *Martyr*. Ex iis qui extra Eccleſiam noſtram ſunt, inter Lutheranos, ingenioſiſſimus eſt ipſe *Lutherus*; inter cujus tractatus varios compendium quoddam ipſius cogitationum familiarium, tum theoreticarum, tum practicarum, continent *Sermones* ejus *convivales*, Germanice *Tiſchreden*, ad ſeriem locorum communium diſpoſiti. Inter ſequaces ejus laborioſiſſimus eſt *Joh. Gerhardus in locis communibus*, ſeu *Confeſſione Catholica*. Viri maximi in illa communione ſunt *Chemnitius* & *Calixtus*. Inter Remonſtrantes, omnium fere inſtar eſt eorum primipilus *Epiſcopius*, qui adverſus Judæos & Pontificios laudabilem operam contulit; in reliquis maximo cum judicio & ſale legendus. Summam aliquam cogitationum ejus exhibent *conciones in Joh.* 17. *com.* 3. Inter Pontificios, & quidem Lojolitas, doctiſſimus & candidus ſatis pro ratione iſtius ſocietatis eſt. *Petavius*. *etiam inter variarum Confeſſionum Theologos.*

XVI. Hauſta & cognita ſic veritate, falſitatis & mendaciorum in veritatem injuriorum gnarum etiam eſſe oportet candidatum noſtrum, & noſcendæ *controverſiæ*; quarum ſtudium cæteroquin non niſi ex accidente neceſſarium eſt, cum non, quid ſit, ſed tantum quid non ſit veritas, doceant, & veritate bene perſpecta, & Scripturis ſacris intellectis facilè componi poſſint pleræque controverſiæ. In hiſce utiliſſimus erit *Joh. Hoornbeekii* liber, dictus *Summa Controverſiarum*. Ex veteribus *Catalogi hæreſium Auguſtini* & *Epiphanii*; ut & *Anonymi* à *Sirmondo* editi; qui laudandus in multis, in multis item vituperandus eſt; præſertim facinus illud ipſius *Sirmondi*, qui in illo *Hæreſin prædeſtinatianam*, nunquam alibi cognitam, teſte Auræo, Doctore Sorbonico, ſuppoſuit. *Studium Theol. Polemicæ, ſecundum varias controverſias,*

XVII. Controverſias & res *Judaicas* pertractarunt, *Hoornbeekius de converſione Judæorum. Hulſius de Meſsia. Coccejus in reſponſionibus ad quæſtiones Judaicas. Buxtorfius in Synagoga Judaica. Epiſcopius in Inſtitutionibus Theologicis*, aliique ſupra nominati. *Judæorum*,

XVIII *Papiſmus* non tam ex doctoribus ſingularibus, quam ex *Canonibus Conſilii Tridentini*, & quæ juxta illius decretum editus eſt à Pio V. PP. *Catechiſmo*, hauriendes eſt. Cujus concilii & ſimul Pa- *Pontificiorum.*

 piſmi

piſmi interiora complexus eſt *Paulus Venetus in hiſtoria Concilii Tridentini*; vir, præter veſtem ex monachatu nihil habuit. Cui conjungendum *Chemnitii examen Concilii Tridentini*. De cætero Pontificiis oppoſitus eſt *Ameſii Bellarminus enervatus*, *Riveti Catholicus Orthodoxus*, quamvis hic ex adverſariorum ſcriptis *Bailii Catecheſin* refutet, quod ad hominem argumentari vocant. *Lansmanni* Roomſche afval. *Aldegondii*, Bychorf. ſplendida etiam quædam habet *Molinæus* in *Clypeo fidei*; *Anatomia* & *Miſſa Novitate Papiſmi*. Omnium inſtar autem in hac arena eſt, *Chamieri Panſtratia Catholica*, niſi quod prolixior aliquantum; ſemper ſaltem ſtatus controverſiæ accurate definitus inde peti poteſt. Quem etiam magna dexteritate & moderatione nuperius examinavit & fixit D. *Ludovicus le Blanc*, in diſputationibus ſuis. Cæteroquin omnium loco, ſuffecerint Calvini Inſtitutiones diligenter lectæ. Ex adverſariis legi poſſunt *Thomas Aquinas* & *Bellarminus*; quorum ille genuinum; hic alteratum & incruſtatum Papiſmum exhibet. Quo in genere deſudarunt quoque hiſce annis *Valerianus Magnus* & *Walenburgii* fratres. Minoris molis eſt *Becani manuale*, ejuſque compendium.

Socinianorum, XIX. *Socinianis* ſtrenuo obviam eunt, *Junius contra Prælectiones Socini*: idem *contra Socinum adverſus Wieckum*. *Cloppenburgius in Compendiolo Socinianiſmi refutati*; idem *contra Smalcium de divinitate Chriſti & contra Bidellum de Deitate Sp. Sancti*. *Biſterfeldius de Deo, contra Crellium*. Cl. Viri, *Hoornbeekius in Socinianiſmo refutato*, & *Eſſenius in triumpho crucis*. *Matth. Wren* in confutatione *Catechiſmi Racoviani*; aliique.

Anabaptiſtarum. XX. *Anabaptiſtarum* argutiis opponenda eſt *Cloppenburgii Gangræna Anabaptiſtica*. Item vernacule *Bontemps & Auſtro Sylvius contra Anabaptiſtas*; ut & liber accuratus *Marci Boerhaven*, ſub titulo, Noodige vernederinge des menſchen.

Remonſtrantium, XXI. *Remonſtrantium* controverſiæ hoc ordine hauriri poſſunt, ut primo legatur *Collatio Hagienſis*, *cum Coronide Ameſii*; tum utriuſque partis *ſcripta Synodalia*, cum ejuſdem *Ameſii animadverſionibus*; denique *Catecheſis Remonſtrantium*; cum *examine* venerandi Soceri, *Heidani*; *Epiſcopii reſponſo*, & quam huic repoſuit Heidanus, *Cauſa Dei*. Quibus ſuperaddere licebit *Twiſſi Vindicias*, aliaque ejus ſcripta; & ſi ulterius ire lubet, *Bradwardinum de Cauſa Dei*. Hiſtoria horum errorum peti poteſt ex *luculenta præfatione* ante *Synodum Dordracenam*. Veterum Pelagianorum ſententias explicatas & detectas dederunt *Voſſius* & *Latius* in hiſtoria Pelagiana;

Digitized by Google

na; & *Janſenius* in præclaro opere, Auguſtino.

XXII. Contra *Lutheranos* adhiberi poteſt, *Admonitio Neoſtadiana. Altingii exegeſis Confeſſionis Auguſtanæ. Wendelini loci Communes*, & *Exercitationes*; in quibus hæ controverſiæ potiſſimum tractantur. Conducit etiam adjungere ſcripta irenica *de tolerantia inter nos & Lutheranos*, *Hottonis*, *Mareſii*, *Hoornbeekii*, *Durai*. Ex Lutheranorum ſcriptis in hanc rem legi poteſt, *Ekhardi faſciculus controverſiarum*. *Lutheranorum*,

XXIII. Ad reliquas controverſias, quæ nobis cum *infidelibus* etiam intercedunt, cognoſcendas legere expedit *Mornæum* & *Grotium* de veritate religionis Chriſtianæ; & ea quæ inter noſtros *Abrah. Rogerius* de Braminum & nuperius *Phil. Baldæus* de Indorum religione vernaculè ſcripſerunt; *Alſtedii Thelogiam Polemicam*, ex aliis quidem conſarcinatam, ſed non contemnendam. Inter veteres *Lactantium* & *Minutii Felicis Octavium* evolviſſe operæ pretium erit. *aliorumque.*

XXIV. Obſervari hic debet, ſtudium illud controverſiarum divellendum non eſſe à ſtudio & cognitione veritatis; ut ſeparatim tradantur, vel diſcantur: quo pacto cæteroquin æternæ forent lites, & vix unquam quicquam tam firmum & ſolidum diceretur, quod non argumento, aut ſaltem ſophiſmate aliquo elidi aut eludi poſſet. Conjungendum igitur ſemper mendacium eſt veritati, ut tranſluceat ex utriuſque contentione; atque ita ex fundamento percipientur controverſiæ; atque veritate probe cognita, adverſariorum omnium errores & ſophiſmata diſflari ultro & dilui poterunt. Petendæ inſuper ſunt controverſiæ non ex alienis citationibus, ſed ex ipſis fontibus, ſcriptiſque adverſariorum authenticis, & quantum fieri poteſt, publicis. Attendendum eſt in iis ad cauſæ arcem & πρῶτον ψεῦδος, ut loquuntur, ex quo totum erroris pondus illiuſque conſecutiones pendent. Videndum etiam quouſque utriuſque partis argumenta producta ſint, & quouſque ulterius produci poſſent: qua ratione ſperare liceret, finem aliquando controverſiæ, quam tractamus, imponi eamque terminari, poſſe. Non inutile etiam in hiſce eſt exercitium diſputationum Academicarum publicarum; quarum ſobrius & modicus uſus παῤῥησίαν conciliat, firmat memoriam, excitat ſtudium & curioſitatem, ſolidat judicium, & adverſariorum denique congreſſibus nos parat. Quo in excercitio à reſpondente ſpecimen eruditionis ſuæ, ſicut ab opponente ingenii & dexteritatis exhibetur. *Controverſia quomodo tractanda?*

Caſibus conſcientiæ quomodo opera danda?

XXV. Studium *caſuum conſcientiæ* quod attinet, idem etiam quod de controverſiis obſervavimus, de eo teneri debet, nimirum, ab ipſa Theologia poſitiva, locíſque communibus non averruncandum eſſe; quin imo periculoſum eſt, caſus ullos, uti vocant, determinare, citra non ſolum, ſed & ſeorſim à poſitivis veritatibus Theologicis, ex quibus fluunt; unde infelix divortium natum eſt Theologiæ theoreticæ & practicæ: minime omnium ferendum in popularibus concionibus, ut de ſuggeſtu, praxis ſeparatim à Theologia poſitiva tractetur; unde tum oritur neglectus veritatis, veræque ejus intelligentiæ, animique hominum infinititis caſibus & ſcrupulis inquietantur; omniſque pietatis prora & puppis in exercitiis & monumentis externis, caſibuſque non neceſſariis, iiſque ſæpe non bene deciſis, aut vix unquam bene decidendis, collocatur. Præſtaret ſane infirmorum conſcientiam non adeo operoſis, ſed paucis ſimplicibuſque regulis, ad exemplum Pauli Apoſtoli, dirigi & expediri. Ex noſtris hic potiſſimum adhiberi ſolet *Ameſius*; ex Lutheranis *Balduinus*; quorum ope adhibita, præcipue prundentia ex monitis ſapientum & uſu rerum acquiſita, & judicio animi recte firmato, ex ſana veritatis cognitione ſolida ab inanibus diſcerni poſſunt & perplexa omnia reſolvi.

Studium Theologiæ Scholaſticæ.

XXVI. *Scholaſticæ Theologiæ* non nimium inhærendum eſt, nec illa animo haurienda, niſi ſingulari cum judicio caſſa omnia & inutilia, qualia plurima ſunt, ſecernantur, delectis iis, quæ uſui eſſe poſſunt. Cui rei abunde ſufficiet *Magiſter Sententiarum*, *Thomæ Summa*, idemque *contra gentes*; & ex commentatoribus *Cajetanus*, *Eſtius* & *Bannez*; niſi quis in alios etiam ſe diffundere geſtiat. Ex noſtris adeundus, qui bene de hac Theologia meritus eſt, *P. Ferrius*.

Patrum.

XXVII. *Patrum* etiam guſtus aliquis in Academia hauriendus eſt; in quo nihil utilius præſtari poteſt, quam ſi legatur, Aureolus *Auguſtini* libellus *de doctrina Chriſtiana*, ſeparatim excuſus; ut & ejus *Enchiridion ad Laurentium* & *Confeſſiones*; nec non libri ejus auro contra cari *de Civitate Dei*; in quibus univerſæ civitatis Dei ſeu Eccleſiæ, exortum, excurſum & debitos fines cernere licet. *Auguſtinum* ipſum, ejuſque ſententias feliciſſime expreſſit *Janſenius* in *Auguſtino* ſuo. Solus autem hic vir, omnibus ſimul Scholaſticis ſubtilior & præſtantior eſt, qui etiam vitula ipſius arant, & quæcunque frugis bonæ habent, ex illo ferme omnia tranſcripſerunt; utpote cujus ſtupendum ingenium nihil unquam inepte molitur: vir inimitabilis, cujuſque pene ſolius patrocinio, cauſa Dei adverſus Pelagianos invicta ſtetit, & in

Digitized by Google

& in ipſis Papiſmi tenebris per tot ſecula ſervata eſt. Hic quidem in controverſiis, & *Chryſoſtomus* in exegeticis Patrum præcipui ſunt; quos etiam duos *Calvinus* omnium maxime ſectatus eſt, ex iiſque tantus vir evaſit. Adjungi poteſt propter multivariam eruditionem *Clemens Alexandrinus*; & propter ſtylum *Hieronymus* in *Epiſtolis*; & Latinorum doctiſſimus ac diſertiſſimus, *Tertullianus ex editione & cum notis Rigaltii*. Si quis inſuper decantatas *Origenis* opiniones delibare delectetur, habet ille quo ſitim reſtinguat in doctiſſimo & luculentiſſimo opere *Hueti*, quod Origenem & Origeniana complectitur. Reliquos Patres recenſere nihil attinet, cum ſtudium illud maturioribus duntaxat annis plenius tractari ſoleat. Utiliſſima cæteroquin *Photii Bibliotheca*, in qua plurimarum antiquarum rerum penus quædam eſt. Ex recentioribus viam huc ſternunt *Rivetus in Critica ſacra*; *Polani Symphonia*; *Dallaus de uſu Patrum*; idemque de *Dionyſii Areopagita & Ignatii Antiocheni ſcriptis ſpuriis*. Lectu digniſſimus etiam eſt *Vincentii Lirinenſis de Præſcriptione* libellus, cum doctiſſima præfatione *G. Calixti*. Adde his *Gronovii obſervata in Scriptores Eccleſiaſticos*.

C A P U T III.

De ſtudii Theologici uſu & exercitio.

I. SEquitur nunc ſtudii Theologici *praxis* & exercitium; tum in *Oratoria* ſacra; tum in reliquo *miniſterio* ſacro. Proximus quidem ſtudii hujus uſus eſt in Oratoria ſacra, ſeu *concionibus*. Quo in negotio prima cura verſatur circa *methodum* concionandi: altera circa *auctores* hic adhibendos. *Studii Theologici praxis 1. in* CONCIONIBUS.

II. Ad conciones privatim, multo minus publice habendas accedendum non eſt, niſi *Bibliis* ſacris ſerio & diligenter lectis, & locis communibus ſeu univerſa potius Theologia, quantum licet, accurate cognitis. Ut autem judicium hic ante informetur, non levis opera danda eſt Rhetoricæ, ſpeciatim Eccleſiaſticæ. Quo conducit inter veteres *Quintilianus*, qui præcepta tradit; præclarus etiam eſt *Cicero* in iis quæ de Oratoria ſcripſit. Præſtantiſſimus etiam inter veteres Græcos dicendi magiſter eſt *Demoſthenes*. Inter recentiores hic inſignis *Talæi Rhetorica*, & *Rami Logica* quæ maxime tractat & docet loca inventionis, quorum frequentiſſimus uſus in tractandis thematibus ſimplicibus; quæ loca quamvis à pleriſque in Rhetoricis *Scriptores huic rei utiles.*

ad

Digitized by Google

tractentur, ad Logicam tamen ſpectant, uti *Ramus* obſervavit. Eximia etiam eſt *Ariſtotelis Rhetorica*, in qua de affectibus agit movendis, doctrina Oratori in primis pernoſcenda; & in qua artifex ſingularis fuit *Cicero*. Utiliſſimus & hic eſt *Eraſmi Eccleſiaſtes*, ſive *de modo concionandi*, proficuus item libellus *Hyperii de formandis concionibus*; nec non *Rhetorica Eccleſiaſtica Keckermanni*. Recentiorum Theologorum regulas de arte concionandi, tum generales, tum ſpeciales collegit *Petrus Magerus*. Elegantiſſimum quoque libellum de ratione concionandi edidit Cl. *Stephanus Gauſſenus*. Singulari etiam artificio & judicio Oratoriam ſacram tractavit Cl. *Wolzogen*; ut unus omnium aliorum inſtar eſſe poſſit.

Concionandi methodus. III. Non aliis autem regulis hic opus eſt, quam Rhetorices, & iis prudenter uſurpatis: omnis enim artis mater eſt prudentia. Quamvis enim exacte quis calleat omnia præcepta Logica, Medica, Juridica, uti iis non poterit, niſi adſit prudentia; quæ rebus omnibus, ut magiſtra, prædominatur. Speciatim vero maximus methodi præceptor eſt Divus Paulus, ex cujus ſcriptis vera & juſta rerum tractatio abunde peti poteſt; & utinam illa multis in exemplum eſſent, miſſa tot anxiarum regularum operoſa ſupellectile; cum unica & vera methodus ea ſit, quæ ſimpliciſſima eſt; ut à cognito ad ignotum pergatur, & ordine formentur promoveanturque cogitationes (præcipuè ubi argumentum propoſitum deductione aliqua eget) prout natura docet res ſe invicem conſequi, & ut nihil dicatur & proponatur credendum vel faciendum, niſi quod clare ex Scriptura aut ratione fuerit demonſtratum. Hoc ipſum quoque plurimum conferet ad memoriam, non puerilem, ſed cum intelligentia conjunctam. Hinc etiam multis enumerationibus & ſubdiviſionibus non eſt opus, ſed rem dividere ſufficit, qua parte ſe ipſam ſecat. Sicut arbor dividi debet, eo modo quo ex ſtirpe in ramos ſe diffundit, & ſponte ſe partitur. Præſtat ergo magis per demonſtrationes, quàm ſimilitudines incedere. Humana ſapientia ſponte intervenire poteſt, non vero oſtentanda eſt, ne ſtudio propriæ gloriæ, quod Oratori ſacro maxime obeſt, ideoque maxime illi fugiendum eſt, duci videatur. Virtutis quoque eſt, nec nimis eſſe methodicum, nec minus; ſed uti in omnibus ita & hic mediocritas ſervanda: cum & artis ſæpe ſit, in loco artem neglgere. Nec concionamur nos, quod Patribus ſæpe in more erat mere Oratorie, & ſine ſpeciali textu ſacro; verum textibus nos alligamus, qui ideo ſequendi ſunt; ita tamen, ut aliquo modo conjungantur cum tractione textus, loci communes, & quædam fiat mixtu-

ra oratoriæ & textualis tractationis. Quare nec in locum communem totus tranſire debet concionator; nec, more Albutii Rhetoris, omnia quæ dici poſſunt, in explicatione ſacræ περικοπῆς, ſeu, ut vulgo loquuntur, textus, dicere; ſed quæ dicenda neceſſario ſunt. In omni igitur concione præ oculis habendus eſt ſcopus textus, & ad illum aſſequendum, auditorique inculcandum, omnia, quæ pro concione tractantur, referenda ſunt. Inveſtigandus autem ille eſt fida & accurata analyſi; quæ tamen domi potius privata meditatione conficienda eſt, quam pro concione publice oſtentanda. Quibus obſervatis methodo jam dicta progrediendum eſt.

IV. *Exordium* quod attinet, commodius illud invenitur concione jam abſoluta, ubi major cogitationum ſuppetit copia, ex quibus facili opera exordium paretur; cæteroquin enim ſi tanta cura comptum prodeat exordium, plerunque tantæ accurationi & ornatui finis non reſpondet; quare ferme fieri ſolet, ut qui tanta cum pompa ſe proferant primo, & uno quaſi ictu tela ſua emittant; poſtea imbelles ſint, & orationem vix ægre trahant. Auditoris animum excitare eumque ad textum ducere debet exordium, nec tamen ei nimis affine eſſe, aut nimis ab eo remotum. Paucis etiam conſtet oportet periodis, & quoad ejus fieri poteſt, petendum eſt ex natura rei; ut per illud quaſi à priori ad rem præſentem auditor deducatur. *Exordium.*

V. *Diviſio* textus ſimiliter petenda eſt ex natura rei, ut non violenta manu in textum inſeratur, ſed ex illo ſponte profluere videatur. Nec putandum eſt ſemper diviſione opus eſſe, cum interdum occurrant textus, qui inſtar atomorum, partes non habeant quas diſpertiri queas: niſi rerum ipſarum, quas occaſione iſtiuſmodi textuum tractare decreviſti, ſumma capita proponas. Aliæ enim rerum, aliæ verborum diviſiones ſunt. *Diviſio.*

VI. Quantum vero ad rem ipſam ſpectat, in *tractatione textus*, non ſatis eſt grammaticam verborum explicationem dare, ſed ipſius rei natura & hiſtoria eſt exhibenda, eaque eo ordine deducenda, quo facillime & diſtinctiſſime proponi poſſit; quod quomodo in ſpecie faciendum ſit, mox videbimus. *Textus tractatio.*

VII. Enarrata hoc modo rei natura & confirmata textus veritate, πορίσματα inde deduci poſſunt, quorum ea præſtantiſſima ſunt, quæ proxime ex textu fluunt, & primæ, quaſi ſunt emanationes: eodem modo ac vinum illud ſuaviſſimum eſt, quod levi preſſione ex uvis exprimitur, id vero quod torcular redolet, acinos etiam ſapit. *Illius conſecutiones.*

VIII. Exinde ſubjungenda eſt textus *applicatio*, qua auditoribus *Applicatio.*

Digitized by Google

ſingulatim accommodatur, & ad uſum convertitur; tum adhortationis ad virtute; tum correptionis & increpationis in vitia invehendo; tum conſolationis, & cujuſcunque tandem modi, qui pro Oratoris prudentia eliciendus eſt. In hac applicatione, quia plerunque πάθος ſeu affectus aliquis ibi movendus eſt, laudanda eſt θερμότης aliqua; & inſignem quoque uſum ibi habent argumenta, quæ ab honeſto, utili, jucundo &c. deſumuntur, eaque pro natura rei delecta; ut non omnia ubique adhibeantur; verum ubi, verbi gratia, longius à jucundo petitur argumentum, ab honeſto petatur oportet. Nec tamen opus quovis loco omnes iſtos uſus, quos Paulus 2 Tim. 3: 16. commendat, urgere; ſufficit uni vel alteri primario, qui ſponte ſe offerunt & ad ſcopum Sp. S: maxime faciunt, inſiſtere. Multo minus neceſſum eſt expreſſis verbis auditorem in concione ſemper monere, hanc doctrinam, hunc uſum eſſe: more illorum pictorum qui bovem vel equum idonee pingere nequeunt, niſi illum bovem vel equum eſſe appingant. Rite modo doceatur, moneatur, corripiatur, & ultro ſatis patebit doctrinam & uſum eſſe.

Refutatio

IX. *Refutationem* quod ſpectat, per illam ſi intelligatur liberatio textus à cavillis & ſophiſmatibus adverſariorum, non ad applicationem, ſed ad explicationem potius referenda eſt, cum ſit confirmatio ab oppoſito, uti dicitur; ſi vero tantundem ſit ac doctrina ex textu elicita, aut argumentum quod adhiberi poteſt ad refutandum aliquem adverſariorum errorem; ſic ad πορίσματα è textu deducta pertinebit, & ad uſus Scripturæ ſacræ, quibus utilis eſt ad elenchum; adeoque omnium commodiſſime ante doctrinam & uſus practicos tractari poterit.

Quomodo tractandum ſit thema ſimplex.

X. Textuum vero diverſitatem quod attinet, *thema ſimplex* ita tractandum eſt, ut circa illud conſulantur affectiones Logicæ, ſeu loca inventionis, ut vulgo appellantur, non aperte monendo auditorem, hanc eſſe cauſam, illud effectum; ſed decore & venuſte quodam cum artificio loca connectendo & ex ſe invicem deducendo; ſic ut ea, quæ opportuna ſunt maxime, ſeligantur; quod prudentiæ eſſe jam diximus. Hac ratione ergo tractaturus thema ſimplex, ex. gr. fidem, percurrantur loca inventionis, ſcilicet, de fidei partibus, cauſis, effectis, ſubjecto, adjunctis, conſentaneis, diſſentaneis, oppoſitis &c. quod magnam cogitationum ſuppeditat copiam, & pulcherrimum format concionis corpus: quomodo omnia themata ſimplicia, ſive dogmata, tum catechetica, tum moralia & practica, ut ſtatim dicetur, enarrari poſſunt.

Digitized by Google

XI. Thema *complexum* ita tractandum eſt: ut 1. Subjectum illius. *Complexum*
2. Prædicatum, oſtendatur & explicetur; tum autem ante omnia complexio ſeu connexio utriuſque demonſtretur; & in id opera præcipua intendatur, ut argumenta quæ ad veritatem connexionis probandam comportantur, à prædicato maximam partem petantur.

XII. Utriuſque quaſi thematis tractatio concurrit in themate doctrinali, ſeu *dogmatico*: ipſum enim fidei caput & dogma quod tradendum eſt, ad inſtar thematis ſimplicis: illius vero confirmatio per argumenta ad modum complexi inſtituenda eſt. Utrumque vero ita tractandum, ut qua fieri poſſit, brevitate & perſpicuitate ipſum dogma ex fundamento repetatur, & ea dicantur, quæ ad textum præſentem illiuſque ſcopum maxime faciunt. Nec plane in locum communem excurratur, ſed tantum medulla exhibeatur iſtius dogmatis ſeu controverſiæ, cum refutatione falſitatis; præcipue ſi dogma controverſum ſit, uti omnia ferme talia. Maxime tamen inſiſtendum argumentis quæ faciunt ad veritatem probandam, licet non ſemper mentio fiat oppoſiti erroris. *Dogmaticum.*

XIII. In thematibus *moralibus* ita verſandum eſt, ut ſi agant de virtutibus & vitiis, vivo colore exhibendi & delineandi ſint eorum characteres; præterquam quod in aliis quoque argumentis plurimum juvent auditorum intelligentiam & memoriam ὑποτυπώσεις ſeu delineationes ad vivum, quando ita res cum præcipuis ſuis circumſtantiis exhibetur, ut quaſi coram oculis depicta cernatur. Tum addenda, quæ ad naturam virtutum aut vitiorum eorum cognoſcendum pertinent, & quæ mediorum aut remediorum vices præſtare poterunt: qua in re præferenda ſunt ea argumenta, quæ ab honeſto, utili & jucundo petuntur; eaque exaggeranda; qui modus agendi ſingulare aliquod πάθημα in auditore excitat; ideoque illud ſemper, præſertim in illis argumentis, faciendum eſt, ut affectus aliquis moveatur, qui concionis eſt finis: ea tamen adhibita cautione, ut non craſſe argumenta enumerentur, ſed induſtrie & ornate exhibeantur. *Morale.*

XIV. In *hiſtoriis* enumerari debent omnia, quæ ad hiſtoriæ quam tractamus cognitionem faciunt. Applicatio autem ita debet inſtitui, ut ſi partes hiſtoriæ ſint heterogeneæ, & aliquo modo divelli poſſint; tum explicationi cujuſque partis, particularis etiam applicatio, ſed brevis, & quaſi per diverticulum, ſubjungatur, per modum poriſmatis: ubi obſervandum eſt, circa finem concionis, ſive in applicatione generali, non tantum ultimam hiſtoriæ partem applicandam eſſe, uti multis in more eſt; verum ex totius textus ſcopo. Si vero partes hi- *Hiſtoria.*

Digitized by Google

hiſtoriæ homogeneæ ſint, & omnes eodem tendant, tum breviter explicandæ ſunt; una autem omnium applicatio in fine concionis facienda eſt. Ita in hiſtoria tentationis Chriſti, ſingulæ partes ſingulatim etiam applicari debent, quia heterogeneæ; turbaret enim & interrumperet concionem, ſi tot heterogeneæ applicationes ſimul inſtituerentur; quare ſingulæ ſuis locis faciendæ ſunt.

Parabola. XV. Hiſtoria parabolica ſeu *parabola* nunquam ſola ſive diviſim tractanda eſt, ut à multis fieri ſolet; verum, in eadem quoque concione, præmiſſa & explicata προτάσει, etiam adjungi debet ἀπόδοσις, & ſimilitudini applicanda eſt; cum enim unum aliud explicet & eodem referantur, in eadem quoque concione conjungenda ſunt. Attendendum vero ſemper eſt ad ſimilitudinis ſcopum, & quæ eo faciunt, ſola adducenda, omiſſis ἀπροσδιονύσοις. Verbi gratia; ubi regnum cœlorum gemmæ aut ſemini aſſimilatur Matth. 13. enarranda tantum venit gemmæ pretioſitas & varius ſeminis ſucceſſus pro ratione terræ: reliqua vero quæ ad ſementis naturam ſpectant, & quæ circa eam ab agricolis fieri ſolent, ibi operoſe enarrare velle, putidum eſſet; ex quo aliqui ſingularem gloriam aucupantur; qui non tam rei ipſius, quam ſimilitudinis tractationem ſuſcepiſſe videntur, & ad eam rem obtorto quaſi collo rapere. Ita nec equuleo imponenda eſt parabola, ut ea, quæ extra ſcopum ejus ſunt, rei ſignificatæ applicentur. Quod de omnibus typis ſeu allegoriis Veteris Fœd. tenendum eſt.

Culpanda in concione. XVI. Hiſce methodi cum generalibus, tum ſpecialibus regulis obſervatis ſupervacuum erit rerum pondera in multas frangere particulas, & infinitis diviſionibus & ſubdiviſionibus minutatim conſcindere, prolixiſque enumerationibus auditores fatigare; idque eo modo, ac ſi non corpus, ſed ſceleton quoddam orationis exhiberent: qui pædagogicus eſt concionandi modus, Prophetis, Apoſtolis, Patribus, primis Reformatoribus, ſapientioribus etiam Germaniæ, Belgii, Galliæ, imo etiam Angliæ concionatoribus incognitus & inuſitatus; à *D. Perkinſio* vero primum in ſcenam productus, & ex Anglia cum aliis ejuſdem indolis rebus in Belgium tranſmiſſus; ibique à quibuſdam adoptatus, licet non tam vero fructu, qui, ut in contuſis nimium aromatibus, hoc modo ſæpe intervertitur, quam ſpecie aliqua ſe commendet; & artificio ſuo operoſiſque regulis illuſtris videatur adinſtar veſtis multas in partes ſectæ, & artificioſe conſutæ, quæ magis ad elegantiam facit, quam ad uſum aut ca-

calorem. Ipſis etiam Oratoribus antiquis diſplicuit ambagioſa hæc methodus, quæ per tot præcepta, diviſiones & regulas procedit. Plebs enim videns tanto cum molimine rem agi, putat inſidias ſibi ſtrui, & hoc oratorem agere in fraudem & doloſe; ideoque ſimplicior illis placuit oratio; quæque auditores, rebus clare, diſtincte atque ordine propoſitis ultro ſecum rapiat. Neque etiam ex abrupto aut craſſe tranſeundum eſt, ſed, ſi fieri poſſit, res ita deducenda, ut ultro ad partem aliam per connexionem conceptuum oratorem ducere videatur.

XVII. Culpanda hic quædam ſpeciatim reſtant. I. Quod rei ipſius tractatione & deductione valere juſſa, grammatica plerunque tractatio ſupponatur, & verba magis, quam res ipſa oſtendantur; ut primaria rei explicatio, non alia ſit, quam Lexicographa aut paraphraſtica, magis inanibus verborum repetitionibus, quam rerum deductionibus, conſtans. II. Vitium eſt quod doctrina, quæ poſt textus explicationem proponitur, ipſe textus ſit, quin & ipſius ſæpe textus verbis proponatur; cum doctrina ſemper ex textu debeat eſſe derivata, in modum poriſmatis. III. Nec convenit loco deductioris & plenioris tractationis ipſius veritatis & rei, quæ in textu continetur, ad locos communes & integros tractatus digredi, & ad unam concionem nullo habito delectu convocare omnia, etiam quæ ad rhombum nihil faciunt: cum diſcurſus ſimplex & nervoſus, ex ipſa textus natura petitus, & rebus magis fœcundus quam verbis, longe ſit efficacior ad illuminandam mentem & flectendum animum, quam ingens ille apparatus, majori labore quam judicio congeſtus.

XVIII. IV. In vitio item ponendum eſt, quod ad omne argumenti genus, diſtincta ſigna, media & motiva adhiberi ſoleant; cum illa tunc duntaxat ſint tradenda, ubi res id exigit, vel permittit; & tum ex intima ipſius rei natura petenda ſunt; non autem continuo ad generalia illa excurrendum eſt; de verbo Dei; Spiritu Sancto, precibus earumque uſu; quorum mediorum omnia fere centies recurrunt, & ad nauſeam uſque crambe illa recoquitur, & omnibus argumentis obtruditur; quod utile non eſt, & ingratum nimis; ſecundum illud tritum:

Ridetur chorda, qui ſemper oberrat eadem.

v. Ejuſdem etiam genii eſt; quod ubi ad finem ejuſmodi doctrinæ perventum eſt & delaſſatus auditor, qui concionis finem & exitum jam opperitur; nova ſæpe doctrina uſuſque eodem modo proponitur, & auditor à meta ad carceres revocatur; quod magis ad faſti-

Digitized by Google

dium, quam excitationem facit. Atque tantum eſt, quod de hiſce monendum breviter duximus. Pergendum nunc eſt.

Qualis requiratur Vox,

XIX. *Vox* flexanima ſit oportet. Cum enim triplex ſit concionatoris virtus, docendi, delectandi & movendi; ſumma & præcipua eſt movendi facultas, quæ divini aliquid habet; ad quam plurimum facit, prudens vocis uſus & regimen. Si quid aſperum habeat; aut ingratum, exercitiis privatis lectionis verbi Dei, & præcipue Prophetarum, corrigenda, & inter legendum rebus ipſis accommodanda eſt.

Geſtus,

XX. Actio oratoria & *geſtus* naturales ſint & decori; non autem affectati aut nimii, nec adeo opera danda eſt, ut externis hiſce capiatur populus, quam ut ipſis rebus doceatur & moveatur. In laudandis & allegandis ſacræ *Scripturæ locis*, commata & verſus deſignandi non ſunt; præterquam enim quod memoriæ illud moleſtum ſit, flumenque orationis interrumpat, inutilis etiam eſt labor populo, qui ex integra concione vix unius ejuſmodi citationis meminiſſe poterit: præter inanem igitur memoriæ oſtentationem nil quicquam præ ſe fert; tum quoque adimit dicenti facultatem, ſi quis inter dicendum incidat locus, citandi; quia plerunque comma non occurrit; quæ tamen ſubitaneæ citationes plerunque ſunt maxime appoſitæ. Hanc ergo argutam nimis diligentiam negligere præſtat, ſufficitque capitum citatione uti, neque ea quoque niſi ubi opus eſt; non vero uti illi agunt, qui vix Scripturæ verbo utuntur, vel per modum phraſeologiæ, quin capita & commata adjiciant, qui tamen inter plurimas citationes, nullas ferme afferunt, ſecundum emphaſin ſuam & ex ſcopo Sp. Sancti; ſaltem vix uni loco integra concione allucent; quod ubi fit, præcipuum concionis ornamentum eſt. *Precum* vero conſuetis formulis te alliges, an vero de pectore eas concipias, res utrimque eſt indifferens, & utrimque utilis eſſe poteſt: unde conſultum non videtur alterutri ita ſe alligare, ut alterum negligas. Maxime vero conducere videtur, ut preces quæ ante concionem recitantur, ex formulis, quas habemus ſane ſelectiſſimas, dicantur; cum auditor eas cogitatione ſua commodiſſime aſſequi poſſit: quod difficilius fit quando nova adhibetur formula. Ordinarias enim precandi liturgias, omni ævo Eccleſiæ uſitatas, ſtudio omittere velle, quaſi per illas ſtaret ne Spiritu monitore oraretur, Enthuſiaſta ſane, quam Eccleſiaſta dignius eſſet.

Stylus

XXI. *Stylus* ſit gravis, ſimplex, purus & terſus, nulla verborum barbarie conſpurcatus, ex ſacris literis quantum fieri poteſt deſumptus.

Dili-

Digitized by Google

Diligenter igitur ſe abſtineat orator noſter à verbis exoticis, aut etiam novis, etiamſi vernaculis, iiſque quæ uſu nondum frequentata ſunt, qualia in ſcriptoribus quibuſdam hodiernis leguntur, niſi additis forte vulgatioribus. Multo magis cavendum à trivialibus & in circulis uſitatis verbis, putidiſque loquendi modis; ut multis in more eſt, qui verborum exilitate rerum deterunt majeſtatem, quin & ſibi ipſis inde majores videntur, quoties migrant in obſcuras humili ſermone tabernas. Cæterum loquendum ſemper eſt, ut vulgus ædificetur, neque mellitis verborum globulis, ſeſamo & papavere ſparſis, perſuadendus eſt auditor; ſed ſpirituali verbi divini potentia, eaque oratione, quæ demonſtrationes habeat pro nectare, quæque non tam ingenium, quam conſcientiam compellet. Uſu teſtimoniorum humanorum, hiſtoriarum profanarum, atque etiam ſententiarum Latinarum, Patrum, aliorumque, niſi ſingularem habeant emphaſin, plane abſtinendum eſt; aut ſi fieri illud neceſſe ſit, non niſi rariſſime uſurpentur; aliter, ac quidam, qui floſculos hoſce tam inepte depereunt, ut iis non aſpergant ſolum concionem, ſed totam pertexant; quod ſæpenumero ab iis etiam fieri videas non ſine riſu, qui farraginem illam alienæ fidei debent, & ipſos auctores legere vel nolint vel nequeant; quos tamen ſi audias, non Eccleſiaſticos de ſuggeſtu tractatores, ſed umbraticos de cathedra doctores dicas. Utiliſſimum hic eſt primis miniſterii annis elegantibus vernaculis verbis conciones exarare, quo facundiæ vernaculæ aſſuefiat concionator, donec verborum copia ſuppetat & levioribus cogitationum notis contentus eſſe queat. Styli vero elegantiam, ex ſcriptoribus Belgicis accuratioribus prudentes lectis; præſertim theologis, ut Vener. Socero *Heidano de cauſa Dei* ſimilibuſque arceſſat: quorum ſcripta idcirco cum cura legenda ſunt & imitanda.

XXII. Ipſam oratoris *facundiam* quod ſpectat, non ſit loquens, *& facundia.* ſed eloquens; cum enim Epiſcopum oporteat eſſe διδακτικὸν, idoneus ſimul etiam debet eſſe ad docendum res excellentiſſimas, eaſque tractandum proprie & potenter: qui enim eloquenter & aliqua cum venuſtate & gratia loqui non poteſt, indignus eſt ut loquatur publice in Eccleſia; ſicut ait ille:

Ludere qui neſcit, campeſtribus abſtinet armis.

Vera autem eloquentia non conſiſtit in tornandis figuris & adſcititio verborum ornatu; qui enim iſtiuſmodi modis auditorem movere ſatagit,. nihil aliud in ipſo excitat, niſi flammulam è paleis deductam, quæ ardet, dum ſermo auditur; deinceps vero mox evaneſcit; & ſtultum

ſtultum eſt movere affectus, quamdiu non perfuſus eſt luce ſufficienti intellectus: illud enim repugnat naturali ordini, quem Deus conſtituit inter facultates animæ, quemque obſervat Sp. Sanctus in ſanctificatione noſtra; ut nempe inſtruatur primo rationibus intellectus, unde tum ex magno lumine in intellectu, magna ſequitur in voluntate propenſio. Vera ergo eloquentia conſiſtit in inventione & materiarum præſtantiſſimarum ſelectu, iiſque ſimpliciter, clare, copioſe atque ordine profandis: ex ſimplicitate enim & ordine ultro perſpicuitas naſcitur; & ita ſi quis inſtituat etiam barbara Scytharum lingua eloquenter loquetur; multo magis, ſi rebus verbiſque Spiritui ſancto uſitatis. Atque hæc quidem eloquentia inſigne eſt Sp. Sancti donum, & ipſi omnium maxime uſitatum; quam qui culpat, ipſi Spiritui ſancto convicium dicit: & plerunque qui hac in parte deficiunt, carpere ſolent in aliis, quod recte poſſe præſtare optarent ipſi. De cætero naturæ obſequatur quiſque ſuæ, illamque dicendi & perſuadendi ac flectendi viam obſervet, quam ipſi natura ſignavit. Irata enim venatur Delia, qui perſonam ſuam exuit, naturæque vim adfert. Qualem ergo in converſatione quemque natura fingit, talem quoque in concione, quæ & ipſa *ὁμιλία* eſt, quàm poteſt decentiſſime, ſe exhibeat. Certus hanc eſſe optimam concionem, quam perſpicue propoſitam memoriæ facillime impreſſerit auditor: ut non melior orationis ſacræ character ſit, quam ſi illa repletus, eam vel, ſi opus redditurus, auditor domum reverſus fuerit.

XXIII. His omnibus graviſſimum pondus addet, atque efficaciſſima erit concionatoris eloquentia, ſi amet ipſe, quod alios docet, & ſibi ipſi prius jam perſuaſerit, quæ perſuadere conatur aliis, ut non in labiis verba ipſi naſcantur, ſed ex intimo cordis affectu ebulliant. Unde & pie in capitulis Patrum dicit ſenex Simeon, qui Servatorem ulnis excepit: *Eruditus ſermo non eſt præcipuum, ſed praxis*, ſeu opus. Neceſſarium hac in re eſt, veram concionandi methodum ex auditorum genio, moribus, virtutibus & vitiis, infirmitatibus & tentationibus ordinare, eumque in finem familiariter cum illis agere, ſtatum animarum recte obſervare & in hominum ſinus influere. Auditorum quoque inſtituendus eſt delectus, & ita temperanda res ut & idiotæ, quorum major ſemper eſt pars, paſcantur, & tamen aſpergantur talia, quibus doctiores quoque excitentur.

Auctores huic ſtudio

XXIV. *Auctores*, ex quibus inſtruendus eſt orator noſter, nunc tandem etiam deſignemus. Biblia ſacra cum ante, aſſidua & diligenti lectione

ctione revolvenda eſſe, monuerimus; reſtat nunc ut Commentatores & Interpretes maxime idoneos recenſeamus. Inſignem vero præ reliquis hic uſum habent *Biblia*, ſive bibliorum *commentaria*, *Critica*, ab Anglis edita, in quibus variorum Commentatorum Philologicorum, qui utiliſſimi ſunt, ſyntagma eſt. Horum vero multorumque aliorum Synopſin indefatigabili labore acrique judicio molitur, & ex parte jam dedit, vir Rever. & Doctiſſ. *Matth. Polus*; cujus opus ut multis aliis operibus vitam interitumve dabit, ita vel ipſum ſolum in hoc ſcriptorum genere ſufficere poterit. Si quis tamen plures vel noſſe, vel ſuperaddere velit, laudandus eſt inter alios interpretes maximopere, à D. Polo certis de cauſis omiſſus, *Calvinus*, quo vix alius eſt judicioſior. Inter Pontificios palmam tenet, quamvis admodum prolixus, *Toſtatus*, ſeu *Abulenſis*; nec contemnenda eſt *Lyra gloſſa ordinaria*. Proficuam quoque in Sacra Scriptura navavit operam P. *Brugenſis*. At multorum commentatorum farragine opus non eſt ei, qui Sacra Biblia & Oeconomiam univerſæ theologiæ accurate legerit. *maxime idonei*;

XXV. In *Vetus Teſtamentum*, & ſpeciatim in *Pentateuchum*, optime commentati ſunt *Munſterus*, *Fagius*, *Ainsworthus*, ſimileſque. Pentateucho etiam lucem aliquam pro tyronibus fœnerati videmur, in vernacula noſtra ad illum commentatione. In *Joſuam* egregie ſcripſit *Maſius*. In libros *Judicum*, *Samuelis & Regum*, *Martyr*. In *Jobum*, *Mercerus*, & in hiſtoriam Jobi, Cl. *Spanhemius*. In *Pſalmos*, *Gejerus*, & qui Rabbinorum ſententias enarrat *Viccars in Decaplis*. In *Proverbia*, *Mercerus*, *Cartwrightus*, & vernacule *Joh. de Brune*. In eadem, ut & *Eccleſiaſten*, *Gejerus* & *Cartwrightus*. In *Canticum*, quoad ſenſum literalem, in breviſſimo libello vernaculo, idem *Joh. de Brune*. Ad *Prophetas* manuductionis vicem præſtare poterit *Molinæi vates*; commentariorum vero, quæ à Cl. *Coccejo* ſcripta in eos & reliquos Vet. Novique inſtrumenti libros, maxima ex parte elaborata ſunt. Aliquem etiam fortaſſe tyronibus uſum dabunt, que ſuper hiſtorias & prophetias Vet. Teſt. in privatis ſcholis cum auditoribus calamo communicamus. *cum Interpretes Vet. Fæderis.*

XXVI. Ad *Novum Teſt.* præcipui ſunt *Calvinus*, *Eraſmus*, *Beza*, *Lud. de Dieu*, *Cappellus*, *Hammondus*. In *Euangelia* utilis eſt *Walæi* conſarcinatio ex præſtantiſſimis Philologis. Addendæ ſunt *Ligtfooti Horæ Hebraicæ & Thalmudicæ*; & *Spanhemii Dubia Euangelica*. Inter adverſarios acerrimus eſt *Maldonatus*. In Acta, præter alios jam dictos commentatus eſt *Streſo*; & in epiſtolas habent hic inde quæ tolli poſ- *& Novi*;

ſunt, *Thomas Aquinas* & *Cajetanus*. De Phraſeologia vero univerſi Novi Fœd. conſulendus eſt *Joh. Vorſtius de Hebraiſmis*, & *de Adagiis Novi Teſt.* In utrumque vero Fœd. tum quoad Phraſeologiam; tum quoad res ipſas laudandi ſunt *Glasſius*, *Launæus*, *Grotius*, cujus etiam errores docti ſunt, itidemque *Bochartus in Hierozoïco*, ſive *de animalibus ſacris*. Inſignem quoque uſum ad intelligentiam Novi Fœderis habet *verſionis* LXX *ſeniorum* cum eo collatio: quæ cum linguæ Græcæ, tum Scripturæ ſacræ ſtudioſo commendatiſſima eſſe debet.

tum ſcriptores ſtudii practici, inter Patres. XXVII. Scriptores alios varii generis quod attinet; illi vel ſunt veteres, vel recentiores. Inter Patres Græcos, concionatori utiles, eminet maxime *Chryſoſtomus*; inter Latinos, *Auguſtinus*, cujus commentaria ſeu ſermones in verba Domini & Apoſtoli, in Pſalmos, ſimiliaque ſcripta, plurimum optimæ frugis continent. Laudem hic etiam merentur *Salvianus*, *Raimundus Jordanus* in Bibliotheca Patrum, *Idiotæ* nomine; nunc autem ſeparatim editus. *Leonis* etiam & *Gregorii*, *Magnorum* homiliæ merito laudandæ ſunt.

Pontificios, XXVIII. Inter recentiores ex *Scholaſticis* ſummopere utilis eſt *Summa Thomæ*, in prima & ſecunda ſecundæ, ut vulgo ajunt, in quibus partibus moralia habet, quæ à barbaris illis terminis ſeparata & rhetorico ſtylo exornata, bono uſui eſſe poſſunt, cum egregias ſufficiant cogitationes. Ex reliquis *Pontificiis* laudari ſolent, *Kempis de imitatione Chriſti*, *Drexelius* & *Bellarminus* in opuſculis; & ad πάθη movenda *Granatenſis*, in omnibus quæ ſcripſit; & *Stella de vanitate mundi*, aliiſque quæ edidit.

Reformatos, XXIX. Ex Reformatis, omnium coryphæus eſt *Calvinus*, in omnibus ſuis ſcriptis: nominatim, in inſtitutionibus lib. III. à capite VI. uſque ad X. quibus quinque capitibus, ſolidiora & præſtantiora habet ad praxin pietatis & vitæ regulas facientia; quam in diffuſiſſimis & innumeris practicorum, uti vulgò ajunt, tractatibus conſcribillata ſunt. Conducunt huc maxime *opuſcula Eraſmi*, & *Rivius Attheudorienſis* in operibus ſuis Theologicis, quæ pathetica ſunt. Ex Lutheranis, legi poſſunt *Joh. Gerhardi Meditationes* & *exercitia pietatis quotidianæ*; & *Joh. Arents* ſcripta Germanica practica. Ex Remonſtrantibus *Epiſcopius in Matth.* 5. & *Joh.* 17. quamvis adhibita ſingulari cautione.

Belgas, XXX. Inter *Belgas* commendantur ab hac laude *Taffinus*, *Teellingius*, præcipue in libris, De Noodſter der Godzaligheid/en noodwendig Vertoog: ut & *Hoornbeekius* in Theologia & tractatibus vernaculis practicis;

Digitized by Google

ĉticis; item *Sprankhuſius* & *Stermontius*. *De Dieu* in tractatu *de avaritia. Joh. de Brune* in ſcriptis practicis. *Cl. Voëtius* in *aſceticis*; & alii paſſim obvii. Inter *Gallos* excellunt ex Pontificiorum numero *Eſpinaus*. Ex noſtris *Molinaus*, ab elegantiis & ſimilitudinibus laudandus; ſicut à facundia *Dallaus*, à ſoliditate *Meſtrezatus*, à ſubtilitate *Amyraldus*; qui moralia quoque tractat. Inter *Anglos*, qui plurimos hujus generis auctores habent, laudandus præcipue eſt *Perkinſius*, qui ad praxin maximè eſt idoneus. Ex nuperis eminent *Dykii* tractatus; varia opuſcula *Goodwini*; ut & *Hallii* & *Chriſtoph. Love*, aliiq; plurimi hic non memorandi. Circumſpecte autem in iſtis ſcriptoribus verſandum, qui ſubinde & perplexioribus regulis ac deciſionibus pietatem adſtringunt, & magno rigore conſcientias valde percellunt, ut vix appareat interdum unde gratiam divinam fideles ſibi aſſerant: unde non ſemel factum novi, vere pios homines ex lectis iſtiuſmodi tractatibus nimium perturbatos fuiſſe. Cæterum hæc aliaque ejus generis ſcripta plurima in linguam noſtram vernaculam converſa plus quam ſatis ex ſuggeſtu audiuntur; unde ſæpe loco inventionis & meditationis propriæ, iſtiuſmodi tractatus fuſe populo propinantur. *Gallos & Anglos.*

XXXI. Magno hic etiam cum fructu legentur auctores, qui de rebus moralibus, licet forte profeſſione non ſint Theologi, ſcripſerunt; quales inter multos alios ſunt *Verulamius. Petrarcha de remediis utriuſque fortunæ. Charron de la Sageſſe. Moulin la paix de l'ame. Ariſtotelis ſcripta ethica. Ciceronis officia. Antoninus de ſe ipſo. Epicteti Enchiridion. Theophraſti Characteres. Senault l'uſage des paſſions*; & de iiſdem *Carteſius*, qui plurima docet non ſolum utilia Theologo, ſed & neceſſaria. *Quorum opera utendum in moralibus?*

XXXII. Auctores vero illos novus concionator tractare non debet qui integras ediderunt conciones; quales, inter plures, *Sibelius*, *Rudolphus Petri* & ſimiles. Propriis potius meditationibus ei incumbendum eſt; & ſi quandoque uti illis debeat, ſcienter & parce faciendum eſt, ſic ut propria iis addat inventa; non vero eos exſcribendo totos compilet, aut quaſi pontibus aſinorum, uti dicitur, abutatur. Utiliorem longe uſum hic præſtant Concordantiæ; ex quibus verborum Scripturæ vis optime deprehenditur, & Synonyma atque exempla inde ſuppeditantur. Inter quas in V. F. ad textum Hebraicum perfectiores ſunt illæ *Buxtorfii*; utiliſſimæ quoque ſunt ad verſionem LXX ſeniorum illæ *Conr. Kircheri*. Græcæ N. Teſt. probantur quæ ab *Henrico Stephano* & *Schmidio* ſunt editæ. Latinæ utri- *à quibus abſtinendum.*

 uſ-

Digitized by Google

uſque Fœderis *Rob. Stephani* extant. Cui vero plurima hic comportare lubeat, conficienda ſunt adverſaria, ſeu tituli practici, juxta ſeriem alphabeticam, ſeu pro cujuſque arbitrio, eodem modo, ut ſupra viſum de theoreticis; in quas eclogas prudenter conjici poſſunt, quæcunque melioris notæ apud auctores deprehenduntur, & uſum aliquando in practicis ſunt habitura.

in Catecheticis. XXXIII. Explicandæ Catecheſi utiles erunt *Feſti Hommii tabula*, & D. *de Witte* in eam explicationes, præmiſſo tractatu *Hoornbeekii de Catechizatione*. Plurima etiam egregia congeſſit in explicatione Catecheſeos Gallicæ *Jac. Crucius*. In Orationem Dominicam commentati ſunt *Arnoldus Cornelii* & *Richardus Baker*. Luculentas etiam nuper in Catecheſin ſcholas nobis reliquit ὁ μακαρίτης *Coccejus*. Sed nec multis hic commentariis opus eſt: quas enim ex recenti locorum communium lectione accepit quis cogitationes, huc transferre expedit. Præſtat enim illud Theologiæ caput, quod in ſingulis Dominicis traditur, methodo in dogmaticis ſupra à nobis præſcripta tractare; quam operoſe, analyſi verborum Catecheſeos inhærere, iiſque anxie ſe adſtringere. Ante omnia cavendum eſt, ne dogmata catechetica tractentur practice, ut quidam loqui amant, id eſt dogmatibus ipſis omiſſis, luſus quidam allegorici ſimileſque ad praxin relati ſubſtituantur; quo inſtituto non aliud brevius compendium eſt ad excœcandum populum, & ſub ſchemate praxeos notitiam Theologicam, quæ unicum praxeos fundamentum eſt, ſuffocandam.

in Paſſionem ſacram. XXXIV. In *paſſionem ſacram*, præter Euangeliorum interpretes, legendi ſunt *Beza*, *Joh. Martinius*, *Joh. Gerhardus*, *Merillus*. Ex Pontificiis hiſce addi poſſet *Stella*.

in Typos V. F. & pericopas dominicales. XXXV. In *typos Veteris Fœd.* commentatus eſt *Daniel Sachſius*. Nos quoque eos qui in Pentateucho occurrunt, proſecuti ſumus. In *Dominicalia* extant *Sculteti Idea*. *Matthias Martinius*. *Chemnitius*. *Geldenhaurius* & commentatores alii qui harmoniam Euangelicam enarrarunt. Textus autem illi, quantum fieri poteſt, ſinguli abſolvendi, ne divellantur aut extrahantur; diſcidium enim illud vix permittit ſcopus textuum.

Ordo in hiſce ſervandus. XXXVI. Commodum hic non exiguum dabit, ſi quis primis miniſterii annis, textus Cathecheticos, una cum Dominicalibus tractare ſuſcipiat, ut iis abſolutis leviores deinceps accidant labores cum Catecheticæ conciones annuatim recurrant; Dominicales autem poſt aliquot annorum intervallum ſubinde repeti poſſint; nonnunquam quoque in ſubitaneis & inopinatis caſibus, temporiſque defectu. Cæte-

teroquin pericopæ hæ non quovis anno in orbem repetendæ ſunt; quod & concionatori & auditoribus nocivum eſſet. Prudentiæ etiam fuerit, hiſce textibus pertractatis, ſingularum virtutum & vitiorum icones, modo quis iis maturus ſit, ex auctoribus ſupra memoratis aliiſque deformare; quod magni circa moralia & praxin uſûs eſt, & late admodum ſe diffundit, & ſingulare in miniſterii concionumque laboribus exantlandis adjumentum præſtat. Hiſce vero ubi quis defunctus fuerit, ad particulares textus libros aut epiſtolas ſacræ ſcripturæ progrediendum eſt.

XXXVII. Cæteroquin ad miniſterii praxin & prudentiam Eccleſiaſticam, quanta ex libris illa hauriri poteſt, ne quis plane rudis accedat, in anteceſſum legendus erit *Wilh. Zepperi tractatus de Politia Eccleſiaſtica. Sandis Relatio de ſtatu Eccleſiæ. Acontius de Stratagematis Satanæ*, quamvis non niſi judicio probe allato. Miniſtris etiam omnibus utilis erit *Gregorius Magnus de cura Paſtorali*, & *Oliverii Bowles Paſtor Euangelicus*. Iiſque, quibus in Belgio miniſterium obtingit, aſſueſcendum eſt præterea *Actis & poſt-actis Synodi Nationalis Dordracenæ*, *Canonibus Eccleſiaſticis*; ſub titulo, De Kerkenorder van Nederland, cui, propter caſus mixtos adjungi debent *Statuta Politica*, vulgo dicta, De Politijke Ordonnantien. Quin & ad pleniorem Theologiæ, & regiminis Eccleſiaſtici cognitionem & peritiam multum conferret, *Juriſprudentiæ* aliquem haurire guſtum: quem in finem evolvendum eſt, tum *jus publicum*, de quo *Grotius* in præclaro opere *de Jure belli & pacis*; tum *jus Romanum civile*, in *Inſtitutionibus Juris*, cum *Pacii* aut brevioribus *Vinnii Notis*; & in ipſo corpore Juris, titulis illis qui de rebus Eccleſiaſticis agunt; tum *jus Canonicum*, cujus compendium dedit *Corvinus*. Ante omnia huc pertinent varii *Canones Eccleſiaſtici Veteris Eccleſiæ*, de quibus videndus *Juſtellus*, aliique.

Auctores ad prudentiam Eccleſiaſticam facientes.

XXXVIII. Uſum ſtudii theologici in *miniſterio* ſacro quod concernit, tenendum ante omnia, ne occaſione miniſterii à ſtudiis divortium fiat; ut multis in more eſt, quibus eo uſque ſtudia utcunque cordi ſunt, donec eorum ſubſidio examinum rigorem ſuſtinuerunt & in miniſtrorum cenſum relati ſunt. Quo voto potiti mox ad alia deflectunt; hi ad rem familiarem curandam; alii ad res agendas; alii ad pejora; libris longum valere juſſis. Robuſtiore vero affectu ſtudia ſacra complectitur genuinus Theologiæ conſecraneus. Qui per omnem vitam caſtiſſimo cœleſtis hujus virginis amore ducitur, ſibi ipſi ſemper inſtans, mentemque ſuã ulterius excolere ſatagens; quin & ſacram

II. In reliquo MINISTERIO ſacro.

 hanc

Digitized by Google

hanc ſapientiam ita ſemper ante oculos & in deliciis habens, ut nihil uſpiam legat aut obſervet, quod non ad ſtudii hujus incrementum ac ornamentum confeſtim referat; eo intentius talentorum ſibi concreditorum augmentum urgens, quo uberioribus fœnoris hujus proventibus ſe ditatum onuſtumque quotidie deprehendit.

in quo agendum, pie,

XXXIX. Qualem ſe porro in ipſo miniſterio exhibere debeat, vivis coloribus delineavit Apoſtolus in ſanctis ad Timotheum & Titum Epiſtolis; ex quibus optandum eſſet ut veri miniſtri Euangelii typum imbibant omnes, qui ſacro iſti muneri ſe conſecravêre. Præcipuè vero in ipſo miniſterio agendum eſt *pie*, *prudenter* & *modeſtè*. *Pie* obeundum eſt miniſterium, ex amore nimirum Chriſti ſupremi Paſtoris; juxta illud Domini ad Petrum: *Simon Jona fili amaſne me? Paſce oves meas.* Joh. 21. Quare fideliter explenda ſunt omnia miniſterii officia, nocte & interdiu hominum animabus invigilando, monendo, carpendo, conſolando omnes, præcipue ægros, viduas, orphanos, infirmos, abſque majorum adulatione & minimorum ullo contemptu. Neceſſarium enim eſt animarum Paſtori, ut ſit εὔσπλαγχνος & συμπαθὴς, gregiſque ſui onera mutua συμπαθείᾳ in ſe ſuſcipiat. Juxta illud quod de Ambroſio fertur: *Jacere eum putes cum jacentibus, lachrymari cum lachrymantibus, gemere cum gementibus: vir clementiſſimus in omnem formam ſe transformavit, ut homines Diaboli faucibus ereptos Chriſto lucrifaceret.* In pietate vero non captanda eſt externa illius facies, neque ea collocanda in γυμνασίᾳ σωματικῇ *corporali exercitio*; neque anxie intra ambitum multarum regularum cogenda eſt. Vera enim pietatis praxis eſt amor Dei & proximi, quem totum abſolvit ſtudium Dei glorificandi in omnibus; cum bona quandoque cogitatio, optima pietas ſit; nec eam tot ambagibus reguliſque tradiderunt Prophetæ & Apoſtoli, ſed ſimpliciter & efficaciter, in fide & charitate, opereque ipſo exhibuerunt: ut ſimplex illa & innocua pietatis praxis, non tot cautis calidiſque canonibus ſit circumſcribenda, nec collocanda in artificioſa methodo, ordine, anxiis diviſionibus & definitionibus, novis conſcientiæ caſibus, infinita ſignorum, motivorum & mediorum ſupellectile, curioſa aſſignatione operum pietatis in ſingulas hebdomadas, dies, & tantum non horas, ut Pontificiorum caſuiſtas poſt ſe longo intervallo relinquere fere videantur. Qui, ut habet alicubi *Greg. Nazianzenus*, τεχνολογοῦσι verius, quam θεολογοῦσι, quique pietatem in artem convertunt, ſimilemque reddunt arbori, foliorum magis, quam fructuum feraci; utpote à quibus aliquando

do pietatis prora & puppis fere magis collocatur in eo, quod multum de pietate loquantur, diſputent, ſcribant, magnumque ejus zelum præ ſe ferant, alioſque infra ſe contemnant, quam quod reapſe & ipſo facto illam exprimant, fructuſque illos Spiritus ſancti Gal. 5:22. recenſitos, oſtendant.

XL. *Prudentia* quoque in miniſtro Euangelii maxime requiritur, ut inter ſolida & inania; pretioſum & vile; veritatem & ſpeciem; τὰ βαρύτερα τ͂ νόμυ, Matth. 23:23. & leviora rite diſcernat; ut ſine conviciis, affectibus, aliiſque carnis conſiliariis, tanquam Dei nomine omnia agat; ut virtutem recte inculcet, vitia graviter, ſerio & efficaciter reprehendat; canis ſit nec mutus nec mordax, & à nimia carpendi licentia abſtineat, quam plerunque ſuperbia aliqua comitatur: quare *ne multi ſimus magiſtri*. Jac. 3:1. Et divinus ſæpe videtur zelus, qui tamen revera ſæpe nihil aliud eſt quam acrioris ſanguinis ebullitio, & magiſterii uſurpatio; cui malo ſi quis obnoxius eſt, dicta ſua omnia habet pro oraculis, omneſque motus & impetus ſuos pro dictamine juris divini; & primum aliis, deinde etiam ſibi ipſi perſuadet, vera eſſe, quæ pro captu ſuo dicit, nihilque illi pronius eſt quam diſſentientes tanquam carnales, irregenitos, Spiritu carentes, profanos, imo Atheos notare. Longe vero ſatius & efficacius eſt, argumentis ex fundamento & ipſa rei veritate deductis, virtutem perſuadere, atque ejus ideam auditori delineare, amoremque illius ipſi conciliare; quam acerrimis invectivis, criminationibus & conviciis, peccati horrorem & metum, quin ſæpe dicentis odium, alicui ingerere: unde etiam Servator rariſſimis increpationibus uſus eſt, nedum conviciis, niſi quando deteſtandam Phariſæorum hypocriſin acrius perſtringeret; cæteroquin virtutis amorem invictis potius rationibus inculcavit, & ſe ipſum præcipue in exemplum propoſuit. Prudenter.

XLI. Caute cum primis verſandum eſt circa res *Politicas*, quæque ad Magiſtratus civiles pertinent. Circa quas hæc obſervanda eſt regula quod negotia omnia humana, adeoque etiam Politica, conſiderari poſſint ſingula vel in ſe ipſis, ſecundùm regulas ſuæ artis vel ſecundùm nexum ſuum & dependentiam à lege divina, quæ omnis conſcientiæ regula eſt. Priori reſpectu ad Theologiam non ſpectant, & extra ſphæram ejus verſantur, uti ajunt. Sic in navigatione major fides habenda nauclero quam Paulo, niſi quatenus illi revelatio aliqua fuerit facta. Act. 27. Exceſſuum vero & defectuum, qui in variis hiſce rebus committuntur, quantum in præjudicium Dei ejuſque legis *Quomodo verſandum circa res Politicas?*

legis tendunt, cognitio ad Theologum pertinet; atque eatenus illis occurrere ne eveniant, & ſi evenerint carpere, officium Theologi eſt. Sic ponderum, menſurarum, uſuræ conſtitutio ad Magiſtratus pertinet; ſi vero de earum iniquitate omnibus conſtet, & res manifeſta ſit, admonendi & carpendi ſunt Magiſtratus. Sic enim *ſcopus & lances judicii Dei ſunt.* Prov. 16:11. Haud facile vero in rebus Politicis quicquam iniquum judicandum eſt, cum arcana plerunque ſit earum ratio; quam ut alii ſciant, ſæpe nec expedit, nec neceſſe eſt; & actionum civilium natura in plurimis dependeat à circumſtantiis quibuſdam vulgo non cognitis; quare ſpecies externa & prima frons in hiſce facile fallit; adeoque niſi de rei veritate probe & publice conſtet, publice etiam magiſtratuum actiones perſtringendæ non ſunt; & ſi magnopere id fieri res flagitet, circumſpecte omnique cum cura & reverentia, in illo negotio verſandum eſt; ut neque conſcientiæ, neque pietati, neque etiam ædificationi Eccleſiæ intercedatur, aut detrimentum aliquod reipublicæ inferatur, populoque occaſio detur in Magiſtratum inſurgendi; cum ille natura ſua proclivis ſit ad inſectandum vitia ſuperiorum potius, quam ſua. Reipublicæ ergo gubernatio Magiſtratui in ſolidum relinquenda eſt, & quantum fieri poteſt privatim potius reprehendendus eſt, quam publice: niſi quod publice ſemper generatim monendus veniat, ne quid committat quod cum detrimento gloriæ Dei & ſalutis reipublicæ ac Eccleſiæ conjunctum ſit. Omnium exemplorum inſtar nobis eſſe poteſt Leiceſtriana in patria noſtra factio ſuperioris ſeculi, cujus externa tantaque pietate larvata ſpecies plurimis, iiſque primiceriis, Theologis impoſuit, iiſque in legitimos Magiſtratus concitatis, deinceps, fraude detecta, damno & exitio fuit.

Quomodo circa indifferentes? XLII. *Cerimoniæ* & externum Eccleſiæ regimen, non habenda ſunt pro eſſentialibus, quatenus ſcilicet in verbo Dei determinata non ſunt; adeoque in cerimoniarum varietate una tamen fides eſſe poteſt; quapropter moribus & ſtatutis ſingularum Eccleſiarum obſequendum eſt; neque condemnandi facile alii, qui in talibus à nobis diſcrepant. Aurea hic erat Ambroſii regula, quam Monicæ, Auguſtini matri, de jejunio quod Romæ die Sabbati, Mediolani non item obſervabatur, conſulenti, præſcribebat hiſce verbis: *Se nihil docere poſſe, niſi quod ipſe faceret, quia ſi melius noſſet, id potius obſervaret.* addebat; *Romam ubi veneris, morem ejus ſerva, ſi cuiquam non vis ſcandalo eſſe, nec quenquam tibi. Quam ſententiam etiam atque etiam cogitans Auguſtinus, ita ſemper habuit, tanquam eam cœleſti oraculo ſuſceperit.*

Digitized by Google

ſuſceperit. Factiones ergo nunquam faciat aut foveat noſter, ſed paci & togæ potius conſilia ſua ſociet, quàm bello aut ſago; quin potius quàm res in nervum erumpat & Eccleſia in partes ſcinbatur ſubeat martyrium pacis. Partibus jam diſſidentibus ubi ſupervenit, ſi quidem ſalva veritate & conſcientia poſſit, neutri parti ſe addicat, neque illarum litibus ſe immiſceat, ſed εἰρηνοποιὸν & arbitrum utrimque ſe præſtet: ita enim & valebit maxime apud utroſque, & deſideratum pacis fructum conſequetur citius.

XLIII. Agendum denique *modeſte*, ſine omni typho & faſtu, nec appetendo cathedras majores; quæ multorum juniorum miniſtrorum ſive impatientia, ſive ambitio eſt: nedum illas malis artibus & prenſationibus ambiendo; cum quiſque ſuo ſe modulo ſuoque pede metiri debeat, & ſuo loco contentus eſſe, reputando ſecum ſummam eſſe dignitatem, ſatiſque honoris ſervum eſſe Chriſti; de magnis autem gregibus & villicationibus, magnam etiam reddendam eſſe rationem; præſertim cum fidelem eſſe in minimo, tantundem ſit coram Domino, ac fidelem eſſe in magno: adeoque nullus proprio ſuffragio alius Eccleſiæ Epiſcopum ſe deſignare debet; ſed laborandum eſt in angulo vineæ Domini, in quem ſingulos extrudere ipſi placuerit. & modeſtè.

XLIV. Paucis itaque hiſce conſilium noſtrum de ſtudiis Theologicis, tum Theoreticis, tum Practicis rudi penicillo delineavimus; quod colophonis loco paucis regulis concludemus. I. Ut quiſque naturæ ſuæ, geniique ductum & ſemina ſequatur, in his aut illis ſtudii hujus partibus majori opera excolendis, quia non omnia poſſumus omnes. II. Ut credat libris pauciſſimis opus eſſe ad bonam mentem, neque in multos ſe diffundat, præcipue in ſtudio Academico. Nec nos tam frequenti numero eos enumeravimus, ac ſi omnibus ſemper opus eſſet. abſit. Sed ut dignoſci queant; cum in bonorum librorum uſu & diſcretione, aliqua etiam eruditionis pars ſita ſit. Præſtantiſſimos & maxime neceſſarios, ſuis quoſque elogiis ſubinde inſignivimus, & ab aliis diſcrevimus; à pluribus vero, uſu nobis compertis, citandis, quod facillimo negotio potueramus, data opera abſtinuimus, cum uſus reliquos ſuppeditaturus ſit; quin & unus auctor alium ſæpe indicet. *Regulæ generaliores circa hactenus tradita.*

XLV. III. Si libri non ſint nimium prolixi, horum præſtantiores legendi ſunt integri, ut rerum connexio & plena intelligentia eo rectius percipiatur: alii autem ſive minus neceſſarii, ſive nimis prolixi, per capita & titulos conſuli poſſunt; ex indicibus vero ſapiendum non eſt. IV. Nec multa legenda ſunt, ſed multum; repetendique

Digitized by Google

ſunt ſubinde auctores præſtantiores, antehac lecti. Præcipue vero cum lectione diligens conjungenda eſt ruminatio & prudens meditatio, ne in infinitum divagetur lectio, & plura legantur, quàm digeri poſſint. Præſtat enim ingenium excolere, quàm memoriam. Præ omnibus, meditationibus incumbant illi, quibus ſatis fœcundum eſt proprium ingenium. Cæteris magis ſecundæ ſunt relictæ ſapientiæ partes, qui alienos adoptare fœtus, & ex aliis magiſtris ſapere neceſſe habeant.

XLVI. v. Aſſiduitate magis utendum, quam vehementia, aut immodicis laboribus, quippe qui corpori animoque ſimul noceant. vi. Cavendum à præcipitantia, nec non à deſultoriis ſtudiis. Ordine ſtudendum eſt, qui mater eſt memoriæ & judicii, ſecundùm illud:

Ordine fac ſtudeas, & bene doctus eris.

Horis alligari velle, ſervile quiddam ſapit, niſi in quibuſdam forte ingeniis, quæ regulis ita ſe adſtringi patiuntur; cum alia plerunque ſint liberiora, quibus noceas, ſi intra tempus aut certam ejuſmodi methodum ea cogere velis. vii. Præcipue vero captanda ſunt doctorum virorum colloquia, ſermones, & recitationes publicæ, quæ magis elaboratæ ſunt quam privatæ ipſorum ſcholæ, & ex quibus una ſæpe hora plus profeceris, & de pluribus utilius monearis, quàm domi magno & irrito ſæpenumero conatu, multoque tempore vix acquiſiveris.

XLVII. Summa igitur omnium huc redit: ingenium commodum, judicium non ineptum, methodus prudens, diligentia cauta, & bonus magiſter, perfectum diſcipulum, magnumque ſæpe virum facere poſſunt; præſertim ſi in tanta librorum multitudine & vitæ brevitate, propter quam per omnia ire non licet, delectus rerum & librorum habeatur, ut optima tantum legantur, & per inutilia falſaque, quæ ubique occurrent, ita tranſeatur, ut ex falſo in verum emergatur; cum plerunque non veniamus ad veritatem, niſi per errores ex quibus ipſis in veritate proficiendum eſt. Longe tamen majus & præſtantius eſt omni doctrina & eruditione, pium honeſtumque eſſe virum, nec tam ingenio valere, quam eo bene uti & bonæ menti ſemper litare.

XLVIII. Conſilium ſuggeſſimus, quod ſequi vel rejicere veſtri eſt arbitrii; ego ex affectu prompſi, quo vos & ſtudia veſtra proſequor; ut vel hac ratione ea, in iſto multorum torpore & frigore, excitarem: quæ ſi hinc promoveri ſentiatis, Deo, cui omnis debetur honos & gratiarum actio, gratias agite.

FINIS.

IN-

Digitized by Google

I N D E X

Locorum S. Scriptur. in Tomo ſecundo allegatorum & explicatorum.

G E N E S.

Cap.	Vers.	Pag.
I	5	135
VI	2	59
IX	6	509
XVII	7, 10, 14	329
XXVIII	15	42
XXXV	2	333
XLIX	7	59
	10.	15

E X O D U S.

Cap.	Vers.	Pag.
I	20, 21,	241
XIII	2	42
XIX	10, 11,	333
XX	7	60
XXI	12	509
	24	60
XXXII	2, 3,	256
	32	246

L E V I T.

Cap.	Vers.	Pag.
IV	3, 4,	75 §. 24
	20	329
XXIV	17	509

N U M E R.

Cap.	Vers.	Pag.
XVIII	15	42
XXIV	17, 18, 19.	78 §. 4
XXXV	16	509

D E U T E R.

Cap.	Vers.	Pag.
XVII	12	450
XVIII	18	54
XXI	23	127

J O S U A.

Cap.	Vers.	Pag.
XXII	13	512

I. S A M U E L.

Cap.	Vers.	Pag.
XXX	12	135
XXXI	13	291

II. S A M U E L.

Cap.	Vers.	Pag.
I	12	291
VI	23	42

II. R E G U M.

Cap.	Vers.	Pag.
X	30	241

E S T H.

Cap.	Vers.	Pag.
IV	16	135

Digitized by Google

JOB.

Cap.	Vers.	Pag.
XIX	26. 27.	612
XXXI	1	59

PSALM.

Cap.	Vers.	Pag.
II	9	563
IV	5	59
VI	6	280
XVI	2	107
XXX	10	280
XL	13	100
LXVI	12	287
LXVIII	18. 19	137
LXIX	16	129
	29	246
XCV	11	9
CX	5	146

PROVER.

Cap.	Vers.	Pag.
XV	21	61

ECCLES.

Cap.	Vers.	Pag.
IX	1	275
	2	60

ESAI.

Cap.	Vers.	Pag.
II	2. 3	435
IV	3	287
IX	18	287
XIV	9	291
XIX	21	410
XXX	26	643
XLII	1	50
XLIX	23	502
LII	7	471
LIII	6. 10	101
	13	89

Cap.	Vers.	Pag.
LXV	17	630
	29	631

JEREMIAS.

Cap.	Vers.	Pag.
XIV	21	467
XXXI	15. 16	49
	25. 26	139
	34	8

EZECHIEL.

Cap.	Vers.	Pag.
II	9	171
XVIII	26	271
XXXII	22. 23	291
XXXIV	17	623
XXXVI	27	171

DANIEL.

Cap.	Vers.	Pag.
II	44	16
IV	27	254. 256
VIII	11	410
IX	24. 25. 26. 27	16
XII	2	612
	11	410

HAG.

Cap.	Vers.	Pag.
II	1	16

ZACHAR.

Cap.	Vers.	Pag.
III	9	5
VI	12	40
IX	11	287
XIV	16	627

MALACH.

Cap.	Vers.	Pag.
I	11	410
II	7	436
	16	60

Digitized by Google

I N D E X.

Cap.	Vers.	Pag.
III	1	16
	2	287
	3	62
IV	6	13

M A T T H.

Cap.	Vers.	Pag.
II	28	9
III	11	337
V	14	435
	17	58
	21.27.33.38.43	59
	21.22	*ibid.*
	26	287
	27.28	59
	23	60
	38	61
	39.40	510
VI	22	180
X	2	554.558
XII	32	287
	36	622
	40	129
XIII	12	135.270
	25.26.38	528
	30	523
	43	643
XVI	18	459
	19	257.561
	21	135
XVII	24	558
XVIII	17	458
XIX	8	60
	17	57
349	19	532
XX	9	643
XXIII	16.19	60
XXIV	26	414
	30	624
XXV	31.33	622
XXVI	26	510
	28	103
	29	316
	42.44	92
XXVII	25	129
	46	89
XXVIII	18	22
	20	435
	30	42

M A R C U S.

Cap.	Vers.	Pag.
VI	12.13	420
IX	42	190
XI	13	35
XIII	32	35
XV	15	98
XVI	15	121

L U C A S.

Cap.	Vers.	Pag.
I	23	411
	33	86
	35	40
II	21	135
	40	35
III	16	337
VI	35	255
VIII	18	246
XI	31.32	612
	52	450
XIII	7	87
XIV	33	532
XVI	9	291
XXII	16.18	316
	32	548
	41.44	89.129
	53	89
XXIV	30	133

Cap.

INDEX.

JOHAN.

Cap.	Vers.	Pag.
I	1.14	40
	12	220
III	5	96.337.358
	13	28
IV	21,23	414
V	22.23.30.	621
VI	44	170
	40.47.48.51.	388
	53	355
	55	389
	56	37
X	15	410
XI	21	291
XIV	16	416
XV	26	416
XVI	13	*ibid.*
XVII	5	83
	11	410
XX	18	134
	21	417
	23	257
XXI	15.16.17.	561.562
X	2	241
XIII	2	411
	3	417
XIV	23	417
XVIII	25	340
XIX	5.6.	336.416
XX	28	417
XXII	6	141
XXIV	15	612
XXVI	19	141

ACTA.

Cap.	Vers.	Pag.
I	5	337.416
II	4	337
	24	129
IV	32	593
V	19	134
	34	554
	38.39	523
VI	6	417
VII	51	171
	55.56	141
VIII	17	416
	22	275
IX	14.17	141
	2	241

ROMAN.

Cap.	Vers.	Pag.
II	5	648
III	22	215
	25	187
	27	214
	28	208
	31	58
IV	1.2.3.&c.	214
	5	208
V	18	220
VI	3.4	340
VII	9	229
	25	*ibid.*
VIII	15	219
	17	644
	32	32.93
IX	3.&c.	207.246.467
X	11.12	120
XI	6	213
	32	120
XII	20	62
XIII	4	512
	6	411
XIV.	15	121
XV	16	411
	19	58
	27	411

I. CO-

INDEX.

I. CORINT.

Cap.	Vers.	Pag.
I	2	429
	13	109
	17	338
	30	196
III	12	287
IV	4	241
V	3	453
	7	329
	10	622
	11.13	453
VI	2.3	509
	3.14.15.	614
VII	10	447
	10	447
IX	27	507
X	1.4	329
	2	333
XI	19	523
XII	21	445
XIII	12	636
XIV	40	448
XV	24	83
	25	146
	28	144
	29	287
	47	28
XVI	22	467

II. CORENT.

Cap.	Vers.	Pag.
II	2	265
III	7	133
V	10	642
	15	120. 124
	16	134
	19	113.121
	20	113.115
X	4	512

GALAT.

Cap.	Vers.	Pag.
I	8	467
II	16	213
	21	113
	27	341
III	26.27	120
IV &c.		207
VI	2	265

EPHES.

Cap.	Vers.	Pag.
I	10	2.419
II	8.9	204.213
III	3.4.5.6.	151.419
IV	9	129
	11	418
	13	616
	26	59

PHILIPP.

Cap.	Vers.	Pag.
II	7	40.88
	9.10	48.288
	12	275
	25.30	411
III	3	330
	9	215

COLOS.

Cap.	Vers.	Pag.
I	15	58
	20.28	120
	24	109. 125. 264
II	16	443

Cap.

INDEX.

Cap.	Vers.	Pag.
	11	330
	12	341
	17	ibid.
II. THESSAL.		
II	4	580
	3.4	582.585
I. TIMOT.		
I	19	270
II	4	121
	6	120
III	15	444
	16	107
IV	14	418
V	17	537
	19	ibid.
II. TIMOT.		
I	6	418
TITUS.		
II	15	446
III	5	330.341
HEBR.		
I	6	2
	14	411
II	5	2
	9	120.121
III	1.6	54
V	1.23	75
	7.8	85.89
VI	1.5.6	245
VIII	1.2	411
	6	10
	11	8
IX	21	411
	24	330
	28	102
X	5	40
	11	411
XI	7	215
XII	23	644

Cap.	Vers.	Pag.
XIII	16	241
JACOB.		
V	12	60
	14.15	420
I. PETRI.		
I	11	189
II	5	72
	10	532
III	19.20	130
	21	330
	22	84
IV	1	89
V	3	533
II. PETRI.		
II	1	121.527
III	4.5.6	603
	9	122
	13	630
I. JOHAN.		
II	19	246
III	9	231.232
	18	587
IV	3	ibid.
V	6	96
	16	467
APOCAL.		
I	6	644
	7	625
	10.12.13	141
X	7	626
XIII &c.		588
XIV.	6	148
	13	282
XVII	5.7.	419
	10	588
XX	7	603
	12	623
XXI	1.&c.	589
XXII	19	270

Digitized by Google

INDEX
RERUM PRÆCIPIARUM,
Tomo ſecundo contentarum.

A.

Aronis ſacerdotium fuit typus ſacerdotii Chriſti. Pag. 70
Abailardus. 107
Abel Juſtitiæ fidei typus. 207
Adamus primus Rex. 504
Adoptio in Chriſto nobis collata. 219
Adoptionis deſcriptio. 218 *& ſeq. illius idem cum juſtificatione proceſſus. ibid. illius arrhabo quis ſit? ibid. illiuſque ſub V. & N.T. diſcrimen quodnam?* 220 *& fructus qui?* 221 *& ſeqq.*
Adoptionis divinæ & humanæ diſcrimen. 220
Adoptionarii hæretici qui fuerint? 32
Æra Chriſtiaæ initium unde arceſſendum? 42 *& ſeqq.*
Æthiopum circa annuam Baptiſmi renovationem ſuperſtitio. 359
Afflictiones cur piis inferantur? 276 *& ſeq. prædictæ imprimis ſub N.T. & quare?* 277 *& ſeq. earum nullum eſt meritum.* 277
Agnoëtæ fuerunt hæretici. 27
Alexander Alenſis Pontificius fuit. 195
Altarium duplex olim fuit uſus. 71
Ambroſius baptiſmum ad ſalutem abſolute neceſſarium dicit. 353
Anabaptiſtarum errores circa Chriſti Munus Propheticum. 62. *ejuſque mortem* 94. *Satiſfactionemque.* 110. *ac adſcenſionem,* 141. *circa impercantiam.* 234. *Ψυχοπαννυχίαν* 281. *Sacramenta Vet. & N.T.* 331. *Baptiſmum Johannis,* 335. *Pædobaptiſmum* 346 *& ſeqq. Eccleſiæ notas.* 441. *Munera Eccleſiaſtica.* 481. *Miniſtrorum ſuſtentationem.* 489. *Magiſtratuum inſtitutionem.* 506. *& ſeq. Corporis noſtri poſt reſurrectionem ſtatum.* 615. *Infernum.* 646
Anaſtaſius Primus Euchariſtiam depravavit. 344
Angeli num ad Eccleſiam referendi. 430
Anima poſt mortem ſuperſtes eſt. 279
Animarum poſt mortem quinam ſit ſtatus? 281. *animæ ſeparatæ an perſonæ ſint dicendæ?* 282. *earum quænam poſt hanc vitam ſint receptacula? ib. & ſeq. Animabus bis mortuis quid contigerit?* 283 *& ſeq.*
Anthonius Monachatum in Ægypto inſtituit. 533
Antichriſti vox quid notet? 573. *illius nomina parallela ibid. & ſeq. deſcriptio.* 174. *myſterium illius quomodo ſe jam exſeruerit ab exordio Mundi. ibid. & ſub V.T. ibid. præcipuè autem ſub T.N. ibid.*

ibid. pſius prodromi quinam fuerint? ibid. & ſeq. ejus invecto Papatu & Papiſmo plenarius ortus. 575
Antichriſtum eſſe Papam Romanum oſtenditur notis & characteribus quibus Sacra Sc. ipſum diſtinxit. 576. 580. *an hodiernus Papa Antichriſtus ſit?* 580 & *ſeq.*
Antichriſti ruina in V. & N. T. prædicta, 593. & *ſeq. illius ruina gradus quot & quinam definiantur? ib.*
Anti-Chriſtus beſtia vocatur. 550
Antigonus Sadducæorum Magiſter. 245
Antinomi. 237
Apelles hæreticus. 27
Apollinaris hæreticus. ibid.
Apoſtolorum deſcriptio. 471. *Prærogativa, ibid. & ſeq. quo tempore munere ſuo fungi cœperint?* 474. & *ſeq. & quo modo. ib. ac ordine.* ibid.
Apoſtolorum conventus Hieroſolymitanus. 497. *non utuntur armis.* 512. *eorum magna etiam apud improbos dignatio.* 527. *non ſunt Epiſcopi Romani.* 571. *illorum ſedes.* 572
Aquæ adſperſio in baptiſmo. 341
Arbor vitæ ſub fœdere operum ſacramenti rationem habet. 327
Archi-Epiſcopi an ſub Papæ poteſtate. 545
Aripertus Longobardorum Rex Papæ donum dat. 543
Ariſtotelis opinio de mundi æternitate. 630
Ariſtocratia mutata in Epiſcopalem. 540
Arius hæreticus. 27
Arminii de vocatione error. 177
Aſcenſionis Chriſti in cœlum certitudo demonſtratur. 137. *fructus illius.* 141
Athanaſius primus meminit de deſcenſu Chriſti ad inferos. 127. *Monachatum in Ægyptum transfert.* 533
Auguſtini de purgatorio opinio. 285. *damnat infantes non baptiſatos.* 353

B.

B*Abylon à vera Eccleſia deſeritur.* 597. *Babylon non ſemper Romam ſignificat.* 568
Baptiſmi vocis ſignificatio. 332. *quotuplex ille ſit?* ibid.
Baptiſmi Judæorum origo. 333. & *adminiſtratio.* ibid.
Baptiſmi Chriſtianorum primus adminiſtrator quis fuerit?
Baptiſmus primum N. T. Sacramentum. 332. *Johannis Baptiſmus à Chriſti & Apoſtolorum diſcrimen & convenientia.* 334. *Adverſariorum diſſenſus.* 335. *Baptiſmus non à laicis adminiſtrandus.* 339. *ejus elementum aqua.* 340. *Baptiſmus Æthiopum.* 352
Baptiſmus Spiritus & ignis qualis fuerit? 337
Baptiſmi adminiſtratio quibus ſit commiſſa? 338 & *ſeq. an immerſione, an adſperſione ille peragendus ſit?* 341. *an tinctione una, an trina? ibid. quâ verborum formulâ? ib. & ſeq. illius ſimplicitas quomodo ſenſim in pejus mutata ſit?* 342 & *ſeq. ejuſque ſubjectum quinam ſint?* 344 & *ſeq.*
Baptiſmi myſterium ratione aquæ; 349. *ac ritûs externi.* ibid. & *ſeq.*

Bap-

Digitized by Google

Baptiſmi qualis ſit neceſsitas? 353 *& ſeq. illius reiteratio an licita?* 356 *& ſeq.*
Baptiſmus ſectariorum quouſque admitti poſſit? 359
Baronius de Petri principatu. 557. *ejus computus.* 586
Bar Cochab & Bar Cosbæ pſeudo-Chriſti 24. *non ſunt Anti-Chriſtus.* 587
Baſilius promotor ſtrenuus monachatus. 533
Bavarus Pio IV. epiſtolam ſcribit de ſeveritate ſtatus Sacerdotalis. 484. *approbat uſum calicis in S. Cœna.* 372
Bellarmini error de certitudine ſalutis æternæ. 274. *ejus opinio de transſubſtantiatione.* 395. *de ſacerdotibus & miniſtris.* 486. *de conciliorum convocatione.* 498. *de Epiſcopatu.* 539. *de infallibilitate Papæ.* 548. *differentia inter Petrum & reliquos Apoſtolos.* 555. *ejus ſententia de clavibus regni cœlorum* 561. *Sibi ipſi parum conſtat.* 567
Benedicti Urſini inſtituta de Monachatu. 534
Benedicti II. petitio. 543
Berengarius propter dogmata S. Cœnæ perſecutus. 394
Bernhardus. 199
Bertramus de Sac. Cœna ſcripſit. 394
Beſtia Apocalyptica duplex Antichriſtum repræſentat 589. *deſcriptio prioris. ibid. & ſeq. & poſterioris.* 590. *& ſeq. Eccleſiæ cum eâ permixtio.* 591 *& ſeq.*
Bohemi Calixtini dicuntur. 372
Bonifacius III. caput Eccleſiæ conſtitutus. 543
Bonorum operum natura. 235. *cauſa efficiens. ibid. ſubjectum ea eliciens.* 236. *neceſſitas.* 236 *& ſeq. meritum* 328 *& ſeq.*

C.

Cabbala Judæorum valor. 305
Camus operariorum dux. 207
Camphuſius irridet fabulam infernalem. 648
Capitula Eccleſiarum cathedralium extra juriſdictionem Epiſcoporum. 540
Cardinalium origo. 541
Carolus M. Papæ ſe ſubmittit. 543
Carolus Calvus. 394
Catechumenorum quænam olim fuerit conditio? 763
Charitas quomodo diſtinguatur à Fide? 186
Chiliaſtarum circa mortuorum reſurrectionem error. 607 *&* 617
Chriſti perſona qualis? 25. *illius Naturæ quæ? ibid. & ſeq. harumque naturarum unio perſonalis, qualis ſit?* 28 *& ſeq. & quomodo à veteribus expreſſa?* 30. *hujuſque unionis effecta quæ?* 31 *& ſeq.*
Chriſti incarnationis nomina. 37. *poſſibilitas. ib. neceſſitas. ib. veritas. ibid. & ſeq.*
Chriſti conceptio quomodo facta? 39 *& ſeq. illiuſque Nativitas qualis fuerit?* 41 *& ſeq.*

Chriſti ſtatus duplex, 44. *ejus in ſtatu humiliationis vita qualis fuerit?* 45 & *ſeq.*
Chriſti per Baptiſmum initiatio, 49. *illiuſque tentatio. ib.* & *ſeq.* & *Unctio.* 50 & *ſeq.*
Chriſti munus Propheticum. 53. *olim prædictum, ibid. quibus conſtet partibus?* 54. & *quomodo à Chriſto ſit obitum? ib.* & *ſeq. ejus in hoc munere ſupra omnes alios excellentia.* 56. *an ipſe Legem Dei correxerit?* 58 & *ſeq.* & *nova præcepta ſuperaddiderit?* 61 & *ſeq.*
Chriſti munus Sacerdotale prædictum in V. T. 69. *adumbratum in Melchiſedeco.* 70. *ac Aarone. ibid. Muneris illius partes quæ?* 71 & *ſeq.*
Chriſti interceſſionis quinam modus & *ratio ſit?* 72 & *ſeq.*
Chriſti regnum quotuplex ſit? 77. *cujuſque indolis?* 78 & *ſeq. illius ſubjecti quinam?* 80. *quomodo in V. T. prædictum?* 77 & *ſeq.* & *quam varia illius ſub. V.* & *N. T. adminiſtratio ſit?* 80
Chriſti regia functio quot & *quibus conſtet partibus?* 81. *an illius detur finis?* 82
Chriſtus quot annos in publico miniſterio egerit? 86
Chriſti latus perfoſſum quale in ſe myſterium contineat? 95
Chriſtus pro quibus ſit mortuus. 117. & *ſeqq. an omnes teneantur credere, Chriſtum pro ſe eſſe mortuum?* 121 & *ſeq. an Chriſtus ſufficienter ſit mortuus pro omnibus?* 112 & *ſeq.*
Chriſtus ſecundum carnem non eſt in terris. 140. *nec omnibus aut multis locis præſens.* *ibid.*
Chriſtus cur omnibus V. & *N. T. Sacramentis initiatus ſit?* 331. *cur à Johanne baptizatus?* 337. & *ſeq.*
Chriſtiani unde & *quando ſic dicti?* 51
Clementis Alexandrini relatio de Euchariſtia. 570
Clemens V I. 163
Clericorum à Laicis diſcrimen an detur? 531 & *ſeq.*
Cœleſtinus coronam Henrici V. pedibus conculcat. 544
Cœna S. ſecundum N. T. ſacramentum. 360. *Hæreticorum circa S. Cœnam prodigia.* 367. *ritus circa panem quinque. ibid. Benedictio quomodo in veteri Eccleſia peracta.* 368. *panis fractio* & *acceptio.* 369. *circa poculum varii ritus.* 371. *ereptio ſacrilegium.* 373. *S. ſymbolorum extra cœnam apud veteres uſus.* 374. *menſam non altare adhibuerunt.* 376 *forma huic accumbendi. ib. tempus adminiſtrationis S. Cœn. ibid. nunquam ſine ſymbolis.* 377. 379. *fit in recordationem Chriſti.* 380. *Unio fidelium cum Chriſto ſpiritualis.* 383. *manducatio interna fide peragenda.* 387. *non oraliter uti Pontificii.* 388. & *Lutherani.* 319. *Socinianorum.* 390
Cœnæ S. nomina tum ſacra, tum Eccleſiaſtica. 360 & *ſeq. illius perſonæ tum adminiſtrantes tum communicantes quinam?* 362 & *ſeq. an à privatis fieri poſſit? ibid. quibus ea non ſit concedenda?* 363
Cœnæ S. ſymbola unde deſumpta? 364. &

Digitized by Google

& quot numero? ib. & ſeqq. illius quinam ſint ritus? 367--372. ac circumſtantiæ? 375 & ſeq. ſæpius ea eſt repetenda. 377. an communicandum ſit ſine ſymbolis? ib. & ſeq.
Cœnæ S. myſterium ratione panis, 379 & vini, ibid. & ſeq. ac actionis. ib. illiuſque effectus & fructus. 382
Cœna quomodo olim clauſa, ejuſque reliquiæ abſumptæ? 375
Confeſſio Pontificiorum. 258. illorum ſatisfactis. 260
Concilium Chalcedonenſe unionem duarum naturarum in Chriſto optime exprimit. 30. Concilium Conſtantienſe calicem populo eripit. 372. Concilium Nicenum ſecundum errat circa ſymbola Euchariſtiæ. 394. Concilium Florentinum ignem purgatorium publice approbat. 285. de tranſſubſtantiatione nil certi ſtatuit. 395. Concilium Tridentinum non capit ſenſum de juſtificatione. 212. confirmat flammas purgatorias. 285. & tranſſubſtantiationem. 395. Conciliorum & Synodorum deſcriptio. 493
Concomitantiæ in Sac. Cœna ſunt figmenta. 374
Conſtantinus jus confirmandi Papas cedit. 543
Conſubſtantiatio quid? 394. ejus origo. 395. 401. refutatur. 401. illius momentum & reconciliatio. 402
Conſummatio ſeculi in noviſſimis diebus igne peragetur, 628. & quomodo? 629
Cyprianus ſuffragia populi in eligendis miniſtris probat. 486. laudat cœlibatum fœminarum. 533

D.

Damaſceni error circa ſymbola Sac. Cœnæ. 395. 401.
David al David Pſeudo-Meſſias. 24
Deletio è Libro vitæ quid & quotuplex? 270
Defunctorum ſtatus talis eſt, ut non temerè de eo ſit judicandum. 284
Deſcenſus Chriſti ad inferos articulus quomodo ſepulturæ ejus adjectus? 127. varia illius interpretatio, 128. quis illius ſit ſenſus literalis? ibid. quis metaphoricus? ib. & ſeq.
Deo an fuerit indecorum, Chriſtum noſtro loco punire? 105
Dei ſuaſio & operatio an ſimul conſiſtere poſſint? 167 & ſeq.
Dextra Dei, & ſedere ad eam, quid notet? 143
Diaconorum quodnam olim fuerit munus, & in quo hodie illud abſolvatur? 492 & ſeq.
Dionyſius non meminit hierarchiæ. 566
Diſciplina Eccleſiaſtica an divinæ inſtitutionis ſit? 452 & ſeqq. an illa rectè è V. T. probetur? 453 & ſeqq. à quibus exercenda? 455 & ſeqq. illius objectum quodnam? 460. & partes quæ? ib. & ſeq.
Diviſio V. T. & Novi in verſus & capp. quem auctorem habeat? 297 & ſeq.
Divortii inter Eccleſiam & Rempubl. occaſio quænam olim fuerit? 519
Doctores ſub initium N. T. non fuerunt diſtincti à Paſtoribus. 477
Doctrina poſt Apoſtolorum tempora cor-

Digitized by Google

corruptio quomodo prædicta & ſuo tempore inſecuta? 527 & ſeq. illius mutationis initium unde ſit factum. 528. & qualis in eâ fuerit inſtitutus progreſſus. 529 & ſeq.
Donatiſtæ nolunt ut Cæſar Res Eccleſiæ tractet. 528
Draco mille annos ligatus. 591
Durandi circa neceſſitatem Satisfactionis Chriſti error. 99

E.

ECcleſiæ quomodo duplex ſit tempus? 2
Eccleſiæ vocis origo. 428. ac duplex ejus acceptio. ib. & ſeq.
Eccleſiæ natura in quo conſiſtat? 429. quinam ad eam ſint referendi? 430 & ſeq. ejus attributa quæ? 431--437. ubi ea fuerit ante Reformationem? 435
Eccleſiæ quænam veræ ſint notæ? 438. ſpuriæ Pontificiorum quæ? 439 & ſeq.
Eccleſiæ N. T. regimen ſoli Deo ſubeſt? 442. ejuſque Caput ſolus Chriſtus. ib. & ſeq.
Eccleſiæ Novi Teſtamenti corruptio. 527
Eccleſiæ circa quas res ſit conceſſa poteſtas? 446 & ſeqq. an illa Leges ferre poſſit conſcientiam obligantes? 449
Eccleſiæ claves in quo conſiſtant? 451. & quibus eæ ſint commiſſæ? ibid. & ſeq.
Eccleſia diſciplinam quomodo exerceat? 458. & qualis hic Eccleſia intelligatur? 459
Eccleſiarum unio externa non eſt de jure divino. 494. qualis earum à ſe invicem detur dependentia? 495
Eccleſiæ erga Magiſtratum quodnam ſit officium? 525
Eccleſiæ regnum ſub finem Mundi quale futurum ſit? 601. & quænam illius periodus, ib. & ſeq. ac characteres. 602 & ſeq.
Eleemoſynæ modus & ratio, 254. requiſita, 255. & merces quæ? ibid. & ſeq.
Elipandus cur damnatus. 32
Emendatio vitæ quomodo pœnitentiæ pars & fructus ſit? 248
Epiſcopi à presbyteris non ſunt diſtincti. 537. diſcrimen inter illos & hos quale invectum? 538. & quibus gradibus. ibid.
Epiſcopii error de nomine Jeſu. 47. de reconciliatione. 114. Mulieribus concedit libertatem adminiſtrandi S. Cœnam. 362
Epiſcoporum juriſdictio unde nata? 539 & ſeq. & quomodo deinceps diminuta ibid. num Pontifici ſubjecta. 545
Eraſti circa diſciplinam Eccleſiaſticam error. 456
Errorum fundamentalium quænam ſit ratio? 312
Ethnicorum converſio. 150
Evangelii quoad vocem ſignificatio. 147 illius initium, 148. impletio & ſumma quæ? ib. non convertendum illud eſt in Legem operum, 149. à quâ multis modis differt. ib. illi tamen ſubordinatum. ibid. an & quomodo Concio pœnitentiæ ſit? 150
Evangeliſtæ quinam ac quales fuerint? 476

Digitized by Google

Euſebii error de monachorum vetuſtate. 533
Eutychis de unâ tantùm in Chriſto naturâ error. 30
Exaltatio Chriſti in quo conſiſtat? 130 *& quibus gradibus ſit facta? ibid & ſeq.*
Excommunicatio quotuplex? 462. *an parentum & liberorum ac conjugum officia tollat?* 464. *an Regum ſubjectorumque vincula aboleat, ibid. ritè peracta an liget?* 465. *& quâ ratione?* 466. *& ad quas pœnas? ibid.*
Excommunicati an ab auditu Verbi ſint arcendi? 463. *an civili commercio excludendi? ib. an de univerſa Eccleſiâ proſcribantur?* 465
Exorciſmus in Baptiſmo non ferendus. 344

F.

Felix Urgelitanus. 32
Ferdinandus Imp. R. Pio IV. literas mittit de conjugio Sacerdotum. 485
Fidei varia acceptio. 182. *illius quot dentur actus? ib. & ſeqq.*
Fidei objectum tum ratione aſſenſus. 188. *tum ratione fiduciæ.* 189. *illiuſque ſubjectum, ib. & ſeq. cauſa efficiens.* 190. *Adjuncta, ib. Diſſentanea.* 191 *& ſeq.*
Fidei V. & N. T. diſcrimen. 193 *& ſeq.*
Fidei articuli fundamentales non facile determinari poſſunt. 310. *neque neceſſum. ibid.*
Fide quomodo dicamur juſtificari? 203 *& ſeq.*
Fidei in juſtificatione varii ſunt actus. 205.
Fides quomodo ſe ad pœnitentiam habeat? 247
Fideles graviter interdum peccant. 231. *non tamen voluntariè. ibid. quomodo hic perfecti dicantur?* 233
Flacciani. 33
Francofurtenſis Synodus ſub Imperio Caroli Magni. 529
Functio ſacra & civilis an in uno homine conjungi poſſint. 515 *& ſeq.*
Fundamentum Religionis quotupliciter ſumatur? 308 *& ſeq. notæque ac characteres veritatis fundamentalis quinam ſint?* 309
Fundamentalium articulorum numerus an determinari poſſit? 310 *& ſeq.*

G.

Gallus neceſſarium in Sac. Cœna calicis uſum ſcribit. 372. *preces pro mortuis.* 290. *confutatur uſus. ibid.*
Gentium vocatio olim prædicta. 150. *& ſuo tempore impleta.* 151. *facta præconio Evangelii. ib. ſine jugo Legis.* 152. *& occaſione infidelitatis Judæorum. ib.*
Gentium converſionis quinam fuerint fructus? ib. & ſeq.

Glo-

Gloriæ cœleſtis gradus an dentur? 641 & *ſeq.*
Glorificatio quotuplex? 267
Græcorum circa mortuorum ſtatum error. 284
Gratiæ Chriſti deſcriptio, 162. *interior natura & operatio, ib. & ſeq. illiuſque cum Lib. Arbitrio concordia. ibid.*
Gratia an ſit irreſiſtibilis? 168 & *ſeqq.*
Gregorii III. res geſtæ. 543
Gregorius Mag. introductor antiphonarum. 424. *ceremoniarum.* 529. *opinio ejus de Anti-Chriſto.* 542. *occulte ambit principatum Eccleſiæ. ibid.*
Gregorius Nazianzenus Conſtitutor vitæ Monaſticæ. 533
Gregorius VI. Imperatorem Henricum Regno exuit. 543
Grotii ſententia de communicatione ſine Symbolis refutata. 377. *falſa de Anti-Chriſto interpretatio.* 387 *quid per beſtiam intelligendum.* 588

H.

Habitus infuſi an ſub præceptum cadere poſſint? 168
Hagienſis collatio. 122
Hæretici à Magiſtratu compeſcendi. 522
Hæreticorum variorum errores, circa humanam Chriſti naturam. 27
Hæretico an fides ſervanda? 523 & *ſeq.*
Helvidii circa Virginitatem Mariæ error. 41
Hieronymus. 46. *vitæ Monaſticæ autor in occidente & oriente.* 533
Hillel ultimus Judæorum Rabbi. 158
Honorius Sacramenti adorationem introducit. 412
Hoſtiæ adoratio improbata. 412
Hugo de S. Victore ſeptem ſacramenta numerat. 415
Hugonis Grotii de Caligula opinio. 586
Hypocritæ num ad Eccleſiam referendi. 430

I.

Jejunium in quo conſiſtat? 251. & *cur dicatur religioſum? ibid.*
Jeſu vox unde derivetur? 46
Jeſum Nazarenum Meſſiam promiſſum eſſe, IV. argumentis probatur. 19 & *ſeq.*
Ignatius Lojola ordinis Jeſuitarum autor. 535
Imagines in quem uſum invectæ. 544
Independentium circa Eccleſiarum unionem error. 495 & *ſeq.*
Indulgentiarum ortus & progreſſus. 262
Indulgentiæ quid harum materia & adminiſtratio. 263. *confutantur.* 264. *cur in ſubſidium vocentur.* 531
Initium N.T. ab initio Euangelii diſtinctum. 10
Innocentius III. confirmat confeſſionem. 259. *inculcat tranſſubſtantiationem.* 395
Innovare reſpectu fundamenti non licet. 315. *quod tamen in cæteris licitum eſt, & quomodo? ib. & ſeq.*
Inſtrumentorum muſicorum uſus non eſt vetitus. 424
Johannes Epiſcopus Conſtantinopoli-

Digitized by Google

litanum. 542
Johannes Erigena oppugnatus à Godeſchalco. 166
Johannes XVIII. inſtituit feſtum pro animalus. 285
Johannes Baptiſta cujus Teſtamenti fuerit miniſter? 11. *ipſius quinam ortus?* 12. *ac quomodo in V.T. jam prædictus? ib. ejuſque miniſterium in quo fuerit ſitum?* 13 & *ſeq. illius baptiſmus quomodo cum baptiſmo Chriſti convenerit?* 13 & 334. *quomodo non? ib. ab illo cur Chriſtus baptiſatus ſit?* 337
Joſephus de J. Chriſto teſtatur. 22
Irenæi opinio de voce Lateinos. 584
Judæorum errores circa Adventum Meſſiæ. 18. *circa Meſſiam ipſum.* 22. *circa Ieſum Nazarenum.* 23. *circa Pſeudo-Chriſtos.* 24. *circa miracula Chriſti.* 67. *ac ipſius Munus Regium.* 79. *circa juſtificationem.* 211. *reſipiſcentiam.* 265. *reſurrectionem mortuorum.* 607. *mortem æternam.* 647
Judæorum ſtatus triplex. 154
Judæis prima Evangelii annunciatio facta. 155. *cum multorum ex iis ad Chriſtum converſione. ib. gens tamen ipſa infidelis manſit.* ibid.
Judæorum infidelitatis cauſa quæ? 156 & *ſeq.*
Judaicæ gentis excidium quibus gradibus contigerit? 158
Judaiſmi hodierni facies quæ? 160
Judicia capitalia in V. atque N. Teſt. probantur. 510
Judicium extremum erit univerſale. 619 & *ſeq. illius quænam ſit futura conſtitutio ratione Judicis?* 620 & *ſeq. judicandorum.* 622. *Formæ.* 623 & *ſeq. Circumſtantiarum.* 625 & *ſeq.*
Judicii ultimi miniſtri erunt Angeli. 621. *an judicium hoc etiam conveniat Apoſtolis, ac Sanctis? ib.* & *ſeq.*
Jus Romanum an in Rempubl. Chriſtianam admitti poſſit? 514
Juſtitia perfecta eſt Bonum N.T. 5
Juſtitia Chriſti imputata eſt bimembris. 199
Juſtitia Chriſti activa non eſt divellenda à paſſivâ. ib. utraque nobis imputatur. ib. & *ſeq.*
Juſtitiæ Chriſti imputatio in quibus & quot conſiſtat partibus? 202. *ac quâ viâ illius fiamus participes? ib.* & *ſeq.*
Juſtitia ex operibus à quibus aſſerta olim & nunc? 207
Juſtitiæ propriæ ſtudium corruptela religionis. 529
Juſtificationis dogma maximi momenti eſt. 194. *vocis ſignificatio.* 195. *illius triplex eſt diverſitas vel gradus.* 196–208. *materia Juſtificationis eſt Chriſti imputata juſtitia.* 197. *univerſæ juſtificationis qualis ordo & proceſſus ſit?* 205. & *ſeq. illius in Activam & Paſſivam diſtinctio.* 206. *ejuſque ſub V. & N.T. diſcrimen.* 210 & *ſeq.*

L.

Laicis baptiſmi adminiſtratio non concedenda. 329

Latinorum circa panis azymi in S. Cœnæ uſum ſuperſtitio. 365 & *ſeq.*
Libertas eſt Bonum N. T. 7. *hujus Libertatis quænam ſit indoles & quid ea in ambitu ſuo dicat?* ib. & *ſeq.* & 221. *ac ſeq.*
Libertas Eccleſiæ ſpeciatim qualis ſit circa Leges humanas. 222 & *ſeq.* *circa ritus ſacros.* 224. *circa adiaphora.* 225
Lombardus docet ſeptem Sacramenta. 415
Lucta in Sanctificatis oritur, ex carne & Spiritu. 230. *atque differt à lucta irregenitorum.* ib. *illiuſque multiplex eſt uſus.* 231
Lutheranorum errores circa communicationem idiomatum perſonæ Chriſti. 33--37. *circa nomen Jeſu.* 47. *circa mortem Chriſti.* 94. *circa articulum de deſcenſu Chriſti ad inferos.* 129. *circa Adſcenſionem Chriſti.* 139. *Seſſionem ejus ad dextram Patris.* 145 & *ſeq. Sacramenta V.* & *N. T.* 331. *circa neceſſitatem Baptiſmi.* 354. *manducationem Corporis Chriſti in S. Cœnâ oralem.* 389. *Conſubſtantiationem.* 401
Lutherus concordat cum Melanchtone. 402. *Lutheri exortus.* 546. *incipit reformationem in Eccleſia.* 596

M.

Magiſtratûs ortus. 503. & *ſeq. primitùs penes quos fuerit.* ib. *eſt ille à Deo.* 505. *etiam durior.* 506
Magiſtratuum officia quæ. 508--514
Magiſtratûs jus circa ſacra in quo conſiſtat 515--522. & *quo moderamine illud ſit exercendum?* 524
Manducatio Corporis Chriſti in S. Cœna quotuplex ſit? 384-387
Manichæi corrumpunt gratiam. 165 *errant circa perſonam Chriſti.* 27.
Marcionitæ circa perſonam Chriſti errant. 27. *baptizabant mortuos.* 348
Maria Chriſtum peperit. 41. *ſalvâ manente Virginitate.* ibid. *non tamen clauſo utero.* 42. *nec ſine partûs dolore.* ibid. *an Θεοτόκος bene appelletur?* ibid.
Maria cultus refutatur. 529
Maſora deſcriptio. 296. & *origo.* ibid.
Maſſilienſes ſemipelagiani. 166
Matrimonium non eſt Sacramentum. 419. *Sacerdotibus concedendum.* 484
Melchiſedecus typus Chriſti. 70
Merito an confidere liceat? 245. & *an illius intuitu operari?* ibid. & *ſeq.*
Meſſia adventus oſtenſus ex Prophetarum vaticiniis. 15 & *ſeq. ex confuſo Reip. Judaicæ ſtatu.* 16. *ac propriis Judæorum teſtimoniis.* ib. *cur adventus ille ad ultima tempora ſit dilatus?* 24
Metropolitanus quis & qualis olim fuerit? 540
Miniſterii in Eccleſiâ deſcriptio. 468. *quotuplex illud ſit?* 469
Miniſtri Eccleſiæ ſub V. Fœd. quinam fuerint? 470
Miniſtri N. T. extraordinarii quinam extiterint? ib. & *ſeq. ordinarii qui?* 476. & *ſeq.*

Mi-

Digitized by Google

Miniſtri V. D. à miniſterio quandoque poſſunt & debent removeri. 491. *olim illis matrimonium conceſſum.* 485
Miracula Chriſti vera fuerunt. 64. & *planè ſingularia. ibid.* & *ſeq. eorum quinam fuerit ordo ac ratio.* 65. *cur ea interdum celari juſſa?* 66
Miracula quomodo patrata ſint ab Apoſtolis? 67. & *quo diſcrimine à miraculis Chriſti?* ib.
Miſſa vocis origo. 403. *Miſſa Pontificia non eſt verum ſacrificium.* 404--408. *Cœnæ Dominicæ tota eſt contraria.* 404. & *mera idolatria.* 413 & *ſeq.*
Monachatûs nullum in S. S. extat fundamentum. 532. *illiusprima origo.* 533. *incrementa. ibid. ac ab hodierno Monachatu diſcrimen.* 534
Monarchia in Eccleſia tyrannica eſt. 550
Monachorum per Occidentem propagatio, variaque familiæ. ib. & *ſeq.*
Mortis Chriſti antecedanea quænam ac ubi fuerint? 90--93
Mortis Chriſti veritas. 94. *Certitudo.* 95. *Tempus.* 96. *neceſſitas.* 94 & 96. *effectus.* 97. *fructus.* 97. 112-115. *an in mortis triduo Chriſtus deſierit eſſe homo?* 94. & *an illud triduum fuerit integrum?* 135
Mortis horror qui ſub V. T. erat, ſub N. T. ceſſat. 278
Mors finis omnium calamitatum. 276 *Judæorum & Græcorum errores de ſtatu mortuorum.* 284
Mors æterna in quo conſiſtat? 644
Moſes Sacerdos & princeps populi fuit. 515
Moſes Cretenſis pſeudo-Meſſias. 24
Mundus, pro quo Chriſtus in S. S. dicitur mortuus, quid notet? 120
Muſica inſtrumentalis & vocalis in templis licita. 424
Myſterii vocis ſignificatio & uſus. 317

N.

Neſtorii circa unionem naturarum Chriſti perſonalem error. 30
Nominis Dei notificatio eſt Bonum N. T. 6

O.

Obedientia duplici reſpectu à Chriſto præſtita. 84 & *ſeq.*
Oeconomiam Eccleſiæ duplicem quomodo Sacra S. memoret? 2
Olevianus. 199
Ordinatio Miniſtrorum quomodo ſit peragenda? 486. *illius origo & uſus.* 487
Organa pneumatica in templis licita. 424
Origenes primus meminit ignis purgatorii. 284
Origeniſtarum de impiorum pœnis non æternùm duraturis error. 647

P.

Papa interdicto an legitimè regna & populi ſubjiciantur? 464 & *ſeq.*
Papa quomodo primitùs titulum Epiſcopi Univerſalis exambierit? 542. *Imperatoris jugo collum ſubduxerit?* 543.

Latinorum circa panis azymi in S. Cœnæ uſum ſuperſtitio. 365 & *ſeq.*

Libertas eſt Bonum N. T. 7. *hujus Libertatis quanam ſit indoles & quid ea in ambitu ſuo dicat? ib.* & *ſeq.* & 221. *ac ſeq.*

Libertas Eccleſiæ ſpeciatim qualis ſit circa Leges humanas. 222 & *ſeq. circa ritus ſacros.* 224. *circa adiaphora.* 225

Lombardus docet ſeptem Sacramenta. 415

Lucta in Sanctificatis oritur, ex carne & Spiritu. 230. *atque differt à lucta irregenitorum. ib. illiuſque multiplex eſt uſus.* 231

Lutheranorum errores circa communicationem idiomatum perſonæ Chriſti. 33--37. *circa nomen Jeſu.* 47. *circa mortem Chriſti.* 94. *circa articulum de deſcenſu Chriſti ad inferos.* 129. *circa Adſcenſionem Chriſti.* 139. *Seſſionem ejus ad dextram Patris.* 145 & *ſeq. Sacramenta V.* & *N.T.* 331. *circa neceſſitatem Baptiſmi.* 354. *manducationem Corporis Chriſti in S. Cœnâ oralem.* 389. *Conſubſtantiationem.* 401

Lutherus concordat cum Melanchtone. 402. *Lutheri exortus.* 546. *incipit reformationem in Eccleſia.* 596

M.

M*Agiſtratûs ortus.* 503. & *ſeq. primitiùs penes quos fuerit. ib. eſt ille à Deo.* 505. *etiam durior.* 506

Magiſtratuum officia quæ. 508--514

Magiſtratûs jus circa ſacra in quo conſiſtat 515--522. & *quo moderamine illud ſit exercendum?* 524

Manducatio Corporis Chriſti in S. Cœna quotuplex ſit? 384-387

Manichæi corrumpunt gratiam. 165 *errant circa perſonam Chriſti.* 27.

Marcionitæ circa perſonam Chriſti errant. 27. *baptizabant mortuos.* 348

Maria Chriſtum peperit. 41. *ſalvâ manente Virginitate. ibid. non tamen clauſo utero.* 42. *nec ſine partûs dolore. ibid. an* Θεοτόκος *benè appelletur? ibid.*

Mariæ cultus refutatur. 529

Maſora deſcriptio. 296. & *origo. ibid.*

Maſſilienſes ſemipelagiani. 166

Matrimonium non eſt Sacramentum. 419. *Sacerdotibus concedendum.* 484

Melchiſedecus typus Chriſti. 70

Merito an confidere liceat? 245. & *an illius intuitu operari? ibid.* & *ſeq.*

Meſſiæ adventus oſtenſus ex Prophetarum vaticiniis. 15 & *ſeq. ex confuſo Reip. Judaicæ ſtatu.* 16. *ac propriis Judæorum teſtimoniis. ib. cur adventus ille ad ultima tempora ſit dilatus?* 24

Metropolitanus quis & *qualis olim fuerit?* 540

Miniſterii in Eccleſiâ deſcriptio. 468. *quotuplex illud ſit?* 469

Miniſtri Eccleſiæ ſub V. Fœd. quinam fuerint? 470

Miniſtri N. T. extraordinarii quinam extiterint? ib. & *ſeq. ordinarii qui?* 476. & *ſeq.*

Mi-

Digitized by Google

Miniſtri V.Div. à miniſterio quandoque poſſunt & debent removeri. 491. *olim illis matrimonium conceſſum.* 485
Miracula Chriſti vera fuerunt. 64. *& planè ſingularia. ibid. & ſeq. eorum quinam fuerit ordo ac ratio.* 65. *cur ea interdum celari juſſa?* 66
Miracula quomodo patrata ſint ab Apoſtolis? 67. *& quo diſcrimine à miraculis Chriſti?* ib.
Miſſa vocis origo. 403. *Miſſa Pontificia non eſt verum ſacrificium.* 404--408. *Cœna Dominica tota eſt contraria.* 404. *& mera idolatria.* 413 *& ſeq.*
Monachatûs nullum in S. S. extat fundamentum. 532. *illius prima origo.* 533. *incrementa. ibid. ac ab hodierno Monachatu diſcrimen.* 534
Monarchia in Eccleſia tyrannica eſt. 550
Monachorum per Occidentem propagatio, variaque familia. ib. *& ſeq.*
Mortis Chriſti antecedanea quænam ac ubi fuerint? 90--93
Mortis Chriſti veritas. 94. *Certitudo.* 95. *Tempus.* 96. *neceſſitas.* 94 *&* 96. *effectus.* 97. *fructus.* 97. 112-115. *an in mortis triduo Chriſtus deſierit eſſe homo?* 94. *& an illud triduum fuerit integrum?* 135
Mortis horror qui ſub V. T. erat, ſub N. T. ceſſat. 278
Mors finis omnium calamitatum. 276 *Judæorum & Græcorum errores de ſtatu mortuorum.* 284
Mors æterna in quo conſiſtat? 644
Moſes Sacerdos & princeps populi fuit. 515
Moſes Cretenſis pſeudo-Meſſias. 24
Mundus, pro quo Chriſtus in S. S. dicitur mortuus, quid notet? 120
Muſica inſtrumentalis & vocalis in templis licita. 424
Myſterii vocis ſignificatio & uſus. 317

N.

NEſtorii circa unionem naturarum Chriſti perſonalem error. 30
Nominis Dei notificatio eſt Bonum N. T. 6

O.

OBedientia duplici reſpectu à Chriſto præſtita. 84 *& ſeq.*
Oeconomiam Eccleſiæ duplicem quomodo Sacra S. memoret? 2
Olevianus. 199
Ordinatio Miniſtrorum quomodo ſit peragenda? 486. *illius origo & uſus.* 487
Organa pneumatica in templis licita. 424
Origenes primus meminit ignis purgatorii. 284
Origeniſtarum de impiorum pœnis non æternùm duraturis error. 647

P.

PApa interdicto an legitimè regna & populi ſubjiciantur? 464 *& ſeq.*
Papa quomodo primitùs titulum Epiſcopi Univerſalis exambierit? 542. *Imperatoris jugo collum ſubduxerit?* 543.

Digitized by Google

543. *Poteſtatibus ſeculi gravis factus ſuper eas ſe extulerit? ib. & ſeq. tandem populum, Doctores, Paſtores, Epiſcopos, Motropolitanos ac Concilia ipſa oppreſſerit?* 544--546
Papa Petro non ſucceſſit. 565 & *ſeq.*
Papiſmus unde efformatus. 531
Paradiſus ſub fœdere operum Sacramenti rationem habet. 327
Pareſis differentia ab apheſi. 5
Paſchati Euchariſtia ſubſtituta. 379
Paſchaſius Radbertus errat circa præſentiam Chriſti corporalem in Sac. Cœna. 394
Paſſavienſis tranſactio. 591
Paſſionum Chriſti nomine quid intelligatur? 87 & *ſeq. illarum ſubjectum.* 88. *diverſitas & magnitudo.* 89. *terminus.* 93
Paſtor an ſæviente perſecutione de Eccleſiâ ſecedere poſſit? 481
Paſtor ſtultus quis. 594
Panis in S. Cœnâ adhibendus communis. 365. *non ex azymo. ib. aut nebulis orbicularibus.* 366. *Panis conſecratio an certâ formulâ ſit peragenda.* 368. *quomodo illa in Eccleſiâ Vet. peracta ſit? ib. & ſeq. panis fractio an neceſſaria, & quid denotet?* 369. *ejus diſtributio & comeſtio quomodo facta? ib. & ſeq. his ritibus quid myſterii ſubſit?* 379 & *ſeq. inter panem & corpus analogia.* 386 & *ſeq.*
Patriarcharum origo. 541
Pax N. T. Bonum. 6
Peccata noſtra quomodo Chriſto imputata? 100
Pelagianorum errores circa Gratiam Chriſti. 165. *circa impeccantiam.* 232
Perſeverantiæ Sanctorum fundamenta quæ? 268 & *ſeq. illius doctrina non eſt ἀργὸς λόγος.* 272
Petri primatus qualis fuerit? 554. *non major fuit Iacobo, Iohanne aut Paulo.* 557. *quomodo Chriſtum confeſſus ſit?* 558. *illi quomodo promiſſæ claves regni cœlorum?* 561. *Petri fictitia monarchia an veram tranſmittere potuerit ad Papam?* 564. *an Petrus Romæ fuerit, ſedemque ibi fixerit?* 567--572
Phannias ultimus ſacerdos. 158
Piſcator. 199
Pœnarum damnatorum locus quis? 645. *illarum adjuncta quæ?* 646
Pœnitentia ſacramentum non eſt. 417
Pœnitentiæ ſigna externa quæ? 250 & *ſeq.*
Pœnitentium quot & quinam olim conſtituti ſint ordines ac gradus. 364
Politia Eccleſiaſtica unde orta? 469
Pontificiorum errores circa Libertatem N. T. 9. *circa nomen Ieſu.* 47. *Chriſti infantiam.* 48. *Conſilia Evangelica.* 63. *Satisfactionem Chriſti.* 107. *ejuſque deſcenſum ad inferos.* 129. *ac ad cœlos aſcenſionem.* 139. *circa gratiam divinam.* 166. *ac juſtitiæ Chriſti imputationem.* 197. *fideique juſtificationem.* 212. *circa ritus ſacros.* 224. *impeccantiam.* 232. *bonorum operum meritum.* 240 & *ſeq. jejunium.* 252. *pœnitentiam.* 256. & *ſeq.* & *indulgentias.* 262 & *ſeq. circa ſalutis certitudinem.* 274. *Purgatorium.* 284. *preces pro mortuis.* 290 & *ſeq. Fundamentales ar-*

Digitized by Google

ticulos. 313. *Sacramentorum vim.* 323. *circa utriuſque Teſt. Sacramentorum diſcrimen.* 329. *Baptiſmum Iohannis.* 335. *baptiſmique gratiam.* 351. *circa S. Cœnæ ritus.* 372. *ac Corporis Chriſti, in eâ manducationem.* 388. *circa Miſſam.* 404--414. *Eccleſia in legibus condendis poteſtatem.* 449. *Vocationem Paſtorum.* 486. *eorumque ordinationem.* 487. *circa Magiſtratum.* 506. *Ordinum ſacrorum introductionem.* 535. *Papam.* 542-548. *Primatum Petri.* 554. *Antichriſtum.* 581

Præſentia quid notet? 390 & *ſeq.*

Præſentia Chriſti in S. Cœnâ qualis ſit? 391 & *ſeq.*

Precum pro mortuis origo ac progreſſus. 290

Prophetiæ N.T. excellentia quæ? 295

Punctorum Hebrææ Linguæ origo quæ? 297

Puppius. 62

Purgatorii origo & progreſſus. 284 & *ſeq.*

R.

R*Abbi Lemlem Pſeudo-Propheta.* 24

Reconciliatio noſtri cum Deo quomodo ſit concipienda? 112

Reformati diſſentiunt ab aliis de ſatiſfactione mortis Chriſti 124. *non habent jus Pontificum bona ſibi arrogandi.* 490. *rectè illos Anti-Chriſtum dicunt.* 581

Reformatio ſuperioris ſeculi quomodo facta? 595 & *ſeq. illius quænam fuerit neceſſitas?* 596 & *ſeq.*

Regia Chriſti dignitas in reliqua ipſius munera etiam derivatur. 144

Regimen Eccleſiæ Monarchicum an juris divini ſit? 549 & *ſeq.*

Regiminis corruptio ſub N.T. quomodo invecta? 531 & *ſeq.*

Religio an armis defendi queat? 512

Remiſſio peccatorum plena eſt Bonum N.T. 5

Remonſtrantium errores circa Munus Chriſti Propheticum. 62. *illiuſque ſatisfactionem.* 110 & *ſeq. circa reconciliationem noſtri cum Deo, variaſque falsò illi asſignatas diſtinctiones.* 113 & *ſeq. circa gratiam divinam.* 166 & 168. *Juſtificationem fidei.* 217. & *ſeq. perſeverantiam Sanctorum.* 267. & *ſeq. fundamentalium articulorum munerum.* 315. *mortem impiorum æternam.* 648

Reſipiſcentiæ nomina quæ? 246. *actus qui? ibid.* & 248. *ejuſque ſubjectum. ib. Objectum.* 249. & *neceſſitas quæ? ibid. auctor ejus quis?* 250

Reſipiſcentia eſt neceſſaria non meritoria. 249. *ejus abuſus.* 253

Reſurrectionis Chriſti Veritas. 131. & *ſeq. natura & perfectio.* 132. & *ſeq. cauſa efficiens.* 134. *tempus.* 135. *effectus* & *fructus ib.* & *ſeq.*

Reſurrectionis quoad vocem varia acceptio. 606 & *ſeq.*

Digitized by Google

Reſurrectionis mortuorum Veritas. 608 *& ſeq. Subjectum quod & quo.* 610 *&* 612. *Cauſa.* 616. *Circumſtantia.* 617. *uſus.* 618
Reſurrectio an duplex ſit futura? 617. *an cum ſexûs diſcrimine?* 615 *& ſeq.*
Reuchlinus. 46
Ritus cultûs N.T. à Chriſto ſimpliciſſimi inſtituti. 421. *& tales ab Eccleſiâ Apoſtolicâ obſervati. ibid. & ſeq. quæ ſimplicitas quomodo adulterata ſit?* 422 *& ſeq.*
Rudolphus Agricola. 202

S.

SAcerdotii Chriſti fructus qui? 73 *& ſeq.*
Sacramenti vocis ſignificatio ac uſus. 317. *Sacramentorum definitio.* 318. *qualia ſigna ſint? ibid. & à quo inſtituta. ibid. & ſeq. eorum miniſtri qui?* 319. *non dependet illorum vis ab adminiſtrantis vel dignitate, vel intentione. ib. & ſeq. ſymbolum externum eorum quodnam ſit?* 220. *res ſignificata quæ?* 321. *ac finis quis?* 322 *&* 325. *ſubjectum & effectus qui?* 326
Sacramentorum ſub variâ fœderum œconomiâ diverſitas quæ? 327. *illorumque ſub V. & N.T. convenientia.* 328. *ac diſcrimen. ibid.*
Sacramenta Pontificiorum ſupernumeraria quot & quænam? 415-420
Sacramentorum adminiſtratio an promiſcua ſit? 480
Salutis certitudo qualis ſit? 272. *illius fundamenta quæ?* 273
Sanctificationis à juſtificatione diſcrimen. 226. *vocis ſignificatio.* 227. *ſanctificationis forma. ibid. termini. ib. neceſſitas.* 228. *cauſa. ib. periodi. ib. & ſeq. illiuſque in hâc vitâ imperfectio.* 232. *ac ſub V. & N.T. diſcrimen.* 234
Sanctorum cultus ubi & quando cœpit. 529
Satisfactionis Chriſti pro nobis deſcriptio. 97. *neceſſitas.* 98. *Veritas.* 100 *& ſeq. Pretium.* 103. *Meritum.* 106
Satisfactionis Chriſti pretium cui fuerit ſolutum? 104. *& quo modo ac jure? ib. & ſeq.*
Scaligeri error de nativitate Chriſti. 43
Schwenckfeldianorum de perſona Chriſti error. 28
Scripturarum S S. verſiones quales ſub N.T. prodierint? 298-302
Seculum futurum quodnam? 630
Semipelagianorum circa gratiam divinam error. 166
Senioribus Eccleſiæ qualis ſit collata poteſtas? 492
Sepulcrorum Judaicorum quænam olim fuerit ratio? 125
Sepultura Chriſti ſecundum prædictionem peracta. 125. *ratio illius quæ?* 126. *honor Chriſto in eâ exhibitus. ib. & quare? ibid. illius fines qui?* 127
Sepultura mortuorum ſine ſuperſtitione peragenda. 278
Seſſio Chriſti ad dextram Patris ſummus gloriæ illius gradus. 142. *quid ea*

Digitized by Google

ea notet? 143. *& quinam hujus ſeſſionis Chriſti ſint fructus.* 146 *& ſeq.*
Simonia interdictio. 483
Simon Magus. 587
Socinianorum errores circa naturam T. N. Libertatem Chriſtianam. 9. *Munus Chriſti Propheticum.* 56 *& ſeq. ejuſque Sacerdotium.* 74. *Regnum.* 83. *ac ſatisfactionis neceſſitatem.* 99. *ipſamque ſatisfactionem.* 107. *& ſeq. circa reconciliationem noſtri cum Deo.* 112. *Chriſti reſurrectionem.* 134. *Aſcenſionem.* 141. *ac ad dextram Patris ſeſſionem.* 145. *circa Gratiam divinam.* 167. *Fidem.* 187. *regenerationem.* 179. *Juſtitiam fidei.* 214. *pœnitentiam.* 265. *animæ immortalitatem.* 280. *circa articulorum fundamentalium numerum.* 313. *Baptiſmi adminiſtrationem.* 340. *ejuſque gratiam.* 351. *ac neceſſitatem.* 353. *circa Eccleſiæ univerſalitatem.* 431. *illiuſque Notas.* 439--441. *circa Miniſtrorum vocationem.* 435. *circa hæreticos tractandi modum.* 522. *Reſurrectionem mortuorum.* 611. *&* 614. *gloria in cœlo futura gradus.* 644. *impiorum pœnas.* 647
Sotonis error circa juſtificationem. 195
Spiritûs adoptionis effuſio eſt Bonum N. T. 5
Stephanus rebaptiſationem gentilium oppugnat. 357
Suſtentatio miniſtrorum eſt neceſſaria. 489
Sybillina oracula quo loco ſint habenda? 306
Symbolum Apoſtolicum cur Apoſtolicum dicatur? 307. *illius origo. ibid. augmentum. ibid. auctoritas.* 308. *& uſus quis?* ib.
Synedrium Judaicum quando obtinuerit? 515
Synodi prima congregatio quando facta? 497. *& quibus auctoribus?* 498. *illarum membra quinam olim fuerint? ibid. locus & Præſes quis?* 499. *modus ac ſuffragandi ratio quæ? ib. & ordo in iis qualis ſit obſervatus.* 500. *earumque Auctoritas quæ?* 501
Synodus nulla infallibilis. 502

T.

Talmudis origo. 304
Tertullianus errat circa Johannis baptiſmum. 14. 334. *controverſia cum Marco.* 43 *ejus opinio de Gentilium baptiſmo.* 332. *veterum ritus in ſac. Cœna recenſet.* 370. *ejus ſententia de bello gerendo.* 510
Teſtamenti Novi deſcriptio. 2. *cur & unde dicatur Novum?* 3. *illius Bona quæ?* 5 *& ſeq. ejus initium unde inchoandum?* 10 *& ſeq.*
Themiſtius hæreticus. 27
Theophylacti error de ſymbolis. Sac. Cœn. 394
Thomæ Eraſti de Eccleſia diſciplina opinio. 456
Thomæ error de juſtificatione. 195
Timotheus conſtituit ſacerdotes conſenſu Eccleſiæ. 486
Tranſactio Paſſavienſis. 591
Tranſubſtantiationis origo. 393 *& ſeq.* illiuſque

illiuſque ratio ac converſionis modus. 395. quorum omnium falſitas evincitur. 396-400
Tributa à Magiſtratu impoſita quomodo pendenda? 513

V.

Valentinus hæreticus. 27
Venandi jus Principibus competit. 514
Verbum Dei an ab omnibus promiſcuè prædicandum ſit? 478 & ſeq. an publicè exponendum, an verò potiùs prælegendum? 479 & ſeq. quænam corruptelæ illi ſint adſutæ à Iudæis? 303. & per Pſeudepigrapha Apoſtolica. 306
Verſio Vulgata malè Authentica à Concil. Trident. pronunciata. 300
Verſuum Vet. & N.T. diviſio quos habeat auctores? 279 & ſeq.
Vicarius Chriſti an detur? 553
Vinum in S. Cœnâ an aquâ ſit miſcendum? 366. aut pane illi intinctò ſumendum? 367. Infuſionis vini cur non fiat mentio? 371 & ſeq.
Virtutis menſura & pretium unde petendum? 238
Viſio Dei beatifica qualis in cælo futura ſit? 634 & ſeq. an viſio illa beatifica hic alicui unquam conceſſa fuerit? 636 & ſeq.
Vita æterna quodnam ſit futurum objectum? 632. & forma quæ? 633. an rerum hominumque hujus ſeculi memoria ac cognitio ibi perduratura ſit? 637. an nos invicem ibi ſimus agnituri? 638
Unio noſtri cum Chriſto in S. Cœnâ qualis ſit, & quibus figuris adumbretur? 383. illius fundamentum & modus quis? ib. ejuſque effectum quod? 384
Vocationis ſalutaris deſcriptio. 173. quæ partim externè. 174 & ſeq. partim & præcipuè internè peragitur. 176. atque hæc ſemper efficax eſt. ib. & homo ſe primitùs paſſivè ad eam habet? 177. illaque per gradus producitur. ibid.
Vocationis miniſtrorum neceſſitas. 482. requiſita. ibid. auctoritas. ib. jus. ib. eam præcedere debet vocandorum exploratio. 483. in hac quænam ſint vitanda? ibid. & ſeq.
Voluntas humana quomodo in primo ſupervenientis gratiæ momento ſe habeat? 164

W.

Waldenſium fides. 394
Weigelianorum de perſona Chriſti error. 27. de pœna Capitali Iudicium. 509. de bello. 511. de Iure Romano. 514
Weſſelus Gansfortius. 202

Z.

Zaccharia Papa Res geſta. 543

FINIS.

Pag. 184. lin. ultima *lege*, aliud, quam animæ Deum.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

[illegible]ized by Google